UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661


urn:nbn:de:hbz:466:1-47132

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2804.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ISAGOGE
AD
AMOREM
DIVINUM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ISAGOGE

AD

AMOREM

DIVINUM

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Auctore
R.P. PETRO PENNEQVIN Societatis IESV.
Theologo.

Antverpiæ, apud Vidvam et Hæredes Ioannis Cnobbari. Anno 1661. Cum Gratia et Privilegio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ISAGOGE AD AMOREM DIVINVM

AVCTORE

R. P. PETRO PENNEQVIN

Societatis JESV Theologo,

Gallicè priùs, nunc Latinè ab eodem conscripta, & pluribus in locis aucta.

Collegii Societatis Jesu Paderborna 1694

ANTVERPIÆ,
Apud Viduam & Hæredes JOANNIS CNOBBARI.
M. DC. LXI.
Cum Gratia & Privilegio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

REVERENDO ADMODVM
PATRI IN CHRISTO
P. GOSWINO
NICKEL
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO
GENERALI.

Admodum R^de Pater,

EN *Isagoge ad Amorem Divinum Latinè reddita Paternitatis vestræ conspectui se sistit, ejusq; patrocinium implorat; sperat illa nomine vestro, quod apud Germanos, Italos, Hispanosq; in amore & veneratione est, insignita faciliores*

liores se aditus in istas Provincias reperturam, atque in illis tranquilliùs commoraturam: nihil enim aliud ambit, quàm Divini Amoris flammas in mortalium animos spargere, quod ipsum cùm Paternitati vestræ cordi esse non ignoret, sperat se ejus auctoritate subnixam, patrocinio fultam, commendatione fretam apud alios facilè id assecuturam. Rogo itaque Paternitatem vestram, ut in tam piâ causâ illi adminiculari dignetur, & vicissim Deum Opt. Max. precor, ut Societati Filij sui P. V^am. diutissimè servet incolumem. Montibus Hannoniæ 20. Ianuarij 1661.

L E-

LECTORI S.

DEderam publico ante annos duodecim idiomate patrio Divini Amoris Isagogen, quæ cùm tertiò prælo reddita, & Flandricè loqui docta, plurium manibus tereretur, putavi me tulisse operæ pretium; & habere, quo Iesu Christo omnis sancti Amoris fonti meritò gratularer: sæpius tamen exinde rogatus sum, ut eundem Librum Latinitate donarem, quò ad plures per Germaniam, Italiamque, & Hispaniam manaret ejus utilitas: id affectâ jam ætate ut in animum inducerem, adduci nunquam potui, donec Superiorum, quibus reverentiam, & obedientiam debeo, non tam imperium, quàm nutus accessit. Parendi itaque desiderio rem jam septuagenario proximus sum aggressus, priùs ut videbatur, vitæ finem facturus, quàm operis; etsi Deo aliter visum. Verba verbis non reddidi, & in fœtu meo novâ veste donando plus mihi licere putavi, quàm si alienus partus esset: sensum tamen ubique persequi sum conatus; si quid addidi, aut dempsi, id tam exiguum est, ut mentionem non mereatur. Fruere Lector, & stylum excusa, ac pro me Deum precare. Montibus Hannoniæ.

AD
DIVINVM AMOREM
IMPETRANDVM
VOTVM.

DEus Opt. Max. qui Amor es ſubſtantialis, increatus, æternus, infinitus, & incomprehenſibilis, Pater, Filius, & Spiritus S. unus identitate ſubſtantiæ & amoris, fons omnis charitatis, & centrum à quo proſiliunt, & in quod reflectuntur omnes ſancti Amoris radij; Bonitas, & Majeſtas infinita; Ego viliſſimus homuncio ad tuos pedes provolutus Te principium, finemq; rerum omnium adoro, ac unà profiteor, nihil mortalibus conceſſum majus atque glorioſius, quàm corda noſtra Amori tuo, & linguas, ac calamos laudationi tuæ humillimè conſecrare, omneſq; ad tui cognitionem, Amoremq; votis provocare intenſiſſimi: atque hunc ego ſcopum unicè laboribus meis propoſitum volo. Vis ut te amem pluſquam me; vis ut vitæ potius, quàm amoris tui jacturam faciam? fac ut voluntati tuæ in re tanti momenti perfectiſſimè obſequar: cor meum divino iſto igne inflamma, & ab omnibus impedientibus expedi, atque in ejus medio vexillum tuæ charitatis erige; cumq; ex Patrum ſententia charitas ſit animæ magnitudo, pulchritudo, & vita, fac ut charitate accenſus, magnus coram te, pulcher, & plenus vitæ cæleſtis evadam. Huc ſpectat Filij tui Incarnatio, huc ejus labores

labores & doctrina, huc sacræ paginæ, huc ad vitam æternam prædestinatorum potissimi conatus, tanquam ad felicitatis nostræ ultimum complementum. Hanc pro me omnibusq; quos ut me ipsum amare voluisti, etiam atque etiam efflagito: da nobis Amorem tuum, & cum illo Teipsum, ut assequamur felicitatem consummatam in hoc sitam, ut possideamus Te, & possideamur à Te possessione interminabili.

Facultas R. P. Provincialis.

EGo infrascriptus Societatis Iesu in Gallo-Belgicâ Provincialis, juxta Privilegium eidem Societati concessum, quo Typographis omnibus prohibetur ne libros ab ejusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant; facultatem do MICHAELI CNOBBAERT Typoghrapho Antverpiensi, ut Opus *De Amore Divino*, à R. P. PETRO PENNEQUIN ejusdem Societatis compositum, ad sex annos proximos imprimere & liberè distrahere possit. Datum Insulis 13. Ianuarij anni 1661.

HVBERTVS VVILTHEMIVS.

APPROBATIO.

HÆc Isagoge ad Amorem Divinum, *eleganter & eruditè, necnon piè & utiliter, juxta sanam doctrinam, & conformiter bonis moribus, conscripta à* R. P. PETRO PENNEQUIN, *Societatis* Iesu, *luce publica dignissima est. Actum* 16. *Decemb.* 1659.

GUIL. BOLOGNINO
S. Theol. Lic. Eccles. Cath.
Can. & Lib. Censor, Antv.

S V M.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SUMMA
PRIVILEGII REGII.

PHILIPPUS Dei gratiâ Hiſpaniarum, Indiarumque &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Seren. Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis Librum, cui titulus, *Iſagoge ad Amorem Divinum*, Auctore R. P. PETRO PENNEQUIN Societatis IESU, citra Viduæ necnon Hæredum JOAN. CNOBBAERT voluntatem ullo modo in Belgio intra decem annos proximos imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum, & pro ſingulis exemplaribus huc illatis triginta florenorum penſione mulctabitur: uti latiùs patet in litteris Bruxellæ 22. Decembris datis anno 1659.

Signat

LOYENS.

INDEX CAPITVM ET TITVLORVM PRIMÆ PARTIS.

CAp. 1. *Antè credendum, quàm amandum.* pag. 1

2. *Quatuor media excitandæ magis ac magis fidei sacræ opportuna.* 7

3. *Non sufficit fides; sed Deus summo loco præterea habendus.* pag. 13.

4. *Quantum cupiat Deus à nobis amari.* 17

5. *Omnem felicitatem hominis in amore divino sitam esse.* 22

6. *Neminem ob status impedimenta ab amando Deo excludi.* 29

7. *Deus amari vult super omnia, & ad id obligat unumquemque rationis capacem sub gravi peccato.* 36

8. *Facilius esse, quàm communis fert opinio, implere præceptum amandi super omnia.* 44

9. *Posse impleri præceptum amoris Dei super omnia etiam in mediis tentationibus, ariditatibus, & animi afflictionibus.* 53

10. *An possit homo scire, exerceátne actum amoris Dei super omnia.* 60

11. *Præter amorem Dei super omnia, qui præcipitur, & quem propterea obligationis dicimus, datur alius dignior & perfectior, qui perfectionis dicitur, ad quem aspirare debemus.* 64

12. *Quomodo homo se habeat erga Deum per amorem illum perfectiorem.* 67

13. *De primo gradu amoris perfectioris, qui est velle Deo bona quæ possidet.* 70

14. *De secundo gradu amoris perfecti, quo bonum aliquod Deo volu-*

volumus extrinsecùs adveniens. 74
15. *Amor perfectus abstinet se ab iis, quæ displicent aut etiam minùs placent Deo.* 77
16. *Secundum Bonum, extrinsecum, quod vult Deo amor perfectus, nempe major ejus gloria.* 81
17. *De tertio gradu amoris perfecti, in quo bonum amici, quantum potest, procurat.* 85
18. *Amor perfectus studet semper amoris divini flammis excitandis & augendis.* 89
19. *Amor Dei perfectus cum voluptate pro amato patitur.* 93
20. *Quâ viâ amor perfectus Deum magis glorificet, agendo, an patiendo.* 97
21. *De quarto gradu amoris perfecti, quo homo continuò Dei præsentiâ frui nititur.* 106
22. *Amor perfectus ad perfectam Dei fruitionem, quam habiturus est in alterâ vitâ, aspirat.* pag. 112.
23. *Amor perfectus interim dum Dei fruitio æterna differtur, frequenti Eucharistiæ sumptione se solatur.* 116
24. *De quinto gradu amoris qui consistit in perfecta voluntatis humanæ cum divina conformatione.* 121
25. *Quomodo amor perfectus hanc cum voluntate Dei conformationem variis modis exerceat.* pag. 128.
26. *Perfectissimam conformationem voluntatis humanæ maximè elucere in continuis cum amore proprio conflictibus.* 132
27. *De Vniformitate, Deiformitate, & Transformatione.* 138
28. *De perfecta Transformatione, quâ donabimur in cælo.* 145

SECVNDÆ PARTIS.

CAp. 1. *De mediis ad amorem divinum.* pag. 147
2. *De odio sui, primo ad amorem perfectum acquirendum instrumento.* 155
3. *De abnegatione sui, secundo ad amorem sanctum acquirendum instrumento.* 162
4. *De morte spirituali.* 170
5. *De libertate Spiritus.* 175
6. *De unitate spirituali.* 185
7. *Non est tam difficile, quàm multi*

multi putant id quod superioribus capitibus de modis amorem sanctum consequendi dictum est. 191
8. *An brevior via ad assequendum perfectum amorem sit Oratio; an verò mortificatio.* 195
9. *De sanctis desideriis, & quantum juvent ad divini amoris consecutionem.* 199
10. *De Petitione; & quomodo obtineatur amor sanctus cùm petitur ut oportet.* 206
11. *Modus distinctior, & enucleatior amorem obtinendi per desideria & preces.* 213
12. *Quantum conferat ad acquisitionem amoris divini mentalis oratio.* 217
13. *Aliqua observanda ab iis, qui orationi mentali se dedunt.* 225
14. *Quomodo, qui meditari nequeunt, orando nihilominus amori divino consequendo studebunt.* 236
15. *Quomodo ex oratione Dominica aspirationes amoris possimus elicere.* 244
16. *Passio Iesu Christi magnum in se continet amoris divini incentivum.* 254
17. *Rebus adversis ad sancti Amoris consecutionem gradum fieri.* 262
18. *Quomodo per humilitatis studium progressus fiat ad amorem.* 262
19. *Ad humilitatem non sufficit suæ vilitatis cognitio, & affectus, sed præterea opus est assiduâ exercitatione.* 274

TERTIÆ PARTIS.

CAp. 1. *In quo consistat hæc Praxis.* 279
2. *Quomodo ad aliquod desiderium, timorem, tristitiam, iram amor divinus concurrere possit, eisq; pretium addere.* 282
3. *Quomodo divini amoris legibus cogitationes regi, contineriq; possint.* 292
4. *Quomodo amor sanctus in bonum usum temporis incumbit.* pag. 299.
5. *Quis leges amor sanctus somno, corporis refectioni, labori manuum, & recreationi imponat.* pag. 307.
6. *Quomodo amor sanctus hominem in castigatione corporis dirigat.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rigat. 317
7. Duo exempla rarae in castigatione corporis, aliisq; poenitentiis mortificationis. 323
8. Quomodo se gerat amor sanctus morbi tempore. 329
9. Quomodo amor sanctus tristitiam ex morbis aut aliis rebus adversis provenientem eliminet, aut sublevet. 345
10. Quomodo amor sanctus studia moderetur. 355
11. Quomodo amor sanctus lectione spirituali nutriatur. 363
12. Quomodo amor sanctus per orationis semitam clientem deducat. 369
13. Media ab amore divino subministrata ad horas Canonicas debitè, & cum fervore recitandas. 379
14. Quæ sigillatim in recitatione Horarum vitanda. 387
15. Quomodo amor sanctus dirigat examen conscientiæ. 391
16. Quomodo amor sanctus confessionem peccatorum, & de illis contritionem, ac emendationis propositum dirigat. 398
§. 1. De Confessione. ibid.
2. De Contritione. 403
3. De satisfactione & emendatione. 408
Cap. 17. Quomodo amor sanctus præparat suos ad Eucharistiæ sumptionem. 415
§. 1. Eucharistiam esse primarium Iesu Christi erga hominem amoris argumentum. ibid.
2. De propinquiore ad Eucharistiam sumendam præparatione. 422
3. Cur nonnulli parum proficiant ex Eucharistiæ frequentatione. pag. 428.
4. Octo effectus Eucharistiæ, stimuli, & faces amoris. 430
Cap. 18. De Sacrificio Missæ, ejusq; auditione. 434
19. De visitationibus Venerabilis Sacramenti. 441
20. Amorem Dei sine amore B. Virginis consistere non posse; & quomodo ea amanda. 447
21. Quomodo amor sanctus inducat ad colendos Sanctos. 453
22. Quomodo colendo Angelum Custodem amori sancto obsecundemus. 459
23. Quomodo Amor inclinet ad amandum proximum in Deo, & propter Deum. 464
24. Quomodo Amor sanctus exerceatur in conversatione. 467
25. Quomodo verus Amor proximi ejus defectus toleret. 472
§. 2. Quænam maximè in aliis toleranda, & quamdiu. 474

3. *Corrigenda, quæ tolerantur & quomodo.* 476
Cap. 26. *De amandis iis, qui contrarij sunt humoris, aut à quibus læsi fuimus.* 483
§. 1. *Toleranda ingeniorum diversitas.* ibid.
2. *Variæ rationes, quibus ad amandum eos, à quibus læsi sumus, inducimur.* 487
Cap. 27. *De zelo animarum, quodq; in omnibus officiis erga proximum sit ultimò spectanda salus animæ.* 491

TRACTATVS

De Secessu, & vacatione à negotiis ad melius vacandum Deo, & rebus animi.

§. 1. *De fructu hujus secessus ad amorem Dei excitandum.* 500
Consid. 1. *De fine hominis.* 505
Cons. 2. *De mediis ad hunc finem à Deo homini liberaliter concessis.* 508
3. *Quàm multi malè utantur mediis ad salutem procurandam nobis datis.* 511
4. *De bono usu temporis.* 514
5. *De nonnullis impedimentis profectus spiritualis.* 517
6. *De gravitate peccati mortalis.* pag. 519.
7. *De peccato veniali.* 522
8. *De morte.* 526
9. *De Iudicio particulari & universali.* 529
10. *De Inferno.* 533
11. *De Purgatorio.* 536
12. *De Timore sancto.* 539
13. *De contritione.* 543
14. *De Communione.* 547
15. *De Imitacione Christi.* 550
16. *De imitando Christo in contemptu commoditatum corporis.* 555
17. *De imitatione Christi in contemptu judiciorum humanorum, & conviciorum.* 558
18. *De imitatione Christi in aliis virtutibus.* 561
19. *De interioris hominis ad exemplar Christi conformatione.* pag. 565.
20. *De Sacrificio cruento Christi in cruce morientis, & quid illud à nobis exigat.* 569

21. *De*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

21. *De Christo Victore, & Triumphatore per Resurrectionem, & Ascensionem suam in cælum.* pag. 572.
22. *De Spiritu sancto, ejus necessitate & operatione.* 576
23. *De Deo Vno & Trino amoris objecto & exemplari.* 579
24. *De beneficiis Dei, quibus ad ejus amorem allicimur.* 582
25. *De via ad amorem Dei per desideria & petitiones.* 585
26. *De Amore Dei puro & simplici.* 588
27. *De amore magnanimo, forti, & generoso.* 590
28. *Quomodo per amorem fiamus similes Deo.* 593
29. *De diffidentia sui, & confidentia in Deo.* 596
30. *De gratiis Deo agendis.* 599

DISSERTATIONES

De nonnullis Virtutibus Amori sacro subservientibus.

Diss. 1. *De Humilitate.* 606
§. 1. *Quantum conferat ad virtutem Humilitatis acquirendam amare, sectari, vel saltem patienter ferre contemptum sui.* pag. 607.
§. 2. *Quantum Christus contemptum amaverit.* 609
§. 3. *Imitandi Apostoli in humiliationibus sectandis & amplectendis.* 610
§. 4. *Ob Humilitatis defectum gratiarum fluenta impediri.* pag. 612.
§. 5. *Quomodo Vir humilis in subitis humilitationibus se gerat.* pag. 614.
§. 6. *Quomodo anima humilis expediat se à vana gloria.* 616
Diss. 2. *De Fiducia in Deo.* 619
Secunda Columna Fiduciæ, Iesus Christus. 621
Tertia Columna Spei, & Fiduciæ B. Virgo. 627
Quarta Columna Spei, Promissiones Dei. 629
Diss. 3. *De actionibus perfectè concinnandis.* 631
§. 1. *Quàm multæ actiones nullius aut parvi sint pretij.* ibid.

§. 2. *Media quædam ad perfectionem actionum conducentia.* pag. 634.
§. 3. *Singulare adjumentum est, ad actionum perfectionem Dei præsentiam animo circumferre.* pag. 638.
§. 4. *Considerationi præsentiæ divinæ adjungendum in actionibus motivum charitatis.* 641
Diss. 4. *De Oratione.* 643
§. 1. *De præparatione ante orationem.* ibid.
§. 2. *De Oratione vocali.* 647
§. 3. *De Oratione mentali.* 648
De devotione sensibili in Oratione. pag. 650.
§. 4. *De certis casibus, quibus ad orandum homo obligatur.* 651
§. 5. *De laude Dei.* 652
Diss. 5. *De animi tranquillitate, & pace.* 656
§. 2. *Quomodo pax animi servetur in rebus adversis.* 658
§. 3. *Pacem animi propter peccata non imprudenter amittendam.* pag. 660.
§. 4. *Quomodo pax interior in variis afflictionibus, ariditatibus mentis & desolationibus, distractionibus, tentationibusq; obtineri possit.* 664
Diss. 6. *Sedecim stimuli ad perfectionem sectandam.* 670
1. *Stim. A Dei excellentia.* ibid.
2. *Exemplum Christi.* 671
3. *A beneficiis Dei.* 672
4. *A promissis quæ Deus fecit servis suis.* 674
5. *A præceptis Dei.* 675
6. *A pulchritudine virtutis.* 677
7. *Sanctorum exempla.* 679
8. *Pro peccatis commissis satisfactio.* 680
9. *Pericula salutis, quibus expositi sumus.* 682
10. *A temporis pretio, & jactura.* 683
11. *Dæmonum insidiæ.* 685
12. *Ab exacta ratione reddenda in Dei judicio.* 687
13. *Pœnæ, quæ tepidis impendent.* pag. 689.
14. *Timor ne ob socordiam à Deo deseramur.* 690
15. *Præsentia Dei semper nos intuentis.* 692
16. *Animi perfectio.* 693
Diss. 7. *De quotidiano patientiæ exercitio.* 695

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ISAGOGE AD AMOREM DEI.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

Antè credendum, quàm amandum.

1. Fides disponit ad amorem.

AMOREM profanum cæcum esse, qui rei amatæ defectus non percipit, commune est apud omnes pronuntiatum; quod etiam in amore casto & sancto certo sensu locum habet, qui in objectum suum ferri non potest, nisi intellectus facem præferat; cognoscas priùs oportet, quàm ames: & quia in iis, quæ Deum, divinaque concernunt, credere, est quodammodo cognoscere, dicendum etiam in illis est; priùs oportet, ut credas, quàm ames. Cedit quidem hujus vitæ, quam habemus de Deo notitia, longè illi, quam habituri sumus in cælo; ad eam tamen assequendam opus est, ut nobis adminiculo sit fides; dum Augustino teste, *amatur à nobis quod ignoratur, sed creditur.* Possumus quidem ad earum rerum quæ nos latent habendam notitiam desiderio ferri; ut verò res illas, quæ cognitionem nostram prorsùs fugiunt, amemus, fieri nullo modo potest: *Vt enim*, ait idem sanctus Doctor, *amet aliquis scire incognita, fieri potest: ut autem amet incognita, non potest.* Porrò cùm duplex nos ad credendum incitet stimulus; unus qui à sola dicentis auctoritate petitur; alter qui ab argumentis, probationibus, & testibus robur

Lib. 10. de Trinitate c. 11.

accipit: Prior ille Deo competit, cujus pronuntiata, propter dicentis solam auctoritatem & eminentiam tantum apud nos habere pondus debent, ut nullis aliis argumentis & testibus desideratis, firmum illis & inconcussum præstemus assensum. Modum etiam exigendi fidem, duplicem agnoscere possumus; unum plenum majestatis & imperij; alterum inferioris ordinis, qui assensum emendicet potius, quàm imperet: prior ille Dei proprius est, qui hominum animis & propensionibus dominatur, easque flectit pro arbitrio, vultque dictis suis fidem haberi nullo credentis examine, additis etiam supplicij comminationibus, si detrectet & eam deneget.

2. Fidem duo cõciliant.

Cùm in principio Geneseos audis legi, *Creavit Deus cælum & terram*, cave ne ad argumenta confugias, aut ad testes appelles: vult Deus, te simpliciter & intellectu velut captivo, isti pronuntiato credere, ut quod Aristoteles octo Physicorum libris, & duodecim Metaphysices probare conatus est, & non est assecutus, tu solâ inductus dicentis auctoritate pro vero habeas: atque in hoc consistit excellens quoddam intellectus & voluntatis sacrificium, quo fidem virtutem esse Theologicam, aliis moralibus virtutibus longè præstantiore, magnoscimus: eaque duce in primæ Veritatis penetramus adyta, Deoque nos ipsos, voluntatem, inquam, nostram, ac judicium constanter immolamus.

Quantus verò Deo hinc honor accedat, hoc exemplo palam fit. Demus Regem aliquem non virtutum minus gloriâ, quàm opibus florentem, quique apud subditos tantam sibi integritatis famam conciliarit, ut existiment omnes, malle illum opum & vitæ jacturam facere, quàm se vel minimo contaminare mendacio; demus inquam, hunc Regem cum aliquo è familiaribus aulicis adolescentibus, de rebus à se in juventute magnificè gestis colloqui, & tam miranda, & supra hominum memoriam & conditionem à se edita facinora proferre in medium, ut vix fidem apud aliquem cordatum mereri videantur: si tamen aulicus ita illum alloquereiur: Rex magne, præcellentia sunt & prorsus heroïca, quæ jam à te denarrata sunt, & meritò pro stipite, aut fungo habendus essem, si alteri similia jactanti crederem: verùm quia hæc à tua Majestate proferuntur, cujus virtus & integritas toti regno perspecta sunt; adeoque ab omni mendacio alienus es, ut regno & vitâ privari malles, quàm mentem & linguam vel leviſſimi mendacij umbrâ dehonestare: ita iis quæ dixisti, tuis solummodò verbis nixus fidem habeo,

3. Simile de fide humanâ.

beo, ita illa in veris repono, ut pro eorum tuendâ veritate paratus sim vitam ponere: Verbum tuum vel unicum, ô Rex, plus apud me ponderis habet, quàm vel myrias rationum. Aulicum istum hac singulari protestatione, & tam altâ de virtute Regis existimatione, honoris & venerationis quamplurimum regio nomini deferre, gratiamque illius cum incremento demereri nemo est bonæ mentis qui non videt. Idem prorsus accidit, cùm Deo loquenti credimus.

4. Ad divinam traductum.

Hoc ita constituto, cùm jam Deus de suis perfectionibus, & attributis, de Bonitate, Omnipotentia, Sapientia, Immensitate, Æternitate, tam præclara revelarit, quibus intellectus hominis tantæ Majestatis fretus auctoritate, & verbo Dei unico innixus firmiùs assentitur, quàm si in sole ipso scripta legeret, aut manibus contrectaret: hæc deinde in unum collecta voluntati cùm proponit, quantas necesse est tum flammas amoris in illa excitari; cùm sicut magnetis illecebrâ ferrum trahitur, ita ad ingentis boni præsentiam voluntas penitus inardescat:

In Psal. 44 *Fides*, inquit S. Basilius, *sagittas habet acutas quæ secum flammas amoris ferunt.*

5. Probatur exemplo fœminæ infidelis.

Quod in fœmina infideli solum rationis lumen pro duce habente quomodo contigerit, manifestavit aliquando S. Brigittæ Virgo Dei Mater: ac primò quidem ita secum illa ratiocinata est: Hanc corporis mei fabricam, hæc membra, hanc vitam à me non habeo, ab alio illa accepi: aliquem ergo Creatorem esse necesse est, qui mihi ista donavit, & inter res creatas nobiliorem locum dedit, quàm vermiculis per terram reptantibus: quod ita se habere cùm manifestum sit, ita me erga illum affectum sentio, ut si hinc à maritis, inde ab illo, qui me tanto affecit beneficio, vocarer, huic potius continuò, quàm illis morem gererem: & si mihi plures essent liberi, quibus sedulò cibum procurarem, contingeretque, ut meus Creator alimentis indigeret, auferrem illa liberis meis, ut illi subvenirem: à bonis fortunæ, & facultatibus benè instructa sum, si tamen Creator meus, quid de illis factum vellet, mihi aperire dignaretur, è vestigio voluntati ejus obsequerer. Placuit Deo hæc mulieris voluntas, misitque qui illam in fide Christianâ instrueret. Porrò cùm Incarnationem Filij Dei & acerbissimam ejus passionem edocta esset, conspersa lachrymis dixit: Sensi equidem singulari me amore succendi erga Creatorem, à quo quidquid habeo, habere me intellexi; nunc verò cùm insuper audio, quàm potioribus me beneficiis affecerit, seque in ducem ad salutem dederit, & me pretioso san-

guine in libertatem asserverit, longè ardentiùs à me amandus est, meque ac membra omnia, facultatesque omnes ejus obsequiis addicenda intelligo: neque sanè mihi animus est hîc consistere; sed præterea amorem illum, quem in parentes, liberos & amicos velut dispersum habeo, in illum unum conferre volo, & toto cordis conatu ad æternam cum illo conjunctionem aspirare. Hinc liquet, quomodo ex majori beneficiorũ per fidem cognitione amor sua sumpserit incrementa; primò quidem ratio naturalis flammulas aliquas accenderat, sed nihil ad illa incendia, quæ deinde fides suscitavit.

S. Basilius de Sagittis amoris agens, quibus animæ veris fidei facibus illustratæ, vulnerari solent, exclamat: *Beati, qui veræ illius pulchritudinis amore inardescunt; charitatis enim vinculis quodammodo adstricti, cælestem ac beatum amantes amorem, obliviscuntur domesticorum, & amicorum; obliviscuntur familiæ, & facultatum omnium, quin & immemores potus & cibi ad corporis sustentationem necessarij, soli divino & puro amori penitus adhærescunt.* In Psal. 44.

6. Simile. Si alicui quinque vel sex gemmas ostenderes, pulchras quidem, sed non ex præstantioribus, eique diceres longè excellentiores apud te in capsulis habere te reconditas, quæ ad ejus essent obsequiũ; non adamaret hic illas, quas haberet ante se, sed totus ad alias, quas non videret, crederetque pulchriores, cupiditate ferretur. Idem omnino operatur in nobis Fides, quæ à rebus quæ sub aspectum cadunt, tanquam vilioribus animos nostros abducit, & ad rerum cælestium amorem transfert; illasque majori dignas æstimatione, Deumque præ cæteris amandum, & omnibus meritò anteponendum ostendit. Verùm pauci in hac Fidei claritate ambulant, cumque res visibiles suis non careant illecebris, quibus animos detinent; hinc fit, ut tanta sit Deum sincerè amantium raritas.

7. Aliud à Sole. Utinam ad hanc cæcitatem discutiendam attenderent multi, audirentque sanctum Chrysostomum, qui ad excitandam in auditorum suorum animis in Deo quærendo diligentiam, similitudine Solis utitur, qui licet omnibus, qui oculis non carent, sit maximè aspectabilis, si tamen aliquis se subterraneâ speculâ abscondat atque defodiat, ut ejus beneficio fruatur, fieri nullo modo potest. Id ipsum nobis accidat necesse est, si nullâ felicitatis nostræ ratione habitâ, cor nostrum impuris affectionum tenebris involvamus, & animum vanis desideriis immersum terræ defigamus miseriæ illi obnoxij, quam in se deplorat S. Augustinus: *Dorsum*, inquit, *habebam* *Hom. 22. in c. 11. ad Heb.* *Lib. Conf.*

bam ad lumen, & facies mea non illuminabatur. Non sufficit ad emergendum ex hac caligine, & cælestis amoris lucem hauriendam, simpliciter credere Deum esse; nam & *dæmones*, S. Jacobo attestante, *credunt & contremiscunt:* neque id ipsum Ethnici jure negare possunt, nisi res omnes creatas, quas velut istius veritatis præcones habent ante oculos, falsitatis velint arguere; sed vivâ fide ad penitiorem Dei cognitionem aspirandum, quæ nos ad eum amandum inducat, amore ejus meritis & beneficiis, quantùm fieri potest, pari.

8. Aliud à gemma ignoti pretij.

Da mihi rusticum hominem hebetem, dicebat Beata Angela de Foligny, qui magni pretij gemmam reperiat; videbis quidem illum ad illius pulchritudinis aspectum admiratione defigi, sed quia pretium & alias gemmæ istius perfectiones ignorat, in unico lucis & coloris aspectu delectatur: fac illam reperiat gemmarius in gemmarum æstimatione versatus; is externo aspectu non contentus, ad alias istius gemmæ perfectiones attentus, quas deprehendit esse longè maximas, ingenti illius gemmæ obtinendæ flagrat desiderio, eamque suam facere quovis pretio contendit: ita ad Dei ingentem amorem in nobis excitandum, non sufficit simplex fides, & velut perfunctoria Dei repræsentatio; sed in Divinitatis abyssum ejusque perfectiones admirabiles immergendus animus, & de illis confitendum, quod de Deo post altissimam contemplationem profitetur S. Ambrosius: *De quo*, ait, *cùm dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cùm comparatur, non potest comparari; cùm definitur, ipsâ suâ definitione crescit, &c.* Lib. 1. de Fide.

Felices nos, si eò mens nostra pertingat! optandum id quàm maximè, & ad illam fidei vivæ, & ad interiora Dei penetrantis possessionem seriò incumbendum, cujus alis invecti res omnes creatas longo infra nos linquamus intervallo, & ardentissimo Dei amore penitus inflammemur; in quo id etiam nobis accedet boni, ut intellectus noster & voluntas, eam, ob quam conditi sunt, perfectionem consequantur.

9. Divina sunt intellectus & voluntatis præstantissimum objectum.

Certè si speculum discernendi facultate esset præditum, res pulchras, & intuentium oculis acceptas repræsentare mallet, quàm deformes, & minus gratas, ac perfectissimâ earum cum omnibus lineamentis repræsentationem, obscuræ & imperfectæ meritò anteponeret: ad eum modum nos, qui ad utriusque facultatis, intellectus scilicet & voluntatis perfectionem consectandam creati sumus, ad altissimam Dei cognitionem, & amorem ardentissimum conniti oportet,

portet, quo utroque potentiæ illæ ad supremum perfectionis suæ complementum evehantur. Verùm ea quæ animus noster à rebus creatis hauric impedimenta, non in minoribus damnis reponenda sunt: ut enim sol, qui omnis coloris expers est, puro & simplici lumine vestitur, nobis ob interjectos vapores nunc pallidus, modò rubicundus, nunc subniger appareret; ita nescio quæ rerum terrenarum permixta cum corde nostro confusio nobis veram de Deo cognitionem suffuratur.

16. Fraus dæmonis fidem impedientis.

Naas olim Ammonitarum Rex populi Dei hostis infensissimus, cum Gabaonitis pacem inire noluit, nisi quilibet eorum dexteri oculi effossionem admitteret; ita & dæmon in id unum incumbit, ut oculo fidei offundat tenebras, illudque vel curarum pulvere nimio, vel honorum fumo, vel vitiosis affectionum humoribus lædat, quo facto de cæteris facilem sibi victoriam pollicetur, cùm animum ita excæcatum in amore Dei torpescere sit necesse. Circumspice mecum varios hominum gradus, etiam horum, qui supra vulgus eminent; videbis inter illos plerosque, etsi in negotiis reipub. pertractandis prudentiâ & industriâ valeant, in amoris tamen divini exercitatione languere, plurimumque frigescere. Si causam & originem hujus mali diligentiùs inquiris, videbis in eorum animis fidem, quæ in Dei amorem facem præferre debet, semisopitam esse, & ad illorum mentem excitandam, illustrandam, & ad divinarum perfectionum considerationem erigendam satis virium non habere. Quî fieri potest, aiebat Marcus Eremita, ut talpa oculorum lumine destitutus, & velut in terrâ defossus, ad stellarum pulchritudinem contemplandam assurgat? Inter hos talpas Ludovicum Lantgravium, qui ante trecentos annos vixit, meritò recenseas, qui cùm vir esset ingenio præstanti, versatus in literis, & magnæ in agendis negotiis solertiæ, in iis tamen, quæ salutem animi spectabant, hebes erat & cæcus, adeò ut frequenter in ore haberet illum versiculum: *Cælum cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum*; quasi delicias suas haberet Deus in cælo, terram verò mortalium oblectamentis reliquisset. Quod quanti misero constiterit, spectata ejus post mortem condemnatio, & in puteo terribili medias inter flammas æternum incendium luculenter ostendit. Quid quod in illis ipsis, qui virtutem sectantur, dum vel tantillum fidei acies retunditur, & vel tristitiâ, vel vehementi alicujus rei desiderio, vel in scientiis comparandis contentione occupatus animus nubem aliquam fidei noxiam attrahit, videmus

17. Quis homo talpæ similis.

Cæsarius lib. 1.

mus pariter amorem Dei intepescere, & nescio quam desidiam miserè obrepentem ea homini damna parere, quæ etiam in alterâ vitâ lugendi materiam præbeant: quod
12. in Patre Munier è Societate nostrâ, qui Superior alicujus domus Societatis in Burgundia anno 1625. decessit è vivis, accidisse videmus. Vivebat id temporis in eâ civitate, in quâ ille obiit, Sanctimonialis ex Ordine Annuntiatarum Cælestiũ Maria Hyacintha sanctitatis opinione celebris, quæ Confessario Patri Parisot (à quo dictæ Virginis vitam descriptam habemus) sibi revelatum dixit Patrem Munier in cælo inter Confessores locum habere; triduò tamen in flammis purgantibus hæsisse, quòd studio alicujus scientiæ non adeò tum necessariæ nimium addictus, aliquem in exercitiis spiritus teporem contraxisset. O quàm utile monitum nobis Deus per os Jeremiæ pro-
Cap. 9. nuntiatum reliquit! *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, neque dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur scire & nosse me, dicit Dominus.* Verè ita est, omni studio ad hanc majorem Dei Opt. Max. hauriendam cognitionem nobis connitendum est, à qua tanquam à perenni fonte tot in voluntatem nostram amoris divini affectiones derivari videmus.

CAP. II.

Quatuor media excitandæ magis ac magis fidei sacræ opportuna.

1. Quatuor media ad fidem obtinendam.

NOn dubito te, qui hæc legis, & tantas fidei vivæ ac excitatæ utilitates intelligis, ejus obtinendæ desiderio vehementer teneri, optareque media ex me intelligere, quibus vim & virtutis istius efficaciam in te sentias, ut perfectiorem divinæ Majestatis cognitionem excitandis in te amoris igniculis opportunam consequaris; en tibi quatuor ex S. Augustino Epistolâ ad Paulinam: *Cogitando, orando, legendo, audiendo*: de quibus si sententiam meam requiris, liberè cum eodem Doctore pronuntio in duobus prioribus plus inesse momenti ad id, quod in quæstione est, consequendum, quàm in duobus posterioribus: & considerationi & orationi potiores partes esse deferendas. *Epist. 12.*

Primum ergo locum habeat *Consideratio*; cujus materia sit Dei Pulchritudo, Bonitas, Amor, & in beneficiis conferendis profusio: in his singulis diebus per aliquod tempus considerandis mentem occupa. Nolo dicas tibi, quod Plato: *Mihi recessus, ac solitudo provincia est*: multo minùs, quod Tertullianus: Primum medium Consideratio.

De pallio c.5. tullianus: *Secessi à populo, unicum mihi negotium est; nec aliud nunc curo, quàm ne curem.* Sufficit mihi, aliqua mentis tuæ tranquillitas, aliquod cogitationum tuarum silentium, & à negotiis tumultuantibus vacatio. Hanc Isaiæ sententiam quasi de cælo ad te demissam tibi *Cap.26.* assume: *Vade popule meus, intra in cubicula tua, & claude ostia super te.* paululum ad cor regressus, Dei in te merita perpende, cui amorem debes super omnia: quem si illi deneges, salutis æternæ jacturam facis.

In silentio isto evigilat fides, & radiis suis animum collustrans admirabiles effectus parit.

2. Exemplũ utilis considerationis. Anno circiter 1280. duo viri nobiles, quorum alter Carolus (qui postea Abbas Villariensis, sanctitate celebris Pedum istud illustravit) alter Gerardus vocabatur, ab equestri hastiludio, quod Torneamentum vocant, Wormatiâ Moguntiam iter cùm relegerent, & longo tractu prata vernantia, variisque floribus insperſa occurrerent, convenerunt inter se de silentio servando toto illo tempore, quo amœnitates illæ oculis illuderent; ac deinde quibus interea temporis cogitationibus animum occupassent, utrimque se communicaturos spoponderunt. Alter ergo amœno illo itinere confecto, vidisse se dixit in illis florentibus campis mundi fugientis imaginem, cujus dona, deliciæque citiùs defloreſcunt, quàm omnis illa agrorum amœnitas evaneſcat: alter idem sibi dum illa conspiceret in mentem venisse, affirmat; neque hîc hæserunt, sed mutuis ad amorem æternorum colloquiis accensi, votum de deserendâ vitâ liberiore, amplectendâ monasticâ emisêre; in qua scilicet, sine impedimento vacarent amori pulchritudinis nunquam perituræ. Refloruit nimirum ex illo florum aspectu in eorum animis fides, & hæc suis flammis voluntatem accendit. Adeò verum est, pium silentium, Dei cognitionem acuere, & ab hac excitatum amorem sanctum in animis nostris incrementa capere longè maxima.

3. Secundũ Oratio. Par momentum & incentivum amoris est *in Oratione*, & qui cum cæco Euangelico frequenter rogaret, *Domine, ut videam*, experientiâ disceret Jesum Christum verum animarum solem existere, qui nihil magis habet in votis, quàm aperire mentis nostræ oculos, & pulchritudinis suæ radiis ita illos tenere occupatos, ut nullo deinde rerum fugientium aspectu capiantur. Virum olim novi generosâ stirpe progenitum, qui cùm aliquot annis libertatis æstu abreptus in fide etiam Incarnationis Filij Dei fluctuasset; toto tamen illo tempore brevi oratiunculâ Deum quinquagies compellabat, divini

Exemplum.

divini Solis radium aliquem implorans, & dicens: *Noverim te, prima Mundi, & rerum omnium Causa; tu me quaso à salutis æternæ periculo eripe:* affulsit tandem ille radius, cujus ductu emersit è vitiorum errorumque salebris, ac deinceps vitâ cum virtute transactâ gloriosâ morte pro Rep. & felici pro æternitate defunctus est. Ad hanc lucem sancti amoris altiorem continenter à Deo flagitandam, nos Spiritus sanctus S. Jacobi verbis invitat: *Si quis indiget sapientiâ, postulet à Deo, in fide nihil hæsitans:* nullo repulsæ metu in impetrando dono, quod libentissimè cæcis mortalibus divina Bonitas impertit.

O Sapientia! ô fons lucis increatæ! quàm parvo donum tuum constat hominibus (quid enim facilius petitione?) & tamen quàm oscitanter ad tui consecutionem aspirant!

4. Tertium lectio. Tertius fidem excitandi modus à piorum librorum *Lectitatione* petitur, quibus rerum æternarum cognitio perficitur, dum in illis discusso rerum fugientium velo, ipsa sancti amoris pulchritudo atque felicitas clariùs emicat, suosque radios potentiùs in animos legentium jacit. O quàm optandum est, ut plerique, qui in Republ. præcipuis muneribus funguntur, & legendis audiendísve litigantiũ causis dies integros consumunt, temporis aliquid piæ lectioni ad divini amoris igniculos excitandos impenderent! majori id animorũ suorum fructu peragerent, quàm dum in alienas lites prorsus incumbunt, exsucci & aridi exiguâ interdum amoris divini curâ, nullo certè cælestis unctionis incremento.

5. Exemplum. O sint paucæ lineæ ex vita S. Antonij ab aulicis Imperatoris prope Treviros (ut Confessionum lib. 8. narrat S. Augustinus) attentiùs perlectæ ita animum unius ex illis immutarunt, ut conjectis in amicum oculis eum ita compellaret: *Dic quaso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? majórne spes nostra poterit esse in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenumq; periculis? & quamdiu istud erit? amicus autem Dei esse si volvero, ecce nunc fio.* Dixit, & iisdem amoris, quo flagrabat, facibus socij animum accendit, amboque, abjectâ rerum humanarum curâ, novæ vitæ in monastico secessu fundamenta jecêre: habebant ambo sponsas; quæ hoc audito etiam ipsæ virginitatem Deo dedicarunt. O! quàm ab una lectione pij codicis beata lux animos istos percussit, quæ & à pedicis, quibus implicati erant, illos continuò expediit, & alas addidit, quibus ad Euangelicæ perfectionis culmen, æternasq; lauros capessendas evolarent.

6. Aliud.

Idem contigit in S. Aphra S. Hilarij filia, quæ 15. Decembris inter Sanctas colitur: Unica Epistola, quam Pater ab Arrianis in exilium conjectus ad illam scripsit, ad tantum Sanctimoniæ gradum eam evexit, ut post mortem inter Virgines in cælo, supremos honores adepta sit. Petebatur in matrimonium à viro nobili, de quo Pater certior factus, rogavit differret in reditum suum, invenisse se sponsum longè præstantiorem, qui è cælo genus & originem duceret cujus pulchritudo rosas & lilia vinceret, cujus opes, & sapientia cæteris anteirent: adducturum illum secum, cùm ab exilio domum reverteretur; quamobrem tantisper expectaret. Credidit Parentis denuntiationi puella, & tam arridentibus illecta promissis, omnium procorum ambitioni nuntium remisit, aditumque præclusit. Redux Pater cùm illi hunc Sponsum Jesum Christum esse aperuisset, & effusus in tanti Sponsi laudes, demum rogasset, an se illi vellet dedicare: annuit Virgo, tantâque animi propensione consensum dedit, ut Parentem rogaret, id quamprimùm si fieri posset, executioni mandaretur. Hinc excitatus sanctus Episcopus; precibus apud Deum tam diu institit, dum filiæ mortem dulcissimam ad instar somni sine morbo, aut alicujus doloris sensu ille impetraret, quo amantissimi Sponsi complexibus æternum in cælo frueretur; cumque idem beneficium rogasset filiæ mater, id etiam sancti Episcopi precibus à Deo concessum fuit. Beata lectio quæ duarum feminarum corda paribus desideriis inflammavit, moriendi, & Deo fruendi, illasque eodem incluſit tumulo, & pari apud superos felicitate cumulavit. Utinam hujusmodi pia lectitatio frequentaretur à pluribus, & in eorum librorum pervolutationem succederet, qui pascendæ dumtaxat curiositati deserviunt, vel impuris alendis cogitationibus materiam præbent, aut ostentationi vanissimæ scientiæ fomenta subministrant. Meritò obtrudi posset hujusmodi hominibus, quod aliquando S. Paulinus in amico vitio vertit, quem literarum cupiditas & nimius amor longiùs, quàm par erat, rapiebant. *Xenophontem*, inquit, *Platonem*, *Catonem*, *Varronemque perlectos revolvis, multosque præterea, quorum nos fortè nec nomina, tu etiam volumina tenes; ut istis occuperis, immunis & liber; ut Christum, hoc est, sapientiam Dei discas, tributarius & occupatus es: vacat tibi, ut Philosophus sis; non vacat tibi, ut Christianus sis.* *Epist. ad Iovinum.*

7. Quantum sermo pius.

Si tantum valet ad permovendos animos muta lectio, quid faciet in pulpitis viva vox, aut etiam in privatis conventibus familiare collo-

colloquium, quod amoris ſancti pius ardor animarit? Quantos in corde S. Auguſtini motus excitavit Simpliciani de Victorini converſione narratio? Quantum potuit ad ſanctioris vitæ iter capeſſendum, cum quodam Maſſelino de familia Electoris Moguntini brevis, ſed ardens S. Bernardi ſermocinatio? Quas flammas in Petro Caniſio accendit familiare cum Petro Fabro de virtute ſeriò

8. Exemplum. proſequenda colloquium? Plenæ ſunt ſimilibus exemplis hiſtoriæ; unum tamen, quod mihi Henrici Suſo vita ſubminiſtrat, ſilentio præterire non poſſum: Sanctimonialis quædam florente ætate liberioris vitæ abrepta illecebris, virum hunc ſanctum morte peius oderat, aiebatque ſe vivam defodi malle, quàm de rebus conſcientiæ cum illo agere. Erant hæ indurati in rerum fugientium amoribus animi jactabundæ voces: quarum rationem non habens vir ſanctus, aliquando tandem cum illa agendi viam invenit, eamque ſuaviter ſimul & fortiter alloqui exorſus: Quouſque, ait, ô filia, cui Deus animum, in quo domicilium figeret, eſt largitus, & donis in hunc finem ornavit ampliſſimis, libertatis amore nimio ſeducta, hoſti illius capitaliſſimo te totam permittes? indignum prorſus eſt te alterius eſſe, quàm ejus, qui te tot ornamentis naturæ cumulavit: ecquis, oro, juſtiùs vernantes carpat roſas, quàm is, cujus illæ ſunt? Quæſo te, ô quæ nobilitate & formâ præſtas, nitidos illos tuos oculos aperi; illiuſque in primis memineris amicitiæ, quæ hîc inchoatur, & æternùm perſeverat: adverte quot pernicioſum amorem damna ſequantur, quos tamen mundus ita occulit, ut illa ejus ſequaces non videant, in hac & altera vita miſeriis & calamitatibus obnoxij: ne committas, ut plus apud te valeant hoſtis crudeliſſimi, ſed occulti artes, quàm illius, qui totus amor eſt, amica invitatio: fidem, ſi cor ei aperias, tibi do, te continuò recipiendam in ejus amicitiam, quæ & in hac vitâ, & totâ deinceps æternitate perennabit. Quid plura? ingemuit virgo, & erectis ad cælum oculis: En me totam tibi permitto, ait, ô Pater, & hoc momento omnibus rerum fugientium oblectamentis nuntium remitto, & me tibi dirigendam formandamque trado. Præſtolabantur ad oſtium Sodales, quæ tam longæ moræ pertæſæ, metuentes etiam ne quid in illa mutationis accideret, clamarunt finem tandem colloquio imponeret. Fecit illa: ſed illis jam proxima: Valete, inquit, ſodales, ſatis diu in veſtra conſuetudine tempus miſerè perdidi, nunc mihi conſulere ſtatui; me, ſi lubet, imitemini; alioquin æter-

nùm vobis valedico. Excepta fuit omnium risu, & verbis contumelioſis, quæ ſequenti die majoribus animis iterum obtruſerunt; ſed fruſtrà: contempſit enim omnia Virgo victrici conſtantiâ, quàm ad mortem uſque tenuit; cujus fructus ineffabiles collegit poſtea in cælo, tota æternitate illis fruitura, dum contrà nonnullæ fortè ex conſodalibus gemunt apud inferos, & vanitatis, inconſtantiæque pœnas nunquam finiendas miſerè luunt. Ita fortem & ſanctum amorem parturit ſolida piaque collocutio, cùm illam fides & amor animavit. Huic fidei 9. charitati coniunctæ promiſſorum divinorum adimpletionem, & ex malis fortiter toleratis aggeſtas lauros, & rerum bene geſtarum gloriam refert accepta in ſua ad Hebræos Epiſtola S. Paulus Apoſtolus: de qua cum Auguſtino dicere poſſumus, eam radicem eſſe omnis bonæ actionis; oculum, quo ſanctæ in ſcopum diriguntur intentiones; gubernaculum, quo voluntatis noſtræ navicula ad portum charitatis appellit; præcipuumque ejus munus eſſe, ex charitate operari, adeò ut *ſi ſine dilectione ſit, ſine opere erit.* Ama igitur, ſed antè fidei facem accende, quæ an objectum amore dignum ſit, examinet, probatumque proponat voluntati. Audiamus iterum Auguſtinum: *Num vobis dicitur: Nihil ametis? abſit: pigri, mortui, deteſtandi, miſeri eritis; ſi nihil ametis. Amate, ſed quid ametis, videte.* Si rerum fugientium amori mentem implicamus, cæcorum more aberramus, Deoque injuriam facimus, qui amandi facultatem cordibus noſtris indidit; aquam cryſtallinam per canales impuros & lutulentos ducimus, & gemmam pulcherrimam intra maleolens fimetum abſcondimus, arboremque ferendis paradiſi fructibus idoneam peſtilenti aurâ afflamus, ſterilemque reddimus & rivuli limpidiſſimi fluentes aquas, quibus & animæ hortulus irrigandus, & flores amœniſſimi Deoque pergrati producendi erant, in cloacas fœtentes derivamus. *Purga ergo amorem tuum,* ait idem ſanctus, *& aquã fluentem in cloacam, converte in hortum. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.* Sed ante omnia, fac fides in te velut ſopita exhortetur, & evigilet; nubeſque diſſipet, quæ lumen æterni ſolis intercipiunt, & tenebras offundunt; tum experimento ſalubri videbis, ad eum modũ, quo verno tempore, ſole curſum ſuum ad nos propiùs convertente, novam velut faciem mundus induit, rident & florent omnia, aves dulciùs modulari incipiunt, mille coloribus horti ſe veſtiunt, & amœnitate ſuâ oculos, animoſque mirâ voluptate perfundunt;

In Pſal. 31.

Ibid.

fundunt; ita si fides mentes nostras radiis suis illuminet, tum virtutes omnes, ad opera singulari perfectione adornanda, & beatos spiritus exhilarandos efflorescent: semperque verum erit, fidem ejusque lampadem operibus prælucere oportere, si cætera salva esse velimus.

CAPUT III.

Non sufficit fides; sed Deus summo loco præterea habendus.

1 Duobus modis Deus æstimandus.

ORatoris est pronuntiatum: *Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.* Æstimatio est actus intellectus, quo rei alicui valorem & pretium damus: quod duobus modis fieri solet; aut simpliciter, aut per comparationem cum eo, quod illius obtinendæ gratiâ vellemus impendere, vel cum illa commutare. Ita qui pro adamante offert mille scuta, pluris illum æstimat, quàm qui centum. Ita si Solem totius cæli vastissimæ extensioni compares, exiguus videtur; si cum terrâ componas, (quam centies, & quadragesies magnitudine vincere dicunt Mathematici) magnæ molis esse censebis. Quid, quæso, est guttula, quæ ex situla, quâ aquam hauris, in puteum relabitur? quid pulviculus, qui in bilancem iniectus, tam levis est, ut illam in alterutram partem inclinare non possit? quid atomus, qui tam exiguæ, aut prope nullius est quantitatis, ut secari non possit? & tamen omnes gentes, & longis terrarum tractibus divisæ regiones, & Insulæ, si cum Dei præstantiâ, potentiâ & maiestate conferantur, pro nihilo (Spiritu sancto attestante) habendæ sunt. *Ecce gentes*, ait Isaias, *quasi stilla situlæ, & quasi momentum in statera reputatæ sunt: & ecce Insulæ quasi pulvis exiguus.*

2. S. Ioannes de Dei Verbo quid senserit.

Religiosus è Sancti Dominici familia coram S. Ægidio S. Francisci discipulo dicebat habendam S. Joanni gratiam, quòd in principio Euangelij sui, tam altè ac magnificè de Deo, Patrisque Verbo locutus fuisset. Oppositum se contrà Ægidius, nihil de Deo Joannem elocutum asseverans. Mirantibus cæteris qui adstabant, ait: Si avicula ex ingenti vastoque monte arenæ granum abstulisset, illámne aliquid abstulisse diceretis? Cumque illi respondissent; Si leviissima illa arenula cum reliquo monte conferatur, dicendum videri, nihil accepisse. Idem esto, inquit, de illis, quæ de Deo ejusque naturâ in sacris Paginis habemus judicium; illa enim si cum Dei incõprehensibili perfectione conferantur, longè abesse arbitror ab istius naturæ præstantia: de

qua, quidquid à viris sanctissimis, atque illuminatissimis scriptum dictumque unquam fuit, millies longiùs à iustâ cum Dei magnitudine comparatione recedere sentio quàm aciculæ apex, cum cælo, terrâque collatus, atque compositus.

3. Simile ad æstimandum Deũ.

Si alius ab hoc mundus existeret, tam præstantibus refertus Intelligentijs, ut earum infima cognoscendi vi, Seraphinos omnes post se relinqueret; demus præterea mille similium mundorum myriades existere, qui maiori semper graduum inter Intelligẽtias excessu alter alteri præcellerent; qualem, quámque in intelligendo præstantem oporteret esse eam Intelligentiam, quæ ad supremum inter omnes omnium Mundorum Intelligentias esset evecta? Deo ferè parem parum sapiens aliquis diceret, vel certè in supremæ Majestatis cognoscenda naturasupra cæteros spiritus ita provectam, ut omnes infinitis gradibus superaret. Illa tamen, quanta quanta est, quàm sublimis ille Spiritus de Deo formaret in se conceptio, ita inferior esset Deo, ut nulla propemodum censenda sit, si cum illa quam Deus de seipso habet, cognitione conferatur. Manet enim Deus, manebitque semper omni possibili intelligentiæ incomprehensibilis. Atque ex hac ratiocinatione clarè deducitur, quàm rectè pronuntiavit S. Chrysostomus, eum, qui in rebus divinis ignorantiam fatetur, earum magnitudinem callere quàm maximè: *Est quædam*, inquit, *ignoratio in cognitione, & in ignoratione cognitio: dic mihi enim, si quis dicat se posse mare metiri, & scire quot habeat cyathos, an non is maximè est, qui ignorat, quid sit mare? Quòd si alius dixerit, se nescire & cyathorum numerum esse innumerabilem, is maximè cognoscit quod sit: Idem in Deo* prorsus contingit, ut is melius eum nosse dicendus sit, qui nullo intellectu humano comprehendi posse profitetur. *Psal. 43.*

4. Augustini de Deimagnitudine judicium. *Psalm. 134*

Nullibi ferè in S. Augustino altiores mentis volatus & conceptus videas, quàm ubi sese offert de Dei magnitudine agendi materies. Audiamus illumsuper hunc Vatis Regij versum, *Quoniam cognovi quod magnus est Dominus, Si illi*, inquit, *diceremus: Rogamus te, explica magnitudinem illius; nónne fortè responderet nobis: Non est valdè magnus, quem video, si à me poterit explicari.*

Quàm verò homini Deum amanti gratum illud & suave, quod super illa eiusdem Vatis, *Magnus Dominus & laudabilis nimis*; eructare potiùs dicas quàm eloqui. *Volebat dicere*, scilicet Vates de Deo, *quantum magnus, & si totâ die diceret Magnus, Magnus, finiret aliquando, quia finitur dies, magnitudo verò illius* *Psalm. 94.*

ante

ante dies, ultra dies, sine die: Ergo quid diceret? dicendo, Nimis, emisit vocem, & dixit cogitationi, quod sapiat: quasi dicat: Quod sonare non possum, tu cogita, & cùm cogitaveris, parum erit: quod cogitatio nullius explicat, lingua explicat?

Mirus est in hac cognitione Dei per ignorantiam ascensus, in
5. qua per ingenuam ignorantiæ confessionem ad scientiam fit gradus, & in qua iam partâ scientiâ ignorantiam non expellitur. Egregiè sanè idem S. Doctor: *Vis scire naturam Dei? hoc scito, quod nescias. Considera quod voceris fidelis, non rationalis: accepto baptismo hoc dicis: Fidelis factus jam, credo quod nescio, & propterea scio, quia scio me nescire, quod nescio*; quo, quæso, loquendi modo magnâ æstimationē, quam de re aliqua mente concepimus, explicare melius possumus, quàm vicere, Ignorari pretium eius ac proinde esse inæstimabilem, & res cujuscumque valoris ac pretij rectâ æstimatione ab illâ superari.

5. Silendo melius laudantur. c. 4

Non semel contigit demirari me, quod de animalibus mysterio plenis in Apocalypsi sua dilectus Iesu discipulus vidisse se perhibet: *Non habebant*, inquit, *requiem die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.* quid enim mirabilius, ibi non habere requiem in eius vitæ possessionem receptos, *cuius opus sine fine quietum erit*, teste Augustino, *laudare quod amat, & amare quod delectat*? arbitror Sanctos illos divinæ Maiestatis contemplatione absorptos, & tot perfectionum incomprehensibili immersos oceano quàm in laudando amandoque dici conquiescere, quia omnem laudem & amorem, quem exhibent, nihil esse iudicant præ magnitudine dignitatis & amabilitatis divinæ, à qua omnem creatam videndi & amandi facultatem infinitis gradibus contuentur. Quo sensu dixit etiam S. Petrus; *in quem desiderant Angeli prospicere*; quia scilicet aspectu, quo beantur, ita satiantur, ut plus in Deo congestum esse pulchritudinis & admirabilitatis, quàm ab illis conspiciatur, gaudeant, Deoque simul gratulentur, & sibi.

7. B. Angelę de illa iudicium.

B. Angela Folignia in amore cognitioneq; Dei exercitatissima persuaserat sibi, eos qui divini amoris luce collustrati altius se in divinarum perfectionum cognitionem immerserant, pro illarum admiratione malle se degustare in silentio, quàm cum aliis de ijs sermonem habere, quòd quidquid de illarum excellentia in medium attulerint, nihil esse sentiant, si cum eo, quod in se continet divina Majestas, conferatur. Addebat præterea, si Concionatori, quem Deus ad tantarum

rum perſecutionum notitiam evexiſſet, incumberet de iſdem ad populum verba facere, dicturum: Ite, quis, quantuſque ſit Deus, vobis edisſerere nō poſſum: quidquid enim de illo in ſacris paginis legitur, quidquid aliorum ſcripris vulgatum eſt, quidquid hinc ad mundi uſque finem dici proferriq́ue ab hominibus poteſt, nihil eſt ſi cum illa, quam Deus in ſe continet, abyſſo comparetur, & minor eſt ſine termino comparatio, quàm ſi arenula cum Universo componatur: animus, qui nō ex aliqua ſtudij contentione, ſed unctione Spiritus experientiaq́ue hanc hauſit de Dei præſtantia notitiam, ſi verbis illam explicare voluerit, malè ſe potius de Deo loqui, eiuſq́ue detrahere gloriæ & Majeſtati, & quodammodo blaſphemare, quàm quid eſt Deus, oculis ſubijcere iudicabit. Ita ſancta illa, quam Deus in cellam vinariam induxerat, ſapidàq́ue & eminenti ſuarum perfectionum cognitione illuſtrarat, de earum ineffabili præſtantia ſentiebat.

8. Et S. Auguſtini,

Hæc ſublimis de Deo exiſtimatio, ſolis ſimplicis, ſed vivæ fidei innixa principijs etſi non parum obſcuritatis & ignorantiæ ſecum trahat, ſufficit tamen ad ingenrem Dei amorem in nobis excitandum: atque hoc eſt quod S. Dionyſius Areopagita ſignificare velle videtur his verbis, *Ignotè ad Deū conſurgere*; verè enim hac via compendioſius, quàm conquiſitis ſtudio rationibus ad illas ſanctioris amoris flammas concipiendas ſit gradus: quâ in ſententia fuiſſe Picum Mirandulam virum tam literis, quàm divini amoris exercitatione illuſtrem libenter lego: qui hanc per ardentes voluntatis affectiones amoris obtinendi rationem primo faciliorem, tum breviorem; denique minus periculoſam eſſe aſſerit: cui lucem adfert S. Auguſtini monitum, dum imbecillitatem intellectus in divinæ Majeſtatis excipiendis radijs agnoſcens, vires omnes animi ad amandum, & laudandum Deum, ut convertamus exhortatur: *Bonus eſt Deus; quale bonum quis dicat? ecce non poſſumus dicere, & non permittitur tacere; nec loquamur, nec taceamus: quid ergo faciemus, nec loquentes, nec tacences? iubilemus*: hoc eſt, ut paullò pòſt ſe explicat, *deferamus illi vocem ineffabilem gaudiorum noſtrorum*: omnem amandi facultatem, vireſque omnes in deſiderabili illo amoris igne conſumamus; imitemurq́ue aliquo modo, ſed longè utiliori & feliciori Philoſophum, quem dicunt, cùm cauſam fluxus & refluxus in Euripo intellectu conſequi non poſſet, in eum ſe conieciſſe cum his in ore verbis: *Cùm non poſsim te capere, tu me accipe*. Satis ſit nobis in hoc amoris ſancti negotio hoc in

1. Cap. Theolog. myſtic.

Pſal. 102.

in primis scire Deum ineffabilem, incomprehensibilemque & sanctis affectionum repetitionibus habenas laxantes, dicamus continuò, cum S. Francisco : *Deus meus, & omnia.* Pater ille meus, protector meus, provisor meus, studium meum, scientia & sapientia mea, occupatio mea, quies mea, refectio mea, spes mea, desideriũ meum, timor meus, amor meus, velle & nolle meum; thesaurus meus, opes meæ, gaudium meum, voluptas mea, felicitas mea, æterna Paradisi mihi possessio, & unus mihi omnia : supra quem nihil est, infra quem, & extra nihil amore dignum : nolo alium cordis mei possessiorem præter ipsum : reliquis nimirum remitto, dummodo ipso non caream : mihi ille unus erit semper omnia; imò erit Omnia.

CAPUT IV.

Quantum cupiat Deus à nobis amari.

1. Deus ab homine amorem petit.

FErunt S. Franciscum dicere solitum : *Quis sum Deus meus, ut de me cogites, & in magna illa mente tua locum aliquem mihi dones?* Eundem ferè sensum cecinerat antè Regius Vates : *Domine, quid est homo, quòd memor es eius?* Sed & Sanctus Job, cùm hominis miserias attulisset in medium, quæ illum, ut vile mancipium fœdant, & lacerant, admirabundus exclamat : *Et dignum ducis super huiusce-modi aperire oculos tuos?* Sanè qui ex una parte magnitudinem & Maiestatem Dei propiùs intuetur, & illam velut speculum divinitatis tot in se videt continere perfectiones, ut cum ingenti gaudio pascere possit divinæ mentis æternam contemplationem, habet unde miretur, tantam Celsitudinem eò usque se demittere, ut de tam vili & miserabili creaturâ cogitare velit, & illius regendæ curam aliquam suscipere. Est tamen quod magis admiror, Deum nullius indigum, seipso beatum, à nullo dependentem, aut felicitatis suæ particulam emendicantem; à nobis nihilominus amorem efflagitare, idque tanto ardore, ut omnia hominum, Angelorumque inflammatissima desideria, vix exiguæ scintillæ illius comparatione videantur : quin velut suæ Maiestatis oblitus, eò usque descendit, ut illum velut deprecator exigat, si eò magnus aliquis inter homines sese demitteret, quàm parvam, aut propè nullam dignitatis suæ rationem habere videretur! Deus tamen etiam aliquoties repulsam passus instat sæpius, & ab homine amorem suum velut donum sibi longè acceptissimum dari etiam atque etiam

postulat.

2. Instar mendici.

Populum Israëliticum Deus ad suum amorem ingentibus benefactis obstrinxerat; ille tamen in benefactorem suum iniuriosus, vituli aurei adoratione, ac repetitis murmurationibus contumeliam pro gratiâ reddiderat: quid ageret hîc tanta, tamque indignè violata Maiestas? amorem iterum & honorem rependi sibi pro beneficijs rogat. Audiamus Moysen, si placet, velut legatum eius, & interpretem: *Deuteronomij. cap. 10* *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, & servias Domino Deo tuo in toto corde tuo & tota animâ tuâ &c.* Miranda sanè tantæ Maiestatis dignatio: eam tamen magis suspicies, & velut attonitus demiraberis, si tantâ demissione non contentum ad instar mendicabuli per plateas & vicos amorem istum postulantem intuearis: *Sapientia clamitat in plateis.* Vox *clamitat*, si SS. Patres Augustinum, & Gregorium audimus, desiderij magnitudinem ostendit; clamor magnus, desiderium magnum. Quod additur à Spiritu sancto, stuporem auget, si attendatur. *Extendit*, inquit, *manum suam* ad instar mendici, ut ad instar doni gratissimi amorem nostrum accipiat. Sed hoc divinũ Dei cum homine in amore petendo commercium clarius discemus à Christo, qui quæ in corde Patris æternitas tota recondita tenuerat nobis aperuit: *Vnigenitus*, ait dilectus eius discipulus, *qui est in sinu Patris, nobis enarravit.* Totus vitæ illius decursus testimonium est continuum desiderij quo flagrat, amoris nostri obtinendi. Huc spectant tot sponte quæsiti contemptus, tot itinera, tot supplicationes, & ad confluentem populum habitæ conciones: cùm audis illum dicentem: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Velim tibi persuadeas verba illa esse ad instar scintillulæ è flagrantissimi pectoris fornace erumpentis: vult ipse suum sanguinem altiùs clamare, testarique ardorem animi magis quàm vocem. Aulicum legimus cùm filium Davidis Ammonem exhaustum quodammodo viribus & languore confectum intueretur, illi dixisse: *Quid sic attenuaris macie fili Regis?* huncque respondisse duobus verbis: *Thamarem amo*: si amantissimum Jesum pariter interrogemus, cur pallescat, cur macie extenuetur, cur se laboribus conficiat, cur ploret, sanguinem sudet? cur denique se nobis exhibeat, qualem pluribus ante sæculis descripsit Isaias? *Virum dolorum, & scientem infirmitatem?* respondebit procul dubio: *Homines amo.* Si ulterius rogemus, quorsum homines ita amet; dicet tibi

3. Eò quanta fecerit.

per

per famulum suũ S. Augustinum: *Amo ut amer, & amore ipso beatos efficaciam eos, qui me amaverint.* Quid? quod non tantum id in cõmuni ab omnibus postuler, sed etiam ad singulares personas, imò ad laborantem infamiâ Samaritanam supplicabundus accedat, dicens: *Mulier da mihi bibere.* non tam de puteo Jacob, quàm de fonte amoris è corde tuo scaturientis; quod ipsum expetijt in cruce exclamans, *Sitio.* Si Princeps aliquis febri ardente laborans à puero suo honorario haustum frigidæ postularet, è vestigio solicitissimè puer eius desiderio faceret satis: & nos qui amoris fontem etiam brutis apertum habemus in pectore (quot enim inter homines inequis, canibus, avibus amorem suum collocant?) Deo nostro rivulos inde affatim deduci postulanti, imprudenter æquè ac impudẽter denegamus. Quis non ad hæc attonitus hæreat? sed est, quod magis in admirationem nos rapit; quod tanta maiestas nullius indiga, muneribus, quæ in thesauris suis habet; pretiosissimis, nos soliciret, & infinito etiam prerio amorem hunc nostrum mercari velit. Non est contentus creaturarum, repetitâ singulis momentis per conservationem donatione, quæ sunt velut amoris internuntiæ; sed ad liberalitatis incomprehensibilis profusionem

4. Simile.

5. Quanta donaverit.

sese extendit; ut sibi parem filium amori mercando velut pretium hominibus impertiat. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: quin & ipse filius semetipsum tam prodigè hominibus donat, ut post mortem pectus sibi lanceâ aperiri voluerit, & cor medium dividi, tum ostenderer, se omnia largitum esse, sanguinemque omnem amori nostro emendo profudisse, tum ut sciremus Ecclesiam tum genitam nosque omnes, partus cordis sui & amoris esse: quo tamen tam ineffabili munere non contentus, quasi tanta largitione amorem suum non esset satis contestatus, voluit in venerabili Sacramento dono singulis diebus repetito relinquere seipsum, munificentia ita omnem captum excedente, ut si per impossibile Deus alius existeret, eiusque benevolentiam liberalitate sibi vellet conciliare, etsi thesauros omnes suos profunderet, nobiliori munere eum demereri non posset.

Hinc evidens est, quando res aliqua creata nos ad sui amorem provocat; nos meritò illi occinere posse, quod B. Agnes filio Consulis: *Quoniam ab alio amatore præventa sum.*

Sed non hîc se continet divinus Amator, & amoris nostri, ut sic dicam, Procus: sed fidem in futurum pro maioribus obligat,

6. Et promiserit.

vademque se constituit: *Magna accepimus, majora promissa sunt nobis,* dicebat S. Franciscus: illud ipsum, cujus commemoratione primum Parentem nostrũ dæmon in fraudem induxit, promittit Deus: *Eritis sicut Dij.* sed quando? primò in hac vita: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* tum in alterâ: *Scimus quoniam similes ei erimus,* ait S. Joannes: Amori enim proprium est, ad similitudinem amantes provehere: quia amor aut similes reperit, aut facit: quæ promissiones tanto pluris à nobis faciendæ sunt, quantò sunt humanis infallibiliores, quæ fere cum mendacio sunt conjunctæ, & plus fraudis, quàm fidei secum trahunt. *Nulli,* inquit S. Augustinus, *desideranti conceditur plus de illo existimare, quàm in se habet, & quantum quisq; veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est.*

L. 1 de doct. Christ. c. 37.

7. Et minetur.

Verùm cùm Deus tot beneficiorum illiciis, & promissionum tanta excellentia nos ad amorem sui non provocari animadvertit; ad minas convertitur, & fulgure, quo æternos ignes non amanti accendat, armat manus quo alio & feliciori nos igne amoris inflammet; neque unquam ad illa extrema mala descendet, nisi nostra illum cogat pervicacia: *De suo optimus,* dicebat Tertullianus, *de nostro justus:* istis ergo terroribus tundere cordis ostium, & amori sancto aditum aperire, nosque unicè beare in animo habet. An tibi videtur tanta Majestas in hoc amoris commercio longiùs posse procedere? audi & mirare, quò tandem evadat hoc amoris à nobis impetrandi in illo desiderium? post tot munera, supplicationes, minas, ubi ab homine spe frustratus & ignominiosam repulsam passus est: cùm tantæ injuriæ puniendæ ignes inferorum pares non esse videantur, pœnam omnem nihilominus remittit, si amorem illi suum reus homo velit impendere. Vix in historiis par encomium reperies Augusti laudibus, cùm vitæ suæ insidiatori, de insidiis convicto culpam remisit, hocque unum beneficij loco petiit; ut tum novam inter se amicitiam ordirentur, præteritis oblivione sepultis. Sed longè excedit divina in homines clementia, quæ non modò hujus vitæ amissionem; sed suppliciorum æternitatem non semel, sed sæpiùs eidem homuncioni amantissimè condonat, & velut ingenti victoria potitus, cum ab illo amari se videt, Angelos ad gaudij participationem invitat: *Congratulamini mihi,* inquit, *quia inveni drachmam.* Denique is est Deus, de quo longè veriùs dici potest, quàm de homine illud Canticorum elogium, *Cùm dederit omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

Lib. de Resurrect. carnis.

8. Augusti clementia.

Audiamus ratiocinationem quâ Margareta Lotharinga, Alençonij Du-

9. Margaretæ Lotha-

ringicæ de divina liberalitate judicium.

Ducissa ad se totam divino Amori mancipandam sibi calcar addebat. E rebus creatis nulla se nobis totam donat, sicut Deus: Sol radiorum suorum nos aspergit portiunculâ; aëris ad respirandum exiguam partem haurimus; aqua cum illam sistere volumus, quâ potest diffluit; terræ possidemus particulam, quod ipsum in cæterarum rerũ usu evenire videmus: Deus totum se nobis elargitur, eoque toto, si volumus, fruimur: quî ergo fieri potest, ut tanto ardore ea prosequamur, quarum possessio per particulas, & velut frustula nobis conceditur; Deum verò deseramus bonis omnibus circumfluentem, qui nos integrè possidere, & vicissim à nobis possideri completissimè, tantis desideriis ambit, & prosequitur.

10. Et Balthazaris Alvares.

Balthazar Alvares cùm Deo post Missæ sacrificium gratias ageret, divino lumine collustratus didicit, quem modum in reddendo divinæ Majestati amoris debito hominem tenere oporteret: Omnia à me Deo donanda intellexi, inquit, tempus meum, recreationes animi, amicos, & quidquid supereſt, ac præsertim quidquid est optimum, & cum his omnibus meipsũ: quandoquidẽ ex sua ipse parte parva & magna nullo excepto largiatur quàm liberalissimè, paratusq; sit semper augere in nobis istam bonorum suorum profusionem, in magnæ erga nos benevolentiæ argumentum. Ad hoc, inquit, cæleste lumen, tenero pietatis sensu animus, meus affectus fuit, seque ad Deum inclinavit, tantæ veritatis claram notitiam in singularium beneficiorum numero reponens.

11. Et Guilielmi Parisiensis.

Et verò ingens est beneficium sapida ista cognitio, quâ Bonitatem istam infinitam amore nostri ita ferventem, & incitatam contuemur, ut exaggeratâ beneficiorum congerie, videatur in id unum incumbere, ut amorem sui à nobis impetret, illumque firmiter cordibus nostris inserat, nosque velut Amoris sancti captivos in triumphum ducat. Res sanè mirabilis, atq; prodigiosa visa est Guilielmo Parisiensi viro docto & in hac Amoris palæstra exercitato, hominem tot beneficiis velut incensis carbonibus circumcinctum nihilominùs ad instar glaciei rigescere, & in medio divinæ Charitatis incendio Babylonicæ fornacis flammas superante nullo vivifici caloris attactu commoveri. *Quis ad hoc,* inquit, *diabolicum terrificum miraculum non obstupescat?* Verè miraculum, cùm nivem & glaciem videamus ad Solis radios exiguo tempore colliquescere, animum verò nostrum Deo, qui ignis consumens est, & flammis ab illo tantâ beneficiorum liberalitate in nos simul conjectis, non dies, aut

menses, sed annos integros resistere experiamur.

12. Et B. Jacoponi. Ah! Deus meus quis ad tantam cordis nostri duritiem non ingemiscat? habemus amorem, quem rebus vilissimis impertimus, & ad bonitatis exiguæ in illis perlucentem scintillam muscarum instar circumvolitantes, alas comburimus, & pro illo, qui illas condidit, qui totus Bonitas est, totus Amor, nullo dilectionis sensu commovemur. Meritò hîc cum B. Jacopono nobis flendum, & uberrimis lachrymis torpor iste & segnities deploranda. Detinebatur ille in carcere Romæ, quem cùm amici suspiria continenter trahentem, & lachrymis perfusum reperirent & tanti doloris causam inquirerent: *Quia*, inquit *Amor non amatur*. Verè Deus Opt. Max. fons & centrum Amoris, non amatur; quippe qui in cordis nostri arce expugnanda, rebus creatis, quæ Bonitatis ipsius umbra sunt, & rudes picturæ, non sine perfidiæ nostræ insigni notâ cedere cogitur. O facinus lamentabile!

13. Conclusio redamandum esse Deum. Averte à nobis Deus optime, hanc rerum visibilium fallaciam, hoc cordis humani velum, has palpabiles tenebras discute: fac ut res ipsæ creatæ nos accedentes fastidiosè repellant, acquisitæ continuò deserant, possessæ spinarum aculeis torqueant, persequentes fugiant, fallant innitentes, & beneficiorum oblivionem pro gratiâ rependant, ut animus tandem ab earum fuco, fascinoque liber tibi debitum amoris, quantâ par est fide ac integritate, persolvat; debitum, inquam, amoris, qui tot titulis tibi totus rependi debet; quemque ab homine tibi obæratissimo amantissimâ importunitate tam misericorditer exigis: atque hoc erit donorum tuorum complementum. Hoc verè sit inter vitæ occupatissimæ negotia negotiorum maximum, ut toti in cælestis amoris commercio collocemus mutuas operas; & unusquisque sibi à sancto Augustino dictum putet: *Rape ad eum animas, quas potes, & dic ei: Hunc amemus, hunc amemus*: idque & verbis agamus & precibus, & supplicatione ad Deum conversi nobis & aliis hunc amoris thesaurum impetremus; quia, ut suo sensu didicit, & deinde inexpertos monuit idem Sanctus: *Quaquaversum se vertit anima, ad dolores figitur, præterquam in te Deus.* L. 4. Conf. c. 12. L. 4. c. 10.

CAP. V.

Omnem felicitatem hominis in amore divino sitam esse.

1. Felicitas in amore consistit. NEminem de veritate hujus dicti ambigere posse arbitror, qui ad S. Augustini, imò Veritatis

ritatis ipsius testimonium appellare voluerit. *Bonorum*, inquit ille, *summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum; nec infra manendum est, nec ultra quærendum; alterum est frivolum, alterum nullum.* Controversia est inter Theologos, in quâ de animi facultatibus sive potentiis sita sit præcipua felicitatis nostræ ratio in altera vita: sed quidquid sit de ævi illius infiniti perennaturâ beatitudine, in confesso est, quamdiu vitalem hujus mundi aërem trahimus & exspiramus, primas, & præcipuas in possidenda beatitudine amori partes esse concedendas, qui nos divinos, & Deos quodammodo in hujus vitæ peregrinatione efficit. *Talis est*, ait idem Doctor, *quisque, qualis ejus dilectio: terram diligis? terra es: Deum diligis? quid dicam? Deus es. Ego dixi*, inquit, *Dii estis.* Idem usuvenit in amore, quod in connubiis: si puella è jure suo ad Regium conjugium provehatur, Regina est; si verò jungatur infimæ sortis homini, in suæ vilitatis sordibus delitescit. Pari ratione Voluntas hominis Deo per amorem copulata, nescio quem divinitatis gradum ascendit: sed rebus creatis adhærescens, de stirpis suæ nobilitate deturbatur, earumque luto coinquinata vilescit. An non illum inter homines meritò beatum dixeris, qui virtutum suarum pulchritudine intuentium oculos præstringit, cæterosque qui eo familiariùs utuntur, actionum suarum suavissimo odore demulcet: mores & amores, ut nominum gaudent similitudine, ita parum naturis discrepant: *Non faciunt enim bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali amores*, ait Augustinus, ad Macedonianum scribens.

In Psalm. 121. in Proœmio.

2. & bonitas morum. *Homil. 2. in 1. Ioannis.*

Epist.

Mirum in modum huic veritati robur adjicit Pauli Apostoli auctoritas; qui de donis gratuitis, & virtutum heroïcis actionibus disserens, ita charitatem in sublimi dignitatis gradu collocat, ut nihil cæterarum virtutum opera ad veræ felicitatis consecutionem facere videantur, si charitas desit. Da mihi hominem, qui dono linguarum pollens, & Angelicâ eloquentiâ præditus audientium animos flectat quò velit, eos ad perfectionis culmen evehat, imò mundum ipsum universum ad virtutem capessendam inducat: O hominem, dices, beatum! sed væ illi, si amore divino vacuus est, cymbalum est tinniens, & crepitaculum aliis, non sibi proficuum, quod morte confractum æternis ignibus dabitur pabulum, infeliciori multo sorte, quàm æs aliquod campanum, quod contusum & fornaci redditum antiquam formam potest recipere; cùm ille alter cælestis eloquentiæ præco charitate destitutus æternũ patiatur incendium nullâ rerũ expectatione meliorum.

3. Sine amore nulla virtus.

Da

4. Nullius pretij scientia,

Da mihi prætereà hominem, qui sublimi rerum cælestium cognitione imbutus, adinstar aquilæ pennis contemplationis evectus arcana divinitatis penetrarit; an non huic tantam felicitatem invideres æmulatione sanctâ & Christianâ? sed cave; hæc nulla sunt sine Charitate, cujus minima portio omnibus istis præponderat. Quàm appositè S. Ægidius S. Francisci assecla cum viro eminentis scientiæ disserens, dixit: Quid prosunt protensa agrorum spatia, si defectu culturæ nullum fructum afferant? Hac etiam cogitatione collustratus Cardinalis Peronius supremæ ægritudinis tempore, lachrymas dedit atque suspiria, dicens: Hominem literis addictum pœnitentiâ duci tam temporis, quod excolendo intellectu, quàm voluntate plus studij, operæque contulerit: quod si Deus sibi vitam prorogaret, aliam se agendi rationem initurum.

5. nec miraculà.

Sed en quod longè impensiùs demirere: da mihi hominem Thaumaturgum, qui cum Josue solem sistat, cum Gregorio Montes loco moveat, cum Bernardo miraculorum multitudine non Europam tantum, ut ille, sed mundum impleat: si divini amoris flammis careat, nullius est, & miseriarum potiùs, quàm felicitatis prodigium. Sed quî fieri potest, inquies, ut tantus rerum mirabilium patrator, & divinæ Majestatis ac virtutis velut instrumentum, Amore Dei sit destitutus? Id ita se habere de fide tibi credendum, nisi divinis oraculis fidem derogare volueris. Audi Christum in Euangelio declamantem: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Ubi rectè verba illa *multi*, & *multas* suo, ut solet, perspicaci judicio ponderat S. Augustinus: quòd non ad singularem hominem ista pertineant, sed multos apprehensura sit illa calamitas; quos quidem Judex Christus non negat miracula multa, non dæmonis auxilio, sed in suo nomine perpetrasse; quia tamen ab eorum cordibus exulavit Charitas, sententiâ maledictionis velut fulmine in die judicij illos perculsum iri æternis damnandos incendiis. Matth. 7.

6.

O Amor divine, mortalium unica, ac suprema felicitas! quanto studio ablillis quærendus es, quanto amore, quantisque officiis colendus: cum actionibus humanis unus pretium des, & non tantum opera illa miranda, quæ protulimus, sine te nauci sint apud Deum; sed cæterarum etiam virtutum, & quidem principalium exercitatio, si ab-

si abſis, omni pretio & loco careat. Effundat aliquis in pauperes fortunas omnes, rebus caducis nuntium remittat, clauſtro ſe includat, corpus pœnis oneret, & carnificis inſtar torqueat ac laceret; denique ignes patiatur & enſes; ſi Amore Dei iſta non facit, nulla ſunt, nulliuſque apud æternum Numen mercedis.

7. Temperanda deſideria etiam bona.

Sed dubitare fortè poſſet quiſpiam, an tam heroïca virtutum facinora edi poſſint ab homine ſine ſubſidio charitatis: ſed huic dubitationi facere ſatis unicâ ratione videtur apud Caſſianum Magnus ille Paphnutius, Apoſtolum ſcilicet S. Paulum nunquam illa dicturum fuiſſe, niſi futurum in ſpiritu prævidiſſet, ut aliqui ſimilia facerent nullâ præditi charitate. Franciſcus Sales vir in diſcernendis animorum motibus exercitatiſſimus, dum Virginem nimio amoris impetu ad clauſtrum anhelantem ſiſtere nititur; multos ait, ſæculum deſerere, qui ſe non deſerant, quiſque in hac mundi fugâ pacis & quietis deſiderio, inquietè & præpoſterè ſerviunt: amor enim proprius, quo impelluntur, turbulentus eſt, violentus, & effrænis.

Col. 3. 7.

Quid quòd præclara Eccleſiæ lumina Auguſtinus atque Hieronymus, martyrij palmam non ſemper ab Amore ſancto procedere; ſed interdum velut furtivè ab aliquo gloriolæ appetitu infringi atque dehoneſtari aſſerunt: ac primò Auguſtinum audiamus. *Ecce,* inquit, *venitur ad paßionem, ecce venitur ad ſanguinis effuſionem, venitur & ad corporum incenſionem, & tamen non prodeſt, quia charitas deeſt.* Hieronymus verò, ubi de inſita mortalibus vanæ gloriæ appetentia, & quomodo clàm in elcëmoſynæ diſtributione, caſtitate, prædicationibus ad populum, laboribus quos pro Scripturarum interpretatione, & animorum converſione plurimi ſubeunt, ſæpiùs illa irrepat, tandem hæc ſubjungit: *Dudum timeo dicere: ſed dicendum eſt; martyrium ſi ideo fiat, ut laudi & admirationi habeamur à fratribus, fruſtrà ſanguis effuſus eſt.* Videmus hîc quid ſentiant viri iſti magni, ac primus quidem martyrium ſine charitate, alter cum vanitate conſiſtere nõ poſſe arbitretur, quod à veritate non alienũ puto, ut ex hujus temporis veterumque hiſtoriis colligi poteſt. Philoſophus quidam nomine Peregrinus, cujus meminit Tertullianus, ob inſanam gloriæ cupiditatem famoſus in paucis, ut quò animus Philoſophiæ præceptis imbutus, patientiæ & fortitudinis poſſet evadere, populo oſtenderet, nomenque ſuum tranſmitteret in poſteros, ludis Olympicis, ac celeberrimo totius Græciæ concurſu ſtruem lignorum ingentem erigi juſſit, quam ipſe tædam ardentem manu

Serm. 50. de verbis Domini.

Ad Gal. 15

8. Probatur exemplo Peregrini Philoſophi.

ventilans ascendit, & concione ad populum habitâ de heroïcis virtutibus, quas in suorum animis inserere potest Philosophia, suo jam exemplo manifestum fore edixit, ac tædâ struem incendit, breviqúe spatio temporis in cinerem redactus, spectatorum aliis id ludibrio, aliis miraculo habentibus; diversam etiam scriptoribus istius ævi sentiendi materiam præbuit. Irridet illum Lucianus, demiratur Aulus Gellius, miserentur Christiani, & amentiæ accusant, qui ambitionis ignem non potuerit extinguere, nisi alium accenderet, & flammâ pereunte consumptus, æternam pœnitendi materiam in nunquam finem habituris incendiis reperiret.

9. Alio Juliani Villeverdij hæretici.

Jungo alterum, quem magis fortassis mirabere, & miserabere. Julianus Villeverdius inter Hæreticos sui temporis facilè antesignanus, atque è Gallia à suis in Hispaniam missus, ut suæ sectæ homines, qui latebant, in errorum pertinaciâ confirmaret, deprehensus, & ad Inquisitores fidei delatus, convectusque in carcerem est: rogarunt Judices Patrem Joannem Suares, virum è Societate Jesu, literis, sanctitate & concionandi præstantiâ celebrem, adiret hominem, videretque an rationibus posset eum ab erroribus abducere Ecclesiæque Romanæ reddere. Adit carcerem Pater, captivumque erecto atque alacri animo reperit, tantâ interdum perfusum lætitiâ, ut etiam fluerent ex oculis lachrymæ, præsertim cùm non sine voluptatis sensu, de sacrâ Scripturâ sententias proferret in medium, qualis est illa: *Benedictus Deus, qui consolatur nos in tribulatione nostrâ.* Et illa: *S. Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus filij Dei.* Mansit ille in errore suo obstinatissimus, damnatusque à Judicibus ad rogum, magnâ animi alacritate illum ascendit, & manantibus lachrymis oculisque in cælum erectis, quasi totus Amore divino colliquescerer, non sine spectantium stupore vivus igne crematus est. Prudentiores, qui spectaculo interfuerunt, id dæmonis artificio tulerunt acceptum, qui Deo permittente & fovere hominis pertinaciam, animumque falsâ dulcedine perfundere amorisque erga Deum naturalis sensu tenerrimo commovere potest: ut enim fidem sine charitate mortuam dicimus, ita charitatem sine fidei fundamento subsistere non posse certissimum est.

10. Charitas dat actionibus pretium. *Epist. 42.*

Teneamus ergo pro comperto, comprobatoque, hominis felicitatem in charitate sitam esse, dicamusque cum S. Bernardo: *Nec absque charitate quodlibet magnum bonum suscipitur, nec cum illa quodlibet exignum respuitur.* Non suscipitur sine illa omnium fortunarum exspo-

exspoliatio, neque quorumlibet perpessio tormentorum, & haustus aquæ ejus impulsu porrectus præmio sempiterno compensatur. Ratio hujus rei ab infinitâ Dei excellentiâ petenda est, qui cùm ex una parte ob bonorum suorum copiam nullius egeat, ex altera verò parte, ob ingenitam sibi mansuetudinem atque clementiam mortalium pœnis non delectetur; amorem nostrum unicum efflagitat, tanquam spontaneum voluntatis sacrificium, cujus donatio homini liberrima est, nec ad eam alicui faciendam ullius violentiâ adigi potest. Hinc est quòd sacræ paginæ Deum semper in corda nostra, ut amoris fontes & dispensatores, conjectos oculos habere testantur; hinc Redemptor noster duos obolos viduæ, ab amore singulari donatos cæterorum largitionibus prætulit. Hinc si Deus juberet me in in levando de terrâ stramine, eoque in terram iterum conjiciendo toto vitæ decursu occupari, certusque essem nullum aliud obsequium à me exigere, idque ego ingenti amore Deo obsequendi, & divinæ Majestatis oculos pascendi cupiditate continenter exequerer; majus isti operi pretium, majoremque apud Deum gratiam conciliarem, quàm si altissimæ contemplationis pennâ ad cælorum suprema raperer.

11. Beata Virgo non semper gestabat puerulum JESUM, ulnisve fovebat; dabat aliquod tempus occupationibus domesticis, verrebat domunculam, culinæ obibat munia: sed inter ista Amoris divini ardebat incendio, & quam nos operibus istis immiscemus amoris proprij scoriam, illam ipsa in charitatis ardentissimæ fornace decoquebat. S. Josephum cum matre puroque in Ægyptum profugum, ut familiolam aleret, sæpiùs Ægyptiis elocare operã, & in alicujus idololatræ domo dies totos laborare coactum fuisse mihi persuadeo. Privabat se tum præsentiâ aspectuque amantissimi JESU, non amoris intimi sensu, quo laborem suum condiebat, & operi de se contemptibili pretium dabat. Particulæ venerabilis Sacramenti, æquè ac majori hostiæ venerationem deferimus; quia in ista & hac Christum æquè præsentem agnoscimus. Idem esto de operibus nostris judicium: sint aliqua ex iis hominum æstimatione præclara, sint alia vilia & abjecta, æqualis utraque apud Deum valoris erunt, si ab æquè intenso amore profluant. Animus noster in minima corporis parte totus est; ita obviis quibuscumque actionibus, etiam contemptibilibus voluntas integrum amorem suum applicare potest: quod à matre suâ fieri solitum scripsit Nazianzenus. Rem domesticam ita tractasse ait, ac si

Exemplã B. Virg. & S. Josephi,

12. & matris. S. Gregorij Naz. orat. 19.

pietatem colere nesciret; Deo verò ac divinis rebus ita se addixisse, ac si à rerum domesticarum procuratione plurimum abesset: nec commisisse, ut alterum ab altero impediretur, sed potiùs mutuis subsidiis fulcirent sese atque confirmarent: Etsi enim exteriùs in varia munia velut divisis studiis incumberet, divino tamen amori cor integrum servabat, cujus auspiciis militans à manè ad vesperam ab ejus signis non discedebat. Speculum in partes si comminuis, in variis fragmentis rerum oppositarum imagines æquè tibi reddet, ac si integrum permansisset; ita per operum multiplicitatem non dividebatur aut dissipabatur ejus animus, sed unus semper per amorem cum Deo existens, actiones omnes divino quodam colore & succo imbuebat. Si sacris conventibus intererat, silentium servabat unicè: venerandæ mensæ terga nunquam obvertebat, nec in divinum pavimento exspuebat unquam; nullo ob rerum fugientium jacturam dolore tangebatur, nec ex ejus ore luctuosa vox priùs, quàm gratiarum actio erumpebat. Animi enim Deum amantis & ab illo redamati officium esse censebat, τοῖς θείοις ἅπαν ἀνθρώπινον ὑποκλίνειν, divinis rebus humana cuncta submittere: ecce mulierem ab amoris sancti magnitudine & constantia felicissimam, imò & maximam & pulchritudinis eximiæ. *Quantitas enim animæ*, ait S. Bernardus, *æstimetur de mensurâ charitatis, quam habet, ut quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ nihil, nihil.* Pulchritudinis etiam æstimatio à charitate petenda. *Quantum in te crescit amor*, dicit Augustinus, *tantum in te crescat pulchritudo; quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.* *Serm. 27. in Cantic.* *Tract. 9. in Epist. S. Ioannis.*

13. Charitas hostes hominis vincit.

Sed quia ad felicitatis statum hoc etiam requiritur, ut hostibus vel careas, vel si ab illis oppugneris, superior evadas: hoc etiam ab amore sancto consequêris, ut ab illis potiùs timearis, quàm illos timeas: & si aggredi ausint, palmas ex illis reportes, & semper laureatus incedas. *Quemadmodum*, ait S. Chrysostomus, *si homo igneus incidat in medias stipulas, aut si quis ignem gestans luctetur cum eo, qui importat fœnum.* Hinc S. Augustinus suum Idithum, quo nobis hominem amore divino saucium repræsentat, quasi jam in felicitatis sinu conquiesceret, canentem inducit: *Bene est: ultra nihil volo, omnes hîc amo, neminem hîc timeo.* *Hom. 4. in 2. c. Act. Apost.*

14.

Et verò, quid Amanti Deum ad consummatam hujus vitæ felicitatem deesse potest, cum Deum videat, possideat, omnis boni fontem & auctorem? Audiamus de hoc iterum Augustinum: *Quisquis habet charitatem, ut quid eum longè mitti-* *Psalm. 49.*

mittimus, ut videat Deum? conscientiam suam attendat, & ibi videt Deum. Vult eum fortè videre sedentem in cælo? habeat charitatem, & in eo habitat sicut in cælo.

Aspiremus ergo ad Amorem tantæ felicitatis parentem, & corde potiùs quàm voce ingeminemus vota his versiculis memoriæ caussâ conclusa.

15. Æstus incensæ charitatis.

Animus meus te, mi Deus, solùm aspicit,
Solumq; te suspiriosus respicit,
Et quidquid infra, quidquid extra despicit,
Tu solus illum ter beatè reficis,
Bonisq; compotem affluenter efficis,
Supraq; spem, supraq; vota perficis;
Quia solus intima, intime, intimus afficis.
Si quærit aliud, continenter deficit;
Si quærit unum Te, evidenter proficit:
Amoris illi viscus alieni officit,
Dum fraudulenter mentis alas inficit:
Mihi ergo amorem da tuum, & tum sufficit.

CAPUT VI.

Neminem ob status impedimenta ab amando Deo excludi.

1. Ab amore Dei nemo impeditur.

NOn puto hîc audiendos nonnullos, qui ob sui status occupationes à divini Amoris exercitatione excusari se posse arbitrantur. Primò libero arbitrio pollet quilibet, & voluntatis suæ, ac amoris dominus est, & cui vult illum donat, nec cujusquam precibus, imperio, violentiâ ab hac donandi libertate deturbari potest. Deinde diversitatem statuum & officiorum ad conservationem societatis humanæ & Reip. bonum, Deo auctore, & promotore, à viris Sapientibus inductam arbitror. Quis verò est tam hebes, ut existimet aliquid, quod rei tam sanctæ, amori scilicet divino exercendo impedimentũ adferat, à suprema Mente profectum esse? Non est officij aut status defectus, sed voluntatis, quæ timore aut amore sui seducta, & honorum, aut voluptatis, aut lucri abrepta illecebris, aliud quàm Deum Deique amorem in occupationibus suis consectatur. Quid impedit hominem, dum negotiorum æstus fervet, quàm maximè velut Navarchum ad clavum sedere, & cursum suum ad eum portum dirigere, quem illi præfixit Deus? Quis dubitat divinam Providentiam, in tam variâ tamque distinctâ officiorum inter homines distributione unicam suam gloriam spectasse? Mutua illa opificum inter se dependentia, quâ tu meâ operâ indiges, & ego vicissim tuâ, mirabili nexu Reip. membra inter sese

devincit, & ad mutuam amicitiam Deiq́ue gloriam & amorem viam sternit, præsertim si membra illa in eum colliment scopum, quem in eorum admirabili symmetria spectavit Deus; sed ad singularia descendamus.

2. Non pauper.

Pauperum primò ac mendicorum occurrit miseranda conditio, quos censebit aliquis tantâ sublevandæ inopiæ solicitudine detineri, tot mentis aberrationes pati, ut de debito Amoris Deo solvendo, vix cogitationem suscipere posse videantur. Sed nihil minùs: an non in amandi facultate pares sunt pauper & dives? an non uterque fontem Amoris apertum habet in pectore, cujus aquas sursum deorsumq́ue pro libito potest emittere, & actionum floribus alendis subministrare? Dicamus potiùs, Amori sancto minùs obesse paupertatem, quàm divitias, cùm hæ amorem proprium ejus hostem suâ illecebrâ foveant, & corroborent, plurimumq́ue Amori divino detrimenti adferant, quo factum ut non pauci illas à se prorsùs abdicarint, ut Amoris sancti exercitationibus locum darent.

O si liceret intueri, non tantùm sub Religiosæ paupertatis pallio, sed etiam sub mendicabulorum vilibus lacernis, & paleâ, in qua jacent, quanti amoris ignes flammis occultis ardeant, quàm divina sæpè incendia in tuguriolis illis delitescant, Amorem sanctum ab rerum externarum inopiâ incrementum potiùs, quàm impedimentum accipere diceremus.

3. Docet hoc Thauleri mendicus.

Ad quod charitatis culmen evectus erat famosus ille Thauleri mendicus; quem spirabat amorem ille in platea jacens, & cum morte potiùs, quàm cum egestate conflictans in vitis Patrum memoratus Dei servus, cujus animam nimis diu tardantem in corpore duo Genij de cælo delapsi ad egressum invitarunt? Quid sanctum Alexium commemorem, qui dum suorum mendicabuli specie fallit oculos, & mundo illudit, habeturq́ue à famulis paternæ domus vilissimi mancipij loco, lampas tamen erat sub veteramentis abscondita & amoris divini flammis ita succensa, ut non urbem modò, sed orbem suis radiis illustrârit.

4. Non opifex.

Sed fortassis audiendi erunt opifices, eorumq́ue admittenda excusatio, dum se laborum assiduitate, & corporum fatigatione ab amoris divini exercitatione arceri aiunt, testemq́ue experientiam appellant: sed falluntur & fallunt: non impedit amorem labor, sed amore juvatur, & fit levior. Sanctum Josephum amantissimum Jesu nutritium fabrum opificio, S. Paulum Pelletarium, germanos fratres Crispum & Crispinianum arte sutores, S. Alexandrum Carbonarium, Homobonum Sartorem

5. Probat exemplum S. Josephi.

rem & sexcentos alios in laboribus assiduos fuisse, sed in amore divino plus operæ studiique posuisse non dubito: tractabant manibus artis instrumenta, sed corde amori divino vacabant. Bellarminus etsi dignitate Ecclesiasticâ inter Cardinales ornatus cùm urbis Romæ vicos obiens opificesque à manè ad vesperam opificiis suis intentos contueretur; ac quantâ facilitate Deo famulari, amorisque divini sanctis affectionibus operam dare possent, invidere se illis aiebat tanti boni tam facilem possessionem. Non labori, sed cordis desidiæ aut aberrationibus, aut nimiis ad rem externam animi contentionibus omnis amoris divini defectus tribuendus est.

6. & judiciū Card. Bellarmini.

7. & sanctitas civis Constantinop.

Raderus in Menologiis Græcis.

Sed non videtur mihi silentio prætereundum, quod in hoc genere mirabile memorant Græca Menologia. Vir erat Constantinopoli Joannes nomine, qui facultatibus non parvis in pauperes erogatis pauperem ipse vitam delegerat, & frequens in precibus, ad vestibulum templi sanctæ Sophiæ & sæpè orando pernoctare consuêrat. Id cùm aliquando ageret, vidit à longè splendorem luminis fulgentem, virumque ductum luminis sequentem. Miratus subduxit se in angulum, ut rem tutiùs perspiceret. Videt hunc duce lumine templo appropinquantem, factâque ante valuas templi modicâ oratione, impresso portæ crucis signo eam aperientem; ac eodem modo primas & secundas ac tertias fores argenteas reserantem: tum in medio sacrario genuflexo preces fundentem, iisque absolutis templo egredientem. Subsequitur Joannes, & post aliquot viarum anfractus, cùm alter ad exiguam casam perveniisset, videt illum fores pulsantem, quibus ab uxore Mariâ nomine accensâ lucernâ apertis, omnique tum alio splendore disparente domum ille ingreditur: subsequitur Joannes & januam occupat ac in ædes se immittit, atque ad viri pedes se abjicit, & vitæ rationem ab illo prece & lachrymis extorquere conatur; negat ille, & se hominem pessimum ac idiotam declamitat: victus tandem precantis importunitate, dixit, se cerdonem opificio, & Zachariam appellari, ignoscere peccatori, qui judiciorum Dei metu percussus castitatem cum conjuge servaret, & cùm ad tenuis vitæ sustentationem non ampliùs quàm ad trimestre facultates in sumptum suppeterent; labore & soleis nummos pararet, & primò lucelli partem maximam in Christi pauperes divideret, vellet hac ille de rebus extortâ narratiunculâ esse contentus. Egit gratias Joannes, & abiit; sed humilis Cerdo, ut magis lateret, domum muta-

mutavit, ut amori divino liberiùs & securiùs vacaret incognitus. Egit in hoc, quod solet divina Majestas, & pauperculi hominis sanctimoniam uni manifestam esse voluit, ut deinde illius notitia ad plures emanaret, multorum aliorum manifestatione in supremum judicij diem reservatâ.

8. Non rudis & hebes.

Jam verò quid de hominibus rudis & hebetis ingenij, qui velut terræ filij, nihil præter ea quæ terram concernunt, sapere videntur, in hac de amoris divini possessione controversiâ censebimus? an illos ut incapaces ad alia amandabimus? Opponet se continuò Joannes Gerson, vir in hujus Amoris palæstra exercitatissimus, qui in suo illo aureo tractatu de Monte Contemplationis rationibus, & experientiâ contrarium evincere conatur. Declamabit etiam contrà S. Ægidius S. Francisci discipulus, qui cùm audiisset ex S. Bonaventura rudem fœminam ad colum dies integros sedentem amoris divini æquè capacem esse, quàm ipse Bonaventura literarum præsidio instructissimus; lætitiâ circumfluens, & quasi extra se raptus Cœnobij muros ascendit, & idiotis aliisque accurrentibus hoc S. Bonaventuræ dictum velut ingens, & isti hominum generi perutile arcanum evulgavit. Sed & Beatus Simeon Salus in illis, quos paullò ante mortem Joanni scientiæ divinæ dictavit articulis, unum hunc inseruit: Ne quemquam etiam vilissimæ conditionis haberet contemptui; reperiri enim inter mendicos, & cæcos, qui interioribus animi doribus ac virtutibus ad instar Solis splēdescerent, purgati afflictionibus, quas patienter tolerant. Quot, aiebat, ex illis vidi ego ad sacram Synaxim accedentes auro puriores tum propter agendi simplicitatem, morumque innocentiam, tum quia sudore vultus victum comparant. Dixit aliquando etiam S. Brigitæ Dei Mater hominem vetulum, qui integrum *Pater noster* memoriâ tenere non poterat, Filio suo gratiorem esse Concionatore, qui apud auditores suos magnam gratiam nomenque collegerat. Sed audiamus quid magnus ille Simeon Stylites ad ingentem hominum multitudinem notitiâ divinitus hausta ex suâ columnâ pronuntiavit.

9. Patet testimonio B. Virg.

Ingens terræ motus, & insecutæ ædificiorum inde frequentes ruinæ, mortesque plurimorum Antiochiam universam locaque circumjacentia metu compleverant. Vivebat tunc ad instar Angeli carne vestiti Simeon Stylites: ad illum, ut miseriarum lumen unicum, omnis conditionis homines tam ex Ecclesiasticis, quàm ex laicis confluant, & columnam coronâ cingunt, eumque ut Numen iratum

10. & exemplo pauperis pij.

iratum precibus suis placare dignetur, supplices rogant. Ille primò illos accusat ut calamitatis auctores, quam peccatis suis in caput suum accersierant; monet deinde unanimi conspiratione ad precandum se prosternant, aspersiq́ue lacrymis simul inclament: Kyrie eleison. Ipsemet in preces se dat, & aliquo spatio temporis elapso, vox è cælo ad illum delabitur: de tot millibus hominum, unius dumtaxat rusticani hominis & ipsius Simeonis precationem flexisse numinis iram, & exaudiri meruisse: jubet ergò quæri rusticum illum, eumq́ue in conspectum adductum proprio nomine compellans, coram omnibus vitæ institutum & rationem aperiret, seriò mandat. Ille primò pudore coopertus se excusare, ignorantiam suam obtendere, sese peccatis inquinatissimum profiteri: sed à S. Stylita compulsus coactusq́ue eloqui: dixit, se dies totos terram colere, & inde collectum lucellum in tres partes dividere, unam pauperibus erogare, alteram solvendis vectigalibus impendere, tertiam in victu quotidiano consumere; nulli unquam malum se imprecatum, sed singulis tantum boni desideresse, quantum sibi. Excepta sunt hæc magno populi clamore & plausu, omnibus illum propiùs intueri cupientibus, & alijs mediatorem suum appellantibus, alijs cum lacrymis in ejus amplexum ruentibus, alijs denique illum tanquam cælesti calculo sanctis annumeratum venerãtibus: solus ipse pudore perfusus expedire se ex illo gratulantiũ cœtu & tenebras quærere, ubi in abscondito cum Deo ageret, & amoris cælestes sanctis affectionibus habenas laxaret impensiùs, & securiùs.

II. Non conjugatus.

Cum matrimonio illigatis nobis nunc agendum est, è quibus unus ad cælestes nuptias in parabolâ invitatus, parum gratiosè respondit, se omnino venire non posse: & fortassis judicium S. Pauli patrocinari non paucis videbitur, dum conjugatis cor divisum esse pronuntiat, ut integrum amori divino consecrari non possit: sed nunquam ego illis assentiar: non equidem inficior magnam conjugatorum partem non matrimonij culpâ, sed suâ ita in illius status delicias simul & solicitudines sese effundere, ut sancto amoris negotio vel potiùs otio vacare non possint, sed cùm Elzearium cum Delphinâ, Ulphonem cum Birgittâ, Henricum cum Cunegonde, Vincentium cum S. Waldetrude intueor, inter illas conjugij spinas enasci etiam rosas amoris pronuntio. Et verò cur illi id præstare non possent quod S. Paulus hortatur, ut conjux conjugem ita diligat, ut Chri-

12. Patet varijs exemplis.

ſtus Eccleſiam? cur ita ſanctè, & caſtè illius ſtatus jura ſervare, ut, ſicut aliquando S. Birgitta cæleſti revelatione didicit, in medio conjugum decumbentium Chriſtus ſibi locum inveniat? cur novi teſtamenti gratia eò matrimonio conjunctos provehere non poſſit, virtutis & ſanctimoniæ, quam Zachariam & Elizabeth aſſecutos fuiſſe Euangelicæ paginæ teſtantur? Eos, qui in vitis Patrum perlegendis verſati ſunt, magnum illum Abbatem Paphnutium ſæpiùs demiratos arbitror; qui cùm in ſeveriſſimâ illâ Anachoretarum diſciplinâ annos complures ſanctè contriviſſet, optavit tandem cælo revelante cognoſcere cui in hac virtutum palæſtra Dei æſtimatione par foret; miſſus eſt primò ad tibicinem, tum ad ruralis oppiduli Conſulem, eumque conjugatum, ac tertiò ad Alexandrinum mercatorem, ſelectos è tribus hominum generibus viros, qui divini amoris exercitio ita incubuerant, ut homini altiſſimis contemplationibus in illo ſolitudinis ſilentio dedito, & corporis caſtigationibus addictiſſimo comparari mererentur. Habet divina Majeſtas non unam in conjugij vepreto gemmam abſconditam; imò, ſi Auguſtino aſſentiamur, multæ ſunt nuptæ, quæ in ſtadio virtutum Virgines curſu prævertent, illiſque tum animi demiſſione, tum ardore charitatis victoriæ palmam præripient. *Dilige*, ait idem Sanctus, *& fac quidquid vis.* Ahbi cauſſam reddit: *Multum facit, qui multum diligit.* Amor donum eſt voluntatis, quod illa ſemper habet in promptu, in conjugatis æquè ac ſolutis: & cur, quæſo, divina bonitas, quæ duo corda matrimonij nexu conjunxit, ſui etiam amoris vinculo innodare non poſſet, adeoque ſui juris facere, ut in illo ſtatu nihil velint niſi quod vult, & ut vult, eâdem ad ſcopum divinæ gloriæ conſpiratione, ac intentione?

Sed fortaſſis Amor ille ſanctus à ſuo arcebit contubernio homines ſceleratos, longaque peccandi conſuetudine irretitos, à quibus repulſam non ſemel paſſus, & ſuas ſibi res habere juſſus, imò contumeliâ violatus, capitales inimicitias expertus eſt: quî enim fieri poterit, ut tam immemor ſui & ſuæ cæleſtis originis oblitus, gratiam vilibus capitibus rependat pro injuriâ, & illos vel unico benignioris oculi dignetur aſpectu? Hîc fortaſſis nobis hærere aquam putabit aliquis: ſed fallitur omnino. Amor enim ſemper eſt amor; & omnibus ſui facit copiam; ſemelque admiſſus omnium vitiorum munitiones & oppoſitus diſijcit atque proturbat. Quinimò ubi Amoris divini indolem atque potentiam, ubi divi-

13. Non ſceleratus.

næ

næ misericordiæ benevolentiam, ubi vim gratiæ, Christi merita, & amantissimi Iesu ad cordis januam perseverantes pulsus propiùs conspicor, audacter pro nuntio, etiam inveterato peccatori facilem ad amoris cælestis possessionem aditum aperiri. Expertus id

14. Patet in Augustino in Psalm. 63.

est Augustinus licet post longam luctam & propterea à nobis meritò audiendus, dum peccatorem his verbis invitat: *In nomine Christi, & qui loquimur, vivimus, & quibus loquimur, vivitis: numquid consilij corrigendi, & mutandæ vitæ mala non est locus? non est tempus? nónne si vis, hodie fit? nónne si vis, modò fit? quid empturus es ut facias? quæ emplastra quæriturus es? ad quos Indos navigaturus? Ecce cum loquor, muta cor, & factum est, quod tam sæpè, & tam diu clamatur ut fiat, & quod æternam pœnam parturit, si non fiat.* Illustrari possent pluribus historijs, sed unâ, aut alterâ contenti erimus.

15. Francisco Senensi.

Gregorius Lombadelli in vitâ B. Francisci Senensis, cujus dies festus Senis agitur Dominica 2. Maij, mirabile Amoris divini stratagema commemorat. Erat Franciscus inter sceleratos & impios sui temporis milites facilè princeps: qui cùm aleæ lusu infausto amisisset omnia, in rabiem actus collusori dixit: Etiam irato numine qui mihi hos oculos dedit, lusui ego illos expono, tu mihi illos erues, si hoc aleæ jactu superior evadas. Vix impias voces finierat, cùm divina ultio hominem opprimit, ac utriusque oculi lumine privavit. Hoc ille velut fulmine tactus, attonitus aliorum manibus abducitur, & cæleſti luce collustratus alia init consilia: alia stipendia sub Amoris divini signis facere destinat, in seipsum sævit acerrimè, donec recuperatâ oculorum luce, D. Virginis apparitionibus, Angelique tutelaris frequenti monitione ad meliora excitatus, illorum hortatu Carmelitarum habitum induit, quem die præstituto spectantibus cunctis qui aderant, Angelus de cœlo attulit, eumque ut illo vestirent, imperavit: octogenarius & multarum palmarum vir, in Sancti amoris castris diem obiit, concentu musico animam ejus ad cælestia præmia evolantem comitante, anno salutis 1291. Quis non has divini Amoris Metamorphoses demiretur? Sed ecce aliam.

16. Et Hispano injuriam donante.

Hispanus in Regno Mexicano ab altero lacessitus injuriâ, tanto in illum odio exarsit, ut juraret se barbæ & capitis pilos non rasurum, neque rasurum ungues, neque expiaturum Exomologesi animum priùs, adversarium quàm è medio tolleret. Audit ergo illum visum in civitate, à loco in quo erat viginti leucas distante; iterum diris se devovet, si cibum priùs

sumat quàm hosti vitam eripiat, & è vestigio equum conscendit, iter iejunus emetitur, & intelligens adversarium in foro esse, eò se confert sclopeto ad necem inferendam expedito instructus, & dum illum, oculos circumferens, investigat, nec reperit; casu fortuito Patrem Societatis in foro ad turbam confertam catechismum habentem videt, & ratus hostem fortè in illa multitudine esse, accedit: & Patrem tum de Dei in peccantes misericordiâ differentem audit; compungitur, suam in odio proximi pertinaciam incusat, divinam in se clementiam demiratur, plorat, & concione absolutâ Patrem insecutus, ad pedes ejus provoluitur, & lacrymis perfusus confessione culpas eluit, iterumque vovet se cibum non gustaturum etsi jam triduo non sumpsisset, nisi cum inimico redijsset in gratiam, votum illud frustrà dissuadente Sacerdote: tandem hostem ob nescio quod debitū in carcerem conjectum reperit, ad pedes ejus prostratus diuturni odij veniam petit, ac denique (quod perfectæ charitatis est) equum & arma divendit, & ducentarum librarum argenti pretio inde conflato, ære alieno, & carcere hominem liberat, hoc solum efflagitans, ut deinceps amici & fratris loco se habere velit.

16. Non sum nescius hujusmodi animorum commotiones, & igneos Amoris effectus usitatos non esse, & abundantiori divinæ gratiæ merito tribuendos: persisto tamen in mea sententia, non esse corroboratæ in malo consuetudinis tam insolitos firmosque rudentes, qui sancti Amoris potentissimâ flammâ Deo adjuvante non absumantur: compleriqúe illud Apostoli dictum, *ut ubi superabundavit iniquitas, superabundet & gratia*; Deumque ad reserandas misericordiæ fores, & virtutibus omnibus Charitatis velut asseclis aditum hominis cor aperiendum, paratiorem propensioremq; esse, quàm homo ipse promptus sit ad desiderandum, & petendum.

CAPUT VII.

Deus amari vult super omnia, & ad id obligat unumquemque rationis capacem sub gravi peccato.

CErtum est, neminem salutem æternam consequi posse, nisi mandata servet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ait Dei Filius: inter illa verò unum esse in duobus sacræ Scripturæ locis expressum omnes legimus Deuteronomij & Matthæi, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota ani-*

1. Præceptum de Charitate.

anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. In quibus verbis si ad vocem, *Totâ*, sæpius repetitam attendamus, quasi prohibeat vel minimam amoris nostri particulam in rem aliquam creatam extra Deum, diverti, tantum præcepti rigorem humanas vires excedere alicui videri possit; sed si verbum illud, ad majus pondus mandato conciliandum, congeminari censeamus, meritò cum majori Doctorum numero piè nuntiabimus, hoc solum jubere Deum, ne quidquam aut plus quàm ipsum, aut æquè ac ipsum, aut contra ejus voluntatem amemus, idque sub pœna perdendæ gratiæ, amicitiæ dissoluendæ.

2. Intelligendum de appretiativis.

Postulat ergo Deus à nobis verbis istis amorem appretiativum, ut vocant, sive præferentiæ, qui quatuor modis exerceri potest. 1. Comparativè; ponendo ante oculos sigillatim omnia, quæ nostrum amorem conciliare sibi & innodare possunt; ut sunt, amici, parentes & propinqui, vita, bona fortunæ, pulchritudo, honores, voluptates; considerando præterea mala omnia, quæ terrorem possunt incurere; ut sunt, facultatum, amicorúmve jactura, infamia, tormenta atrocissima, mors crudelitate horribilis, & ipsa pœnarum in Inferos acerbitas: quibus maturè & diligenter expensis statuit homo firmiter, omnium bonorum jacturam, & malorum acerbissima pati potiùs, quàm Dei amicitiâ excidere: qui modus amoris nostri erga Deum pertentandi etsi bonus est, non tamen suadendus omnibus; ad homines magnæ & corroboratæ virtutis spectant ista. Id meritò, fructuque singulari magni illi Heroës Anselmus, Edmundusque faciebant, dum dicerent; si ex una parte proponeretur apertus Inferni hiatus, ex alterâ Dei Opt. Max. offensa, potiùs se præcipites in illa immania supplicia ruituros, quàm gravem illam Deo per peccatum inferrent injuriam. Id actitabat fortissima fœmina B. Alix Lotharinga, quæ inter crebrrima, & multorum annorum diaboli tentamenta, & ad peccandum illecebras, solebat dicere: *Damna me potiùs, mi Deus, quàm ut huic maligno incentori consentiam.* Id generis hominibus permittenda est hujusmodi prœliandi ratio; at alijs in virtute parum exercitatis nullo modo consectanda. Novit Deus singulorum vires, & non æqualia ab omnibus exposcit. Non solet cum pluribus eandem probandæ amicitiæ rationem inire, quam tenuit cum Abraham, cui filii immolationem imperavit, & modo quidem admirabili, & ad fortissimum animum de constantia deturbandum composito. 1. Præcipit, sit ipse & non alius qui fi-

Cujus primus modus per comparationem.

3. Quæpro-

bata in imperato Abrahæ sacrificio.

lium accipiat, insciâ matre, & quasi è sinu ejus avulsum: *unigenitum* vocat, ut inde consideret, quantum detrimenti familia ex unigeniti morte capiat, quâ totius posteritatis spes labefactari videbatur: addit, *quem diligis*, ut amorem paternum exsuscitet, videatque, quantum doloris rei tam amatæ amissio secum trahat: proprio nomine appellat *Isaac*, ita nuncupatum, quod esset futurus lætitia & risus Patris. Montem aliquem assignat, sed non nominat, id ait facturum se posteà: à loco ubi erat, distantem, eligit, ut toto itinere in tam severi mandati consideratione defixus haberet doloris simul & virtutis exercendæ materiam; duos Amores Divinum & Humanum velut singulari prælio inter se committit, in quo penes primum stetit Victoria: hoc enim Abraham incitatus tanto ardore demandatam filij exequebatur necem, ut repetitâ nominis sui *Abraham Abraham* appellatione sistendus ictus fuerit: *ne*, ut ait Ambrosius, *una vox impetum ferientis revocare non posset.* Non ita agit cum homine infirmæ virtutis Divina Bonitas, mandatum ejus viribus attemperat, quod exemplis pluribus potest; sed supervacaneum esse judico ob eorum frequentiam & experientiam. Producamus potiùs nonnullos præterea virorum eminentis sanctitatis actus Heroicos, qui in interioribus mentis theatro productis in scenam malis plurimis, & velut cum Amore sancto commissis, victoriaque ab hoc obtenta hujusmodi velitationibus miros in charitate progressus fecêre.

4. Singularis in P. Ioan. Hieronymo.

P. Joannes Hieronymus Sacerdos è Societate nostrâ, vir ob virtutum ornamenta & conciones per Hispaniam celebris & apud Philippum secundum gratiosus, vespere plures horas orationi dare solitus fuit, in quâ sæpiùs Amorem sanctum ad luctam cum amore proprio provocabat, ibi instructâ velut acie prodibant omnia mala huic infesta, & unum post aliud quàm horrificâ poterant specie ad incutiendum metum se menti Meditantis repræsentabant, hærebantque velut in conspectu, donec paratum se ad illa perpetienda Deo offerret. Id quod cùm die quodam ageret, & famem, sitim, morbos, carceres, & mortem ipsam, velut præsentia pro amore Dei subeunda volens lubensque acceptasset: subit postremò, velut inter ultimæ aciei triarios hæc cogitatio: Quid si te jam Inquisitio sacra accerseret, & de propositione hæretica in pulpitis prolatâ accusatum examinaret, & damnaret? Hic hæsit, & ad Deum conversus ait: *Non hoc Domine*: cumque nihilominus videretur sibi minus liberaliter cum

5. Nihil excipiens.

Deo

Deo agere, in hoc puncto; post aliquâ cogitationũ pugnam, cùm Amori divino ulteriùs resistere non posset, tandem Deo se totum commisit, dicens: *Et hoc Domine.* Vix hæc verba protulerat, cùm Apparitor fores pulsat, ad Inquisitores vocat, à quibus jubetur abstinere à pulpito, donec de propositione hæreticâ, quam dicebatur inter concionandum protulisse, planè se purgaret. Etiam accusatus est apud Romanum Pontificem de verbis contra supremæ Sedis auctoritatem temerè prolatis, Romamque accersitus, ut dictorum rationem redderet: in utroque Tribunali post longum examen innocens declaratus, & concionibus tum Romæ coram Pontifice, tum in Hispania deinceps cum majore quàm anteà audientium applausu habitis clarior evasit, sed etiam Deo charior ob amoris divini per hanc rerum contrariarum varietatem, & in ijs tolerandis constantiam maxima incrementa.

6. Probatur facto charitas in eius vita.

Erunt fortassis qui hujus viri in meditationibus imitationem sibi proponant, sed sciant velim, aliud esse, prœlium aliquod picturâ effingere, aliud in illo versari. quod excellenter ostendit Pater Jaspar Barzæus Belga, in Indijs post S. Xaverium rerum benè gestarum magnitudine celeberrimus; qui homini Societatem amplecti, & ad acerbissima quæque toleranda paratum se offerenti in hæc verba respondit: *Dicis insuper in tuâ Epistolâ, quòd me sequi cupias, ac mori mecum, si res ita ferat, in craticulâ assatus: iste fervor in genere desiderij magnus est, sed in opere quid futurum esset, ignoro: multum differt crux Christi in imaginatione depicta aut intellectu, ab ea quæ vivâ est martyrij tempore: pomaria & arbores suis onustæ floribus, aut fructibus æstivo tempore multum placent, sed procellosa hiemis tempestas plus laboris adfert, cùm sunt vel putandæ, vel putandæ: ita sunt res divinæ, quas quamdiu mundus admiratur, facilè est amplecti, sed alieno tempore Christi crux admodum solet esse onerosa. Divorum tormenta, quæ nos æstimamus, sæpè accident; sed eadem ipsa coram tyrannis, sub quibus illi ea pertulerunt, essent sanè acerba. Eo quippe tempore urgent fames, sitis, contumeliæ, ignominiæ, nuditas, ludibria, inopia, verbera, & mors ipsa.* Hactenus vir ille Apostolicus: qui suo discursu excellenter nos docet, posse mala, quæ amoris divini exercendi materiam præbent, duobus modis meditationi nostræ repræsentari. 1. Consolationibus cælestibus permista, excepta hominum applausu, ac laureis æternis coronanda. 2. Objici possunt animo omnibus istis solatijs & velut levamentis destituta, specie horridâ, ac naturæ formidabili, ijs omnibus ad-

junctis, quæ hominum mentibus horrorem solent incutere: atque hic posterior modus viris in virtute provectis, & animo ingenti præditis familiaris est; & in Amoris divini palæstrâ, ad augendos illius igniculos inter meditandum frequentiùs in usu. Jungunt se Clementi[1], Episcopo Ancyrano in Galatia, eumque cum tyranno dicendi libertate & agendi constantiâ decertantem intuentur, & se vel illi socium, vel ejus loco constituunt. Proposuerat Diocletianus id impetrare ab hoc generoso athletâ, quod alij ante se frustrà tentarant: itaque jussit primò produci in medium quæcumque ad emolliendos, & illiciendos animos mundus offerre solet & promittere; ut sunt magna auri argentique congeries, litteræ patentes, quibus primi honores, & ampliſſimi per imperium Magistratus conferebantur, vestes sumptuosæ, & pixides gemmis pretiosis refertæ: ex altera verò parte exponi præcepit varia tormentorum instrumenta, ungulas ferreas, uncos, lectos, metalla, sartagines, carbonum congeriem, lebetes, cassides, craticulas, rotas, catenas, aliaque plurima torquendis martyribus excogitata ferramenta, quæ spectantium animos solo aspectu horrore complebant. Hîc Tyrannus ad Episcopũ conversus vultu severo & blandienti, digitoque in res illecebris plenas intento:

7. Clemẽtis Ancyræ.

8. Qui frustra tentatus ad defectionem.

En, inquit, bona, quibus te Dij beabunt, si illos colere animum induxeris. Deinde disposita ad carnificinam instrumenta ostentans: Vides, ait vultu minaci, hunc tormentorum apparatum? his excruciaberis, si mandatis meis morem gerere recuses. Sed animo imperterrito, vultuque exporrecto Episcopus contempsit omnia, & quàm bona illa Deo comparata nauci essent, & cruciatus, cum inferorum tormentis compositi, quàm nulli, & meræ malorum imagines, ac terriculamenta puerilia, paucis ostendit.

9. Propositis bonis.

Quòd si tibi ad acuendum amorem divinum, & præcepti de amando Deo super omnia implendi gratiâ, hunc primum meditandi modum inire in animum inducas; cave ne novo calore abreptus, ac generosi animi fretus audaciâ, tibi innixus altiùs, quàm par sit, te pennis præsumptionis efferas, tuoque lapsu novum nobis Petrum exhibeas, & alios de se præsumentes ruinâ tuâ erudias: diffide tibi infirmitatis tuæ conscius, & Dei præceptum amoris super omnia ingeminantis, bonitate potentiaque fultus, ac eius nisus auxilio, victoriam illo tecum pugnante te reportaturum spera; sed ad cæteros præcepti illius implendi modos accedamus.

10. Et suppliciis.

dum

10. *Secundus.* Confusè.

2. Modũ minus operosũ accipe: Bonorũ malorumque, quæ te ab amore Dei super omnia impedire possunt, multitudinem tibi in genere dumtaxat ante oculos pone, & non leviter aut præcipitanter, sed captato quasi cum animo tuo consilio, tandem pronuntia; te potiùs bonorum omnium jacturam facturum, & tormenta quælibet subiturum, quàm amicitiæ divinæ injuriam inferas, eamque graviter lædas.

11. Per abstractionem.

3. Modus magis obvius, & brevior hîc est: si neque in particulari, neque in genere comparationem ullam instituas, sed tantùm apud te firmiter statuas Deo placere, & nulla de caussa ab ejus amicitia descẽdere. 4. Denique si

12. Etiam sine actu positivo.

neque hanc apud te deliberationem de amando Deo facias, sed ita illum ames, ut si ista tibi in mentem veniret, seriò apud te statueres nunquam vel amore vel metu divinæ Majestatis obedientiam negare, & auctoritatem infringere.

Atque his quatuor modis præcepto divino de amando Deo super omnia facies satis: Deum etiam propter se amabis: si enim propter aliud eum diligeres, tum illud *aliud* Deo anteferres, plurisque faceres, quia finis esset amoris tui ad quem cætera & Deum ipsum ejusque amorem referres: unde sequi meo judicio necesse est amorem Dei super omnia, amoremque Dei propter ipsum ita inter se connexa, ut unum ab altero divelli, separarique non possit.

13. Collectanea de amore graviter imperfecto.

Deducamus & hinc alia consequentia & consentanea superioribus: demusque primò aliquem ita animo dispositum, ut si Deum amanti merces æterna non esset præstituta, Deum non amaret, ille proculdubio lethali culpâ se obstringeret; neque enim amaret Deum super omnia, sed mercedem & lucrum suum Deo anteponeret: eodem culpæ lethalis nexu involveretur ille, qui re bene librată, ac ad rationis trutinam perpensâ, æternum hîc vellet vivere; quia sic Dei fruitioni huius vitæ amorem præferret: hinc nol-

14. Vota impia.

lem patrocinari hac in parte viri nobilis præposteræ cupiditati, qui hortum suum cum altero obambulans, & ex pulcherrimo ejus aspectu maximâ voluptate perfusus, dixit: Si daretur optio, se libenter sortem suam cum aranex (quæ telam suam eo loco affixerat, unde patebat in hortum undequaque prospectus) commuraturum, Deoque alterius vitæ beatitudinem relicturum, dum perpetuò in terris horti sui pulcherrimi contemplatione frueretur: obstrinxit se ille hoc desiderio culpâ lethali, quam continuò divina vindicta miserabiliter excepit; nam fallente pede de gradibus col-

lapsus vitam, & unà cum illa illecebrosum horti sui conspectum amisit.

15. Aliud. Excusabimúsne ob simplicitatem, & ignorantiam, vorum rusticanŷ hominis indeliberatè conceptum, & minori prudentiâ pronuntiatum? Erat ille jam decrepitus, & lectulo affixus supremo morbo laborabat; cùm visitatus à Parocho, & ab illo excitatus ad æternorum spem proximam, laborumque, in quibus vitã attriuerat, finem: petijt ab illo an nulla spes esset ineundi cum Deo contractum aliquem, ut perennaret perpetuum in istis laboribus, Deoque Paradisum remitteret: tam in illo fides obtorpuerat, spes languebat, charitas refrixerat. Optaret S. Augustinus aliquando pertentaremus animos nostros, & nobiscum ita ratrocinaremur: Si Angelo in terras delegato Deus hominibus denuntiaret, ut qui vellent æternitatem in terris vivere, in unam partem secederent; qui verò pro cælo decertare, & ad illud aspirare cuperent, in aliam abirent, cui parti nos adjungeremus: si priori; jam è filiorum Dei numero & dignitate dejecti sumus, jam divini de amore præcepti prævaricatores culpâ nos fœdissimâ obstrinximus. Deo nihil præponendum, omnia ejus amori possessionique postponenda: quæ ita intelligas velim, ut illum peccati non damnes, qui Deum vel ob accepta ab illo beneficia, vel spe mercedis æternæ, vel suppliciorum metu diligit: habent illa suam honestatem: sed hoc amandi modo, præcepto amoris Dei super omnia non fit satis.

Sed nunc agamus de tempore, quo ad hoc amoris debitum persolvendum astringimur. Variæ sunt in hoc puncto Doctorum sententiæ; quas veriores sentio, producam.

16. Quando obliget. Quicumque annos infantiles prætergressus ad eam pervenit judicij maturitatem, ut Deum finem suum ultimum esse, & amore super omnia dignum possit agnoscere, atque de hoc à Deo præceptum latum esse intelligat, & innatam inde sibi exercendi amoris obligationem clarè perspiciat: tenetur meliori modo quo potest Deum amare super omnia; quòd si volens & prudens id omittat, lethalem offensam incurrere. Ita Doctorum plurimi sentiunt: cui etiam culpæ obnoxios nos censent, si certis casibus, quibus ad contritionis actum exercendum obligamur, & dum in tentatione odij contra Deum periclitari nos sentimus, si inquam tum amoris Dei super omnia subsidium non accersimus, officio nostro nos deesse arbitrantur, gravique culpâ fœdari. Nec deest unus aliquis è viris

viris istis in Theologia palmaribus, qui pronuntiet, eum; qui toto quinquennio, miserè amori proprio & rebus caducis immersus ex torpore & oscitantia ne unum quidem amoris super omnia actum exerceat plusquam venialem culpam admittere: quod ego inficiari nolim ob nimiam in tam rationabilis & amabilis præcepti executione socordiam.

17. Adhortatio ad charitatem.

Sed omnium in uno articulo conspirantem sententiam audiamus & sequamur; is est articulus mortis, in quo in illo amoris actu super omnia producenda vires omnes animi conferendas sentiunt: si enim aliquo tempore Deus Opt. Max. pro omnium affectionum scopo nobis est eligendus, rebusque omnibus eius gratia & amicitia præferenda, illud profectò esse oportet, in quo animus à rebus omnibus creatis separandus est, Deoque, à quo, ut esset accepit? restituendus. Et quamvis meritò aliquis timere possit ne plurimi tum temporis officio suo hac in parte desint, & fatiscente jam corpore, animoque ob multarum rerum imagines consternato ægrè videatur homo tam arctæ obligationis & amando Deo super omnia recordari: ego tamen contra sentio, arbitrorque hominem in illis quæ salutem æternam concernunt, tum sibi maximè præsentem esse, & Deo uberiori gratiâ suppetias afferente debitum hunc amoris quātum oportet persolvere: de quo Sanctam Gertrudem certiorem aliquando fecit Christus: cùm enim pro concione de amoris sancti obligationibus differentem audisset inter alia dicere, neminem aliquo crimine graviori contaminatum, & lecto defixum in illo ultimo vitæ finientis articulo salutem consequi posse, nisi peccatorum ex amoris Dei super omnia impulsu illum pœniteret, & eâdem inductione ab illis abstinere proponeret, reputant illa apud se videri multos ex hac vitâ decedere, quos pœnarum timor ad pœnitentiam potius, quàm amor impelleret: sed hanc illi nubem continuò discussit Deus, dicens: Ego se in illo supremo certamine, ijs qui sui aliquando piè, sanctèque meminissent, & opera nonnulla vitam æternam promerentia fecissent, se propiùs adesse & eorum animis tam amabilem benignumque sese exhibere, ut intimo cordis affectu, amoreque divino interiora penetrante malè admissorum pœnitentiâ ducantur, veniamque ac salutem consequantur: quam meā in eo articulo gratificandi propensionem velim ab electis meis agnosci, depredicarique, ac dum de beneficijs à me collatis universim gratias agunt istius etiam beneficij gratanter recordari.

18. Amoris merces præsidia ad bonam mortem.

CAP. VIII.

Facilius esse, quàm communis fert opinio, implere præceptum amandi super omnia.

1. Amor Dei facilis quibus.

NOn hîc ago de illo hominum genere, qui profanis amoribus irretiti & flagitiis cooperti longâ peccandi consuetudine omnem rerum divinarum sensum gustumque amiserint: neque enim inficiari possum, illos maximam in exercendo amore Dei super omnia difficultatem experiri: sed de illis loquor, qui meliorum rerum amore detinentur, virtuti student, & procurandæ saluti aliquam dant operam, qui etsi interdum gravi aliquâ culpâ se inquinant, continuò tamen resurgunt; & animo excolendo, Deique præceptis executioni mandandis curam impendunt; illis dico amorem Dei super omnia auxiliante gratiâ, communi hominum opinione faciliorem esse.

2. Ex parte objecti.

Ac primò quidem ex parte objecti, in quod amore ferri oportet, nulla videtur esse difficultas: est enim Deus summè amabilis, & iis quæ amorem nostrum concitant, & conciliant, ut sunt pulchritudo, bonitas, cæteræque perfectiones, cumulatissimè instructus; atque ut facilè homini est plumbo aurum, & pulchrum deformi anteponere; ita rebus omnibus creatis Deum præferre nullo modo difficile videri potest. *Si auro proposito*, inquit Chrysostomus, *& lapidibus pretiosis dicerem: Concupisce plumbum, diceres: Quomodo possum?* Nam ut infantes videmus, qui manus habent pomis aut bellariis refertas, si aliquid amabilius, & quod magis delectet, offeratur, prioribus abjectis, ad hæc continuò manus extendere; ita hîc fieri necesse est: quis enim nisi atheus, audeat in dubiũ vocare Dei ejus super omnes res creatas excellẽtiam? quis tã vecors & hebes est, ut eum pluribus ad provocandum amorem illecebris, quàm cætera omnia abundare non judicet, hocque judicio voluntatem ad illum amandum, rebusque omnibus præferendum inducat? atque hoc est amor præferentiæ de cujus facilitate disputamus. *In cap. 3. Act. Apost. hom. 7.*

3. Ex parte voluntatis.

Amorem in voluntatis esse potestate nullus est qui inficietur, & meliora minùs bonis ab illâ anteponi, nisi aliquæ circumstantiæ obstent, aut offusa menti caligo impediat, nemo est qui ambigat. *Ætas corporis non est in voluntate*, ait S. Augustinus, *nullus secundùm carnem crescit, quando vult; sicut nullus quando vult nascitur: ubi nativitas in voluntate est, & incrementum in voluntate est. Nemo ex aqua & Spiritu sancto nascitur nisi volens: ergo si vult crescit,* *In cap. 2. Epist. S. Ioan.*

creſcit, ſi non vult, decreſcit. Quid eſt decreſcere? non proficere. Qui profectus cùm ab amoris incremento dependeat, & in voluntatis (ut videtur ſentire ſanctus Doctor) juvante ad id Spiritu ſancto ſit conſtitutus poteſtate, facilè inde conficitur, affectionem erga Deum ſuper omnia, non ita, ut communis fert vulgi opinio, hominibus eſſe difficilem.

4. S. Gregorius Nyſſenus in brevi illo, quem ad Harmonium de Profeſſione Chriſtiana ſcripſit tractatu, ubi ad imitationem Chriſti hortatus eſt, ut impedimentum à difficultate petitum diſcutiat, adjungit: nihil in illa laborioſum reperiri: quia affectionibus mentis labor conjunctus non eſt, ſed licet quocumque velimus per illas ἀπραγμαλεύτως, hoc eſt nullo negotio accedere.

5. Tantum velle patet. *Epiſt. 80.* Seneca de virtutum moralium conſecutione cum amico ſuo diſputans, *Quid tibi opus eſt, ut ſis bonus?* inquit: & uno verbo quæſtioni primo aſpectu arduæ & intricatæ reſpondet: *Velle.* Quod reſponſum dedit etiam S. Thomas in rebus animi pertractandis, & illuſtrandis perſpicaciſſimus, dum ſorori quâ breviori viâ ad perfectionem niteretur interroganti, dixit: *Velis.* Unde meritò cum S. Auguſtino concludere poſſum: *De lib. arb. c. 18.* *Vides igitur in noſtra voluntate eſſe poſitum, ut hoc fruamur tanto, & tam vero bono: quid enim tam in voluntate, quàm ipſa voluntas eſt?* Neque eſt quòd hanc difficultatem in Deum aliquis rejiciat, cùm ipſe hunc amorem ſuper omnia imperet, gratia præveniat, & ejus impetratione delectetur. *Ignem veni,* inquit Unigenitus, *mittere in terrâ, & quid volo niſi ut accendatur?* Quid ſi etiam ex parte noſtra accedat deprecatio? eâ verò quid facilius, quid expeditius? præſertim ſi brevis oratio etiam hac in parte non parum momenti & virium ad impetrandum ſit habitura. Dixit aliquando S. Birgittæ Mater Dei amantiſſima, eum, qui unum dumtaxat Pater pro charitate obtinendâ pronuntiaret, effectu fructuque non eſſe fruſtrandum.

6. Maximè ſi petas amore. *Lib. 3. c. 11.*

Sed magis hanc amoris exercendi facilitatem declarat, Dei ipſius in eo offerendo, donandoque facilitas: quid enim facilius, quàm rem ſummi pretij, quæ tibi gratis offertur, accipere? inſanum illum cenſeas qui domum & ſinum excipiendo bono, in quo ejus felicitas ſita ſit, promptè non aperiat. Hîc iterum, ut ſæpè, audiendus eſt S. Auguſtinus. ita ille ſuos alloquitur: *Quare quando laudatur charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? exhortor vos, quantum datur ad magnum theſaurum: ſi vobis oſtenderetur aliquod vaſculum anaglyphum, inauratum, operosè factum, & illiceret oculos veſtros, & duceret in* *Tract. 7. in Epiſt. S. Ioan.*

se intentionem cordis vestri, & placeret vobis manus artificis, & pondus argenti, & splendor metalli: nónne unusquisque vestrûm diceret: O si haberem vasculum istud! Laudatur vobis charitas, si placet, habete, possidete: non opus est ut furtum alicui faciatis, non opus est emere cogitetis, gratis constat: tenete eam, amplectimini eam, dulcius illâ nihil est: si cùm commemoratur talis est, cùm habetur, qualis est?

7. Etiam in ariditate.

Dissentiet fortassis hîc unus aliquis, & me ad experientiam suam provocabit, dicetque se temporibus quibusdam, cùm mens est in nubilo, & arida exsucca, & frigida voluntas, actum amoris Dei super omnia valde difficilem & laboriosum experiri; sed fallitur, & fallit ille quisquis est. Etsi enim pumice aridior videatur voluntas, etsi quantolibet conatu hunc amoris actum homo judicet à corde suo impetrare se non posse, sentio nihilominùs in ista cordis siccitate atque duritie, ignitis carbonibus frigido sub cinere delitescentibus ab amore super omnia sæpè actum elici robustissimum, quem homo ipse, qui producit, difficulter, quia nullo sensibili indicio actus ille se prodit, potest agnoscere. Atque ut hæc clariùs elucescunt, tria mihi observatu digna videntur.

8. Affectiones aliquas ad Superiorem animi portionem pertinere, ibi produci, ibi sedem figere, nulloque sensibili motu percipi: alias verò, quas Philosophi Passiones, Orator Perturbationes appellat, quæ sensuum & imaginationis ductum sequuntur & in appetitu inferiori locum habent, secumque cordis commotionem trahunt, facilè cognosci: ita lætitia cor dilatat, tristitia constringit, ira inflammat, metus palpitatione exagitat, aliæque suis quæque motibus concutiunt ac scipsas produnt.

num alia in parte superiori, alia in inferiori.

9. Interdum conspirant.

Secundò conspirare interdum utriusque partis affectus; ut cùm intellectus Dei perfectiones, & amabilitatem proponit voluntati, & imaginatio eandem bonitatem crassioribus lineamentis appetitui inferiori repræsentat: tum in idem objectum propensione & concordiâ singulari utriusq; partis facultates feruntur, & amor fit sensibilis, atque cogitatione supra cordis affectionem commotionemque se reflectente homo se amare dignoscit.

10. Maximè in personis spiritualibus.

Tertiò rariùs id accidere, & ferè tantùm in iis, qui diutinâ virtutum exercitatione perturbationes inferioris partis domitas habent, easque partis rationalis imperio ducunt, ut lubet, mirâ conspiratione atque consensu. Ubi verò oppositum contingit, ubi appetitus inferior frænum non patitur, & detrectat imperium, imò contrà rebellis

11. In aliis contra.

rebellis insurgit, ac voluntate superiori amoris exercitio toto nisu incumbente, abit ipse in omnia alia, & longè diversæ affectioni se velut captivum tradit, tunc quis amorum animo nostro dominetur, ægrè dignoscimus. Pars Superior actum suum habet semper in sua potestate; semper enim voluntas vult, cùm vult; at non eâdem facilitate dominatum in alios affectus exercet: cùm volo de peccatis dolorem persentiscere, duriorem me petrâ experior, cùm de divinis beneficiis efferri vel dilatari gaudeo, tristitiæ fluctibus obruor, & hoc quidem, si sensum inferioris partis in consilium voco. Non ideò tamen voluntas superior vero, sancto que dolore, aut lætitiâ Deo acceptum non afficitur; imò verò, defœcatum purumque dolorem in principali animi portione concipit maximam, & ibidem lætitiâ depuratâ perfunditur.

12. In quo consistat Amor Dei.

Idem esto de affectione amoris Dei super omnia judicium, qui cùm in præferentiâ, hoc est in actu liberi arbitrij sensibus imperceptibili consistat, sæpè, quò magis abest à cordis commotione, eò major eò fortior Deoque acceptior solet existere: quod paucis exemplis elucidabitur.

13. Amoris duplex, appretiationis & sensibilis exempla.

In primis, quàm multos maritos videmus pro amissâ conjuge dolore confici, qui ne unam lachrymam pro deplorandâ in Deũ offensâ possint effundere. Si tamen eos interroges, quid potiùs eligant, an conjuge orbari, an Dei privari amicitiâ, primum potiùs admittere se dicent, quàm secundum. Videbis alium in negotiis amici tractandis diligentiorem operam ponere, quàm in iis, quæ Dei honorem cultumque concernunt; si tamen casus inciderit, in quo aut deserendus amicus, aut amicitia Dei violanda, Deum amico anteponet. Pater primogenitum, à quo familiæ honos & posteritatis spes dependet, amat quidem; sed erga minimum è filiis tanquam Benjaminum suum tenerioris amoris argumenta depromit; ubi tamen de alterutrius morte agitur, hunc sibi eripi mavult, quà alterum.

14. Patris in filios.

15. Matris in filium & catellum.

Videbis Matronam aliquam immorigero filio ob ejus perditos mores infensam domo illum exturbasse, nec induci posse, ut ignoscat; imò ne nomen quidem filij audire velle: è contra catellum suum habere in deliciis, sinu fovere lautè alere, & ab omni domesticorum injuriâ, quantùm potest, defendere: si tamen fames illam in eas redigeret angustias, ut pane unico, qui illi supereset, vel filius sustentandus esset, vel dilectum animal alendum, vitâque alterutrius cibo illo esset redimenda: eo casu dubio procul filium catello

catello præponeret, & hujus amorem tenerrimum materno erga sobolem affectui utpote robustiori posthaberet.

16. Adolescentis in sodalem.

Adolescens aliquis, alicujus consodalis consuetudine ita captus est, ut ab ejus aspectu dies noctesque vix avelli possit, eius desiderijs obsecundet; & voluntati potiùs morem gerat, quàm paternis mandatis obsequatur; faciamus tamen Patrem simul & sodalem gravissimo morbo laborare, & in mortis periculo utrumque versari, unicum pharmacum esse ad manum, quo alteruter persanari possit, parenti concedet illud potiùs, quàm sodali; amat utrumque, & huius mortem fert acerbissimè, doletque summopere ereptam sibi omnem sodalis juvandi facultatem; prævalet tamen in ejus pectore amor paternus, & in tam difficili certamine victor evadit. Ex quibus hæc veritas confirmatur, nempe duas in nobis sæpiùs esse affectiones, robustam unam, sed occultam, & velut ignē sub cineribus absconditū; alteram teneram, floridam, & varijs benevolentiæ signis contestatam: prior ad implendum mandatum sufficit, ubi illius adimplendi se necessitas offerret: sed redeamus ad principale quæsitum de facilitate Amoris. S. Augustinus, cùm amicum suum Armentarium ad amorem Dei super omnia vellet inducere, & omnibus argumentis occurrere, quo id impedire posset de duobus amoribus oppositis, qui contra amorem Dei aciem videntur instruere, amore scilicet mundi, & amore hujus vitæ quàm facilis possit esse victoria, eleganter ostendit. 1. Si mundi statum contemplemur, *tantâ rerum labe contritus est, inquit, ut etiam speciem seductionis amiserit: & quantum laudandi sunt, atque prædicandi, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere, tantùm increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.*

Ep. 4.

17. Quantò Deus amabilior creaturis.

Secundò, Quid habet hæc vita amabilitatis, si cum Deo vitaque cum illo in æternum agenda conferatur? quid tamen periculorum & laborum non subeunt homines, pro vita hac labili, incerta, & quandoque finienda; *qui citiùs sæpè eam finiunt, eo ipso quòd finire formidant, veluti si quispiam fluvio rapiendus irruat, latronem, bestiamvè fugiendo.*

18. Ut vita mercatoris mercibus.

Et quamvis in similium rerum executione videantur homines non tam facilè ad illa descendere, sed quandam quasi violentiam pati; id tamen faciunt, & amore vitæ faciunt, eóque cum aliarum rerum amore concurrente, & semper victore, non tam difficultatem in eo, quod faciunt, experiri videntur, quàm amoris ductum sequi. *Lactant*, inquit, *in mare tempestate*

Pestate sæviente aliquando & alimenta, & ut vivant, projiciunt unde vivant. Sponte id faciunt & amore vitæ id faciliùs exequuntur, quàm amore ciborum & mercium ab illa jactura subeunda revocentur:

19. Aliud simile.

quibus cruciantur doloribus, qui cruciantur à medicis? Multi cruciatus suscipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti: & quod magis mirêre, interdum inter manus medicorum doloribus victi vitam amittunt, ad quos subeundos amor vitæ spontaneus illos impellit. *His consideratis,* inquit idem S. Doctor, *quid magnum vita æterna (hoc est Deus) jubet amatoribus suis, cùm sic jubet se amari, quemadmodum hæc amatur ab amatoribus suis?* nihil sanè magnum, nihil difficile; nam si contemnantur omnia, quæ amantur in mundo, ut vita post paululum finienda, saltem illud paululum temporis teneatur in mundo; cur non faciliùs contemnatur mundus, ut ametur ille, per quem factus est mundus?

20. In Dei amore nihil est quod deterreat.

Tertiò in istis duobus amoribus, qui contra militant, multa sunt tot obsessa difficultatibus, ut terrere potiùs, quàm invitare videantur: at verò in amore Dei, quid non promptum, & in expedito? ibi etsi voluntas ad amandum pellecta eò ferri se sinat, quò trahitur; quia tamen adipiscendi & retinendi facultas deest, in medio conatu persæpè succumbit; at verò in amoris Dei super omnia debito persolvendo, in quo hujus vitæ justitia consistit, concurrunt simul velle, posse, & habere. *Iusta vita* (inquit ibidem S. Augustinus, & nos de amore Dei id ipsum dici putemus) *cùm volumus adest,* Ibidem. *quia eâ ipsam plenè velle justitia est: nec plus aliquid perficienda justitia, quàm perfectam voluntatem requirit: vide si labor est, ubi velle satis est: sed voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit: erit autem sana, si medicum non refugiat, cuius solius gratia sanari potest.* Addit illum esse, qui dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis jugum enim meum suave est.*

Ubi plures amores de cordis possessione dimicant, penes præstabiliorem semper est victoria, si eius maior præstantia cognoscitur. *Modo cùm Roma,* inquit idem Sanctus, *Barbarico vastaretur incursu* (agit de expugnatione & direptione urbis Romæ ab Alarico anno 410. nono Calendas Septembris Honorio Imperante) *quàm multi huius vitæ temporalis amatores, ut eam vel infeliciter producendam, nudamq; redimerent, dederunt omnia, quæ illi non solum oblectanda, & ornanda, verumetiam sustentanda, tuendaq; servabant; solent amatores illis, quas amant, ut eas habeant, multa conferre, isti amatam suam non haberent, nisi amando inopem reddidissent.*

Atque, hæc omnia facilitatem 21.

Certa eius possessio.

amoris Dei super omnia persuadere mihi videntur; si enim tam facilè amore vitæ contemnuntur omnia, cuius tam post tantam exspoliationem incerta est conservatio, & brevis possessio, quantò magis in proclivi dicemus esse homini ratione prædito Deum omnibus præponere solius amoris sancti impulsu, de cuius æternâ possessione certus sit, atque securus; atque hoc est quod tot martyres induxit, ut essent & in omnium rerum abdicatione mirabiles, & in cruciatuum mortisque perpessione fortissimi. Ex intuere mecum unum aut alterum & quorum alacritate de facilitate Deo omnia postponendi judicium feras.

28. *April.* 22. Patet exemplum S. Nestorij.

Miserat Diocletianus Imperator Præsides & Judices in Ægyptum, qui in Christianos, si à Christo desciscere nollent, ferro flammaque desævirent. Vivebat tum in Ægypto Nestorius vir opulentus, & virtutum famâ celebris, qui cum conjuge unicam habebat filiam jam nubilem, & multorum juvenum ob divitias & formam votum. Paphnutius Abbas è solitudine in certamen pro fide cum Arriano Præside descenderat, & jam non unam tantùm, sed plures tum perse, tum per alios, quos fide & constantiâ armarat, de tyranno palmas tulerat. Is fortè, urbem ob ambulans domum Nestorij apertam reperit, ingressusque Patrem & conjugem filiamque Stephanam nomine, verbis ad martyrium accendit: Jesus Christus, inquit, jussit ad vos diverterem & tanquam suæ gloriæ præparata instrumenta, ad ultimum, pro ejus amore certamen animarem: surgite, eamus, Præsidemque profitendæ fidei gratiâ mecum adite: non semper similium palmarum offert sese occasio: Eamus, properemus, ut coronis potiamur. Surgit, ac præit, sequuntur animosè reliqui, adeò ut uxor pedem domo efferens hæc diceret: En Domine domum apertam relinquo, & omni auro argentoque ac supellectilibus in illa congestis nuntium remitto, tu mihi etiam cœlum aperire dignare. Ad Arriani tribunal perveniunt, contra quem inclamans Paphnutius: Iterum, inquit, contra te venio: tu cum Apolline tuo, & ego cum Domino meo Jesu Christo. Excanduit Præses, & infremuit, & objurgato Nestorio ad eius filiam conversus, eam blanditijs & minis adoritur, quam cùm rupe constantiorem reperisset, carnificibus præcepit eam suspenderent, & ungulis dilacerarent. Id continuò tam atrociter exequuntur, ut costis apertis, & sanguine undique fluente cum morte luctaretur: à dextris verò stans mater: Sustine, ajebat, paululum filia, in foribus

cit

est bravium; scis à me tibi dotem amplissimam paratam fuisse, quò te nobilissimo civitatis in conjugem darem: sed voluit te sponsam Christus, qui te nunc ad cælestem thalamum admittet. Sed & Pater cælesti gaudio perfusus, Fortis esto, dicebat; filia, nunc Dei in nos benevolentiam agnosco, qui tanto nos dignatur honore: gaudeo & exulto te donum Deo præmitti à nobis. Quæ inter verba cùm ad hepar dilacerandum carnifices perveniſſent, puella spiritum Deo reddidit: parentes paullò pòst à carnificibus obtruncati filiæ comites in cælo futuri parem lauream retulerunt.

22. Et aliorum.

Quid de alijs dicam, quos Paphnutius è manibus Præsidis ope Angeli non semel ereptus, non tam classicum insonans, quàm velut nuptiali fistulâ ad epulas invitans ad amandum Deum super omnia, & atrocia tormenta amore eius subeunda, mortemque ipsam oppetendam pellexit potiùs, quàm compulit: obvios habet pueros sedecim ad scholam properantes, eos tantillum an velint esse martyres rogat, quantumque bonum sit sanguinem pro Deo fundere, edocet, adeoque succendit, ut ad Præsidis tribunal cum eo se conferant; eum ultrò lacessunt, ac ad certamen provocant, se esse Christianos, & pro Christo tormenta omnia mortemque ipsam perlubenter toleraturos magnâ vòce profitentur; unus ex illis annorum tredecim, qui cùm edictum Cæsaris legere, & thus dijs adolere juberetur, edictum ipsum flammis comburendum tradidit; igne consumptus fuit, cæteri telis transfixi ad Superos evolarunt. Vide quæso, an amare Deum super omnia difficile sit, cùm pueri id citiùs, faciliusque quàm lectiones suas addiscere videantur. Idem octoginta quatuor piscatores, idem quadringenti milites unà cũ duce suo Eusebio à Paphnutio verbis edocti, Præsidẽque deinde aggressi, & tormentorum omnium mortisque victores totam Ægyptum, posterosque docuêre, quàm non sit difficile vitam pro Christi amicitia tuenda lubenter ponere: in quo præceptum amoris Dei super omnia magnificè inpleri nemo non videt.

24. Iaponum martyrum.

Sed fortasse morosus aliquis hæc antiquitate velut obsoleta reijciet, & horum temporum, quibus charitas refrixisse videtur, exempla postulabit. En unum, pluribus, quæ nobis Japonia submínistrat. Jacobus Nacaximi illustri martyrio pro fide Christi fide perfunctus, tres liberos teneræ adhuc ætatis conjugi suæ Agathæ reliquerat; Joannes major natu novennis erat, Michael quinquennis, Ignatius natu minimus vix duos annos numerabat. Paucis post

obitum Patris diebus hi tres sententiâ Judicis ad mortem damnantur; Joanni in platea ludenti id innotescit. Quid animi putas fuisse ad istud ferale nuntium puerulo alia omnia isto articulo cogitanti? Animo nihil consternatus, confestim domum regreditur, & accepto rosario genua flectit, preces fundit, ijsque absolutis alacris cum fratre Michaele cibum sumit, & quasi ad aliquod nuptiale convivium vocarentur, capillitium comunt, & ornamentis suis instruunt, elegantiores vestes induunt, & Matri, avo alijsque qui aderant, tantâ vultûs hilaritate vale ultimum dicunt, ut omnes in admirationem fletumque raperent. Minimus ipse Ignatius, dum ad supplicium militibus vallatus incedit, tantam pre toto, moruque corporis animi lætitiam præseferebat, ut in spectatores Christianos eundem sensum transfunderet, eosque ad agendas Deo gratias excitaret. Dederatse comitem Mater, & aliquâ parte itineris confectâ, conjectis in illos à longè oculis postremum vale dicebat; illi vicissim elevatâ manu, tanquam ultimam benedictionem postulantes ore renidente, & hilari, illam aspectabant, omnibus qui aderant pro rei novitate collacrymantibus. Ubi ad locũ supplicij devenêre, suo quisque ordine genua flectunt; Joannes veste bene compositâ collum ultrò suis ipse manibus denudans, manibusque & oculis in cælum erectis, tantâ tranquillitate flexis poplitibus ictum carnificis præstolatur, ut idolorum cultores stupore attonitos defigeret; ipsumque carnificem suâ illâ constantiâ ita perculit ut feriendo aberraret, puerumque in terram prosterneret; qui eâdem quâ erat oris compositione humi jacens repetitum à carnifice ictum excipiens, animam innocentem Deo reddidit, Idem Michaeli, Ignatioque contigit qui ad sanguinis fraterni conspectũ imperturbati, cùm in collo infantili vix mucroni excipiendo esset locus, repetito & ipsi ictu vitam posuêre. Exeste nunc imbelles animæ, & ora vestra caputque vili pudore obnubite, qui levibus de caussis, nullâ propemodum pugnâ lacessiti, in implendo præcepto amoris Dei super omnia deficitis animo, & lethalem culpam contrahitis; neque mihi difficultatem obtendite, cùm pueruli gestientes & velut ludibundi præceptum illud impleant: non est opus ad id vobis giganteo robore, non vigiliarum, & jejuniorum assiduitate, non ciliciorum afflictationibus, non alicuius Cœnobij clausurâ aut macerationibus; rei totius cardo inunico voluntatis actu consistit: velis, & rem confeceris; quod Sancta Catharina Genuensis

25. Magno in constan.] tiam probro.

nuensis unicâ responsione appositè declaravit; cùm enim Cœnobita dicere se à sua Religiosa professione plus adjumenti accipere diceret ad amandum Deum super omnia, quàm illi suppeteret in sua vivendi ratione; si hoc, inquit illa, verum esset, ego tibi vestem tuam violentè surriperem, meque illâ induerem: sed certum mihi est, hanc gratiam unicuique à Deo amanter offerri, totumque in nostra acceptatione consistere.

CAPUT IX.

Posse impleri præceptum amoris Dei super omnia etiam in medijs tentationibus, ariditatibus, & animi afflictionibus.

1. Virtus adversis probatur.

DIfficultates, quæ amorem Dei impediunt, aut domi nascuntur, aut extrinsecus obveniunt: quæ foris ingruunt, & vel bona fortunæ, vel honores, aut corporis sanitatem impetunt; amoris Dei exercitationem non impediunt, sed promovent. Abraham immolandi filij præcepto accepto, Job in fortunarum eversione & familiæ totius occasu tristitiâ oppressus, David Semei impudentiâ & injurijs exagitatus, exercendi amoris occasiones nacti, Deum bonis fortunæ, honori, & liberorum amori fortiter prætulêre: id fortasse nunquam facturi, si prospero semper vento usi fuissent: ut enim vehementi flatu fax accenditur, ira Dei amor adversis vires sumit. Miles in urbis alicuius assultu, aut conflictu cum hostibus magis se Regi probat, quàm si in aliquo procul ab hostibus præsidio annum agat. Virgo aliqua castimoniæ amans maius amoris sui argumentum dabit, si impuræ cogitationis imagine provocetur & repugnet, quàm si in meditationis silentio summâ animi tranquillitate ac voluptate horam transigat. Susanna à senibus impudicis impetita, accusata, damnata dum firmiter apud se statuit famæ potiùs, & vitæ jacturam facere quàm Deum offendere, illustrius amoris divini trophæum erexit, quàm si inter domesticos parietes tranquillè, & sine reprehensione Matris familiàs munus obijsset. In similibus periculis evigilat, & excitatur animus, & Deo amico manult emori, quàm illo offenso vivere. Quis non videt, illum, qui ne cibum vetitum comederet, morbum incurrit, & vitam amisit, & alterum qui vindictæ appetitu concitatus, tantam sibi in ea reprimenda vim fecit, ut venâ ruptâ sanguinem vomeret, & vomitu illo suffocaretur, fortius in divini amoris palæstra feciisse, quàm si in illam pro virtute decertandi

occasionem conjecti non fuissent.

2. Etiamoppugnata voluntate.

Sed fortassis censebit aliquis hæc locum non habere in aliis difficultatibus, quæ mentis arcem impugnant, dum obnubilatur ratio, & voluntas transversum agitur, & tumultui domestico miscentur omnia; inferioribus facultatibus imperium rationis detrectantibus: sed tiam tum impleri posse præceptum amandi Deum super omnia, plurium quas vitæ sanctimoniâ celebriores, redditas historiæ testantur: in his Catharinæ Bononiensi, ut maximè illustri, primum locum dabo.

3. Probatur exemplo Catharinæ Bononiensis.

Fuit hæc Virgo uti sanctitatis & gratiarum omnium miraculum, ita pro Dei amore certaminum theatrum incomparabile; occasionem præcipuam dedit levis culpa, & occulta præsumptio: aggressus erat illam Dæmon & cogitationis cujusdam importunitate perturbare eius animum conabatur; cùm illa id advertens, dæmoniqúe insultans, dixit: Artes tuas novi, non poteris deinceps tam subtiliter tentationum tuarum telam contra me ordiri, quin ego illas deprehendam. Displicuit hæc animi præfidentia amantissimo ejus sponso Iesu Christo, utque illam puniret, purgaretque, & ad profundã animi demissionem experientia infirmitatis propriæ adduceret; laxavit habenas dæmoni, permisitque, ut illam occultis machinis, & fallacibus visis, dictisque in fraudem adduceret; quod tanto fecit artificio, ut illam mœrore propè confectam de statu mentis quodammodo dejceret. Induit aliquando formam Deiparæ, & blandè Catharinam compellans dixit: Abijce à te vitiosum amorem, & purum atque laudabilem cordi tuo inserã. Credidit illa verè esse Beatam Virginem, quia tum temporis ab ea supplici prece flagitabat, sibi à Filio Dei amorem impetrarer. Itaque statuit apud se amori proprio strenuè bellum inferre, ac præsertim voluntati proprioque judicio per obedientiam frænum inijcere, ut se commovere non auderet superiorum injussu: (erat ex ordine Sanctæ Claræ.)

4. Dæmon ex adverso contra res à superioribus injunctas ingentem cogitationum multitudinem continenter exsuscitat, & vel exiguæ morulæ inducias non concedit. Illas à se abdicare virgo dum conatur, operam se perdere videt, superiorem adit, bellum intestinum aperit, veniam humi prostrata humillimè postulat: sed frustra omnia: cogitationes & judicia contra obedientiam dæmon exaggerat, inde perturbatio animi, anxietates, tristitiæ, pusillamitates, quæ novâ apparitione dæmonis in formam Christi deformati incrementum sumpsêre. Increpabat illam acriter sup-

ſuppoſititius ille Jesus, quòd ſuum ſibi cor illa ſuffurata eſſet, & cùm peteret, quî hoc fieri potuiſſet, cùm eſſet egentiſſima, nihilque in hoc mundo poſſideret ; addidit dæmon transformatus, non eſſe ita pauperem, ut ſe jactabat : dediſſe ſe illi tres facultates, intellectum, voluntatem, atque memoriam, & illam viciſſim per obedientiæ votum ſibi illas reſtituiſſe, nunc eas ipſam reſumpſiſſe, & in hoc eius latrocinium conſiſtere. Illa verò arbitrata id à Chriſto dici propter multitudinem cogitationum obedientiam impugnantium, quibus continuò infeſtabatur, dixit : Domine quid hac in parte fieri à me deſideras, cum iſtæ cogitationes non videantur eſſe in mea poteſtate, & invitam occupent? Tum deceptorius ille Chriſtus. 5. Accipe, ait, intellectum, memoriam, & voluntatem, & ne permitte ut alteri rei ſe occupent, quàm Superiorum exequendæ voluntati. Quî id faciam : inquit illa, cùm illis potentijs pro libitu imperitare non poſſim, & contra voluntatem intellectus judicet ſubitò, & memoria etiam alicuius rei recordetur? Imò verò, inquit larvatus dæmon, velle tuum ſuperiorum voluntati ſubmitte : nihil aliud velis & nolis, quàm quod illi probaverint ; res fugitivæ te non remorentur ; omni promptitudine obedientiam exerce, & omni actioni punctum aliquod Paſſionis meæ admiſce. Atque his alijſque commemoratis evanuit. Interea claſſicum fortiùs canit, pugnamque cogitationum acriùs renovat, tacitis murmurationibus, & alienationibus animi à ſuperiore mentem eius implet : illa verò omnia ſuperiori aperire, ad pedes eius accidere, culpam deprecari, & lacrymis pavimentum ſpargere, idque tam abundanter, ut deficiente humore aqueo ſanguinem oculis funderet : inde arido, & exſiccato cerebro labor oritur ingens in precibus horarijs perſolvendis, hinc mœror & perturbatio, quâ quò ſe verteret, non videbat, adeò ut à deſperatione, imò & inſania propiùs abeſſe videretur : cùm ad ſacram ſynaxim accederet, horrore concutiebatur, & ne recederet, manibus propè aſtantium retinenda erat : Cimmerijs in animo tenebris obſepta videbatur. Durarunt hæc quinquennio : quo toto tempore an nullum amoris Dei ſuper omnia actum exercuiſſe putabimus? imò verò frequentiſſimos, Heroicos: teſtantur id ſanguineæ illæ lacrymæ, illæ ad pedes ſuperioris abiectiones, & ſui accuſationes, illud cõtinuum partis ſuperioris cum inferiore in retundendis murmurationibus certamen, quas etſi perſentiſceret, ferebat tamen invita, & pro virili abijcere conabatur: quod ipſum deinde illi appa-

apparens significavit Christus, dicens nullam ab illa inter tot dæmonis insultus, & prœlia culpam admissam; plus meruisse, dum ad sacram communionem cum luctâ accesserat, quàm si suavissimæ voluptatis sensu perfusa fuisset; quo tamen Deus illam deinceps donavit. Hoc lumine illa illustrata, gratias egit Redemptori suo longè maximas, quod viâ tam admirabili per continua certamina, tenebrasque mentis horribiles, tanto fructu animam suam locupletasset. Id ipsum docuit aliquando bonus Angelus hominem solitarium; qui ab impudicis & alterius generis imaginibus decennio toto infestatus, cùm in illa velitatione sæpius se minus fortiter egisse crederet, quàm ut graviori culpâ vacaret; exclamabat: Væ mihi, perdidi animam meam: illum consolans Angelus dixit: Decem anni exacti corona tua erant; jam istis certaminibus liber eris; & quod reliquum est vitæ, pacificum quidem, sed minus fructuosum tibi decurret.

6. Et Anonymi biennio tentati.

7. Quid tunc agendum.

Laboremus ignorantiâ nostri, & in discernendis animi processibus cæcutimus; cùm verò inter partem animi superiorem inferioremque caliginosa perseverat dimicatio, tum demum an pars superior officio suo non defuerit, & penes quam tandem steterit victoria, ægrè dignoscimus. Optimum factu est, rem totam emendicato obiter lumine cælesti moderatè discutere; tum si quæ deprehendatur, aut timeatur culpa, eam deprecari, ac reliquium divinæ Clementiæ committere. Alere interea continuum Deo placendi desiderium, & grauiorem eius offensam perhorrescere; hocque arbitrari; magnum esse amoris divini in intimis animi recessibus delitescentis argumentum.

8. S. Teresia de falsa humilitate anxia.

Audiamus secundo loco Sanctam Teresiam, quæ in ista conflictuum interiorum palæstra exercitata, ad magnem sanctitatem & in doctrinæ cælestis Magistram evasit. Ita illa vitæ suæ 3. Capite loquitur: Contingebat aliquando, & nunc etiam interdum contingit, ut angoribus animi maximis conflictata, & tam ingentibus in corpore doloribus cruciata, ut illis ferendis impar viderer; omniumque gratiarum, quas mihi fecerat Deus, prorsus oblivisceret, supereſſet illarum exigua & velut somnij transacti recordatio, quæ augendæ dumtaxat molestiæ serviebat. Eò quòd intellectus meus in tenebris oppressus animum meum mille dubijs involueret, quasi ea quæ mihi priùs contulerat Deus, nec bene percepissem, nec confessarijs meis, uti se habebant, explicuissem; videbar mihi præterea tam nequam esse, ut omnia mala & hæreses peccatis meis ascribendas

das crederem: quod à falsa humilitate manabat, quam ideo diabolus animo meo impresserat, ut me turbando, & quietem omnem eripiendo, experiretur, an tandem in desperationis barathrum præcipitem dare posset: quod à dæmone proficisci ita compertum habeo, ut ex quo id mihi persuasi, ad istas artes amplius ipse non redeat, falsam verò esse illam humilitatem hæc ostendunt, inquietudo mentis, euagatio, perturbatio toto tempore, quo illa durat, obscuritas & afflictio & siccitas, ac ad orationem cæteraque bona opera nauseabunda quædam tarditas, ut animus quodammodo suffocatus, & corpus quasi compedibus vinctum, & ad omnia ineptum videatur. Vera humilitas secum turbationem non trahit, ac licet homini persuadeat, ipsum esse nequissimum, non tamen tenebris animum involuit, sed illi dilucidam cognitionem relinquit, quâ dolet ex una parte se tot peccatis obnoxium, ex altera verò levamen & consolationem haurit, Deumque laudat, quòd tantâ patientiâ se tulerit & punire distulerit. In alia illa Humilitate videtur Deus ferro flammaque omnia persequi, licet illum præstare misericordiâ fide credat, inde tamen potiùs magis torquetur, quàm levationem accipit, quod maioribus inde se vinculis obstrictum judicet, quàm ut ijs expedire se possit.

9. Eam demum à veradiscernit.

Addit præterea dæmonem interdum rerum levium, quæ aliàs ridiculæ videbantur, repræsentatione ita intellectum suum impleviſſe, & in omnem quam volebat partem inclinasse, ut animus velut vinctus, suarum cogitationum dominium amisisse videretur; non poterat excutere ludicras illas & futiles imagines, non uno in loco consistere, tum de homine lusum suum facere dæmones, & illum pro pilâ habere, videbantur vix dici potest, quantum id temporis animus patiatur, cùm nullibi nec à Deo quidem ad se extricandum opem & auxilium nanciscipossit: fides tum cæteraque virtutes aut mortuæ aut sopitæ jacent, & quod de Deo cognoscit, à procul hausto lumine proficisci videtur: amor Dei ita intepuit, ut quod de illo credit, hoc solo nomine credat, quia ita credendum proponit Ecclesia, & sapidæ cognitionis, quam aliàs experta est, nullo modo recordari potest: orare, cellæ solitudinem colere; angorem animi augere est: anxietas enim animi, cuius causam ignorat, intolerabilis apparet, & infernum aliquo modo repræsentare videtur, quia animus igne ignoto seipsum consumi sentit, nec reperit unde illum extinguat: quærere remedium ab aliqua pia lectione frustrà est, leuamen à conversatio-

10. Varijs impetit molestijs.

ne cum alijs emendicare pejus remedium est: miseram animam dæmon velut rabie quadam exagitat, quâ homines dentibus lacerare vellet, si posset, & multum est quod magnum aliquod malum Deo illam retinente aliam non inferat: atque hæc certamina dies aliquando quindecim, quandoque diutiùs perdurabant. Ecce sanè laborantis animæ statum omni dignum commiseratione; sed an illo tempore nullos amoris actus velut è caligine prorumpere arbitrabimur? qui in illo agone versatur, nullos agnoscit; sed si propiùs inspiciamus, dicemus inter illas angustias maximè generosos exerceri. Primò pati pro Deo manus majus est amoris indicium, quàm agere: deinde unicum *fiat* corde proferre, & Deo hos conflictus & angores permittenti magnâ animi demissione consentire, maximè est conformationis animi & amoris consequenter divini actus præstantissimus: per quem sæpius repetitum Sanctam Teresiam ad magnæ sanctitatis apicem gradum fecisse non dubito.

11. Tamen virtutis actus exercebat.

Margarita D'Arborete virgo nostris temporibus contestatæ virtutis, cùm corpore, & animo gravissimis doloribus afflictaretur, eumque qui illi erat à rebus conscientiæ dirigendis, ad commiserationem permoveret; isque suaderet ut istis animi angoribus se expedire conaretur. Omnem, inquit illa, conatum adhibui, sed incassum, quò magis à colloquiis & communicatione cum alijs levationem quæro, eò magis corporis animique tormenta accrescunt: ita tamen me animo constitutam sentio, ut ijs liberari omnino nolim: ferendum est, tolerandum est, & cum Deo in voluntatis & gaudij conspirationem veniendum: sic enim melius habere me sentio, & magis Deo conjungi: Jesus sponsus inter excruciatos, & patientes primus fuit, & inter amantes etiam palmam tulit. Humanitas etiam inter ista hypostatice Verbo unita fuit: quem proinde cùm propiùs imitabor, eò magis in unum idemque cum illo conspirabo, & collineabo. Hoc præterea pensandum est: aliud esse amare, aliud me pernoscere quod amem. Amor ille superior nullo sensu percipi potest, latet sub crucibus, & in intimis animi recessibus operatur, quò sensuum nullus penetrat, eò velut in arcem & ultimum propugnaculum confugit: inde emanant amantis hæ voces, *Deus meus, tuus sum deoq; semper*: quas non tam ore exprimit, quàm omnimoda cum voluntate Dei conformatione; quæ tacita quædam precatio est ceteris omnibus excellentior, quâ se animus seipso quasi exuit, & omnibus afflictionibus superior in Deum se totum trans-

12. Margarita d'Arborete.

13. Configant se Christi imitatione.

14. Et voluntatis conformatione.

transfert, & omni jure propriæ voluntatis se prorsus exspoliat, quasi Deo diceret: Verum est me multũ pati, Deus meus; sed aliter mecum agi nolo, quando ita vis: Verum etiam est, aliquam mei partem has afflictiones refugere, sed non quod ego volo, sed quod tu: amabo hanc crucem, hos dolores; imò potius hunc Infernum, quamdiu volueris, & illos non in seipsis amabo, sed ut à tua voluntate assignatos, quæ sola amoris mei regula est.

15. Francisci de Salez de illo statu judicium.

Quid tandem inter dolendum & ingentem afflictionum caligine possit animus, audiamus à viro sanctissimo & in amoris castris primipilo B. Francisco Salez: Non, inquit, eousque unquam deijcimur, ut in potestate nostra non sit, coram divina Majestate per humilem submissionem eius voluntati sacrificium propriæ voluntatis offerre, & proposito de illo non offendendo animum obfirmare: hoc ipsum est, quod aliquando ab animis eximijs & selectis postulat Deus, ut scilicet in maximi animi ægritudine, in ariditatibus, & omnium solatiorum privatione, hisce actibus constantiam alant, & in supremo mentis recessu Christum sequi proponant, nullo alio freti præsidio, quàm unicâ hac persuasione, Deum ita velle: An non quæso hujusmodi, actus animi cæteris præstant? cùm ab amore proprio absunt quàm maximè, nec in ijs nobisipsis facimus satis; aut ab illis, quibus res conscientiæ dirigendas commisimus, adjumentum aut levamen accipimus, omni pace & tranquillitate super ea, quæ in nobis aguntur, destituti, in tanta scilicet rerum confusione, unica Dei voluntas pro cynosurâ nobis est; hoc volumus tantum, quod Deus vult, & prout vult, & ad eum finem, quem vult, nihilque ultrà inquirimus, & ne quidem desideramus scire, an hunc nostrum agendi modum ipse approbet; hoc uno contenti, quòd Deus agat de nobis quod vult, inscij, quò collinet, & voluptatem ex ejus voluntatis executione potiùs, quàm ex commodo nostro proventuque capientes: quo ulteriùs procedere queat animus, non video, neque quâ viâ magis ab amore proprio sejunctâ possit ingredi, & quam vis aliquis mille mũdorum possessione lubens volensque se pro Dei amore exueret, non tamen parem cum illo, quem descripsimus, actu perfectionis gradum attingeret. Adjungamus his luculentum ad id, quo de agimus, probandam è vita Magdalenæ de Pazzi argumentum: Illa velut in locum Leonum, ut ajebat, præceps data, hoc est dæmonum invidiæ, odio, furorique exposita, & ab illis quinque tentationum generibus impetita, eousque deducta

16. Quàm ille nobilis.

17. Magdalena de Pazzi in extremis angustijs.

est, ut aliquando exclamaret: Ego, ego vitiorum omnium mera sum vorago, atque colluvies; ego ex omnibus offensis, quibus divina Majestas læditur, conflata vomica: nihil in me boni video, præter exiguum quid bonæ voluntatis deliberatè peccato non consentiendi. Miror quî Deus & res creatæ tam sceleratam impunitam ferant: atque hæc de suis peccatis nebulosa existimatio eo usque processerat, ut à desperatione salutis propiùs abesset; nihil enim pro se in cælo misericordiæ superesse arbitrabatur, neque magis à Deo se deseri posse putabat: intellexit tamen hîc finem non esse, sed magis ac magis à Deo superisque omnibus se desertum iri, majoribus involuendam tenebris & ab hostibus cruciandam. quod accidit. Hoc unum metuebat, ne dum blasphemis & impuris cogitationibus exagitabatur, offensam Dei aliquam culpamque incurrisset: hinc tot lacrymæ, atque suspiria, ut astante commiseratione compleret: hoc tamen metu à B. Virgine, cuius patrocinium implorabat, levata est, dum in istis nullâ se culpâ contaminatam fuisse ex illa cognovit: quod ipsa etiam exacto tentationum quinquennio clariùs percepit; cumque istud cecinisset: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*; addidit: Fierine potest, Deus meus, ut id, quod peccatum reputabam, peccatum non esset; sed gloriæ & voluptatis pro me seges uberrima! Juvate me sorores in gratijs Deo pro tam singulari beneficio habendis, & agendis.

18. Peccati secura fit à B. Virg.

CAPUT X.

An possit homo scire, exerceatne actum amoris Dei super omnia.

CErtus sibi videbatur de amore Dei super omnia S. Augustinus, cùm diceret: *Non dubiâ, sed certâ conscientiâ, Domine, amo te.* S. Bernardus in Canticis inducit dilectam dicentem, dubitare se non posse, quin à Dilecto ametur & illum: vicissim ipsa amet: *Ego amans amari me dubitare non possum, non plus quàm amare.*

1. Datur certitudo moralis de amore Dei. *Lib. 10. Conf. cap. 6.* *Serm. 84. in Cant.*

Non sunt tamen hæc accipienda de certitudine absoluta, & infallibili, qualis est in articulis Fidei, quibus subesse falsum nullo modo potest, sed de persuasione morali, quæ nullis in oppositum argumentis vehementer oppugnatur. Amor proprius tot se involucris obtegit, & actiones, quas etiam arbitramur sanctissimas, suo veneno clàm inficit, ut etiam perspicacissimis hac in parte imponat, & illudat. Quot enim in Deo amando commodum suum spectant aut gustum?

2. Quæ subinde fallit.

guſtum? quàm multi profitentur, malle ſe omnium jacturam facere, quàm peccato aliquo divinam violare Majeſtatem, non tam Dei causâ, quàm majorum malorum metu, quæ Dei offenſa ſecum vehit? Quot ſunt, qui ſi fulmine Deus manum non armaret, & ex alia parte oſtentaret cæli gaudia, non amarent Deum amore, quem vocant, præferentiæ? quot Deum amare, dum ad libitum fluunt omnia, & dum adverſa ingruunt, Deo terga vertere conſpicimus? quot orationis tempore, mirandis in Deum affectibus ferri, & magna promittere, & paullò pòſt turpiter cadere, eaque facere, quæ ſi c amore divino conſiſtere non poſſunt?

3. Vt fortaſſe in S. Petro.

Quis non ſibi perſuadeat S. Petrum exercuiſſe actum amoris ſuper omnia, cùm diceret: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*? non videtur tamen id ſenſiſſe S. Auguſtinus: *Tunc*, inquit, *ſe non noverat Petrus, quando dixit: Tecum ero uſque ad mortem, & quàm eſſet infirmus neſciebat: quomodo plerumque reverà & infirmis contingit, ut ægrotus neſciat, quid cum illo agatur, medicus autem ſciat: cùm ille ægritudinem illam patiatur, medicus non patiatur. Petrus ergo tunc infirmus, Dominus autem medicus. Iſte dicebat ſe habere vires, quas non habebat: ille autem tangens venam cordis, quòd ter eum eſſet negaturus: & ita factum eſt, quomodo prædixit Medicus, non quomodo præſumpſit ægrotus.*

Serm. 43. verbis Domini.

4. Simjlia.

Multi ſunt fructus extrinſecus pulchri, quos tamen intus vermis arrodit: multæ gemmæ adulterinæ, quæ veras & germanas colore & ſpecie mentiuntur, & imperitis illudunt: amorem Dei ſuper omnia oportet eſſe aurum ſine ſcoria, granum ſine palea & nummum juſti ponderis. Sanctum Ægidium S. Franciſci alumnum dicere ſolitum accepimus, ſicut in aleæ luſu, unius puncti defectus victoriam & pecuniam luſori ſuffuratur: ita ſi Dei amor ſuper omnia, omnibus animi affectibus ſuperior non exiſtat, ſi vel unus ſit, quem aut non velit, aut non poſſit vincere, amoris ſuper omnia non meretur nomen aut præmium.

5. Amor ſit purus.

Sit ergo primò amor hic ſuper omnia purus & defæcatus, & ab omni commodi proprii intentione alienus, & quamvis ingentibus, quibus nos affecit Deus beneficijs, ad amandum provocemur, non tamen amemus propter illa, ſed ijs utamur ut ducibus ad Dei bonitatem, ſapientiam, liberalitatem, cæteraſque eius perfectiones, quæ illum reddunt amabilem, clariùs cognoſcendas.

6. Non attendat mercedem.

Secundò non ſpectemus in amando mercedem; imò ſi per impoſſibile Deus ſe à me amari neſciret, nullamque proinde pro bono noſtro erga illum affectu haberet gratiam, amaremus nihilo-

hilominus, & fortunarum omnium direptionem pateremur potiùs quàm aliquid illi ingratum, incuriosumque vellemus admittere: hoc solo nomine, quia propter semetipsum summè amabilis est. Quin cousque amor iste promovendus, ut si flâmis æternis propter scelera mea addicendum me cognoscerem, vellem tamen toto vitæ decursu amori super omnia pro virili me impendere; exemplo

7. Exemplo Monachi. generosi illius Monachi, qui seniori, sub cujus disciplinâ vivebat cuique dæmou de damnatione discipuli fallaciter imposuerat, respondit; tantò impensiùs amoris divini exercitationi daturum se operam, quantò brevius temporis spatium sibi concessum esse didicisset: nolim tamen super hoc puncto deliberent infirmiores animæ, ne velut ad scopulum adhæresçant, & expediri se nequeant: quandoquidem inter celebres Theologos sit qui dicat, aliquem contra amoris præceptum non peccaturum, qui illum à se, nisi mercedis, aut pœnæ repræsentatione tanquam stimulo uteretur, impetrare non posset: stimulus est merces illa, non finis, neque in illa consistit amantis intentio, sed ulteriùs ad amandum Deum propter se gradum facit.

8. Modò verus sit amor & non umbraticus. Tertiò fallimur nonnumquam, dum de aliquo amoris actu sententiam ex effectu proferimus: contingit enim hominem inter meditandum ita inflammari incendiq́ue ad amorem, ut Deum verè rebus omnibus in illa umbraticâ velitatione anteponat, qui deinde oblatâ veri certaminis occasione turpiter deficiat: quod uni è S. Pachomij discipulis contigisse crediderim; is facibus amoris ad promovendam Dei gloriam concitatus, statuit apud se in convertendis ad fidem propè degentibus Idololatris operam & vitam etiam, si ita res ferret, impendere. Ad id agendum ab Abbate invite licẽtiam extorquet; sed ubi id agit barbaris irritatis, & mortẽ minitantibus cruciatuum vi adactus idolis ipse thus adolet, & cõtinuò pœnitentia ductus ad Abbatem seipsum incusans revertitur, ab illo, incluſus, post lacrymas & jejunia, & alia pœnarum genera magna animi demissione susceptâ, tandem cum Deo & hominibus suo malo edoctus redit in gratiam.

9. Vt in multis Iaponibus notatum. Superioribus annis exarsit in Japonia immanissima persecutio, quæ miros ardores in Christianorum animis excitavit, deditq́ue occasionem pluribus tum domi, tum foris demonstrandi, quanti Christianam fidem facerent, quantoq́ue Deum amore persequerentur; sed an fuerit amor super omnia, an flamma erratica, igniſvè fatuus, aliquorum lapsus dubitandi materiam præbuit: in regno Xigny Judex Tobioye dictus atroci-

trociter in plures desævijt, & cùm carcere, inediâ, & colli dilaceratione funibus reciproro attractu paulatim illud desecantibus alijsque tormentis per plures hebdomadas repetitis nihil perfeciſſet, tandem diabolico inſtinctu liberorum cruciatu, & conjugum publicâ denudatione, quod Japonum honeſtatis amantium moribus intolerandum videbatur, fracti debellatique manus dedêre, & fidem Chriſtumque abjurarunt: egerat nimirum in eorum cordibus altiores radices amor liberorũ & conjugum, quam Dei, & cùm utrique ad ſingulare quodammodo certamen inter ſe commiſſi fuerunt, prior ille altero ſuperior fuit: quod tamen non omnibus accidit, non in illo generoſo Thomâ, à quo cum conjugem & filium unicum vi avulſos in carcerem ambos conjeciſſent, & per octo dies variè excruciaſſent, ipſe tamen ad illos animandos itare ad carcerẽ, cibos, quos manu ſuâ pararat ad eos deferre, & ad mortẽ fortiter oppetendam exhortari, & quantũ amor Dei ſuper omnia in eius pectore ignẽ excitaſſet, omnibus palã facere; ſed & alius Petrus nomine conjugis incarcerationo & tormentis per quindecim dies repetitis frangi debellarique non potuit; unde à tyranno ſolus in exirium abire cogitur, & cùm jam ad portum navigium conſcenſurus perveniſſet, famulus Judicis illum aſſecutus dixit; cenſuiſſe Dominum ſuũ in tuendâ fide pertinaciam unius digiti abſciſſione multandam. Perlubenter, inquit Petrus, digitumque animoſiùs obtulit, quàm alter ſecuerit. Quis non videt duos hoſce poſtremos Athletas domi priùs, tum foris in ipſo perſecutionis æſtu fortiùs dilexiſſe Deum, quàm illi, quorum ob nimium erga liberos & conjuges amorem labefactata conſtantia eſt: ſed Deo corda ſcrutanti iſtorum judicium relinquamus, & in hoc amoris negotio ad ſumma connitamur, neque actibus qui ſub peccato imperantur, contenti ſimus, ſed majoris ſecuritatis gratiâ, ad actus amoris perfectiſſimos exercendos omnes animi vires, nervoſque contendamus.

10. Non tamen in Thoma Sapone.

11. Et Petro.

Dicet fortaſſis aliquis, me priùs de facilitate amoris ſuper omnia diſſeruiſſe, & modò aſſerere, difficile eſſe judicium ferre an aliquis hujuſmodi actum exerceat: non pugnant inter ſe iſta: ut enim, in caſu diſparato, homini ad conſectandam voluptatem prono, cogitationi obſcenæ facile eſt aſſenſum dare, ita difficile eſt hominem ab omni Dei offensâ abhorrentem, dum iſtis fœdis imaginibus oppugnatur, dignoſcere an ſatis firmiter illis obſteterit aſſenſumque cohibuerit: ita promptum & in expedito non eſt homini variis re-

12. Utriuſque amoris difficile judicium.

rerum caducarum affectibus implicito discernere, utrum Deum hîc & nunc super omnia diligat; quòd hic amor præferentiæ, quo unum alteri præferimus, non ab ipsa rei bonitate dependeat, sed ab eius qui diligit affectu, propensione & commodis sæpè ducat originem. Unde fit, ut sicut olim Darij amphoræ, teste Aristotele, ex cupro confectæ, ita colore aurum mentiebantur, ut solo odore, non verò aspectu aut alio judicio id agnosci posset: ita amor concupiscentiæ, & amor amicitiæ, ut sunt ejusdem voluntatis partus, ita etiam similitudine nescio quâ incautos decipiunt, ut dum aliquis Deum propter se, amari à se judicat, suæ tamen voluptati, aut utilitati in isto amoris actu deserviat, opusque sit majori lumine & experientiâ, ut de hoc puncto sapienter sapientiam ferat.

CAPUT XL.

Præter amorem Dei super omnia, qui præcipitur, & quem propterea obligationis dicimus, datur alius dignior & perfectior, qui perfectionis dicitur, ad quem aspirare debemus.

I. Amor Dei duplex.

OMnino suadendum est, ut omnes ad hunc perfectionem amoris gradum aspirent. Hinc enim duo nobis emolumenta proveniunt. 1. major de impletione præcepti amoris super omnia certitudo atque securitas; si enim excellentiorem amoris gradum attingere nitimur, de inferiori securi sumus: sicut qui duodecim pedum longitudinem saliendo conatur evincere, facile decem pedes saltu superat; ita in hoc nostro casu contingit. Secundò meliore multò conditione pugnamus cum dæmone; si enim in ijs quæ perfectionis sunt, & extra peccati gravioris periculum constituta, superior evadat, hoc solum assequitur, ut à majori bono nos impediat; cùm verò suis artibus hoc extorquet, ut amorem Dei, ad quem præcepto obligamur, negligamus, victoriam Deo injuriosam & nobis exitialem, quia cum gravi offensa conjunctam reportat. Hinc monebat ex antiquis eremi incolis unus aliquis, ne ad limbum aut fossæ marginem iter faciamus, sed inde pedes aliquot remotiùs, ne à malevolo parvâ successione in fossam demur præcipites, sed ubi in id ille incumbit, clamando alicuius accurrētis subsidio juvari possimus: ad eum modum, dum in amoris perfectionis studio strenuam navamus operam, à peccati gravioris gurgite, & amicitiæ divinæ violandæ periculo longiùs absumus.

Videa-

2. Quam diversus.

Videamus nunc quid discriminis intersit inter illum amorem, quẽ diximus obligationis, & hunc, quem Perfectionis appellamus. Amor ille, qui obligationis dicitur, angustis se terminis continet atque hoc unum spectat, ut gratiâ Dei non excidat, amicitiam non rescindat, cavetque ut cum Deo malè sibi non sit, licet non sit quàm optimè: ut verò quæ Deo impensè placent, curet intentiùs, utque augendæ divinæ gloriæ pro virili studeat, induci non potest: oblectatiunculis, quantùm sine gravi offensione fieri potest, hinc inde carpendis studium & operam adhibet: & si interdum in istis levem offensam contrahat, modò amicitiam Dei non omnino abrumpat, parum commovetur. At verò amor ille, quem Perfectionis appellamus, non solùm ad culpæ mortalis nomen perhorrescit, sed etiam à levioribus peccatis, quantum infirmitas humana patitur, sese abstinet, omnia quæ Deo displicent, abs se abdicat & reijcit; quæ verò placita novit, magnâ animi contentione exequitur, ad divinæ gloriæ amplificationem curas omnes conatusque convertit: quidquid hanc vel majorem cùm Deo conjunctionem impedit, pro virili amoliri, & disturbare conatur: vult quæ Deus vult, & minima divinæ voluntatis significatio plus apud illum habet põderis plus stimuli atq; incitamenti, quàm bonorum omnium in hac vita ipsiusque cæli possessio. Denique tanta est inter duos amores differentia, quantum lucernæ lumen distat à sole, aut carbo malè accensus ab igne maximo & ardentissimo. Huius rei prima potissimaque ratio petenda est à divinæ naturæ præstantiâ; quæ cùm spatio interminabili res omnes creatas post se relinquat, & magis ac magis amari possit sine termino, hinc ingens campus aperitur, quo novis semper incrementis amor pectoris humani propiùs ac propiùs ad majorem cum Deo conjunctionem possit assurgere: nunquam illum tantum amaturus & possessurus, quantum amari potest atque possideri.

3. Quæ distinctionis ratio.

Interest plurimum inter hanc Dei, & gemmæ alicuius inter homines possessionem. Qui enim illam cariùs emit, aut pluris æstimat, aut amat vehementiùs, non ideò illam magis possidet, quàm alter qui viliori pretio eam mercatus est, & in minori æstimatione affectuque illam habet; uterque enim integrè gemmæ possessor est. Si verò gemma aliqua præstantissima daretur, quæ perfectissimam vim & efficientiam plurimasque utilitates complecteretur, quarum omnium possessionem pretio numerato non continuò emptor adiret, sed pro ratione pretij plu-

4. Simile de emente gemmam.

res aut pauciores suas faceret ; is qui mille ducatos pro illa appenderet, pluribus utilitatibus frueretur, quàm qui centum scuta tantùmodo pro ea numeraret. Quod si prior ille emptor summam continuis millium florenorum additionibus augere vellet, ut pro ratione pretij de gemmæ illius effectibus, & commodis magis participaret ; quanta inter utriusque emptoris & à gemmæ istius possessione manantem felicitatem differentia intercederet, ita se res habet, si illum, qui solo amore obligationis contentus est, cum altero, qui ad perfectissimum amorem nititur, conferas.

5. Aliud de duobus eiusdem Patris liberis.

Hunc enim præ altero majori Deus amore complectitur, & uberioribus longè gratijs ornat, & locupletat. Da mihi duos eiusdem Patris liberos; unum, qui hoc solum agit, & eatenus dumtaxat Patris mandata exequitur quantum satis est, ne amicitiâ ejus excidat: cæterùm ut eum sibi magis conciliet non curat, nec ut eius commodis serviat, sibi incommodat. Alter verò, ut parenti gratificetur, nihil prætermittit, non vigilijs parcit, non laboribus, non sumptibus : hoc unum habet in votis, hoc mente agitat ut quæ Patri gratiora cognoscit, exequatur promptissimè: quem, putas, plus diligit Pater? cui plura confert beneficia? quem ampliorum bonorum suorum largitione locupletat?

6. Aliud de duobus mercatoribus.

Pone ante oculos mercatores geminos, scrutarium unum qui vilibus reculis distrahendis dies totos occupatur, & aliquot teruncirum lucello rem familiarem quotidie augere nititur; ex altera verò parte aspice hominem industriũ, qui pretiosarum rerum mercimonijs attendit sedulò, quique fortunâ favente utitur, lucraque diebus singulis facit maxima, & pecuniam multam in arcam congerit ; quem ex illis duobus locupletiorem, quem feliciorem arbitraris? Idem fac judicium de duobus nostris Amatoribus, illum qui intra amoris sub præcepto obligantis limites se continet, & alterum qui perfecto amori assequendo exercendoque totus incumbit ; ille exigua merita colligit ; hic verò opes illas cœlestes maximis quotidie accessionibus exaggerat, & Deo bonorum omnium Oceano propior factus, ex illo haurit incredibiles gratiarum thesauros, ut inter ipsum & illum alterum tantum intersit quantum inter Monarcham opulentissimum & cerdonem vilissimum. Amor ille inferior, quem obligationis diximus præter pauca merita, nihil ferè aliud homini confert, quàm vitam spiritus, & libertatem à servitute peccati : alter verò mirum in modum amantem Deo conciliat, benevolentiam

7. Aliud ab Imperatoris in duos milites dispari affectu.

tiam auget, & ad beneficia conferenda vehementer excitat. An non usu venire videmus, ut Imperator aliquis generosum militem, sibi obsequentissimum, & gloriæ suæ amplificandę cupidissimũ pluris faciat; quàm alios milites quinquaginta, qui non plus habent vitæ & virium, quàm ut pedibus recti consistant? Ita sæpè contingit ut Deus pluris faciat hominem perfectissimi amoris perstudiosum, quàm centum alios, quos inter inferioris amoris, quem obligationis dicunt, limites ignavia & laboris fuga miserè detinet. Cùm igitur ex amore illo perfecto plus gloriæ Deo, nobis plus gratiæ, & ipsâ ope randi consuetudine plus facilitatis & voluptatis accedat, stimulandus, & excitandus est animus, ut ad istam amoris perfecti possessionem acquirendam, nihil laboris, & industriæ prætermittat.

CAP. XII.

Quomodo homo se habeat erga Deum per amorem illum perfectiorem.

1. Perfectioris amoris vestigia.

VT in hoc puncto diluciđè procedam, statui Angelicum Doctorem ducem sequi, qui post Philosophum de amore amicitiæ differens dicit, cum, qui hoc perfecto amore alterum complectitur, erga amatum quintupliciter se habere. 1. Vult eum esse & vivere. 2. Vult ei bona. 3. Operatur bona ad ipsum, sive ipsius causâ. 4. Convivit ei delectabiliter. 5. Concordat cum ipso, & de ijsdem delectatur, & tristatur. Videamus nunc quantum huic doctrinæ usus & experientia patrocinentur. Habet aliquis singularem amicum in urbe dissitâ commorantem, si inde aliquis veniat, continuò ex illo inquirit, 1. An amicus suus valeat, si apud illum benè se habeant omnia. 2. Si prosperè cedant illi negotia, si apud suos gratiâ valeat, si honoribus, si Magistratu aliquo auctus sit, si opibus floreat, si opulentam aliquam hæreditatem adierit; si omnia secundis ventis fluere intelligit, effertur gaudio, & meliora etiam vovet. 3. Ubi intelligit ipsum operam suam ad aliquid exposcere, id confestim ex animo aggreditur, non laboribus, non discursibus per urbem, non sumptibus parcit, non solicitandis alijs etiam cũ periculo repulsæ abstinet, utq; ad negotia amici peragenda sit expeditior, suorum ipse negotiorum cursum interrumpit. 4. An non brevî eò venturus sit interrogat, dicitque nihil eius præsentiâ aspectuque dulcius posse sibi accidere: si venturum intelligit, tum demum gestit lætitiâ, de

2. 2. q. 25. a. 7. 2. In amico adũbrata.

die sciscitatur, obviàm aliquot ab urbe passibus procedit, in amplexus advcntantis irruit, dissuaviatur, domum festinus deducit, omni, quo potest, apparatu excipit, convivia instruit aliosque propinquos, ut in communicationem lætitiæ veniant, invitat, omnes exhilarandi amici vias excogitat, fabulis dies conterit, familiæ suæ negotiorumque statum aperit, omnia illi offert, & suarum opum velut dominum constituit: apud se quàm diutissimè potest, retinere adlaborat; invitissimè tandem à se muneribus donatum dimittit. 5. Denique mira est inter utrumque judiciorum voluntatumque consensio, mira in idem conspiratio, ut unus animus in duobus corporibus habitare videatur.

3. In Dei amore expressa.

Hujusmodi amicos probant, & laudibus efferunt homines; quia tamen plerique mortalium amicitias suas utilitate aut voluptate metiuntur, idcirco rariores sunt: At illa quæ nos Deo conjungit amicitia, ut sinceriissima, & defæcatissima, ita ab omni commodo proprio remota est quàm longissimè, & in illa ijsdem passibus & gradibus procedamus oportet, quos suprà quinario numero comprehendimus: 1. Velimus illum esse, & vivere, & de tot bonorum tranquilla æternaque possessione, congratulemur. 2. Velimus illi bona, hoc est divinæ gloriæ amplificationem, quam nullius boni egens in bonis tamen suis numerat. 3. In hoc gloriæ augmento procurando, labores, opes, vitamque ipsam impendamus. 4. Versemur cum illo per lubenter, & exercitationibus mentis, quæ cum illo nos conjungunt, consuescamus. 5. Deniq; nos ad eius voluntatem penitus conformemus, & quæ ei placita sunt, lubentes sequamur. Hæc omnia in Paulo Apostolo perfectissimi amoris exemplari luculentis expressa vestigijs relegamus. 1. Admirantis & congratulantis animi sunt illa verba; *O altitudo divitiarum, & scientiæ Dei.* 2. Optantis bona sunt ista; *Regi sæculorum immortali, & invisibili soli Deo honor & gloria.* 3. Operantis bona amici, gratiâ sunt verba longam laborum seriem complexa, quos ipse propagandæ divinæ gloriæ gratiâ generosè multas inter gentes exantlavit: *in laboribus plurimis, &c.* Cumque omnes eius Epistolæ sint velut amoris perfectissimi codicilli, has sparsim amoris conditiones complectuntur. 4. Quàm verò cum Deo delectabiliter conversabatur, cùm dicebat: *Nostra autem conversatio in cælis est*: cùm in itineribus Christum semper sibi præsentem habebat, & cum illo per elevationem mentis & orationem agebat familiariter. *Sine intermissione orantem.* 5. Consensionem, conspirationem voluntatum

4. A S. Paulo.

tatum quis requirat in amico, qui animam ipſam cum amico non tam commutaſſe quàm transformaſſe videtur: *Vivo ego*, inquit, *jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

5. A Sancto Franciſco Xaverio.

Age ijſdem veſtigijs Heroicum S. Franciſci Xaverij erga Deum amorem conſectemur. 1. Quantum ille Deo beatum illud eſſe & vivere, omni bonorum genere cumulatiſſimum exoptat, qui cùm in illa contemplatione mentis aciem defigit, tãtâ voluptate circumfluit, ut illam capere non poſſit & exclamet, *Satis eſt Domine, ſatis eſt.* 2. Quàm optat Deo bonorum ſi fieri poteſt incrementa, qui ſui quodammodo oblitus, in id unum omnes curas cogitationeſque convertit; qui, dum navis ex Europa in Indiam appellit, id tantum interrogat, an per animarum converſiones alioſque Societatis Jesu conatus fiat aliqua ad Dei gloriam acceſſio, & dum fieri intelligit, cum lacrymis exclamat: *Eſt quod amantiſſimo Domino IESV inde congratulemur.* Quantum pro amplificatione divinæ gloriæ, animarumque ſalute, quæ duo gratiſſima Deo eſſe ſciebat, laborum exhauſerit, quot terras peragrârit, quod maria navigarit, quot gentes & quàm incultas & barbaras aggreſſus ſit, quot vitæ pericula adierit, quis dicendo percenſeat? Huic deſiderio Dei ſui amantiſſimi res agendi & augendi mundus unus non erat ſatis, non periculorum, laborumque ilias, quin potiùs voces iſtæ non ſemel ex ejus æſtuanti pectore erumpentes audiebantur, *Amplius, amplius.* 4. Quantam verè cum Deo conſuetudinem familiaritatemque coluerit, & dies hominibus permiſtus ac noctes ab illis ſeiunctus, quàm amicâ cũ Deo tractatione conſumpſerit, teſtantur illi, qui temporibus iſtis in aëre ſuſpenſum, & lumine circumfulgentem conſpexêre. 5. Quomodò verò idem velle & nolle, qui amicitiæ eſt character ſingularis, cum Deo ſemper habuerit; id eius vita, id minimus voluntatis divinæ nutus, cui continuò ſe conformabat, teſtantur; id illa vox, quam continuò ferè habebat in ore, dilucidè probat: *Deus cordis mei*: quaſi cor ipſe non haberet, ſed quantum quantum eſt, Deo totum conſignaſſet. Plurimos alios ſimiles Heroës, & amoris perfectiſſimi anteſignanos proferre poſſem in medium, ſed ſufficiat unum è naſcente Eccleſia, alterum ex adulta jam vel potiùs conſeneſcente produxiſſe.

CAPUT XIII.

De primo gradu Amoris perfectioris, qui est velle Deo bona quæ possidet.

1. Deo à nobis nihil boni accedit.

VIderi posset fortassis alicui hæc disputatio supervacanea: Deus enim ipse suum bonum est, nec imminutionis capax, nec augmenti, & tametsi nullus sit, qui illi de tanta felicitate gratuletur, imò sint qui invideant, nihil tamen inde Deo decederet, & quamvis millies per diem magno mentis nisu ardoreque animi homo aliquis Deo bene velit, & de tanta, quam totâ æternitate possidet, bonorum affluentia gaudeat, nulla inde in bonis Deus incrementa accipiet: ut quid ergò, ut Deo gratificetur aliquis, in istis congratulationibus tantum temporis studijque consumere? Qui ita loquuntur, Amoris ignorant ingenium & indolem: qui dum amantem cum re amata ita conjungit, ut è duobus unum efficiat, facit etiam ut bonum amici suum existimet, & tantum, vel etiam ampliùs, de bono amici lætetur, quàm de suo.

2. Tamen nobis laudandus exemplo Beatorũ.

Quid quæso agunt beati illo cives? in quo magis cum incredibili voluptate, potissimùm occupantur, quàm ut congratulabundi Deo dicant: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen?* quid est quod sæpiùs ingeminent, *qui erat, qui est*, quàm quod Deo de tanta bonorum affluentia ex eius naturâ promanante lætitiam hauriant inenarrabilem: eisque contingat, quod aliquando fideli famulo dicendum promisit Iesus Christus, *Intra in gaudium Domini?* Verè intrarunt in gaudium Domini, quia magno illo & interminabili lætitiæ & voluptatis Oceano, quo Deus ipse perfunditur, velut immersi absorptique in voces congratulationis plenas, laudesque prorumpunt.

3. Et proborum in adversis.

Atque hæc amantium Dei inter huiusce vitæ casus adversos familiaris est occupatio, quâ sese recreant reficiuntque, dum ab huius vitæ solitudine, ad illum bonorum omnium fontem properant, & ex illo hauriunt, quò malorum suorum obliviscantur. *Memor fui Dei, & delectatus sum*, aiebat David: sed & sponsa in Canticis amantium exemplar, in quibus præsertim suas delicias collocat, quàm in sponsi pulchritudine, cæterisque eius bonis depredicandis? *Ecce tu pulcher es dilecte mi.* & ille Salomonis Pater, dum canit: *Speciosus formâ præ filijs hominum; diffusa est gratia in labijs tuis.* Quid quærit aliud, quàm illo gratulatorio Epithalamio sponso gratulari, & cùm illo

de

de gaudiorum incrementis lætari?

4. Etiam admirandus.

Qui de Theologia mystica scribunt, admirationem Dei, & laudem congratulationēque inter præcipuas animi altissimè Deum contemplantis occupationes magni æstimant, & amantem inde alimentum petere flammis suis arbitrantur: *Quis similis tui in fortibus Domine?* inquit ille amantium Coryphæus, *quis similis tui? magnificus* &c. Quod sapientissimis Philosophis, ut Epicteto, ignotum nō fuit, qui ultimos vitę suæ annos senilesq; spiritus nullibi meliùs quā in Dei Opt. Max. laudatione cōsūptum iri ajebat: noverat ille, quod posteà asseruit S. Bernardus, primam, & maximam contemplationem esse admirationem divinæ Majestatis.

5. Inde fructus ad hominem redit.

Dicet fortassis aliquis se ratiocinando assequi non posse quomodo hujusmodi congratulationes Deo gratæ acceptæque sint, cùm nullum inde fructum ipse capiat, & quidquid voluptatis & utilitatis ex hoc fonte promanat, ad hominem redeat, & in illo permaneat. Atque hoc quidem negari non potest, & Deum quidem nullius egere certum est, multumque hac in parte Potentissimorum Principum esse dissimilem, qui muneribus maximè, laudibus etiam interdum capiuntur: etsi fuerit inter illos aliquis, qui laudatorem non pecuniâ, sed solo pecuniæ sono ac tinnitu remuneratus sit, dicens, verborum sonitum metalli sonitu bene compensari. In Deo tamen alia est nobiscum procedendi ratio, qui nihil à nobis præter amorem, amorisque argumenta ac testes requirit, in quibus unum ex probatissimis amicam & sinceram congratulationem esse meritò dixeris. Non animalium sacrificia magni æstimat; *Non accipiam*, inquit, *de domo tuâ vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum*: quid ergo gratius tibi offeretur, Deus meus? Sacrificium laudis; inquit: q.d. Date mihi pectus & os plenum congratulationis & laudis: hæc ego inter officia honoris & amoris mihi longè gratissima numerabo. Quasi hominem sic alloqueretur, inquit Augustinus: *Noli laborare quid mihi des, sine labore habeo quod volo*: laudatio enim laboris parum, aut nihil habet. Unde subdit idem Pater: *Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus, sacrificium laudis à nobis quærit Deus.* Laus verò congratulationem, & congratulatio laudem includit.

6. Gratulationē petit Christus in parabo- de ove perdita.

Pastor ille Euangelicus, ubi ovem perditam, & à se per dumeta, saltusque magno labore quæsitam tandem reperit, & in humeros elatam domum retulit; quid aliud vici-

vicinos, vicinasque convocando ab iis postulat, quàm ut cum ipso in communionem lætitiæ veniant, idque animi orisque congratulationibus testatum faciunt, id se ab ipsis amoris & benevolentiæ testimonium exposcere: quod si pro unius oviculæ recuperatione repleri vult omnes lætitiâ, & quodammodo sibi universim applaudi; quantò magis gratas esse censebimus de infinitâ bonorum possessione semper & inviolabili congratulationes & applausus? Amoris hæc indoles est, & ingenium amantium, qui se congratulationis terminis non continent; sed amato suo tam benè volunt, ut etiam casibus impossibilibus, & contradictoriis sese implicent, ut alas amoris explicent, & hoc unum curant ut quantum de amati gaudio gaudeant, omnibus palàm faciant.

7. S. Augustini æstus,

Hoc utcumque declarat, quod S. Augustino tribuitur ardentissimum; sed intricatissimum in terminis votum: *Domine Deus, ita te diligo, ut si Deus essem, & tu Augustinus; vellem sortem inter nos commutare, & ego Augustinus esse, ut tu Deus esses.* In quo apparet quasi cæco impetu voluntatem in amati bonum ferri, neque dare otium intellectui, ut attendat ad ea quæ dicit, & dictorum ac voti impossibilitatem videat: impossibile enim est Deum velle non esse; cùm ultimus ipse sit sibi omnium suorum amorum, & desideriorum finis.

Permittendi nihilominùs sunt divinis illis Amantibus hujusmodi loquendi excessus, &, ut sic loquar, in lingua amoris familiares idiotismi, in quibus non tam quid fieri possit dispiciunt, quàm ardores æstusque amoris, quantum possunt volunt exprimere. Non improbemus quod ipsi Cælites probant. Extat hujus rei argumentum in revelationibus S. Birgittæ mirabile simul & amabile. Hæc agens cum B. Virgine Dei Matre, suumque erga illam amorem quibus poterat verbis aperiens: Benedicta, inquit, sis tu, ô Maria Mater Dei, & benedictus sit idem Deus Filius tuus Jesus Christus, pro omni gaudio, quo me perfudit, ex eo quod Dei Mater ejus sis: ipse idemque novit, quòd Maria filia Joachim est mihi charior, quàm liberi mei, & magis vellem Birgittam filiam Birgeri nunquam fuisse natam, quàm Mariam filiam Joachim non esse progenitam, & leviùs eligerem Birgittam esse in inferno, quàm Mariam filiam Joachim, non esse Matrem Dei in cælo. An putas à B. Virgine hos loquendi excessus fuisse improbatos? minimè verò: promissis ingentibus remunerata est: sic enim continuò illam affatur: Filia, scias verò Mariam filiam Joachim futuram tibi utiliorem,

8. & S. Birgittæ Extrav. c. 63.

rem, quàm tu Birgitta filia Birgeri sis tibi ipsi, & quòd eadem filia Joachim, quæ est Mater Dei, velit esse pro matre filijs Ulphonis & Birgittæ.

9. Et filij eius Careli.

Didicerat (ut arbitror) à matre similes loquendi formulas Carolus primogenitus Birgittæ filius, Deiparæ cliens & amator ardentissimus, quem inter cetera dicere solitum accepimus, si quid deesset Mariæ ad dignitatem matris spectans, libenter se oppetiturum mortem, & inferorum cruciatus toleraturum, ut illa in integrum restitueretur. Quam generosam excellentis amoris testificationem ita gratam acceptamque habuit B. Virgo, ut dum cum morte posteà ille luctaretur, dæmoni obstiterit ne propiùs ad lectuli spondam accederet, perfectam de peccatis contritionem illi impetrarit, animam è corpore egredientem sinu suo exceperit, & coram Christi tribunali pro illa perorarit, causamque contra dæmonem evicerit, ac clientem cælo intulerit.

10. Et B. V. pro peccatore.

Quid quòd Beatissima Virgo ijsdem verborum emphasibus suum erga Beatum Alanum aliosque mortales criminibus obrutos amorem testificetur? Dixit enim aliquando Alano, se tam cupidam fuisse salutis ipsius, tamque studiosam, etiam dum peccatis teneretur implexus, ut Deum pro illo deprecans paratam se diceret etiam inferorum tormenta perpeti, si salus ipsius id exigeret, addiditq; se erga singulos peccatores ita affectam esse, ut si Deo ita videretur, omnes totius mundi alteriusque vitæ cruciatus pro cuiusque salute lubentissimè subiret. quæ omnia eò credibiliora mihi videntur, quòd Moysis pro populo Israelitico, & deinde Pauli pro eodem intercessiones plus aliquid admirabilitatis complecti videntur, dum unus deleri de libro vitæ, alter anathema fieri, ut illi bene sit, optant atque deprecantur. Quibus verbis cùm ipsi secum pugnare videantur, ardores animi æstusque, quos patiuntur, inexplicabiles admiremur, & non tam quid dicant, quàm quid dicere velint, attendamus.

Sit ergo primus amoris perfectissimi gradus, gaudium de bonis Dei, & de tantæ felicitatis possessione amantissima & indefessa congratulatio, quâ ita illi omnia salva, & inconcussa esse velimus, ut si de infinita illa bonorum nogerie per impossibile aliquid deperiret, quantumcumque exiguũ, id nos omnium bonorum nostrorum jacturâ, & malorum perpessione illi vellemus restitutum.

CAPUT XIV.

De secundo gradu Amoris perfecti, quo bonum aliquod Deo volumus extrinsecùs adveniens.

1. Lætatur Deus bonis actionibus.

DE duobus bonis, Voluptate scilicet, & Gloriâ, quæstio esse potest: cùm enim Deus sit ipse Voluptatis & Gloriæ immensus & interminabilis Oceanus, nec ab ullo aliquid emendicet, & quidquid alicui Voluptatem & Gloriâ parere potest, hoc ab ipso tanquam à primo omnium bonorum fonte derivetur; quis aquæ guttulam fonti perenni, aut lucis radium soli in amoris sui argumentum afferendum sibi arbitrabitur? Vera sunt ista: verum tamen etiam est, Deum plus voluptatis capere ex actionibus nostris cum virtute conjunctis, quàm ex hominis alicujus ignavia atque socordia, & operibus vitio contaminatis. In sacris paginis, sanctisque Patribus nihil frequentius occurrit, quàm Deum mandatorum suorum executionem cum voluptate intueri, hominumque pro gloriæ suæ propagatione heroicos conatus libenter inspicere, de ijs gaudere, & exultare. Sophonias Propheta, postquam dixit: *Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur* Sophon. 3. *mendacium.* aliaque addidit; tum subjungit: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitiâ, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude.* Quòd si recessus ab iniquitate & mendacio Deo lætandi & exultandi materiam præbet, quantò majorē dabit fortissimi alicuius martyris in catasta, aut ad bestias, mediasve inter flammas depugnantis aspectus? Animavit se hac cogitatione unus è septem pueris Machabæis, dum medios inter cruciatus ita loquitur: *Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis.* 2. Machab. cap. 9. Sic dicitur ab Isaia Deus aporiari, hoc est angi, & contristari, quòd hominem non reperiat, qui murum pro domo Dei se constituat, aut malis populi remedium aliquod conetur adferre: dubio procul si quis eiusmodi vir illi occurrisset, non parvo inde gaudio fuisset affectus: *Et vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat.*

2. Et lætitiam testantur.

Quid quòd Deus eam, quam de hominibus fortissimis eorumque gestis concipit lætitiam, non contineat intra se; sed eam, quando se dat occasio, verbis indicet alijsque prodat argumentis? Dæmoni in conspectu Angelorum comparenti dixit: *Nunquid considerasti servum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens Deū, & recedens à malo?* Iob. 1. q. d.

Ego

Ego ex eius consideratione, virtutumque, quæ in illo refulgent, aspectu, voluptatem capio; an non tu etiam saltem ex earum intuitu in admirationem raperis?

Cùm audis S. Paulum exclamantem: *Facti sumus spectaculum mundo, Angelis, & hominibus*: ne putes ab hoc theatro spectaculoque Deum excludi: id enim Apostolum istis verbis significare arbitror; ut sicut istis temporibus, qui certabant in Amphitheatris, spectatorum oculis, & voluptati serviebant, ita Christianos ex unâ parte fidei hostibus dum acerba patiuntur, dare se oblectandi materiam, Angelis verò, Deoque Angelorum hominumque Regi, dum fortiter agunt illo virtutum suarum aspectu & præstantiâ plurimum recreationis & lętitiæ continenter adferre. Quod bene advertit S. Cyprianus, qui suâ ad Martyres exhortatione hoc stimulo præsertim utitur, ut meminerint se habere Deum spectatorem, qui magna cum voluptate eos cum patientia inter tormenta versari conspiciat. Quin & S. Ambrosius S. Eusebium præconis vocis exornat hoc uno præcipuè titulo, quòd ita inter torměta segesserit, ut dignus fuerit, qui ab Angelis cum voluptate conspiceretur.

3. Cum voluptate spectat nos bene agentes.

Theatrum nostrum & spectatores primatiæ dignitatis omnes esse in cælo ait S. Chrysostomus, ut inde incalescant ad bene agendum animi, & tantos spectatores heroicis actionibus delectemus. Quorsum, inquit S. Augustinus, Christus in ultima illa, quam habuit cum Discipulis in cœnaculo, sermocinatione ita loquitur: *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit. Quid est, gaudium eius esse in nobis, nisi quòd dignetur gaudere de nobis.* Verò rem admirabilem, quòd Deus ex malè culto actionum nostrorum hortulo dignetur flosculum aliquem decerpere, cuius odore delectetur: quanta hinc homini suppetit materies frequenter per diem tam benigno amatori gratificandi? Quid est quod S. Paulus Corinthios suos & nos in illis tam seriò admonet: *Nolite contristare Spiritum sanctum*? non quòd hic tristitiæ capax sit; sed quia vult nos ab illis actionibus abstinere, quæ mœrore possunt Spiritum sanctum afficere, si mœror in illũ cadere posset: gaudet ergo de bonis nostris, & in nobis reperit unde contristetur, hincque magnus amatori campus aperitur consectandi omnia, quæ Deo lætitiæ materiam præbent, & omnia magno conatu fugiendi, quæ tristitiæ qualiscumque ansam subministrant. Quis non videt Deum, qui secundùm Prophetam lætatur in omnibus operibus suis, illis inquam quæ magnificè

4. Tristatur malis.

in prima mundi creatione est operatus, quando Sapientia, quæ erat cum illo cuncta componens, *erat ludens coram eo*, hoc est, ut Hebræa sonant, *ridens vel gaudens*, eò majorem haurire voluptatem ex nobilioribus actionibus, quas sublimioribus auxilijs gratiæ ipse in homine & cum homine diebus singulis designat & exequitur? Ex horto, quem plantavit, & quem continenter irrigat, fructus ille colligit acceptissimos; unde videmus illum in Cantica cum sponsa in horto isto versari suavissimè, ibi videre an vineæ floruerint, an mandragoræ dent odorem suum, an mala punica maturuerint, an myrrha & aloe cæteraque aromata ad messem parata sint; quæ omnia nihil aliud nobis significant, quàm actione virtutum multiplices, quibus ille cælestis animarum sponsus impensè delectatur.

Hæc à me fusiùs enumerata sunt, ut palàm fiat quàm ingens hinc campus Amori perfecto offeratur, in quo eius excurrere possit industria, in quo Deo ejusque gratiæ & voluptati studeat, amicitiæque tam nobili alendæ favendæque materiam continuò subministret. Nõ exquisita dona quærit amor, sed quæ maximè ad amici gustum delicias faciunt. Hinc videmus eos, qui gratiâ valent apud Principes eamque continuis incrementis magis demereri satagunt, potissimùm in Principum propensiones & affectus oculos conijcere, & eò max. studia convertere, quòd Principem magis delectari conspiciunt atq; hoc est quod Amor perfectus in actionibus suis spectat & quo obtento beatum se putat. De quo S. Chrysostomus bene nos omnes monet, ut si simus assecuti, ut Deo placeamus, non aliam quæramus mercedem; si enim aliam quærimus, ostendimus nos ignorare, quantum bonum sit Deo placere. Hinc est quod Perfectus Amator, qui novit officium hominis Christiani in his duobus consistere, *Declina à malo, & fac bonum*; non id facit quomodocumque, sed consilium S. Augustini secutus, dicit sibi: *Hoc malum non faciam ne offendam gaudium Patris, & displiceam oculis eius.* Sic dum bonum agit, nullâ propriæ utilitatis aut voluptatis ratione habitâ, dicit sibi: *Hoc bonum age, ut delectem suavitatem eius.*

Lib. 2. de Compunct.

De verbis Domini.

Apud omnes gentes usu receptum videmus, ut quod Dijs suis judicabant gratius, etsi valde difficile, & non sine ingenti detrimento reperiri posset, id tamen illis offerrent. Hebræi, ut dæmoni gratificarentur, filios suos intra brachia ardentis idoli Moloch ustulandos & suffocandos dabant; imò hoc ipsum honori sibi ducebant, quòd dæmon suos potiùs, quàm alterius familiæ liberos ad hoc

Aliud à sacrificijs idolorum.

5 Simile ab aulicis.

hoc immane sacrificium delegisset; tantum inerat miseris Dæmoni placendi desiderium; in quem etiam finem Rex ipse Manasses aliquos è filijs suis obtulit. In Japonia in die solemni, quem Idoli sui honoribus, & præsertim illi per urbem sublimi in curru devehendo consecrant, plurimos ajunt se currus istius rotis substernere molendos atque proterendos, ut dæmonis gratiam aucupentur, quem similibus mortibus delectari arbitrantur. Gladiatores apud Romanos, ut spectatorum voluptati uberiorem præberent materiam, se fortiter ad mortem usque pugnaturos sacramento obstringebant: quam igitur ignominiosum est, hominem Christianum ad amoris Dei perfectionem aspirantem non tantum audere, ut Deo placeat eumque delectet, quantum impios, ut dæmonis placita facerent, varijs temporibus ausos fuisse legimus. Si tantis doloribus Carnificis oblectatio & voluptas emitur, quid à nobis amantissimi Dei gratia & placendi studium extorquere debeat, in promptu est; nisi velimus ignaviæ & ignominiæ notam incurrere sempiternam.

CAP. XV.

Amor perfectus abstinet se abijs, quæ displicent aut etiam minùs placent Deo.

HÆc est Amoris perfecti indoles, ut amicitiam cum Deo colat quàm sanctissimè, & non tantùm omnem cum eo inimicitiam perhorrescat; sed etiam offensas minimas devitet, & inter duo, quæ accepta sunt Deo, id quod illi magis placet, quantum potest, eligat. Tam à peccato veniali deliberatè committendo alienus est, quàm alij minùs amantes à mortali. Dixi deliberatè, hoc est, rei momentum, & circumstantias actionis inspiciendo propiùs, & suis librando ponderibus. v.g. Vir aliquis amore Dei perfecto præditus, de litis quæstuosæ amissione, aut gravi honoris jactura periclitatur; potest si velit levis culpæ admissione periculum discutere, non faciet, magna fortunarum & honoris detrimenta incurret potiùs, quàm Dei amicitiam veniali culpâ deliberatè violet: ne tamen in animum inducas velim, hominé hujuscemodi nævis illis levioribus, & veniâ dignis nunquam inficì: habet ille à peccato Adami contractas aliquas infirmitates, habet aberrationes in

1. Amor cavet mala peccata.

2. Etiam levia.

intellectu, habet motus præcipites in voluntate, inconstantiam in bonis propositis, & in observandis hostis indefessi occultis fraudibus aliquam negligentiam: inde frequenter ab impatientia, cogitationibus otiosis, curiositate & jactantia, iræ commotione, & similibus sordes aliquas contrahit, & quidem voluntarias; quia cum sufficienti cognitione culpæ illæ committuntur, etsi non deliberatè; quia antequam fiant, non satis ad Dei offensi majestatem; ad rei, quę ad id nos inducit, tenuitatem; ad breve exculpa commodum attenditur: quò tamen Amor ille divinus majoribus incrementis augetur, eò magis excubat, & velut Argus aliquis luce cælesti collustrante, ita super omnes animi facultates vigilat, ut nefas sit ullam sine suo imperio vel minimum commoveri. *Videndo adhæret, & adhærendo videt*, inquit S. Bernardus. Anno hujus sæculi 25. obijt Romæ magnâ sanctitatis opinione apud superstites relictâ Joannes Berchmans è Societate Jesu, cumque famam illam vulgari audijsset Cardinalis Bellarminus, alterum ex eadem Societate rogavit, quâ ille viâ tantam de se opinionem concitasset. Respondit ille, inter cætera hoc notatũ, quòd nunquam deliberatè Deum offendisset venialiter. Tantumnè hoc est? ait Cardinalis, ego jam tot annos in vivis ago, & nunquam memini, ita Deo mihi opem ferente, me venialem culpam deliberatè admisisse: ita scilicet divinus amor in Cardinalis pectore regnabat, & totis octoginta annis, quos vixerat ita frænum omnibus animi facultatibus injecerat, ut rationis imperium aliquando quidem voluntarijs motibus, sed deliberatis nunquam infringerent. Progreditur ulteriùs divinus ille Amor, dum perfectionis, qua de agimus, gradum in corde humano attigit, ut è pluribus quæ occurrunt, eligat semper, quod Deo gratius esse judicat; cùm enim hoc habeat in votis, ut Deo placeat quàm maximè, indignè se cum sponso suo agere arbitraretur, si quod illi magis est in delicijs & amoribus, omni studio non consectaretur. Aspice mecum Cardinalem Borromæum ex divinis illis amantibus facilè Principem, & vide quam in hoc proposito sectandi Deo gratiora firmitatem animi constantiamque tenuerit. Rogant illũ, ut hyemis tempore manus chirothecis armet cõtra frigus; ut id faciat, etsi fissuris & adustis tuberculis graviter lædatur, adduci nunquam potest: nempe quia id Deo acceptius esse judicat. Conantur illum dimovere de sententia nõ audiendi narratiunculas de publicis rebus per manus hominum volitare solitas; & hoc argu-

Sup. Cant.

3. Exemplũ Ioannis Berchmanni.

4. Facit quod Deo gratius.

5. Exemplũ S. Caroli Borromæi.

argumento utuntur, quòd Episcopum expediat in rerum etiam, quæ in vicinis Regnis & Provincijs geruntur, ad melius sustinendam dignitatem pastoralem variâ cognitione esse versatum: non potest persuaderi, quod contrarium Deo placere sentiat. Legem sibi tulit nunquam extra utriusq; refectionis tempus bibendi; contingit ætate magnis cæli ardoribus graviter à siti torqueri, & propter oris & linguæ siccitatem vix posse duo verba eloqui; perstat nihilominus in sua sententia; & abstinet se à frigidæ potu ultrò oblatę, quia id Deo magis probari existimat.

6. In dubio. Sed dicet aliquis rem videri non parum difficilem, discernere semper & omnibus occasionibus pervidere, quid Deo magis placeat, rùm etiam viros sanctissimos, & cælesti lumine communiter in agendis & eligendis collustratos diversa de rebus ijsdem aut similibus judicia tulisse videamus. Cellæ solitudinem ita Deo gratam ita sibi retinendam censebat Abbas Apollo, ut ne quidem ad preces fratris pro asino levando auxiliatricem manum postulante ex illa unquā egredi voluerit: alter verò non inferioris sanctimoniæ, ut neptem misefrimè à dæmone deceptam, & meretricijs amoribus implicatam ad cellam reduceret; ipse non solùm cellæ solitudinem deseruit, sed Eremiticam vestem cum mercatoris habitu commutavit, quod Deo gratum fuisse rei exitus comprobavit. Item unus ex illis senioribus neque ad eorum qui advenerant instantes preces, neque ob festi solemnitatem adduci unquam potuit, ut abstinentiæ suæ rigorem vel tantillum infringeret. Alter rogatu fratrum, qui, ut ab eo instruerentur, convenerant, vinum, quod ipse sibi ab annis pluribus interdixerat, bibit, & cùm fratres veniam peterent importunitatis, quâ illum ad bibēdum urserant; Nihil, inquit, unquam molestiæ experior, nisi dum quod collibitum secundùm voluntatem propriam facio. Addidit alter, simili occasione se duas virtutes exercuisse, Abstinentiam, quam animo servarat & Hospitalitatem, quâ charitati fraternæ sese accommodarat. Sexcenta sunt in historijs eiusdem generis: quæ etsi fronte externâ pugnare videātur, in eo tamen conveniunt omnes, quòd singuli, id quod Deo magis placeret, operari se crederēt. Cùm ergo in ambiguo, & ancipiti versaris, sequere cōsilium quod Deus ipse Magdalenæ de Pazzi tradidit. Sursum cor & oculos eleva & à Deo luminis cælestis radium exposce, & tum alterutrum elige solo divinæ Majestati placendi inductus desiderio.

7. Cor tolle ad Deum.

En præterea geminam tibi lampadem accendo, quarum lumine amor

amor ille perfectus juvari se sentit quam plurimùm. Primò Euangelico consilio de abnegatione sectanda firmiter insiste, & Deo magis probari existima quòd cum cruce Christi plus habere similitudinis judicaveris, v. g. deliberat aliquis hortum obambulans, an florem aut fructum decerpat, & oculis naribusque propiùs admoveat, nō alio fine, quàm ut exaspectu & odore floris, aut fructus ad Deum laudandum amandumque tanquam eius auctorem excitetur; an verò potiùs abnegationis studio ab utroque manus & sensus abstineat; qui in amoris divini palęstra versati sunt, hoc postremum & perfectius, & Deo longè acceptius esse pronuntiant, & sibi eligendum putant.

8. Et elige quod natura magis advertatur.

Secundò si S. Anselmum, S. Vincentium Ferrariensem, aliarumq; hac in parte, placita audis, ubi duo concurrunt eiusdem, ut tibi videtur, bonitatis, id elige quod alteri potiùs arridet quàm tibi: hæc enim tua submissio, & tui judicij, voluntatisque sacrificium mirum est quantum augeat tuæ electionis bonitatem, quamque illa hac accessione divinæ Majestati fiat acceptior.

9. Et quod alteri potius quàm tibi accidet.

Hic ergò Lapis Lydius esto, ut sēper in omnibus actionibus tuis Deo studeas placere quàm maximè; ad hunc amoris tui perfectionem proba; hîc oculum tuum fige, huc collinea, tanquam in actionum omnium centrum perfectissimum, & securissimum. Venerant ad famosum illum Arsenium solitudinis lumen aliquot Monachi comitante seniore Monacho, quē pro duce assumserant: excepti sunt ab Arsenio, ut solebat, graviter & vultu ad austeritatem potiùs quàm benignitatem composito, ac præmissâ oratione post aliquam piam lectionem repetitis iterum precibus silentio sunt dimissi. Adierunt alterum ex illis Eremi luminibus Moysem, qui illis hilariter & magnâ oris, totiusque corporis alacritate complexus, post factas ad Deum preces, non tantùm piâ & jucundâ de Deo & virtutibus sermocinatione recreavit, sed cibo etiam & omnibus quæ cella solitudoque subministrare poterant alimentis reficit, ac repetitâ deinde supplicatione magna cum benevolentia remisita. In itinere rogavit cæteros senior ille, qui illis dux fuerat, quid de duobus istis famosis senibus videretur: cumque omnes Moysem Arsenio longè præferrent, quòd huius severitas à modo agendi humano alienior videretur: cumque inter fabulandum ad oratorium aliquod vacuum perveniissent, rogavit senior, ut simul omnes Deo supplicarent, quem agendi modum Arsenij, an Moysis magis probaret. Cùm orarent, ecce vident in Nili alveo pro-

10. Exemplo Arsenij.

11. Et Moysis.

no

no cursu descendentem naviculam, in quâ Arsenius solus sedebat, Spiritu sancto in forma columbæ humeris eius insistente : ac paullò pòst ecce aliam naviculam prono alveo cursum eundem tenentem contuentur, in quâ Moyses visebatur Angelorum coronâ circumdatus, qui ipsius ori mel cum voluptate inferebant; ex quo intellexêre utrumque in eo quod tenebat vitæ instituto, à Deo regi, qui ut gratiarum suarum varietatem & efficaciam ostendat, variaque ad imitandum proponat exempla, non uno omnes vivendi genere ad perfecti amoris culmen evehit, & extollit.

CAPUT XVI.

Secundum Bonum, extrinsecum, quod vult Deo Amor perfectus, nempe major eius gloria.

1. Dei voluptas semper gloriæ conjuncta.

NOn semper Monarchę in hoc inferiori mundo ita voluptates sectantur, ut honestatem non deserant; sæpè vilibus & cum dedecore conjunctis delectationibus afficiuntur : at in Deo voluptas & gloria semper copulantur; nullâ re delectatur Deus quæ non sit illi perhonorifica & glorioſa, & sicut ante omnia in operibus suis majori suæ gloriæ velificatur, ita id illi maximè gratum est, quod isti fini deservit : & quamvis homo in suis actionibus unum ab altero mente sejungat, & quod Deo acceptius est, ita intendat, ut de majori ejus gloriâ non cogitet, apud Deum tamen inseparabili nexu sese comitantur, & mutuò adminiculantur.

2. Quid Dei gloria ab ipso.

Gloria Dei est cognitio perfectionum eius cum æstimatione & laude : quam cognitionem cùm habeat de se Deus perfectissimam, ita etiam se æstimat & laudat infinitè; unde fit, ut maxima Dei gloria in Deo sit, fueritque semper, nullâ sui per totam æternitatem mutatione, aut imminutione. Post Deum, in Beatis, qui clarâ Dei visione prædíti infinitam eius prę-

3. A Beatis.

stantiam propiùs intuentur, eamque summè æstimant, & laudibus, quantum possunt, efferunt, est maxima Dei gloria; unde communi appellatione statum Beatorum gloriam æternam nominamus, nõ tantùm propter eminentem illam, quam de Deo habent, cognitionem & æstimationem, sed quia in illa etiam felicitatis æternæ possessione, varijs donis ornati, quàm sapiens sit Deus, quàm potens, quàm bonus, quàm justus, qui tot illos ornamentis cumulârit, spectatoribus manifestant.

4. A justis.

Tertiò maxima Dei gloria ab hominibus virtute singulari præ-

ditis in hac vita solet existere, qui luce divinâ ad magnam Dei cognitionem æstimationemque evecti, eam verbis, factis, & quacumque possunt laborum contentione declarare, amplificare, & propagare conantur.

5. Quomodo ab justo provocari possit.

Ex his patet, quibus vijs & officijs amor perfectus, hoc secundum Bonum Deo extrinsecus adveniens, quod in eius gloria consistit, ei velle, desiderare, & procurare possit. Primò si ex illa infinita, quam ipse de se suisque perfectionibus habet, cognitione & æstimatione lætemur, illique gratifecemur, & illam optemus in omnium tam immortalium, quàm mortalium mentes sine remissione propagari.

2. Si ex illa interminabili, quam Beati Deo offerunt, gloria summam cupiamus voluptatem optemusque novorum Beatorum accessione semper accrescere & totâ æternitate perdurare.

3. Hanc Dei majorem gloriam in nobis ipsis consectabimur, si animi pulchritudinem excolamus diligenter, si omnes facultates animi & corporis ad virtutum regulam conformemus, si admirabili motuum omnium compositione & velut conventu ita omnium oculos aureosque capiamus ut aliquid divinum in nobis agnoscant, unde Deum tanquam auctorem miris laudibus efferant: ut enim pictæ imaginis excellens pulchritudo & laus ad pictorem ipsum velut auctorem redit; ita hominum animi dum virtutibus & actionibus heroicis ornantur, & poliuntur, alios propiùs aspicientes ad admirationem, Deique laudationem provocant, & impellunt. Hinc illa Christi exhortatio: *Sic luceant opera vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Prætereà sicut liberi à corporis animique dotibus bene instructi, qui bonis moribus, & rerum agendarum gratiâ, ac virtutum & integritatis opinione omnium benevolentiam sibi conciliant, ornamenta sunt Patri, qui tales curâ & disciplinâ formavit; ita dum integritati morum studemus impensiùs, & in eo proficimus, Deo gloriam & laudem parimus acceptissimam & innocentissimam. Accedit quòd actiones nostræ cum virtute conjunctæ semina sunt gloriosæ æternitatis, & quò ad excellentiorem perfectionis gradum hîc provehuntur, eò ampliori nos in illo cælesti domicilio gloriâ coronabunt, efficientque nos velut Divinitatis specula, in quibus pro magnitudine gloriæ, quam merita nostra nobis attulerunt, Deus eiusque perfectiones majori vel minori claritate resplendeant.

6. Vir egregius est suæ gentis gloria.

Accersivit aliquando Rex Persarum sanctum Epiphanium, ut dæmonem malum infestorem de filiæ

filiæ corpusculo depelleret; quod fecit Epiphanius, qui tum ob hoc factum, aliasque virtutes tantâ admiratione Regem Regiamque universam implevit, ut Rex nescio quam Dei imaginem intueri in terris sibi videretur, & ab Epiphanio retinendus fuerit, ne illum divinis honoribus persequeretur: cumque post decem dies ille in Phœniciam regrederetur, Rex in eius amplexus irruens: Vade, inquit, in pace, gloria Romanorum; fac autem ut nostri quoque memineris, qui sumus in Perside. Ita virtus propiùs contrectata nescio quam divinitatis imaginem oculis intuentium repræsentat, non sine ingenti divinæ gloriæ & laudis incremento.

7. Exempla Dei gloriam cupientium, voventium.

4. Denique velut in apertum campum erumpens amoris perfecti ardor, orbem universum Dei cognitione, æstimatione, & gloriâ impleri, collustrari, & inclarescere unicè habet in votis. Exclamat cum S. Ignatio: Utinam te Deus meus homines cognoscerent, & amarent! Optat cum S. Dominico in minutas partes discindi, ut Dei gloria propagetur; offert se cũ S. Teresia ad purgatorij acerbissimos cruciatus ad diem usque judicij tolerandos, ut vel unica animula scelerum salebris emergens Dei cultui honorique deserviat. Hîc magnam meditandi, & sanctorum desideriorum materiam reperit animus amore perfecto æstuans, sed melius est, ut à se semper incipiat, suasq; omnes facultates divinæ gloriæ augendæ causâ desiderijs sanctis accendat; ignem hac in parte imitatus, qui primò viciniora depascitur antequam in remotiora vim suam exerat; atque hoc modo mirum est quantum per singula sæcula per viros amoris perfecti flammâ vehementer accensos divinæ gloriæ augmentum acceserit, adeò ut unus aliquis ex illis exiguo tempore majori Dei gloriâ mortalium animos compleverit, quàm mille alij pluribus sæculis in divino amore tepidi, & in divinæ gloriæ procuratione languidi & oscitantes effecerint. Simeon Salus visus est à Joanne homine sancto precibus suis ruentem orbem sustinere; Sancta Coleta Deum velut furore succensum, & fulmine, quo manum armarat extrema mundo minitantem, precum suarum instantiâ, mitigat & velut exarmat. In B. Margaretæ Crotonensis gratiam divinum Numen toti parcit Italiæ, & diuturnis bellis crudeliter habitam pace donat optatissimâ. S. Justinianum Patriarcham Venetum, à populi sui cervicibus imminentes calamitates atrocissimas suâ apud Deum intercessione non semel arcere visum produnt historiæ. Aspirandum nobis est ad eam Amoris

8. Et publica mala avertentium.

ſancti perfectionem, quæ in iſtis eluxit, Deumque mortalibus conciliavit.

9. Pauci illi quidem.

Non eſt quòd mihi aliquis obtendat afferatque ex eodem Iuſtiniano; Perfectionem paucorum eſſe; non eſt quòd idem pronuntiatum S. Baſilij auctoritate corroberet, & quod magis eſt, ipſius Dei revelatione communiat, qui S. Brigittæ dixit Perfectorum amantium numerum eſſe perexiguum: non eſt quòd etiam Raymundi Lulli documentum è cælo hauſtũ, ut ille ait, pro ſe alleget, quo didicit, vix è mille unum Dei perfectum amatorem reperiri: audiat potiùs S. Tereſiam ſuas omnes adhortantem, ut ſibi perſuadeant, ſe Deo opitulante, aliquando ad Amoris perfecti culmen evaſuras:

10. Frude eſſe in paucis.

attendat etiam ad ipſius Tereſiæ voces, quibus profitetur ſe nemini mortalium in amando Deo quàm perfectiſſimè cedere velle. Inflammet ergo mentem ſuam unuſquiſque ardentiſſimo amoris perfecti obtinẽdi deſiderio, imò ad ſimilem ei, quem in B. Virginis corde, & Apoſtolorum pectoribus arſiſſe conſpicimus, votis anhelet; nihilque impoſſibile putet apud Deum, maximè credent, & quàm ardentiſſimè poteſt, aſpiranti.

11. Deſideria tua erunt flores.

Apparuit aliquando S. Gertrudi Chriſtus coronâ ex varijs floribus contextâ in capite redimitus, qui flores ſinguli ſingula deſideria, quibus exercendis inſtiterat, repræſentabãt. Flores erant & non fructus, ſed ut illi à calore ſolis & benignis cæli imbribus in fructus paulatim formantur; idem de noſtris deſiderijs ſperandum eſt, quæ Deo ſummopere placent, & tantum ſibi gratiæ ac meriti interdum apud illum conciliant; quantum factum fuiſſet ſi in opus externũ tranſijſſent. De Alphonſo Rodrigues Societatis noſtræ Religioſo legimus, cùm ſe Chriſto ad inferorum pœnas pro ſalute cuiuſque Mauri in particulari ſubeundas magnâ animi deliberatione & ardore obtuliſſet, ex Chriſto intellexiſſe, deſiderium, votumque iſtud acceptiſſimum ſibi fuiſſe, & tantâ in cœlo mercede donandum, quantâ compenſaretur, ſi verè omnes æternâ ſalute beaſſet. In hanc ſententiam B. Virginem S. Birgittæ aliquando arcanum hoc cæleſte aperuiſſe arbitror; Si quis ardens cupiditate Jesu Chriſti gloriam & amorem propagandi optaret omnium auribus inſonare. Jesum Chriſtum eſſe filium Dei & omni amore digniſſimum, atque in hunc finem ageret quod poſſet, æquè munerandum à Deo eſſe, ac ſi reipſâ deſiderium ſuum executioni mandaſſet.

12. Heroicum deſiderium.

CAP.

CAPUT XVII.

De Tertio gradu amoris perfecti, in quo bonum amici, quantum potest, procurat.

ENumeravimus quinque gradus sive officia, quibus amicitiam veram amoremque perfectum occupari censuêre Philosophus & S. Thomas: de duobus jam disputavimus, de tertio nobis modò agendum est.

1. Voluntas duplex.

Vulgò dicunt; Inferorum ergastulum plenum esse bonarum voluntatum; sed insciter & insulse; quomodo enim locus omnium malorum & scelerum colluvione refertus, tantum bonum, quantum est voluntas bona, sinu suo complecti potest? Distinguenda igitur est vera voluntas, à fucata, ut sic loquar, velleitate, quam homo tum habere dicitur, cùm loquitur secum hoc modo: Vellem quidem hoc agere, vellem ab hoc me abstinere, sed quia difficultas magna pervincenda est, nihil hac in parte aggredi volo, sed omnia potiùs intentata relinquere. Altera verò, quæ voluntatis nomen meretur, non ita se habet; sed dum illa hominem solicitat, ita secum ille ratiocinatur: Volo id agere, volo id declinare; sed quia plus voluntatis habeo, quàm facultatis, idcirco doleo quòd pro voluntate nec illud exequi, nec hoc possim effugere. Prior Inferos replet, non hæc posterior, de quo S. Augustinus hoc habet elogiũ. *Quidquid vis, & non potes, Deus factum computat.* *In Psal. 57*

Fucata.

Et solida.

2. Hæc coronatur.

Vidit aliquandp animam ad supremi Judicis tribunal adductam magnâ trepidatione sententiæ fulmen expectantem S. Brigitta pro quâ intercedebat apud Deũ S. Jacobus, quem fœmina illa egens in corpore piè coluerat, dicebatque: *O Domine miserere, quia voluit, & non potuit, quia infirmitas obfuit, viriumq; defectus, quò minus quod habebat in votis, exequeretur.* Tum Judex ad animam conversus: Vade, inquit, fides tua, & voluntas bona te salvant. Quo audito illa lætitiâ exiliens ad instar fulgentis stellæ abijt, Angelique astantes, Deo laudis canticum insonuêre, dicentes: *Benedictus sis Domine Deus, qui es, qui eras, eriscq; semper, quia misericordiam tuam non aufers ab ijs, qui sperant in te.* Verùm hîc prudenter discutiendum est, an verè virium defectus, & imbecillitas ab operis aggressione & executione nos impediat, an non potiùs abjectio quædam animi, & torpor atque segnities laborisque fuga nos remoretur. Adijt aliquando D. Annam de Barthelemy sanctimonia-

3. Sed ne falsò causetur defectum virium.

lis precum subsidium ab illa efflagitans, ut difficultatem aliquam pervinceret, asserens sibi ad id vires non suppetere: dum acquiescens eius desiderio B. Anna, Deo pro illa supplicat; ecce Deum audit respondentem; alteram illam mentiri, vires illi non deesse, sed voluntatem & conatum. Nec dubitem quid simile multis accidere, quos cùm ad aliquid pro gloria Dei difficilius capessendum hortaris, respondent, se non posse; vires tantæ rei pares sibi non esse; hoc est, Nolo cum tantis, quas prævideo in isto ad quod me hortaris, difficultatibus colluctari; malo pacem, quàm bellum, & tantillum perfectionis tanti nō emo.

4. Verus amor est actionis.

Aliter longè se gerit Amor ille Perfectus, omnis oscitantiæ & torporis osor, & hostis, qui non labori, non vigilijs parcit, ut in rebus magnis & parvis, tam quotidianis quàm rariùs occurrentibus Amati gloriam procuret, quàm potest maximam. B. Ægidio cum socijs iter peregrè facienti, occurrit metentium manipulus, cui aderat herus eos ad strenuè laborandum urgens his verbis: Facite, Facite, & linguæ ac verbis parcite, sed manus & brachia strenuè exercete. Tum Ægidius ad socios suos conversus: Audistis, inquit, fratres istum Patremfamiliàs; sequamur eius consilium, & verbis omissis nos ad laborem pro Dei gloriâ viriliter accingamus.

5. Etiam in parvis.

Non expectemus dum magnorum operum se det occasio, in exiguis amoris nostri alacritatem probemus: *In parvis*, inquit S. Hieronymus, *idem animus ostenditur; ut enim Creatorem non in cælo tantùm miramur, & terrâ, Sole, & Oceano, Elephantis, Camelis, equis, bubus, pardis, ursis, leonibus: sed in minutis quoque animalibus, formicâ, culice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quàm nomina, eandemq; in cunctis veneramur solertiam, ita mens Christo dedita, æquè & in majoribus, & in minoribus intenta est.* *In Epitaphio Nepotiani.*

6. Ob socordia damnum.

Monitum grave è Carmelitanâ in cælum receptâ, consodali datum magnificere nos oportet, ut amoris nostri in Deum fidem in parvis operibus rectè obeundis testatam faciamus: Si, ajebat, videret homo, quantum ex oscitantia damnum incurrat, tantum inde doloris conciperet, ut vitæ filum dolendo abrumperet. Res omnes creatæ, qualescumque parvæ & magnæ, sunt velut præcones Sapientiæ & Potentiæ Dei, ita & Amantis perfecti omnes actiones; sitque hoc modo quod S. Augustinus à suis impetrare nititur, dum dicit: *Nunc fratres, exhortamur vos, ut laudatur Deus; sed laudate totis rotis, de totis vobis, hoc est, ut non solùm lingua vestra, & vox vestra laudet Deum; sed & conscientia vestra, vita vestra, facta vestra: qui non cessat bene* *Præfatione in Psal. 147*

bene vivere, ſemper laudat Deũ. Quãto potiori jure dicemus, eum, qui à perfecto Dei amore non ceſſat, à Dei etiam laudatione non ceſſare.

7. Amans totus eſt oculus.

Sed hæc aliquam animi attentionem, & vigilantiam poſtulant, ut rectè dixerit ille inter Patres Eremi celebris Beſarion, talem Amantem totum oculum eſſe oporteret, ut Deum in omnibus rebus creatis, & actionibus ſemper præſentem intueatur, eiuſque augendæ gloriæ ſemper attendat. Stabat unus ex illis Anachoretis ante actionem aliquanto temporis ſpatio cogitabũdus, & interrogatus quid hoc ſibi vellet, reſpondit, ſe facere, quod ſolent ſagittarij, qui antequam ſagittam emittant, ſtudioſè oculis in ſcopum collineant. Ita faciunt, quos Amor ille Perfectus ſuos fecit; putant ſe Amato deeſſe, ſi vel in minimo opere ab eius gloriâ procurandâ & augendâ oculum mentis avertant, ſibique dictum arbitrantur illud Caſſiodori: *Quocumque tempore non cogitaveris Deum, puta tempus illud amiſiſſe.* Unde facile colligi poteſt talis Amantis ſtudio atque vigilantiâ, quantus gloriæ Deo, & Amanti meritorum cumulus accedat. Si aquæ Tiberis, ajebat B. Ægidius, poſito obice, in mare per diem integrũ non defluerent, quomodo fluvius intumeſceret, & aquas ſuperatis ripis in ſubjacentes agros effunderet: ita qui ne minimam quidem diei particulam per negligentiam ſinit effluere, ſed actionibus omnibus perfecti amoris characterem imprimit, quantam apud Deum gratiam colligit, quantam meritorum copiam exaggerat, præ illo qui diem integrum oſcitanter tranſigit. Hanc actionum inæqualitatem & diſparitatem, quæ reperitur etiam inter illos, qui Chriſti imitationem profitentur, appoſitè nobis depingit B. Paulus adductâ in medium differentiâ, quam inter paleam, fœnum, lignum, argentum, aurum, & gemmas ſubeſſe deprehendimus; quæ cùm in exteriori operis cortice non appareat, & ab ardore defœcatæ charitatis, quæ in corde delitescit, ſoliſque Deo eſt manifeſta, originem ducat, inde meritò perſuadere nobis ſinguli poſſumus, in ſupremo illo judicij die perfectos Dei amatores & gloriæ divinæ amplificandæ perquam ſtudioſos operarios multis admirationi futuros, cùm è contrà qui hominum quidem opinione claruerint, ſed interiori amoris flammâ apud Deum minus arſerint, deſpicatiſſimi tum futuri ſint, & abjectiſſimi.

Pſal. 39.

8. Simile pro fructu ſic operantis.

9. Actionum humanarum alia aurũ &c.

Neque his ſe terminis continet Amor Perfectus; non ſatis eſt illi; ſi hominem ad omnium etiam minimarum actionum perfectionem accendat, ut inde major & amplior exiſtat Dei gloria: ſed omnes,

10. Verus Amor etiam alios inflammat.

omnes, qui propiùs accedunt, & cum homine isto consuetudinem ineunt, similibus ardoribus inflammat, Dei æstimationem in illis auget, ad minimas actiones exactissimè ad charitatis legem efformandas impellit, & divinæ gloriæ amplificandæ efficit perstudiosos: atque ut ignem in vicina materia ab igne vehementiori produci, & candelam ab alia admota succendi, & alterum veluti solem à sole in crystallo transparente progigni conspicimus; ita homo amoris perfecti flammis æstuans dum linguam, manum & calamum, ac quidquid possidet, gloriæ divinæ propagandæ impendit, omnes, qui propiùs familiaritatem ineunt, illius amoris perfecti ignibus inflammat. Optabat ex eorum esse numero S. Augustinus, qui sacro illo incendio propè consumptus Deum alloquens ajebat: *Vides in corde meo, quia sic est; æstuat, ut sacrificem tibi famulatum cogitationis, & linguæ meæ.* Nempe hoc unicum ut votorum suorum summum ambiebat ardentissimè, ut totus, velut arbor integra cum folijs & fructibus Deo glorificando impenderetur. *Tibi serviat*, ajebat, *quidquid puer didici; tibi serviat quod loquor, & scribo, & lego, & numero.*

Lib. 2. Conf. c. 13.

Lib. 1. Conf. c. 18.

II. Et hoc in Dei beneficijs reponit.

Homo ille in amoris sancti palæstra exercitus, hunc pro Dei gloria famulatum, hoc indefessum in illa propaganda studium atque laborem in supremo beneficio reponit, cætera omnia habet despicatui; si res è voto non succedat, non perturbatur, gnarus à se operam, & diligentiam dumtaxat exigi, Deum sibi rerum eventus reservare: & qui numum aureum pauperi erogare vult, si per errorem, contra voluntatem (quia res agitur in tenebris) argenteum tantum dederit, æquali donandum à Deo mercede, ac si aureum verè esset elargitus. Neque si hominum exagitatur sermonibus, si impetitur dicterijs aut scommatibus, inde vel tantillum commovetur, honestari se potius censet, quàm despici; militi enim, qui pro Regis sui gloria dimicans luculenta vulnera accipit, ex eorũ cicatricibus plurimũ sibi ornamenti accidere existimat. Neque si ingratos experitur, de laboris contentione tantillum ideò remittit, quia non hominum venatur gratiam, sed unicum laboris sui finem habet præ oculis, majorem Dei gloriam: imò Deo gratias agit, quòd à periculo fulminantis sententię abesse sibi videatur longiùs, quâ Deus humanæ gratiæ sectatoribus non parum infensus dicturus est, in supremo judicij die: Abite: accepistis mercedem vestram quam in hominum ore, laudatione & gratiâ collocastis.

Id. Dicteria despicit.

CAP.

CAPUT XVIII.

Amor perfectus ſtudet ſemper amoris divini flammis excitandis & augendis.

1. Veri amoris qualitates & activitas.

HOc ex S. Dionyſio Areopagita diſcimus, qui Amori dat motum perpetuum, ferventem, acutum, nunquam intermiſſæ aut declinantis motionis capacem, cõtrarijs oppoſitionibus cedere neſcium, ad ſuperiora ſemper tendentem, ad ſuum centrum, Deum ipſum: quòd ſi ad res inferiores deſcendat, non ut illis inhæreat, id agit, ſed ut illas ad Deum rapiat & elevet: in hac vita ſemper purgat, quia, ſemper quod purgetur occurrit; ſemper aſcendit, quia nondum pervenit ad locum, in quo totâ æternitate conquieſcat: quin & in ipſo cælo, loco ad quietem deſignato, ſine intermiſſione ut illa quatuor S. Ioannis in Apocalypſi animalia, & Ezechielis ad currum Dei adjuncti quadrigæ, Deo amando, laudando, & glorificando occupantur. Neque putes Amorem otiari, dum illum extrinſecus aliquid agere non vides: etiam in ſomno, quo nihil otioſius homines putant, cor ſponſæ vigilat, non ad lucernam, ſed ad amoris ardorem & lucem.

2. Tria in motu perpetuo, quartum amor.

Tria ſunt quæ in perpetua agitatione verſantur, Cor humanum, Sol, & Ignis. His amorem perfectum ſimillimum meritò dixeris: Cor eſt principium vitæ naturalis, ita charitas ſive amor perfectus fons eſt vitæ ſpiritualis: ſi cor lædis, homini vitam eripis; ſi charitatem graviter vulneras Dei amicitiam, qua ſpiritus tuus ad æternitatem vivit, continuò extinguis: omnia corporis membra, omnes ſenſus, omnes venæ, & arteriæ cor ab hoſtili invaſione, quantum poſſunt, tuentur; ita & virtutes omnes pro charitate conſervanda contrarijs impugnationibus pro virili obſiſtunt. Denique quod de corde cecinit Auſonius; Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor. hoc de amore perfecto ſuo modo dictum exiſtima.

3. Amoris perfecti emblema, Sol. *De Nat.* 32.

Solem Amoris perfecti emblema pulcherrimum eſſe arbitror. Sol, inquit Tullius, dictus eſt, vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, vel quia cùm exortus eſt, obſcuratis cæteris ſideribus ſolus apparet; addiderim ego, quia ſolus eſt fons luminis, à quo cætera ſidera lumen ſuũ mutuantur. Hinc etiã, Aſſyrij Adad, hoc eſt ſolũ, illum dixêre. Ad hunc modum Charitas cæteris virtutibus ſola ſupereminet, eiſque neſcio quid lucis & ſplendoris impertit, quarum proinde forma dicitur, quaſi ſine illa, ſi non difformes, certè de-

formatæ videantur, ac sicut ab eodem Oratore Sol dicitur Dux, Princeps, moderator luminum reliquorum; ita Charitas Regina virtutum nuncupatur: sed quod potissimùm ad rem nostram facit, est Solis motus continuus, & nunquam interruptus, quo trecentorum & sexaginta dierum conversione orbem perlustrat universum mirâ efficientiâ, & mortalium commodo ac utilitate: quod Amoris perfecti virtutem semper actuosam egregiè nobis repræsentat.

4. Otium legibus damnatum.

Solon Athenienſium Legislator contra otiosos legem tulit, & actionem contra illos intendi permisit, ac solius otij convictum à Judice puniri voluit, unde magna rerum abundantia in Remp. redundavit. Ita in Amoris perfecti regno atque imperio nulli otium aut cessatio permittitur, virtutibus reliquis agendi materiam & velut pensum ille assignat, omnes ad opus strenuò compellit, & vim vigoremque impertitur, milleque modos, ut ingeniosus est, Deum laudandi ac glorificandi, gratificandique excogitat, quibus omnes denique animi, corporisque vires intendit, & applicat.

5. Amor est ignis.

Tertia imago Amoris perfecti est ignis, qui nunquam dicit: sufficit, qui semper certis lineis ad cælestem locum subvolat, & hunc motum retardantia magno semper conatu pervincere nititur; hinc terram motibus aperit, dum vi è cavernis erumpit; hinc nubes non sine fragore diffindit, & sicut ponderis expers est, ita innatâ levitate celerrimè fertur in centrum. Omnia ista amori competere certum est, qui ne tum quidem cùm Deum possidet, dicere videtur: Sufficit. Audiamus ea de re S. Bernardum: *Existimo quia nec cùm inventus fuerit, cessabitur à quærendo: non pedum passibus, sed desiderijs quæritur Deus. Et utique non extundit sanctum desiderium felix inventio, sed extendit. Nunquid consummatio gaudij, desiderij est consumptio? oleum magis est illi.* Erit quidem amor in cælo sine indigentiâ, & desiderium sine anxietate: sed in hâc vita de amore etiam perfecto dictum existimo, *Sine dolore non vivitur in amore*: angit semper animam, anxietate tamen, quâ carere nollet, ardens Deum magis amandi cupiditate, conatusque assiduus disturbandi omnia amorjs impedimenta, Deique amantissimi honorem & gloriam per difficultatum omnium prærupta, mortisque ipsius fauces, amplificandi: non amat ille delicias: quinimò ubi cælestium voluptatum abundantiâ animus circumfluit, continuò exclamat: Sufficit; ut Franciscis Xaverio & Salesio contigisse videmus; ubi verò de subeundis pro amato laboribus agitur,

84 *in Cant.*

6. Exempla ferventer amantiũ.

agitur, ad majores ſemper & longiores deſiderio anhelat rebuſque ipſis extenditur. Similem aiebat S. Tereſia amorem fonti, quem videmus aquam perenniter effundere, & ſimul arenulam in fundo ferveſcente commovere. Ita contingit animæ amanti; ſemper in motu eſt, & novis ardoribus rapitur ad nova pro amato excogitanda & agenda. Nunc cælo empyreo, ubi Deus ſummis laudibus continuò effertur; nunc ſimilis aviculæ optat eſſe, quæ totum orbem circũvolitãs, amoris & laudis canticum ubique inſonet, quod erat B. Magdalenæ de Pazzi votum; nunc cum S. Auguſtino ad inſtar candelæ ex aromatibus compoſitæ, quæ referendis Deo gratijs, & laudationibus ac honoribus ingeminandis lentè conſumatur; nunc cum S. Gertrude, optanti amoris ardore colliqueſcere, & ad inſtar liquoris odoriferi ad pedes Chriſti irrorandos, effundique. Aliquibus tamen Amantibus huiuſmodi deſideria non faciunt ſatis: hinc velut clauſis oculis in omnium malorum voraginem & colluviem abeunt præcipites, ut Amati gloriæ quantulumcumque augendæ momentum adferant. En tibi flagrantiſſimæ feminæ illuſtre exemplar: Maria Ragia proſponſi amore eiuſque promovendâ minutas in partes diſſecari, atque in his tormentis emori, ac horâ inſequenti revocari ad vitam, ut iterum eadem pateretur, optabat, quam alternationem & viciſſitudinẽ tormentorũ ad diem uſque judicij ſupremũ, quò per horas ſingulis repetitis cruciatibus cõficeretur deſiderabat tantis incendijs quibus animus illi æſtuabat, nõ una mors, non unica ſectio, non unius diei aut menſis ſupplicium, ſed multorum annorum & ſæculorum carnificina, pro nutrimento quærebatur.

6. Singulare Catharinæ Bononienſis.

Alteram accipe æquè vel magis amoris ſancti ardoribus conflagrantem Catharinam Bononienſem (cujus corpus etiamnum integrum & incorruptum Bononiæ viſitur.) Deus ſcit, ait illa, qui æſtus illos amoris ipſemet in corde meo accendit: me ſæpius cum lacrymis & ſuſpirijs, & firmâ, comparataque ad patiendum voluntate illi ſupplicaſſe, ut mihi hanc faceret gratiam, ſi per meam ad inferos relegationem, & condemnationem honori eius gloriæque poſſet aliquid accedere, mihi ipſe locum in profundiſſimo Inferorum receſſu præpararet, in quem ego totius orbis peccatrix max. & abominabiliſſima recludar, & tanquam incus omnium carnificum malleis expoſita, tormenta omnia, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, meo corpore excipiam: Ego ex cordis intimo affectu, & re conſultatâ, verbiſque ad trutinam libratis, of-

fero me continuò ad has pœnas subeundas, plus inde capiens voluptatis; quod inferno exhausto nullæ amplius inde blasphemæ in Deum voces erumpent, & ex tot animarum redemptione, quæ Deum æternis laudibus efferent, quàm de mea unius salute.

7. Margareta Bruxellensis & Iprensis.

Duæ ex ordine S. Dominici Sanctimoniales Belgicæ, veræ sanctitatis scientiam à primis illius Sancti sectatoribus edoctæ, utraque Margareta dicta, Bruxellensis una, Iprensis altera, dum amoris perfecti desiderijs vela expandunt & in vastissimum divinæ charitatis pelagus provehuntur, paria cum Catharina Bononiensi eloquuntur, nec inveniunt flammis interiora depascentibus levationem, nisi in flammis inferorum pro Dei amore & gloria libenti animo nullo præmio proposito tolerandis, imò exoptandis.

8. Sisois.

Quid de magno illo Sisoy inter Eremi incolas omnis sanctitatis prodigio, qui vas electionis Eremi à Christo est appellatus, in medium proferam? jam ille in Amoris perfecti studio metam attigerat, jam morti proximus, à beatis, qui de cælo visitatum morientem descenderant, ad capessendam laurum æternam invitabatur, jam facies eius ad instar solis radijs cælestibus coruscabat, jam cum Beatis illis, quorum princeps erat S. Antonius, qui morienti adstabant, sermones miscebat, admirabiles sanè (ut astantibus qui verba audiebant, nec capiebant, interrogantibus ipse aperuit;) rogabat enim Angelos ad adeundam in cælo paratam hæreditatem invitantes, ut aliquantum migrationem è vitâ differrent, ut pœnitentiam ageret; cumque illi nullâ ipsum egere pœnitentiâ respondederent: Quomodo accipitis, inquit, cùm etiamnum me prima jeciſſe pœnitentiæ fundamenta non credam? non poterat ipse ob æstum amoris in nova faciendi patiendique pro amato desiderio prorumpentem cohibere nec sibi persuadere poterat, quod Christus ipse jam ratum fixumque esse volebat; dicens: Veniat ad me vas electionis Eremi æternâ laureâ coronandus. Quo dicto anima corpusculo evolans tuguriolum lumine cœlesti, & suaveolenti balsamo complevit. Iam ille curriculum absolverat, jam victor metæ insistebat, cùm vix è carceribus evasisse se crederet; adeo verum est quod S. Thomas de amante pronuntiat: *Anima quæ amat, operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve.* Unde in illa contingit quod S. Paulo, qui priorum oblitus ad anteriora se extendebat, amore semper nova moliente; & ad instar ignis dum materia suppetit miris semper incremen-

9. Amanti omnia levia & parva videntur.

crementis ad majorem Amati gloriam procurandam magis ac magis incumbente.

10. Symbolū. Quod etiam significavit sagitta illa aurea mysteriorum plena S. Gertrudi ostensa uncis tribus armata; quorum primus significabat Animam amore perfecto vulneratam nullis jam rebus affici, solo Deo delectari, adinstar ægri, quem cœpit omnis cibi fastidium. 2. nullum vulneri remedium nullam medicinam aliam exposcere, quàm Amati præsentiam, & arctam cum illo conjunctionem. 3. verò indicabat miram Amoris, & ipsimet amanti incognitam procedendi rationem, per nescio quos motus, raptus, excessusque, & insatiabiles ardores, quibus animam ab omni corporis cura separare videtur, & continuis velut sacrificijs in amici gratiã & gloriam illud consumere.

CAPUT XIX.

Amor Dei perfectus cum voluptate pro amato patitur.

1. Imperfecti amoris infirmitas. AMor imperfectus, ut imbecillis est & languidus, mollis & remissus, ita ad contraria & aspera occurrentia angitur, & perturbatur: nondum enim amorem proprium debellavit, qui ad solum nomen Patientiæ aut Tolerantiæ horrore concutitur, & defensionem parat, aut fugam. Si in ignem non magnum neque magnæ efficientiæ lignum viride conjeceris, frequenti afflatu illum juves & accendas oportet, & propemodum fumo te eneces; sed si constantiam tenueris, flammam excitabis, quâ cubiculum illuminabitur, & astantes recreabis: si verò in luculentum ignem jam deficcatam trabem proijcis, continuò calore & pòst paullò flammâ bellissimâ & acceptissimâ perfrueris. Amori perfecto omnia levia sunt: Ama Christum, ajebat S. Hieronymus, & quæ difficilia & aspera reputantur, tibi facillima videbuntur. Si fulgor auri aut argenti, si formæ præstantia & illecebrosa pulchritudo, si venationis voluptas, quæ omnia terræ permixta, gravissimo elemento, quæ proinde non gravare non possunt, sine onere & fatigatione amantur, & suscipiuntur; quid faciet cæleſtis amor, qui à cælo omnis ponderis experte originem ducens alas quodammodo subministrat, quo omnium difficultatum pedicas vel effugiat, vel non sentiat.

Mirabilem cæleſtis ignis præstantiam ac efficientiam videmus in illo glorioso Eliæ Prophetę cum sacrificulis Baal certamine: extruitur ara ex lapidibus, imponi-

3. *Regum* 18.

2. Perfecti robur.

tur illi bos integer pro sacrificio, circumducuntur fossæ & alvei, effunditur in aram & circum aqua tantâ abundantiâ, ut fossæ & alvei redundent: & ecce tibi ad preces Eliæ delapsus ignis victimam, & Altare, saxaque ipsa & aquarum copiam momento ferè devorat, atque consumit: idque tantâ facilitate, &, ut sic loquar, voluptate, quantâ canem siti æstuantem cyathum aquâ plenum lambendo celerrimè exhaurire conspicimus; id enim vox lambens ut miraculi magnitudinem nobis magis explicet, insinuare legentibus videtur: hîc ego egregio schemate nobis Amoris perfecti in superandis rebus adversis firmitatem atque constantiam adumbratam arbitror; quid enim saxa & lapides, quid aquarum inundatio, quàm adversa nobis repræsentant? quibuscum amor perfectus velut in ærenam pugnaturus descendit, quæ continuò ita vincit atque profligat, ut quodammodo devorari consumique videantur: vel potiùs, ut ignis ille Ægyptiacus, qui Sapientiæ 16. dicitur in aqua plus valuisse, & magis inarsisse; ita amor ille generosus ab ipsis calamitatibus vires & incrementa accipit, & omnium victor se altiùs tollit in cælum.

3. Exempla. Vide Apostolos, ubi illos in die Pentecostes cælestis ignis invasit, quantâ voluptate carceres & flagella patiuntur, quomodo glorioſi & gaudentes à conspectu Concilij redeunt, non illos contumeliâ & plagis affectos, sed honoribus auctos & lauro donatos inde procedere crederes. Voluptas, quâ amor perfectus in medijs malis perfunditur, illorum sensum tollere, temporisque durationem adeò imminuere videtur, ut anni complures pro pauculis horis cõputentur. Ita Jacobo Rachelem amanti anni quatuordecim pauci videbantur præ amoris magnitudine. Amat S. Bernardus divinam Bonitatem, & post multorum annorum decursus in cœnobio magnas inter austeritates, jejunia, cilicia, vigilias, alioſque vitæ religioſę labores exactos, & extra cœnobium post innumera pro Dei Ecclesia jubentibus summis Pontificibus confecta itinera, post sæpè repetitas calumnias fortiter toleratas & corpusculum morbis & incommodis confectum, si de tot malis, quid sentiat interroges; dicet tibi se non tolerasse pondus diei & æstus, sed jugum leve & onus suave; seque laborem non sensisse vel æstimasse, ut vix horam durasse sibi videatur: *ubi enim amor est, labor non est, sed sapor.* *Serm. 14.*

4. Aliud Abraham Anachoreta. Abraham ille Eremitarum lumen & gloria, cuius vitam ipse beatus Ephrem literis commendavit, quinquaginta annos in severissimo vitæ instituto constantiâ

tiâ admirabili pariq́ue alacritate exegit, vestis illi sagum, tumicaq́ue citicina, supellex tota vasculum permodicum, idem cibo, idē aquæ potandæ deserviens, lectulus palmarum folia intexta & in terram prostrata, vigiliæ propè continuæ fletibus permixtæ, jejunia ad plures dies producta: sed hæc omnia amor ille divinus, quo ardebat, ita parva fecerat, ut quinquaginta annos ad instar dierum paucorum spatium reputaret, rigoremq́ue omnem, lusum & delicias faceret: In his omnibus, inquit B. Ephrem, aspectus eius erat quasi flos immarcescibilis. De S. Romualdo, & multis alijs paria commemorare possem, qui longissimam vitam continuas inter asperitates, tantâ tamen voluptate ab amore divino promanante traduxerunt, ut eam intuentibus communicarent, & totius oris amabili ac jucundâ compositione non homines, communibus mortalium incomodis expositos, sed Angelos ab omni miseriarum sensu segregatos, & iam cælestibus delicijs perfruentes repræsentarent.

5. Martyres. Accedamus nunc ad Martyres, & cùm illos in medijs tormentis lætitiâ elatos, & in voces alacritate plenas prorumpentes audimus, id amori perfecto quo flagrabant, acceptum referamus. Cùm Theodosiam octodecim annorum nobilissimam Virginem temporibus Diocletiani, dum in conspectu Præsidis Urbani torquetur, audis verbis hujusce modi illum compellantem: *Euge, Vrbane, ex omnibus ferculis, quæ mihi ad prandium parari jussisti, fac ne unico quidem prives.* Amare illam agnosce, quæ cruciatus suos fercula appellat, quibus dilaniata, excoriata, bestijs exposita, in mare conjecta, & tandem securi percussa, amoris & fortitudinis trophæum erexit in terris, & ad cælum triumphans evolavit. *Theodosia.*

Unde quæso, quàm ab amoris perfecti magnitudine, & eius comite gaudio, inter atrocissima tormenta à beatis Marco & Marcellino manant glorioseq́ hæ voces: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter* Jesu *Christi caussâ perferimus, in cuius amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tamdiu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus!* Dum sanctum Laurentium ignescentis craticulæ conspectu perterrefacere arbitrantur, ille contrà animosè in tyrannum conjectis oculis: *Miserande,* inquit, *ego hasepulas semper optavi.* Sed ne similia nostris temporibus defuisse videantur, videamus an pari generositate, etiam hac ætate sub signis amoris perfecti complures non militent: nolo hîc in medium proferre parentem nostrum Ignatium, qui amore *Marcus & Marcellinus.* *Laurentius.* 6. Confessores. *Ignatius.*

amore perfecto inflãmatus omnium carcerum vincula & catenas unus optat: nolo eius amantissimum filium S. Xaverium, qui inter vastissimas tempestates, & hominum nequissimorum machinamenta, amplificari calamitates, & majorem certaminibus campum aperiri desiderat: nolo sexcentos alios eiusdem fortitudinis athletas adducere: Intuere tantùm mecum pugilem illum generosum, flammis tum amoris ferè majoribus, quàm quibus foris postea exarsit, & martyrij lauream adeptus est, succensum Patrem Carolum Spinolam, in Epistola ad Patrem Pompilium Lambertingum de Japoniæ cruciatibus scribentem, & hos animi æstuantis impetus mecum admirare. Quando tandem apperet illud tempus tormentorum! ô dies! ô hora! ô momentum! ô mi Pater Pompili, si tantum habet voluptatis vel sola mortis pro Christo toleratæ cogitatio, quantum secum offeret mors ipsa eius amore obita?

Xaverius.

Carolus Spinola.

Aspice pariter B. Joannem à Cruce, Carmelitam S. Teresiæ assecla, qui ad Christi crucifixi pedes supplex, dum ab illo interrogatur, quam mercedem pro tot laboribus Dei amore susceptis efflagitet: Nihil aliud, ait, quàm ut magis despicior, & plura perpetiar pro te, mi Deus. An non has amantis pectoris voces meritò mecum suspicis? Nolo hîc illud familiare Teresiæ dictum cõmemorare: *Aut mori, aut pati.* Nolo Magdalenæ de Pazzi votum purum fel, & nihil mellis, hoc est ingentium pœnarum tolerantiam nullo solatio admistam à Deo deposcentis adferre; recentius amantis simul, & cum voluptate magna patientis exemplar in V. Anna Carmelitana Teresiæ alũna & socia, Bruxellis defũcta tibi propono. Nihil illa pro se, nihil pro amicis orationes suas deposcẽtibus ardẽtioribus votis à Deo efflagitat, quàm ingentium malorum incursus, cum quadam animi generositate ac firmitate susceptos, tanquam donum inter Dei dona, in hac vita facile princeps: in morbis, quibus conflictatur acerbissimis, dicere solita, dolores illos esse invitamenta ad majora toleranda; esse ad instar jentaculi aut merendulæ, quibus majorum cruciatuũ fames & appetitus protitatur: nullum in hac vita majus homini malum accidere posse, quàm nihil pati.

Ioannes à Cruce.

Teresia.

Anna Carmelitana.

Alterã amoris simul & patientiæ victimã intueamur Annam de Beauvois Ursulinam, quæ fratrem suum in cœnobio sub S. Bernardi signis Deo militantem unicè rogat, à Deo impetrare conetur, ne ipsa vel momentum sit sine tormento, calumnias sibi esse pro concentu musico, & cùm ad eum locum

Anna de Beauvois Vrsulina.

locum mitteretur, ubi credebat se habendam despicatui, ait, se ire ad nuptias.

Maria Ognacensis.

Sed hoc caput Mariæ Ogniacensis claudat admiratio, quæ neminem unquam tantis doloribus excruciatum vidit quin pares pro se optaret, & cùm ob sacerdotis ad lectulum orantis preces morbi sui acerbitatem minui conspiceret, rogavit illum instantissimè petitione suâ desisteret: tantum illam pariendi desiderium incesserat. Meritò sanè amoris nostri erga Deum frigus accusare nos oportet, qui, quantum possumus, minimum doloris sensum refugimus, & tam operosè levationem quærimus, querelisque adstantium aures oneramus.

CAPUT XX.

Quâ viâ Amor Perfectus Deum magis glorificet, agendo, an patiendo.

1. An agendo, an patiendo magis probetur Amor.

POtest non uno sensu, sed pluribus agitari hæc quæstio. 1. Quæri potest quâ viâ citiùs homo ad perfecti Amoris culmen evadet, agendo, an patiendo. 2. An majori amore opus sit ad patiendum, quàm ad agendum. 3. An majoris amoris indicium sit, multa pro amico agere, an multum pati. Triplex ille modus eodem cuneo diffindetur, plurimumque serviet ad quorumdam, qui virtutum perfectioni student, mœstitiam discutiendam, dum per occasionem morbi vel alterius impedimenti, arcentur à communibus orandi exercitijs, & ut antea juvando ex charitate proximo vacare non possunt. Inde etiam suboritur lux aliqua dissipandis tenebris opportuna, quibus siccitatis, ariditatis & desolationum tempore obruuntur nonnulli, dum se viribus animi destitutos & à Deo derelictos, dæmonumque odio atque ludibrio expositos arbitrantur, nec satis intelligunt per illam caliginem plus animi cum divina voluntate conformatione atque consensu demereri apud Deũ gratiæ, quàm si in pulcherrimarũ actionum sole magna cum voluptate & pace versarentur: auctoritate itaque primò, deinde ratione pro amore patiente rem agamus. Ac ante omnia in Jesum Christũ perfectissimi amoris exemplar oculos conijciamus: eminẽt in illo agere, & pati, & vitæ eius telam admirabili conspiratione universam pertexunt; si rectè tamen animum advertimus totius humani generis redemptionem, quam maximè spectabant Dei consilia, Passioni potiùs, quàm eius actionibus attribui videbimus. 2. Eligitur à Deo Paulus, velut fax divini amoris, luce

2. Christus utroque probavit, magis patiendo.

3. Et S. Paulus.

suâ & calore orbem universum pervagatura; sed quibus potissimùm adjumentis id assequetur? Ostendam illi, inquit Christus, quantum oporteat illum pro nomine meo pati; ingens scilicet in subeundis tolerandisque malis alacritas, & constantia in admirationem sui contuentium oculos rapiet, & ad amoris mei castra sequenda fortiter æquè ac suaviter inducet.

3. Et S. Petri doctrina 1. *vers. cap.* 4.

3. S. Petrus dum in primis illis Ecclesiæ nascentis temporibus Christianos ad hilariter & fortiter pro Christi fide mala quælibet ferenda adhortatur; Communicantes, inquit, Christi passionibus gaudete, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est spiritus eius, super vos requiescet: quasi diceret, maximis honoribus Deum à fortiter patientibus affici, in medijs malorum turbinibus firmitatem animi esse indicium inhabitantis in nos spiritus Dei, qui nihil aliud quàm divinus amor & charitas est, qui ut aurum igne, ita rebus adversis maximè probatur, & radios suos exerit. 2. *Cor. c.* 11.

4. Et S. Iacobi 1.

4. Unde quæso fortissima pro Apostolatu suo argumenta petit S. Paulus? à plurimorum malorum concatenatâ enumeratione, quâ se velut torque ornatum, & inter Dei amicos maximè honestatum, primosque honores adeptum existimat.

5. Quid sibi vult illud S. Jacobi, *Patientia opus perfectum habet?* nisi per ipsam patientiam probari, ad quem perfectionis gradum evectæ sint virtutes. Quando, quæso, magis triumphat fides, quàm cùm turbantur & miscentur omnia, & medios inter turbines atque procellas per subsidium patientiæ firma stat & inconcussa? quando spes præstantior atque illustrior, quàm cùm rebus adversis oppugnata, & velut conquassata, adjuvante patientiâ de statu suo ne tantillum quidem dimovetur, dicitque cum Job: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo?* Idem de charitate, castitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus, quæ non tam actione celebrantur, quàm dum in aciem cum vitijs contrarijs prodire coguntur, & patiendo vincunt.

5. S. Ignatij supplicia.

Ignatius Martyr multis virtutum exemplis Antiochenam Ecclesiam illustrârat; sed quasi nihil egisset, cùm deinde in itinere Romano à militibus pessimè haberetur, tum se incipere Christi esse discipulum gloriatus est, quasi nomen illud in pacifica virtutum aliarum exercitatione nondum esset promeritus.

6. Chrysostomi doctrina ex Job.

Hoc argumentum luculentè tractatur à S. Chrysostomo inter experimenta patientiæ in exilium proficiscente, & ad Olympiadem animi

animi sui sensus intimos literis aperiente: inter rationes, quibus patientiæ primas partes in amoris perfecti schola deferendas putat, ea mihi fortissima videtur, quam ex Beati Job depromit historiâ. Cùm Deus vel Angelus aliquis supremus Dei personam gerens in Angelorum consessu Jobum à varijs virtutibus laudaret, & Dei permissu adesset Satan, invenit quod impudenter & improbè in Jobi laudatione carperet & obtrectaret: *Nunquid*, ait, *Iob frustra colit Deum* ? quasi illius virtutes essent mercenariæ, & in illis sua potiùs commoda, quàm Dei honorem cultumque spectaret; at verò postquam illum bonis omnibus, imò & liberis spoliavit, & nihilominus in tanta rerum perturbatione Jobi patientiam esset cavillatus, data est illi in corpus eius sæviendi potestas; percussitque tum Jobum ulcere pessimo, & triginta morbis acutissimis per membra corporis dispersis mirum in modum excruciavit; atque hic demum, ubi illam adamantinam in malis tolerantiam conspexit, pudore suffusus abijt, & ne quidem alicuius impudentis objectionis umbram, quam opponeret, habuit.

Laudabatur ante Beatum Antonium magnum illud solitudinis jubar unus aliquis Religiosus, tanquam virtutibus omnibus excellenter ornatus: voluit huius rei experimentum facere Sanctus senex, & cùm videret ne minimum quidem contemptum ferre posse, aliud de homine judicium fecit, eumque compellans: Tu quidem frater, ait, similis es ædificio, quod quamvis vestibulum, & anteriorem faciem ornatam habeat, à latronibus tamen per posticum ingredientibus expugnatur, & compilatur.

Rogat Pachomium Theodorus eius discipulus, ut precibus febrim, quâ laborabat, depelleret; renuit ille, & ad patientiam ac voluntatis cum divino beneplacito conformitatem ægrotum adhortatus, tandem subjunxit: *Bona quidem est abstinentia, & in oratione perseverantia; maius tamen præmium infirmus, cùm patiens est & longanimis, adipiscitur.* 7. Et Pachomij.

Senex alius à sanctimoniæ laude percelebris, rogatus, quænam brevior esset ad perfectam virtutum possessionem via: Si, inquit, lacessitus injurijs, & opprobrijs appetitus ferre potueris patienter, & tacere: magna enim hæc res est, & super alia mandata. Idem ferè responsum homini cõpendiosam viam ad apicem charitatis postulanti dedit S. Pater Ignatius: *Pete*, inquit, *à Deo gratiam multa pro illo patiendi, & brevi perfectus evades.* Et S. Ignatij Loiolæ.

Sanctam Teresiam virginem Teresia.

in amoris palæstrâ exercitatissimam in eadem sententia fuisse video, dum patiendi materiam efflagitat, aut si desit, mortem. Quid enim ais virgo Seraphica? cur mortem deprecaris, si dolore tibi carendum est? an non sunt actiones aliæ quamplurimæ, quibus sponsi tuo gratiam demereri possis? Ita est: sed, ut opinor, nimis delicatam esse charitatem illam arbitrabatur, quæ sponsi careret insignibus, quæ constat ex omnibus dolorum & injuriarum generibus contexta fuisse atque composita; & satis intelligebat ab eodem sponso primas partes deferri passioni, actioni posteriores.

8. Ex Bonaventura. *Lib. 2. de prof Rel. cap. 37.*

S. Bonaventuram eadem duplici authoritate confirmantem audiamus, qui de hominibus heroicæ patientiæ putat intelligi posse illa verba Deuteronomij 33. *Inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum,* quia ex crescente amaritudine cujuslibet adversitatis, quasi lacte consolationis hilarescunt: cui subjungit rationem ex S. Gregorio petitam, qua dicit: *Majoris est meriti, adversa patienter tolerare, quàm bonis operibus insudare.*

9. Ipsius Christi.

Quid luculentius Christi testimonio, quo Sanctam Gertrudem ob somni defectum, & noctes integras vigilando absumptas viribus exhaustam consolatur? *In infinitum,* inquit, *mihi gratius est, dum quis infirmus, post consumptas per vigiliam vires, illum virium defectū patienter sustinet, mihiq; offert, quàm dū sanus aliquis, qui non ita difficulter vigilat, solidā noctem orationi incūbit.*

Accersamus etiam è cælo testes, quos in illa æternæ veritatis luce sapientissimos, suspicere meritò & audire nos oportet, si vel modica rationis scintilla nobis superest. Erat Henrico Susoni cum nonnullis jam vitâ functis & cælo receptis familiare interdum commercium; apparuit inter alios illi Ekardus, dum viveret à doctrina & sanctitate celebris, quo ipse, dum ageret in terris, usus erat perfamiliariter, quēq; animi angoribus & scrupulis levarat: ab hoc inquirit inter alia, qnæ cōpendiosior esset ad eminentē in cælo gloriam via: Magna, inquit alter, cū voluntate Dei cōspiratio, & tranquillitas firmitasque animi in adversis, & erga eos qui nos exagitant, injurijsque afficiunt, singularis benevolentia. Adfuit illi etiam alius Joannes Encurius nomine, jam cælesti gloriâ donatus, & splendore admirabili redimitus: à quo idem quæsivit, quæ scilicet hominis occupatio in hac vita Deo gratior, homini ipsi utilior, & tamen molestior: Pati, inquit alter, ob amorem Dei, ipsius Dei absentiam & hominem hoc modo velut à Deo derelictum omni seipsum sui amore exuere: in quo idem

10. Beatorum apud Henricum Susonem.

idem sita est hominis Deum amãtis summa patientia, & sui ipsius abnegatio Deo acceptissima.

11. Catharinę Senensis ex Christo.

Hanc eandem doctrinam hausit à Christo S. Catharina Senensis, quæ cùm & gravissimè impleretur à dæmone, & subsidij gratiâ ad Christum confugisset, ab ipso audijt; omnem eius contra adversarium fortitudinem in crucis amore consistere, nullum aliunde robur, nullum levamen accersendum; in omnibus id maximè eligendum, quod amori proprio adversaretur, & ex ipsis afflictionibus, rebusque maximè contrarijs petendam esse animi tranquillitatem & pacem. Quæ documenta tam altè animo impressit, ut non solùm res molestissimas æquo animo ferret, sed eas etiam ad instar famelicæ expeteret avidissimè, easque in delicijs reponeret. Addebat insuper, absque vexationibus & rebus adversis vitam sibi insipidam fore, & permolestam, atque ut pro amore sponsi plura & longiori tempore pati posset, libentissimè se æternæ beatitudinis fruitione ad aliquod tempus esse carituram.

12. Et Rationes. 2.2.q.132. a.6.

Nunc rationibus è Sancto Thomâ petitis id, quo de agimus, confirmemus: Quo quæso argumento tuum erga aliquem amorem illustriore testatum facies, quàm si difficillima quæque eius caussâ absorbeas? Quid verò difficilius pati, an agere? prius certè: quia qui patitur, rem habet cum fortiori; qui verò agit & aggreditur, invaditque alterum, se altero fortiorem & viribus superiorem existimat: quis porrò non advertit difficilius longè esse certamen inire cum adversario potentiori, quàm cum debiliori?

1.

2. Qui patitur, jam ipse cum molestijs & rebus adversis luctatur, & tristitiam actu oppugnantem persentiscit; qui verò aggreditur, ea ut futura contuetur. 2.

3. Pati importat diuturnitatem temporis, & actum animi fortissimè inhærentis bono; agere verò & aggredi potest aliquis ex subito mentis impulsu, à quo continuò potest, ut lubet, desistere. 3.

4. Actio electionem & delectationem plerumque conjuncta secum trahit, ab inclinatione agentis & vicissitudine promanantem: pati verò, cùm ab alterius voluntate & delectu dependeat, à similibus levamentis est remotissimũ. 4.

13. Aliæ Christi ad B. Gertrudem.

Animavit S. Gertrudem aliquando Christus rationibus non multum dissimilibus; dum propter morbum affixa lectulo ab illo quæreret; an non magis ad eius faceret laudem & gloriam, si lectulo exiliens assisteret in choro concinendis hymnis cum alijs sanctimonialibus? Minimè, inquit Christus; quia majorem capio voluptatem, dum sponsam ad beneplacitum meum infirmitate corporis

velut devinctam retineo, quàm cùm illa suæ propensioni deserviens aliorum oculos animosque actionum suarum pulchritudine in se convertit.

14. Et similia à bestijs.

Hoc ipsum in bestijs ipsis usuvenire conspicimus : canis enim ad palũ alligatus majori cum molestia vincula illa patitur, quàm, si leporem magnò labore per saltus & dumeta insequens fatigaretur & viribus deficeret: quantâ vi in eodem vestigio graduque retinetur equus prœlijs assuetus, dum tubam ad certamen evocantem inaudijt; quàm violentè in venatoris pugno sistitur accipiter, qui prætervolantem in aëre prædam aspexit; si hæc animalia huius rei rationem tibi possent reddere, dicerent procul dubio majori virtute ac continentiâ opus esse, ut sibi imperent in re cum eorum natura pugnante, quàm ut inditam sibi à nativitate propensionẽ sequantur.

15. Quis ex familia Christi.

Bellissimè dixit aliquis ex Eremi Patribus, eum, qui patienter fert injuriam, eamque facilè remittit, è Christi disciplina esse, & plenum eius spiritu: eum verò, qui quietus quidem est, & placabilis, nec injuriam alicui facit, nec ullam etiam pati vult, ex Adami esse familia, eiusque instituta sequi; eum verò, qui alterum facilè lædit, & suas ipse injurias persequitur, in Diaboli sectatoribus numerandum.

Adami.

Diaboli.

Ethnici ipsi, etsi fidei Christianæ luce destituti plus aliquid dignitatis & gloriæ in malorum generosa tolerantia, quàm in virtutum actionibus constitutum esse animadverterunt.

16. Sententiæ exemplũ quam efficax. *Palladius cap. 66.*

Philemon tibicen religionis nostræ hostis infensissimus, non publicis derisionibus, & conjectis in illam ejusque cultores opprobrijs contentus, ad carcerem, in quo detinebatur Apollonius Abbas, quasi furijs actus se contulit, ibi contumeliarum in virum sanctum plaustra evomens, eum impium, impostorem, seductorem, omnium odijs & mille mortibus dignum appellat. Ad quæ Apollonius æquo animo serenoque vultu hoc solùm respondit: *Miserebitur tui Deus, ô homo, ut nihil eorum quæ dixisti imputetur tibi ad peccatũ.* Ille hâc humanissimâ compellatione fractus ad pedes viri sancti accidit ac injuriarum veniam petijt; continuoque ad Judicem, qui Apollonium in carcerem conjecerat, se confert, eum crudelitatis arguit, Christianorum innocentiam defendit, tantâque constantiâ Christianorum patronum agit, fidemque illorum atque institutum sanctissimum esse deprædicat, ut judicem in se concitârit, à quo ad mortem damnatus, cum Apollonio pro Christi gloria vitâ posuit. Tantum in hominem vitijs coõpertum potuit unius viri patientia.

Verum

17. Aliud mirabile in Abrahamo Eremita.

Verùm en tibi in hoc genere longè mirabilius omnium sæculorum memoriâ dignum exemplũ, quod è S. Ephrem literis commendatum etiam ab ipso scriptore lumen aliquod accepit. Vicus erat in Syria pertinacissimis in idolorum cultu barbaris, & ferocissimis refertus. Ad hos Christianâ fide imbuendos presbyteri nonnulli, complureſque Monachi ab Episcopo missi fuerant; sed contumelijs & verberibus malè excepti efferatam illam barbariem tanquam omnis culturæ incapacem reliquerant. Episcopus ob tantam duritiem animi anxius tandem in Abrahamum senem sanctissimum, qui quinquaginta jam annos magnâ virtutum exercitatione in solitudine exegerat, oculos conjicit, hunc licet reluctantem presbyterum ordinat, ac truces illos barbaros eius curæ diligentiæque ad fidem convertendos committit. Obedit ille, sed mirum, quantum injuriarum ab illis pertulerit. Cùm quodam tempore sua idola ab eo confracta reperissent, in eum velut feræ irruunt, verberibus contundunt, & dilacerant, & ex vico suo abigunt; sed paullò pòst redeuntem, ac magna cum mansuetudine admonentem, ut idola deserererent, Deumque cæli terræque Dominum agnoscerent, iterum illi in rabiem ad fustes & verbera redeunt, prosternunt, plagisque oneratum, funeque ad pedes alligato tanquam semimortuum, & brevi acturum animam, è vico protrahunt. Sed ille cùm paullò pòst respirasset, ad vicum regreditur, & sacellum quod ibi concinnarat repetit, ac Psalmos canere incipit: accurrit continuò barbarorum colluvies, & attonita, ac simul novo furore correpta acerrimis tormentis hominem conficere conantur, iterumque funibus extra vicum, ut antea, protrahunt. Duravit hoc certamen triennium integrum, quo toto tempore sanctus senex nullum impatientiæ, nullum iracundiæ, nullum pusillanimitatis, nullum tædij signum dedit: ipsis cruciatibus velut oleo charitas eius magis ac magis accendebatur: admonebat, blandiebatur, ac delinimentis suavissimi eloquij barbaros demulcebat: cui tantæ mansuetudini & patientiæ tandem victas manus illi dederunt: coacto enim cœtu de sancta viri sancti longanimitate cum admiratione sermonẽ miscentes dixerunt: Nisi verus esset Deus, quem ille prædicat, nisi esset regnum & paradisus & alia quæ ille nobis denuntiat, nunquam tantam injuriarum congeriem tam constanter & & tanto tempore à nobis pertulisset; sicque se totos illi permiserunt: tanta fuit supra omnia miracula, cæteraſque virtutes vis unius patientiæ.

Minu-

18. Præclarum patientiæ indicium.

Minutius Felix in suo Octavio, cùm ei objiceretur Christianos pauperes esse, & victimas tormentis cruciatibusque destinatas, sectamque nostram calamitatis sectam esse, & patientiæ; id potiùs illam honestare & ornare pluribus ostendit: Omnes, inquit, vestri viri fortes (paganos alloquitur) quos in exemplum prædicatis, ærumnis suis inclyti floruerunt, vos ipsi calamitosos viros fertis in cælum Mucium Scævolam, qui cùm errasset in Regem, perisset in hostibus nisi dexteram perdidisset: & quot ex nostris non dexteram solum, sed totum corpus uri, cremarique sine ullis ejulatibus pertulerunt, cùm dimitti haberent in potestate. Quàm pulchrũ spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur, cùm adversùm minas, & supplicia & tormenta componitur, cùm strepitum mortis & horrorem carnificis irridens inculcat, cùm libertatem suam adversus Reges & Principes erigit, soli Deo, cuius est, cedit; cùm triumphator & victor, ipsi qui adversùm se sententiam dixit, insultat? Vicit enim, qui quod contendit, obtinuit; ex quibus constat, illis etiam temporibùs plus Ecclesiam nascentem ab tolerantiâ laudis & ornamenti, quàm ab aliarum virtutum exercitatione retulisse.

19. Simile Agentis & patientis ductum ab arbore.

Actio à virtute profecta arbori æstivæ similis est, quæ frondibus vestita & fructibus gravida intuentium oculos invitat & detinet; calamitatem verò hyemalis arbor nobis repræsentat, quæ folijs fructibusque destituta nihil in se habet invitamenti aut voluptatis: à solo Dei amore vires sibi accersit, & solo illi placendi desiderio ad difficillima quæque aggredienda & superanda compellitur; atque hinc est quòd majorem apud homines laudem & ampliorem apud Deum gratiam conciliat.

20. Patientiæ fructus in Joanne Ferdinando.

Insignis ille Brasiliæ Thaumaturgus Iosephus Anchietæ Societate Jesu, cùm in illis regionibus Provincialem ageret, in nostrum ordinem Joannem Ferdinandum opificio latomum admisit, his eum verbis compellans: *Ioannes, B. Virgo jussit te in Filij Societatem admitterem; tu mihi hanc habe gratiam, ut cùm post octiduum in cælum receptus fueris, mei memineris.* Ille die insequenti in collegium & infirmorum cubiculum delatus septimo die, in coronâ fratrum, omnibus Sacramentis munitus, febri extinctus est: de quo ad astantes P. Josephus verba faciens, eum septiduo, quo in Collegio æger jacuerat, ob patientiam, amoremque Dei inter patiendum ardentissimum, plus apud Deum meriti collegisse pronuntiavit, quàm nonnulli eorum qui aderant, pluribus annis suis actionibus quotidianis sibi comparassent: primas scilicet

scilicet ibi etiam tulit amor patiens.

In Carmelitana. Evocatus est aliquando P. Balthazar Alvarez ad Monialem Carmelitanam cum suprema ægritudine colluctantem, ivit ipse licet febri tertianâ laboraret, & cum ægra agens, vires illi defecere, vel potius, ut astantium sanctimonialium quædam opinatæ sunt, mens illi in arcanorum cognitionem quasi à sensibus abalienrta, rapta fuit, quod facies eius adinstar Seraphini ardore cælesti succensa testari videbatur: is ergo ad se reversus dixit, Deum illi moniali magnam incęlo apparasse gloriam, quâ paullò pòst potiretur, & octo mensibus, quos cum morbo conflictans patienter exegerat, plus accumulasse meriti, quàm nonnullæ aliæ bene sanæ pluribus annis congregassent: ita patientia amori conjuncta & in hac vita cæteris virtutibus quæstuosior est; & in altera apud Iudicem ad coronam & præmium illustrior & fructuosior.

Inviserat idem Pater Balthazar aliquem è nostris Patribus lectulo affixum, quem cùm eo nomine plurimùm angi videret, quòd orationibus, & confessionibus audiendis, & habendis concionibus, alijsque charitatis officijs erga proximum vacare non posset; hæc illi quasi ex Deo hausta asseveranter dixit, Deum pluris facere hominem, qui voluntatis divinæ legibus acquiescens patienter morbum tolerat ad mensem integrũ, quàm si idem ille annum totum varijs erga proximũ exercitijs & laboriosis muneribus diligenter impenderet.

21. Ex morbo.

Idem vir ille totâ Hispaniâ celeberrimus Joannes Davila Sacerdoti morbo laboranti per literas respondit, ne inspiciat, quid agere posset, si sanus esset, sed quomodo in illa sua ægritudine plurimùm placere possit Deo: in quo bonorum nostrorum summa consistit: utque jumentum molam versatilem oculis clausis circumagens, & à molæ centro nunquam sejunctũ; per diem integrum bonæ farinæ plurimum molit, ita patiens animus voluntati divinæ tanquam centro suo per amorem semper inhęrens mirum quantos faciat in virtute progressus, quantumque mercedis pro altera vita exaggeret. Unde satis mirari non possum, querulas animas, quæ quasi per morbi occasionem ab omni spe promovendæ Dei gloriæ decideriint, non tam de ægritudine, eiusque incommodis conqueruntur, quàm istam jacturam sentire sibi videntur, quasi Deus earum egeret operâ, & de utilioribus operarijs providere sibi non posset: vel potiùs quasi ipsæ pro operarijs preces fundendo, & in eum finem molestias doloresque Deo offe- *P. 2. Epist. 54.*

rendo, plus ad lucrum animarum divinæque gloriæ augmentum momenti adferre non possent, quàm dum in similes querelas abeunt, & à pacificâ morbi tolerantiâ per inutilia desideria non sine amoris divini dispendio miserabiliter divagantur.

22. Ex Christi passione. *Lib. 10. tract. 3. ad 7. arg.*

Imponamus coronidem huic capiti, magni Salmeronis testimonio; qui hanc objectionem pertractans, An non utilius mortalibus, & ad Dei honorem fuisset illustrius, Christũ, diutius inter homines versari, quàm post triginta trium annorum decursum morte defungi, & tam singulare virtutum suarum exemplar hominum oculis subtrahere. Respondet, Christum Dominum in cruce, in tam supremo atque heroico gradu virtutum se omnium exhibuisse exemplar, ut major inde in Deum gloria, & ad nos meriti, & exempli redundarit beneficium, quàm si semper unà nobiscum vixisset, & nos vitæ exemplo verboque docuisset: præterea Christi charitatem morte tam acerbâ detectam atque manifestatam tanti esse splẽdoris & efficaciæ, ut nulla vitæ etiam longissimæ merita illam æquare possint: denique mortem crucis tantâ patientiâ à Christo toleratam ad vitij fugam virtutisque amorem in nobis excitandum plus attulisse stimuli atque momenti, quàm vita illius innocentissima, & varijs virtutum luminibus & documentis referta & multis annorum millibus nobiscum traducta adferre potuisset: qui doctissimi hominis sensus ad posteros etiam literis commendatus, quantum ad patientiæ cum charitate conjunctæ supra cæteras virtutes præstantiam faciat, nemo est qui non videt.

CAP. XXI.

De quarto gradu amoris perfecti, quo homo continuò Dei præsentiâ frui nititur.

QUartum gradum amoris perfecti ab Angelico Doctore assignatum dixi hunc esse, quando amicus amico desiderat convivere, eius delectari conspectu, colloquiis recreari, illum quàm potest amicissimè, & ut illi collibitum est, tractare, eumque præsentem omnibus obsequijs officijsque colere, atque demereri; qui gradus ceteris altior est, tresque alios præsupponit, estque amoris genio ac indoli conformior: qui semper majorem cum amico conjunctionem affectat, donec de duobus unum quodammodo inseparabiliter efficiat.

1. Amor amantem amato jungi petit.

Huius gradus conditiones & officia, ex humanis amicitijs propiùs

2.

Exemplũ Iacob cum Ioſepho.

piùs inſpiciamus. Amat Patriarcha Jacob præ cæteris liberis filium ſuum Joſeph, hunc ubi audit extinctum, & à ferâ peſſimâ devoratum, luget inconſolabilibus lachrymis: audit deinde præter ſpem à reducibus ex Ægypto filijs illum vivere, totiqúe regno ſecundum à Pharaone dominari; ille tum tum quaſi de gravi ſomno: vigilans, cùm filiorum verbis prius fidem vix haberet, ubi tamen venerunt in eius conſpectum plauſtra & univerſa, quæ Joſeph miſerat, revixit in eo ſpiritus, & ait: *Sufficit mihi ſi adhuc filius meus Ioſeph vivit; vadam & videbo illum antequam moriar.* Itaque unum è plauſtris conſcendit, filiumque Joſeph obviàm egreſſum amplectitur, tanto perfuſus gaudio, ut ei diceret: *Iam lætus moriar, qui vidi faciẽ tuam, & ſuperſtitem te relinquo.*

Scriptura ſacra dum hominis ad hunc quartum amoris gradum evecti munia, rudibus lineamentis adumbrare vult; dicit illum Deum quærere, cum Deo ambulare, Deum ſequi, illi adhærere, Deum tenere, cum illo manere, de Deo delectari, exultare in Deo, Deum poſſidere, & ab illo poſſideri: ex his omnibus duo ſeligam, quæ ad rem noſtrã maximè facere videntur: Deo ſcilicet adhærere, & in ſuaviſſimâ cum illo communicatione conquieſcere.

3. Ex huius gradus 2. effectis dico.

Deo adhærere & in illo conquieſcere.

2.2.q.9.

4. Doctor Angelicus dum varios charitatis habitus affectuſque diſtinguit, quorum alij ſint incipientium, alij proficientium, alij denique perfectorum: primos dicit in hoc præſertim ſtudium operamque ponere, ut peccatis reſiſtant, quorum impugnatione in charitatis actibus inquietantur; Proficientes verò, qui hanc impugnationem minus ſentiunt, jam ſecuriùs ad profectum intendere; Perfectos verò, etiamſi in charitate & ipſi proficiant, non tamen in hoc præcipuam eorum curam ſtudiumque verſari, ſed ad hoc ferri potiſſimùm, ut Deo, quantum poſſunt, inhæreant: ad quem gradum eniti vellet omnes, qui ſe amoris perfecti perſtudioſos profitentur; imò eorum, ut appellat, cæcitatem atque ſtultitiam deplorat, qui ſemper Deum quærunt, & ad eum ſuſpirant aſſiduè, frequentibus & quotidianis deſiderijs ad eum clamant & pulſant, cùm ipſi ſint templum Dei vivi, & Deus in eis verè habitet, eorumque anima ſit ſedes Dei, in qua ille continuè requieſcit. Quis inſtrumentũ aliquod quærit foris, quod ſcit apud ſe reconditum? aut quis inſtrumento aliquo uti poteſt, quod tanquam abſens requirit? aut quis cibo confortatur, quem appetit, & quem ſibi ad manum non eſſe arbitratur? ſic, inquit, viri juſti Deum ſemper quærentis, & nunquam illo fruentis vita, actioque

Triplex charitatis ſtudium. Aliud in incipiente 2. in proficiente. 3. in perfecto.

Opuſculo De Beatitudine c. 3.

que omnis minùs perfecta sunt:

5. Et hoc in quarto nostro gradu reperitur.

Fruitio, inquit ibidem, est delectatio proveniens ex conjunctione intellectus & affectus in Deum; huic conjunctioni studeant illi quàm maximè, qui huius quarti gradus perfectionem attigêre: hinc illæ prolixæ orationes, & in familiari cum Deo sermocinatione pervigilatæ noctes, hinc illa mentis quies admirabilis ex attenta & suavi cum Deo communicatione proveniens, ut nec oculum aperire, nec spuere, nec aliquod corpusculi membrum cõmovere audeãt, ne aliqua particula de fruitione sponsi tam amabili depereat.

6. Cur homines fugeret Arsenius.

Hinc sponsa in Canticis sponsum nunc invitat ad secretos hortorum secessus, nunc ad cubile genitricis suæ, ut tanto securiùs & & abundantiùs sponsi sui delicijs perfruatur. Arsenium interrogavit aliquando Abbas, cur homines fugeret: Absit, inquit ille, ut illos velut exosos fugiam; scit enim Deus, quàm illos amem: sed cum Deo & simul cum hominibus versari familiariter non possum: Deũ enim & sanctos unius esse voluntatis, & sententiæ reperio, in hominibus magnam judiciorum affectuumque varietatem atque dissonantiã esse video, quapropter hos fugio, illis verò adhærescere conor.

7. Et alter.

Secesserat alter in Eremi remotiorem ab hominibus solitudinem; forte fortuna eò penetravit unus alius, & viso altero, cursu ad illum contendit colloquendi gratiâ, sed frustrà; alter enim concitatiori fugâ ab eius se conspectu proripere conabatur: cumque ille ad fugientem inclamaret: Siste, siste, homo Dei, te ego propter Deũ convenire volo, & propero: & ego, inquit solitarius, propter Dei amorem te fugio. Ita scilicet uterque senex amantissimam cum Deo communicationem, quam non semel gustarant, hominum interventu dissipari lædique arbitrabantur.

8. Alij creaturarum aspectum.

Alios verò, quos instituti necessitas, & divinæ gloriæ propagandæ ratio inter medios hominum cætus tumultusque retinebat, unicum studium tenuit, ut à rebus sub aspectum cadentibus animos abstraherent, & intimo mentis secessu soli Deo vacarent, & attenderent. S. Bernardus diem integrum ad stagni marginem iter facit, nec locum aut stagnum advertit. S. Thomas, & S. Bonaventura à Rege Ludovico invitati simul prandium sumunt; nec cibos quibus vescuntur, animo ad altiorem contemplationem elevato, discernunt. S. Petrus Alcantara annos complures intra claustra cœnobij versatur nec communes ad Refectorium aliaque loca descensus internoscit, adeò ut præeũtium vestigijs, ne aberraret, cogeretur insistere. B. Aloysius Gonzaga,

Bernardus.

Petrus Alcantara.

B. Aloysius.

zaga, quo in loco in communi cœnaculo sederet superior, etsi sæpiùs jam in illo, & cum illo comedisset, non distinxerat, ab altero id discere debuerit, cùm id illi scire incumberet: nec apparatum altaris, ante quod toto matutino tempore preces fuderat, roganti aperire potuit, quod ad illum nec oculos nec animum attendisset. Scilicet in istis heroicis Dei amatoribus regnabat divinus Amor solusque velut triumphator in corde residens reliquas omnes animi corporisque facultates secum ad Deum rapiebat.

9. Cur rustici viarum peritiores.

Aristoteles in problematis causam cur rusticani homines melius viarũ recordentur, quas semel obierunt, quàm Philosophi, qui sæpiùs iter illud fecerint, hanc assignat, quòd Philosophus animo altioribus cogitationibus occupato ad illa non reflectat, rusticus verò oculis & affectu terræ defixus inhæreat.

10. Justi Deo adhærent.

Idem accidit illis, quos amoris flamma supra res humanas evexit, & cæterarum rerum oblitos in amantissima cum Deo cõsuetudine suaviter occupatos tenet. Dicunt illi, quòd B. Franciscum de Salez solitum dicere legimus: *Quod Deus non est, nihil mihi est.* Falleris si hos à Dei familiaritate complexuque negotiorum multitudine avellere te posse existimas; habent illi interiùs secessum, in quo cum Deo deliciantur negotijs omnibus impenetrabilem; uti secretario, quem agendorum moles angebat, respondit S. Antoninus; quemque ut sibi construeret, confessarium suum monebat S. Catharina Senensis. Neque hoc difficile esse Amori arbitratur Hugo de S. Victore, cùm Deus ipse hunc amabilem secessum fabricari velit, si non ingrediatur. Ibi S. Apostolus Paulus tot Ecclesiarum velut incunis vagientium curâ distentus suavissimè cum Deo suo, sive comedat, sive bibat, sine laboret, sive de vita periclitetur, sive cum morte decertet, amore quasi somnum dulcissimum conciliante requiescit. Infantes videmus ita matrum collo ambobus brachijs implexos, ut si unum è brachijs abstraxeris, altero stringant fortiùs; si utrumque divellere tentaveris, omnibus corpusculi viribus lachrymisque luctentur in contrariũ, & ad id juventur à Matribus, quas plurimùm amor ille infantilis delectat. Idem accidit homini, quem innocentia vitæ, & ardentior dilectio ad divinos amplexus evexit, si negotiorum multitudo, si hominum importunitas illos conentur abrumpere, adhærent illi fortiùs & perseverantiùs, nec hominum excidere gratiâ, aut inurbanitatis notam verentur incurrere, dummodò Deo suo fruantur, pallij jacturam cum Jose-

11. Ut infantes matrũ amplexibus.

pho perlubenter faciunt, & rerum humanarum commodis fructuque privantur, ut divinæ amicitiæ bona, & inexplicabilem voluptatem integram inviolatamque conservent.

12. Symbolum amoris adhærentis canis. *Curt. lib. 9 Indacus.*

Sophis Rex Indorum, ut Alexandro magno, quàm nobiles ad venandum canes aleret, quàm leonibus infestos, quàm in defensione morsuque pertinaces, ostenderet, in conspectu leonem eximiæ magnitudinis jussit emitti, & quatuor omnino admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram: tum & ijs qui assueverant talibus ministerijs, unius canis leoni adhærentis crus avellere, & quia non sequebatur, ferro amputare cœpit: nec sic quidem pervicaria victa: rursus aliam partem secare instituit, & inde non seguiùs hærentem, ferro subinde cædebat, ille in vulnere feræ dentes quoque moribundus inflixerat. Atque hoc ego emblemate perfecti Amoris constantiam repræsentari mihi existimo; qui ubi semel Deũ apprehendit, ita res omnes humanas despicit, ita infra se positas arbitratur, ut omnes fortunas, vitæque commoda everti dissiparique facilè sinat, dummodo Deo tranquille potiatur; quæ amoris animique magnitudo rerumque despicientia ita Deo placet, ut ingentibus bonis eam etiam in hac vita remuneretur.

Mechtildem ex his amantibus divinitùs non ultimam tantâ gratiarum copiâ, deliciarum cælestiũ affluentiâ obruit quodammodo sponsus ille cælestis, ut semimortua è choro efferri debuerit. 13. Exempla amantiũ amato adhærentiũ.

Beata Angela Folignia post diuturna certamina, crucesque acerbissimas, ad divinos tandem admissa complexus, tot redundavit voluptatum omnium torrentibus, ut si omnes omnium hominum deliciæ atque amœnitates in unum cumulum cogerentur, præ illis, quas ipsa perceperat, nihil essent, easque vel Seraphinis ipsis esse inexplicabiles asserebat.

Possem paria referre de pluribus alijs: uti de S. Teresia, dum in cicatrice vulneris in manu Christi, & totius corporis splendorem admirabilem die Resurrectionis Christi lętabunda conspicit. De S. Francisco Assisiano, dum etiam supra arborum cacumina flammis amoris, & cælestium rerum inenarrabili voluptate sensuque subvehitur. De altero Francisco Paulensi, dum pari deliciarum absorptus oceano, nihil aliud profert quàm: *O charitas!* de tertio item Francisco Indiarũ Apostolo, qui dum tantos gaudiorum cælestium incursus angustiæ pectoris non capiunt decantatum illud, *Satis est* ingeminare non cessat; denique; de quarto Francisco de Salez Episcopo omnium suavitatum & sanctissima-

ctissimarum affectionum hortulo amœnissimo, qui ob nimiam deliciarum abundantiam de vitâ periclitatus Deum rogare coactus est, ut torrentes illos sisteret, ac futuræ beatitudini reservaret.

14. Aliarum. Possem de tribus Catharinis non absimilia professione. 1. De Genuensi, quæ cum Deo jucundum amoris certamen inire visa est, dum magnâ animi deprecatur demissione, ut gratiarum profusioni velit parcere, easque in longè se digniores transferre; ille verò ita dona sua in illam congerit & perseveranter exaggerat, ut viribus destituta & sui impos, Deo victori cedere compellatur. 2. De Senensi, quæ paribus cum Seraphinis ardoribus accensa & in eorum velut chorum admissa, privilegio singulari in ipsius divinitatis gremio conquiescit. 3. De Bononiensi, quæ post frequentes de humani generis hoste relatos triumphos, tantam si bi apud Deum, cælestesq; spiritus conciliavit gratiam, ut in ea ornanda, & beneficijs cumulanda contendere inter se viderentur.

15. S. Ignatij. Possem etiam S. Patris nostri lachrymas cælestis dulcedinis testes adducere, vel potiùs ab eius testimonio firmamentum petere, quo dixit, si Sancti non ampliora à Deo beneficia favoresque accepissent, quàm illa, quæ in eorum leguntur historijs, se suas cum illis gratias non esse commutaturum: quin & eius alumnum & sequacem Patrem Joannem Sanchez accerserem, qui auditus est dicere, tantis se à Deo perfundi delicijs, ut si omnes mundi voluptates, quæ sunt fueruntque, in unum cumulum conflarentur, earumque sensus perpetuaretur in annorum decursus innumerabiles, omnes illas præ suis, quibus vel unius quadrantis spatio fruebatur, libentissimè contemneret.

16. Quam beatus ille complexus.

O quàm beatum fortunatumque est, Dei præsentiâ perseverantissimè frui, & ad tam delicioſi, ac semperfluentis & irrigui fontis marginem dulcissimè refici, & conquiescere; ubi ne sit in desiderando anxietas, ubi habeas unde satieris, & ne sit à satietate fastidium, reperis unde desiderium accendas: quàm præterea ex alia parte, quàm insulsam est & inurbanũ, quàm nocens & dedecoris plenum, à rebus fugientibus & vilibus emendicare voluptatulam, & velut guttatim sorbillare: quam è pleniſſimo fonte ultrò profluentem copioſissimè haurire, si velis, possis: hinc illæ lacrymæ B. Magdalenæ de Pazzi, cùm sancti-

17. Secessus miser. moniales ad monasterij crates cum sæcularibus tam libentertemporis fallendi gratiâ fermocinari, intueretur, malletque

que ipsa tot horas in flammis purgantibus cruciari, quot in illis cum advenientibus invitè consumere cogebatur; neque enim credebat moniales ab illis tales recedere, quales ad illos ingressæ fuerant. Nolim quidem severiùs hîc quàm oportet agere, cùm sciam S. Benedicti cum sorore Scholasticâ colloquia, quantas amori in Deum augendo flammas in utriusque pectoribus excitarint; sed quia in multis tam ardentia corda incensasque linguas non facilè reperies, ita etiam à prolixis illis confabulationibus plus detrimenti, quàm adjumenti amorem divinum haurire meritò dixeris.

CAPUT XXII.

Amor perfectus ad perfectam Dei fruitionem, quam habiturus est in alterâ vitâ, aspirat.

1. Quid in hac vita amantem cruciet.

HAbet aliquid onerosum, aliquid permolestum amori mortalis hæc vita, in qua terrena corporis moles visco suo animi pennas inficit, ne ad cælestis sponsi complexus, congressusque, ut lubet, evolare possit; quotidiana edendi, dormiendique necessitas non parum temporis intercipit, quod multò suaviùs in jucundo amoris cum divina bonitate commercio collocaretur; hinc amoris suspirantis ad æternas illas sedes affectus suavissimi & ardentissimi.

2. Animus optat ar. ctiùs uni

Moysem aspice: admissus ille ad intimam cum Deo familiaritatem, ab eius colloquio facie radijs coruscante revertitur; ut filij Israël in eum oculos intendere propter fulgorem erumpentem nec audeant, nec possint: hac tamen ille tantâ tamque amicâ cum Deo consuetudine non contentus, ad perfectiorem fruitionem aspirat. *Ostende*, inquit, *mihi faciem tuam.* Simeon senex ille Deo plenus etsi verbum infantilibus membris vestitum tenerrimè brachijs esset complexus, eoque thesauro potitus, quo majorem Deus homini elargiri non potest, absolui nihilominus vinculis corporis efflagitat, quo in ampliorem boni jam degustati possessionem admitti possit. S. Paulum, si Chrysostomo credimus, raptus ille in tertium cælum ita delicijs cælestibus impleverat, ita à rerum omnium sensu abstraxerat, ut si flammas mortales illi adhiberes, non sentiret, non uteretur; & tamen quasi tantarum voluptatum non meminisset, aut præ illis, quas expectabat, parvi duceret, exclamat: *Cupio dissolui & esse cum Christo.*

Moyses.

Simeon.

S. Paulus 1. de Compunct.

Amantium huiusce modi vox est com-

communis cum Regio Propheta, qui inter illos perfectos amatores postremus non fuit: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* qui dicit. Quando veniam, ostendit permolestam sibi esse tanti boni dilationem, & licet in foribus sit, pro magnitudine tamen desiderij anhelanti animæ mirum quantum remotum esse videatur.

Francisc. de Sales. B. Franciscus Sales, qui cælestibus delicijs quodammodo absorptus, atque oppressus Deum rogarat humi prostratus ut contineret undas gratiæ, quia tantæ dulcedinis magnitudinem sustinere non poterat; posteà quatuor aut quinque mensibus ante suum ex hac vita decessum; Nihil est, inquit, nihil omnino in terris, quod me aliquo lætitiæ sensu possit afficere, cuiusmodi illud sit, quod occurrit, nihil mihi solatij potest afferre; ad cælum cogitationes omnes meas transtuli: unde vicinior morti auditus est sæpè dicere: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei & delectatus sum.* Et tandem paullò ante mortem has exundantis lætitiæ voces effari: *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

3. Simile de terræ motu. Terræ motum ab igne in visceribus terræ concluso effici putant Philosophi, qui accensus vicinumque aërem inflammans violentâ terræ concussione aditum sibi facere, & erumpere nititur, atque ad centrum suum conscendere. Ita amor ille perfectus flammis suis interiora hominis depascens, & angustias pectoris non ferens, per suspiria, vocesque ardoris indices dilatari, & ad cælum evolare gestit: quod in sancto Dominico contigisse memorat S. Antoninus, qui tam frequentibus suspirijs, votisque ardentibus anhelabat ad divinos amplexus, ut ultimis vitæ mensibus nodum animę cum corpore non tam dissolvere, quàm violenter abrumpere velle videretur. Cùm S. Philippum Nerium in die Pentecostes tantis amoris incendijs æstuantem lego, ut una è costis violento cordis motu frãgeretur, unum aliquem carcere detentum videre mihi videor, qui libertatis avidus, fenestræ alicuius crates ferreas diffringit, quâ evadere possit. Ita S. Philippo nimis angusta erant pectoris spatia, ex illis velut è carcere cor divinis flãmis accensum ad æternam libertatem aspirabat. Audit S. Teresia in festis Paschatis suavissimæ cantilenæ modulos animæ ad sponsi conspectum anhelantis, & dicentis: *Videant te oculi mei, dulcis* Iesu, *videant te, & hic moriar, ut te fruar.* & viribus deficiens & extra se rapta, semimortua deportari debuit. Quid quæso Beatum Ægidium Franciscı Discipulum sistebat in

4. Philippi Nerij ardor.

5. S. Teresię.

vestigio immobilem, cùm Paradisum nominari audiret, nisi quędam ab omnium rerum cogitatione mentis alienatio & impetus quidã animi in cælum evolare cupientis? In lachrymas resolvuntur alij, & grassantem amoris flammam suavi illo rore si non extinguere, temperare certè aliquo modo nituntur: quod S. Patri nostro Ignatio frequenter evenisse memorant; qui locum domus altiorem conscendens, unde liber esset in cælum prospectus, ibi sublevatis in illud oculis, lachrymis suaviter defluentibus immadescebat, quasi illæ dicerent: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?*

6. *S. Monica.* Sed audiamus S. Augustinum cum S. Matre Monica paribus flammis ardentem, & ad ostia Tyberis innixum cubiculi fenestræ, fixisque unà in cælum oculis de cælestibus gaudijs cum illa sermones miscentem. Ita illa filium alloquitur: Fili, quantum ad me attinet, nullâ jam re delector in hac vita: quid hîc faciam adhuc, & cur hîc sim nescio, jam consumptâ spe huius sæculi. ille verò; Quærebamus, inquit, qualis esset futura vita æterna sanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, fontis vitæ, qui est apud te; ut quantalibet delectatio corporea præ illius vitæ jucunditate non comparatione, sed ne commemoratione quidem digna videretur: ipsum, ajebam, quem amamus, sine ipsis audiamus; subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, hæc una rapiat & absorbeat spectatorem suum, ut talis sit sempiterna, quale fuit hoc momentum cui suspiravimus: nónne hoc est, Intra in gaudium Domini: scilicet amor ille perfectus jam consumpserat in utriusque animo omnes paleas huius vitæ, & cælestis vitæ fruitionem, quo velut pabulo in æternum aleretur, requirebat.

7. Spes dilata cruciat. *S. Theresiã.* Verumenim verò, cùm præter spem æterna illa refectio differtur, & ignis ille amoris, undique alimenta, quibus refocilletur, inquirit; ad illud Teresianum recurrit, *Aut pati, aut mori*: anima, inquit illa, ardens Deum videndi desiderio, cùm id differre animadvertit, molestissimam illam dilationem non alio solatio levare utcumque potest, quàm si pro sponso aut se voluntarijs pœnis excruciet, vel aliunde proruentes acerbitates & cruciatus pleno sinu excipiat.

B. Catharina Senensi. Catharina Senensis amore divino tota deflagrans, cum occasione Schismatis, pestilens cupiditatum & bellorum incendium totâ Italiâ purvagari conspicit, sese velut

velut expiatoriam victimam Deo offert ad tantam pestem vel avertendam, vel exstinguendam: acceptatur à Deo eius oblatio, & velut victima dæmonibus excrucianda, & excorianda traditur; pascitur tamen tormentis istis eius in Deum charitas, mille pro tanta munificentia gratias agit, & dæmones provocat, ut ultimas vires in se torquenda experiantur.

Magdalena de Pazzi.

Magdalena de Pazzi, ut amori suo faceret satis, Deum rogat, ut dolores acerbissimas, quos sub mortem ille passus est, communicare dignaretur; impetrat, & dum cruciatibus prope conficitur, præ amoris magnitudine medijs se innatare gaudijs arbitratur.

8. B. Angelæ.

B. Angela Folignia quò suis ardoribus levamen aliquod & solatium inveniat, Deo supplicat, ut omnibus contumelijs, opprobrijs, omni ignominiâ ac infamiâ, quibus unquam ab omni memoria mortales omnes dehoncstati fuêre, onerari ac notari se permittat, id sese ingentis beneficij gratiæque loco habituram: nimirum animæ ingentes cælestis amoris incendio propemodum consumptæ, malorum perpessionem quasi balnei alicuius refrigerationem efflagitant. Ad copiosum ignem alendum magnâ lignorum congerie opus est, ita ad amoris perfecti flammas nutriendas multæ & exaggeratæ cruces necessariæ sunt: ut meritò pudere nos debeat tam exigui in Deum amoris, qui ad minimam calamitatem refrigescimus & cruci straminеæ consumendæ satis virinm non habemus, cùm è contrà illa amoris prodigia in medijs flammis ad instar Salamandræ, non vitam modò, sed delicias inveniant, aut sicut Vesuvius aliquis aut Æthna perpetuos ignes enutriant, saxis durissimis, & metallo quolibet liquefaciendis pares: quin imò quò magis amor ille cælestis accrescit, eò magis cæterarum rerum minuuntur appetentiæ, unumque novis semper incrementis augetur Dei videndi, possidendique desiderium. Cuius rei adumbratam imaginem in Iordanis aquis sacræ paginæ repræsentare mihi videntur, dum dicunt Sacerdotibus arcam deferentibus in Jordanem ingressis, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, stetisse superiores aquas ad instar montis intumescentes, & alias inferiores descendisse in mare mortuum, usquedum deficerent, populusque omnis per arentem alveum transiret. Idem contingit in illis perfectis amatoribus, in quorum animis omnes rerum fugientium imagines atque desideria diffluunt, & evanescunt; unus Deus, eiusque amor augmentis continuis mirum quantum flammarum cumulum exaggeret, do-

Iosue 3.

nec consumptâ vitâ, beatiori affluentiâ perennet in cælo.

9. Ioannem Baptistam Sanchez. P. Joannes Baptista Sanchez, unus ex illis, quos igneos appellat S. Chrysostomus, ita videndi Dei desiderio inarserat (quemadmodum superiori suo ex instituti sui lege retulit) ut si istius voti isto die se compotem non futurum Deo revelante cognosceret, continuò præ doloris magnitudine moriturum non sentimus; sed magnis istis heroibus fides meritò habenda est, quos ad id dicendum & amoris violentia, & veritates amor impulit.

10. Sancham Carillo. Admirare mecum quid simile in Sanchâ Carillo, quàm tantus amor ad cælum evolandi, Deoque fruendi incenderat, ut tantum bonum differri ipsa morte sibi intolerabilius esse duceret; cùm intelligit divino monitu se demum post annum re adeò desideratâ potituram, Post annum, exclamat, ô crudelis dilatio! unde mihi animus, & patientia, ut tantam moram ferre æquanimiter possim: ô carcer, ô vita! quàm mihi diuturnum! Utinam volent dies, & horæ, & tempora præcipiti cursu diffluant, ut tandem momentum illud compareat, in quo sub umbrâ illius, quem adeò amavi, conquiescam.

CAPUT XXIII.

Amor perfectus interim dum Dei fruitio æterna differtur, frequenti Eucharistiæ sumptione se solatur.

1. Spem dilatam leniat usus Ven. Euch. NEmo alicui vitio vertit, si amici absentiam aut imaginis eius aspectu, aut alicuius ex filijs eius præsentiâ consoletur; si cum filio sermones misceat, si eum beneficijs ornet, si omni amicitiæ testificatione demereri sibi, ac devincire conetur; atque his erga filium eius officijs, dolorem, quem ex amici absentiâ sentit, quomodocumque leniati, ita animæ Dei amore vulneratæ, cùm in hac miseriarum valle tranquillè, & ad satietatem eius præsentiâ frui non possunt; conspectu, colloquioque cum proximo, qui Dei imago est, & frequentatis erga pauperes obsequijs, in quibus Christum velut præsentem intuentur, contentæ non sunt; sed eum in Venerabili Sacramento, sub candenti velo delitescentem frequenter accedunt, ibi illum venerantur, alloquuntur, & omnibus officijs humillimè, ac perseverantissimè colunt, ac demerentur. Primò itaque ad templa publica, velut

velut ad amici domum, in quibus ille pyxide incluſus domicilium ſibi delegit, libenter adeunt, in ijſque familiariùs cum illo ſermocinantur, & cordis ſinum aperiunt, doloremque, quem ex huius vitæ calamitatibus percipiunt, amicâ quâdam ſecretorum communicatione levare, & abſtergere conantur. Teſtantur id pervigilationes nocturnæ S. Xaverij in templis, cùm ſe dabat occaſio, etſi hoſpitis domo egredi eſſet neceſſe; quod ſibi gratiſſimum eſſe teſtatus eſt Deus non ſemel, ut in S. Dominico, quem nocte concubiâ ad templi valuas accedentem ijſque non reſeratis Deus ante aram principem, in qua reconditum erat Ven. Sacramentum cum ſocio admiſit, & poſt noctem precibus ardentiſſimis ac cæleſtium conſolationum incredibili affluentiâ trâſactam eodem modo dimiſit: in Zacharia Conſtantinopolitano, cui de nocte in æde S. Sophiæ primæ, ſecundæ, & tertiæ fores argenteæ divinâ virtute reſerabantur, ut propiùs ad Chriſtum in Euchariſtiæ arculâ magnificâ velut in throno gratiæ conſidentem accederet.

2. Exempla ſacras ædes adeuntiũ.

3. Norunt amantes illi Dei Filium cælis receptum, hanc tamen inter homines, velut nube candidâ ob velatam commorationem, in commune ſolatium delegiſſe. Hinc accurrunt ad illum frequentiſſimè, ut à B. Henrico Suſone per diem ſæpius, à B. Franciſco Borgia ſepties; ab alijs duodecies magnâ animi voluptate factitatum legimus: Patrem Ludovicum de Ponte, virtute ſcriptiſque celeberrimum cùm ab amico inviſeretur, ferunt ab eo ante venerabile Sacramentum de genibus orantem repertum eſſe, quem tantâ reverentiâ cum Deo agentem, cùm alter interpellare nollet, duas ibi horas hominem præſtolatum eſſe, totoque illo tempore cùm Patrem velut amoris flammis inardeſcentem, & præ admirationis affectuumque magnitudine velut à ſenſibus alienatum nec caput, aut aliud corporis membrum moventem aſpiceret, attonitum hæſiſſe, & tam dulci ſpectaculo recreatum, totum illud temporis ſpatium ſtetiſſe de genibus precabundum, Deoque Patris pios ſenſus, & animi ſupplicationes ardentiſſimas pro ſuis obtuliſſe.

4. Maxime ſacri auditio & celebratio.

Sed præcipuum allevamentum illis provenit ab auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio, & Euchariſtiæ ardentiſſimâ ſumptione: illic radijs fidei illuſtrati ſponſum præſentem intuentur, & cum illo cæleſtis menſæ præguſtant delicias, ac Soli quodammodo propiores, eius flammis inardeſcunt. Hinc illi radij, quibus Sancto Philippo Nerio ad aras facienti facies coruſcabat; hinc globus igneus ſuper S.

tini verticem eo tempore ardere visus: hinc Sancti Xaverij ad aliquos supra terram pedes amoris igneâ vi corpus sursum agente toties spectata cum admiratione sublevatio: scilicet Deus ignis consumens est, qui in pectus bene dispositum illapsus, mira incendia excitat, quem cùm cordis angustijs capi non possunt, foras erumpunt, & spectantium oculos, animosque in sui admirationem rapiunt.

5. Eucharistiæ mirus effectus.

Sed quid de feminis sanctissimis dicam, quas nullo alio pane, quàm cælesti illo cibo, non dies aut hebdomadas, sed menses aliquot vixisse legimus? aspirabant illæ ad sponsi in cælo complexus, cumque ab amoris flammis consumptæ rerum omnium sublunarium fastidio laborarent, & ad cælestis agni delicias anhelarent ardentiùs, nullum quàm in illo cibo Eucharistico levamentum reperiebant. Maria Ogniacensis triginta diés ab omni cibo potuque abstinet, & nullum cum aliquo verbum facere potest; hoc solum per intervalla proloquitur: *Cupio corpus Domini IESV Christi.* S. Catharina Senensis à die Cinerum ad usque diem Ascensionis hoc unico Angelorum pane sustentatur; sed omnem in hoc genere admirationem superare mihi videtur, quod de B. Simeone Stylita produnt historiæ, qui totos illos octoginta annos, quos in columnâ velut glorioſum divinæ potentiæ spectaculum transegit, nullo cibo aut potione usus est, post octo dumtaxat dies tot annorum curriculis iterata Eucharistiæ refectione recreatus: Angelum illum de cælo lapsum diceres, qui paribus cum beatis illis spiritibus, epulis delicijsque frueretur.

6. Fervores amantium in Vener. Eucharistiam.

Verùm has singulares, & prorsus extra ordinem divinæ Majestatis gratias missas faciamus, & ad admirabilem illam tot amantium cum Deo in hoc Sacramento familiaritatem oculos convertamus: an arbitramur ita in hac mensa cælesti illos se habuisse, sicut nostrûm plerique omnes, qui linguam amoris non callemus, & post cęlestis illius cibi sumptionem vix mediam horulam agendis gratijs, aut amoris flammâ ad tanti ignis præsentiam excitandâ, bene, & salutariter impendimus. Longè aliter S. Coleta Virgo ardoribus divinis inflammatissima, quæ ubi in sacra Synaxi sponsum intra cordis arculam exceperat, in mutuis cum illo sermocinationibus decem aut duodecim horas, aut si temporis occupationes non permittebant, sex ad minimum consumebat; quæ suspiria, quæ voces etiam ex nolentis pectore tum erumpebant; ut proinde in secretiorem locum secedere cogeretur, ut liberiùs amori velificaretur, & cælestibus exspirationibus habenas laxaret.

7. S. Coleta.

Inter-

Interdum hominibus cum amico ſuaviter confabulantibus horę nõ currere, ſed volare videntur. Longè aliæ cum Deo in hoc congreſſu Euchariſtico deliciæ, alia colloquia, alij ſenſus, & ſupra omnem ſenſum cæleſtium bonorum inexplicabilis affluentia, & in animam vix ſui compotem amantiſſima profuſio.

8. B. Aloyſij. Beatus Aloyſius Gonzaga cùm poſt communionem in iſto gratiarum velut Oceano duas horas deliciaretur, temporis tam beati particulam ſibi furripi non ferebat, evocatus tum ad colloquium à fratre Marchione, ad geminæ horæ ſpatium ire diſtulit, dicens, cum præſtantiori amico nobilius & fructuoſius negotium ſibi eſſe, & majores conjunctionis amicitiæque neceſſitudines cum Chriſto, quàm cum ullo propinquo ſibi intercedere.

9. S. Franciſci. S. Franciſcus Aſſiſias, uti à Sancto Bonaventura memoriæ proditum eſt, pane Euchariſtico refectus amore velut ebrius, & rerum omnium præterquam dilecti ſui oblitus, in mirabiles exultantis & geſtientis animi lætitias ſeſe effunderet ab, ut iam cæleſtibus gaudijs potiri videretur.

11. Franciſcæ Romanæ. S. Franciſca Romana, inter viduas omnis ſanctimoniæ exemplar, quam Chriſtus ipſe ſuâ manu ſui corporis participem, cùm id nollet Sacerdos, facere voluit; ut ad iſtas epulas admiſſa erat, Chriſtumque jam ſumpſerat, immobilis, & extra ſe aliquo tempore perſtabat, omnibus animi corporiſque facultatibus quaſi in interiora regreſſis, ut novo hoſpiti, omnia venerationis officia, & gratias deferrent, quàm poſſent ampliſſimas, idque totum agerent altiſſimo, ſed delicioſiſſimo ſilentio. Et ne id raris iſtis amantibus ſingulariter conceſſum eſſe putemus, eam etiam vulgaribus hominibus, & artificibus de trivio collatam fuiſſe gratiam vidit S. Simeon cognomine Salus, quorum animas, dum illi à ſacræ Synaxis perceptione redeunt, intuitus eſt ad inſtar ſtellarum ſplendeſcere; ſplendore ſcilicet abs cæleſti illo Sole, quem receperant, & ab amoris igne, quo ardebant, foras emicante: adeò grata eſt illi ſponſo conſociata charitate ſimplicitas.

11. Subinde tentationem permittit Deus ad pugnantium gloriam.

Dicet fortaſſis mihi hic aliquis, non omnes, quæ ad iſtam menſam accedunt, ad iſtas delicias admitti: nonnullas tum temporis ad inſtar terræ ſitientis areſcere, & velut adultâ hyeme maximis frigoribus concuti, & contremiſcere, quin etiam earum aliquas neſcio quibus cogitationibus in ipſum Deũ injurioſis affligi, & Andabatarum more in tenebris cum hoſte ſpurciſſimo confligere. Nihil horum negaverim, ne contra experientiam pugnare velle videar; ſed quid

quid, si dixero, certamen illud à Christo permitti, ut hosti luctuosum, amico verò quæstuosum, atque glorioſum: Apud Romanos, more licet inhumano, receptum ultimis sæculis Urbis conditæ legimus, ut gladiatores convivij tempore, in aulam inducerent, qui sese mutuis vulneribus conficiendo convivarum oculos crudeli certè spectaculo pascerent, animosque oblectarent. Longè aliter, & alio fine Christus inter illas cælestes epulas, ipsos convivas cum hoste teterrimo committit: non ut inde voluptatem capiat, qui malis nostris non delectatur, sed ut ipso præsente, spectante & adjuvante de adversario triumphum reportent, quem deinde immortalis in cælo gloria consequatur.

12. Simile à gladiatoribus.

Tenuit bellum internecino simile dæmonem inter & sacerdotem vitæ integerrimæ, annos duodecim: huic in duobus potissimùm molestiam ille creabat, uno tempore dum sacris operabatur; altero, dum Deiparæ preces offerret; in utroque fœdis imaginibus, & importunis mentis aberrationibus hominem exercebat, quem nunquam ad impatientiæ, aut desperationis barathrum, quod maximè spectabat, præcipitem dare potuit: victus ipse, & post tot annorum dimicationem prorsus debellatus, in præmium victoriæ vinctis post tergum manibus, & pudore coopertus (sic illum vidit S. Birgitta) utroque tempore, sacrificij scilicet, & precum B. Virginis, ante Sacerdotem stare coactus, qui inter ea exercitia cælestiũ deliciarum affluentiâ redundabat. Non est militis, belli pacisvè dictare leges; sed Ducis imperata facere, eum amare, ei fidere, & in eius prudentia benevolentiaque conquiescere: non mella aut blanditias in hoc Sacramento venatur amor perfectus, sed Christum ipsum affectatur, & illo solo, non eius oblectamentis frui desiderat.

13. Exemplũ.

Christus ipse vicissim amari se vult, & apud Sanctam Gertrudem de una Sanctimoniali conqueritur, quæ vilitatis & indignitatis suæ consideratione ita oculos sibi obvelaverat, ut illos in Christi bonitatem, & erga infirmos mortales benevolentiam non intenderet; neque adverteret, quàm ipse humani cordis hospitio recipi ambiat, & pretiosissimis muneribus receptionem sui locupletet: reverentiam probat, sed fiduciæ amorique potiores partes tribui vult, & quotiescumque eius, quem nobis in rebus animi Ducem delegimus, consilium sequimur, nos ad se accedentes aperto benevolentiæ sinu excipit, amplexatur, insignibus ornat gratijs, & multis auctos muneribus in discessu suo amantissimè dimittit.

14. Christus vult in Eucharistia se amari, non blanditias.

Quid

Vadingus ad annum 1214. 15. Quid quòd non ſolum, ut olim apud Zachæum, ſeipſum, ad mutuas epulas invitat; ſed cùm deeſt Sacerdos, qui Sacramentum miniſtret, ultrò ipſe ſtupendo amoris omnipotentis prodigio ſeipſum donet & cordis humani voluntarius hoſpes per miraculum poſſeſſionem adeat. In annalibus Ordinis Sancti Franciſci duo fratres ad panem emendicandum neceſſitate ita compellente, à ſuperiore miſſi, dum omnibus Miſſæ ſacrificijs abſolutis domum revertuntur, magnus illos dolor invaſit, quòd die tam ſancto is erat dies Jovis ſancti) divino illo cibo privari ſe cõſpicerent; accedunt ad altare, ubi Chriſtus ciborio incluſus aſſervabatur, atque ibi proſtrati amica cùm querimonia animi mœſtitiam, angoremque deponunt, cùm ecce Chriſtus pulcherrimâ juvenculi formâ è tabernaculo egreſſus, illis ipſe ſuâ manu corpus ſuum elargitur tantaque gaudij affluentiâ delibutis, quantum res tam prodigioſæ benevolentiæ mereri videbatur.

Imò ſedat ipſe Sacerdote deficiente.

Idem anno 1243. S. Bonaventuram, dum præ reverentiâ, ad ſacram illam menſam non audet accedere, ipſe Angeli miniſterio corporis ſui participem facit. Sanctam Coletam eodem dignatur beneficio, dum Sacerdos per oblivionem hoſtiam minorem pro illa conſecrare omittit; & S. Franciſcam, uti ſuprà verbo perſtrinximus, dum prudentulus ſacellanus maritatam fœminam tam auguſta myſteria crebriùs frequentare, quàm par ſit, exiſtimat, eique Sacramentum impertiri recuſat, ſuâ ipſe omnipotentiâ hoſtiæ particulâ mirabiliter, & amanter donat: quaſi ipſe non tam Franciſcę indulgeret amori, quàm ſuo.

14. Chriſtus ult in ucharia ſe a ari, not landi as.

CAPUT XXIV.

De quinto gradu Amoris qui conſiſtit in perfecta Voluntatis humanæ cum divina conformatione.

CElebratum omnibus ſæculis hoc pronuntiatum etiam Catilinâ teſte ait S. Hieronymus; Amicitiæ vim maximam in hoc conſiſtere, ut qui eam profitentur, idem velint, & nolint. Unde conſectarium hoc oriri exiſtimat Ariſtoteles, ut etſi plures animos habere poſſimus, vulgares, & quodammodo deſultorios; perfectum tamen, & qui ſit velut κατ' ἐξοχὴν φίλων, amicus, omneſque in ſe amicitiæ numeros complectatur, unicum tantùm eſſe oportere: cùm enim amicus, res omnes ſuas, & voluntatem ſuam amici dedat arbitrio, quî fieri poteſt, ut duobus fiat iſta ceſſio? ſi enim duo illi diverſa

Apol. contra Ruffinum.

1. Amicitiã cum uno eſſe oportet.

versa velint, & pugnantibus inter se imperijs aut desiderijs te quisque in suas partes velit adducere; cui tandem ex illis te trades, cuius obsequêris voluntati? ab altero te sejungis, cùm alteri te accommodas. Atque hæc in amicitia hominis cum Deo locum habere non possunt, quam si, ut decet, colere, & firmam, stabilemque conservare volumus; minimos voluntatis divinæ nutus sequamur oportet, & omnes actiones ad eius perpendiculum expendamus, & quo Amor perfectus accuratiùs se isti regulæ conformat, Deo gratior evadit, atque perfectior. Atque ut id assequatur, operæ pretium est quatuor dimensionum genera propiùs considerare, ut amoris nostri perfectionum ad earum amussim exigamus. Altitudo in hoc consistit, ut non tantùm in ijs, quę Deus pro imperio jubet, morem geras; sed in ijs etiam, quæ magis ei placent, eius desiderio te accommodes; etsi jubentis auctoritas & pondus non accedat. Latitudo verò in hoc sita est, ut non solùm in magnis rebus & difficilibus, summique momenti voluntatis divinæ arbitrio te conformes, sed in minimis etiam & quotidianis occasionibus, quod magis Deo lubescit, id magnâ diligentiâ curaque perficias. Longitudinem sectaberis, si non menses tantùm & annos vitamque totam hoc conformationis studium complectatur; sed etiam in totam æternitatem se extendat, ut nihil in æternum velis, nisi quod Deus in æternum volet. Profunditatem assequêris, si non tantùm facias quod Deus vult; sed in eius voluntatis arcana penitiùs ingressus, modum, & finem, quem in illis spectat, tu etiam tibi proponas, id omne velis, nolis, agas, & toleres quod illi collibitum est, & eo modo, quo maximè illi placitum est, ut omnis tua intentio, omnis actio, & omnis sermo ad istius sanctissimæ voluntatis regulam normamque dirigatur.

2. Eius quatuor divisiones.

Altitudo.

Latitudo.

Longitudo.

Profunditas.

Quid beatius illo Amante? quid sanctius? qui ita divinæ voluntati suam agglutinat, ut neque difficultatis, neque incommodi, neque laboris, neque periculi alicuius rationem habeat; sed hoc unum sibi semper occinat: Ita vult Deus: à quicte dulcissimæ contemplationis avellitur, cum Sancto Francisco ut spinosis cum proximo negotijs intricetur, quia Deus ita vult: ad laboriosum ordinis religiosi gubernaculum manum admovet, elatus supra aliorum verticem quorum potiùs pedibus subjacere adamat, ut sanctus Pater Ignatius; quia ita vult Deus: dimissâ tractatione corporis austerâ, amandatis jejunijs ac vigilijs, quæ elegerat, indulget aliquanto tempore ad alterius nutum blandæ remissioni

3. Sic amante nihil beatius.

sioni, ut S. Bernardus: quia ita vult Deus: est in manibus Dei ad instar ceræ mollissimæ, quæ impressionem quamlibet ab illo suscipit, abjectâ prorsus propriæ duritie voluntatis: ad hanc cælestem trutinam omnium actionum & negotiorum pretia appendit & examinat; labores sunt illi Paradisi quies atque deliciæ, si à voluntate Dei proficiscantur, & è contrà si inde non emanent, ipsius Paradisi oblectationes pro spinis & molestijs habet. Christus fabri opificium triginta circiter annis ex Patris æterni præscriptione tam libenter exercuit, quàm deinde cælesti doctrinæ disseminandæ, & animis lucrandis triennium dedit. Egregium in hoc genere posteritati exemplum reliquit B. Franciscus Sales quod suis ipse verbis exaratum voluit: Nolo, inquit, mihi ullam eligendi optionem dari: Deus ipse, si placet, solus eliget: nihil volo, & omnia volo, modò voluntas divina, meæ Regina voluntatis, priùs velit: post mortem, ad locum, quem mihi incomprehensibilis bonitas assignarit, lubenter & plusquam lubentissimè, in eoque pacatè & placidè conquiescam: cum hac loci à Deo mihi facta designatione. Purgatorium mihi erit ad instar Paradisi; sine illa Paradisus ad instar purgatorij à me reputabitur. O! inquies, ad Paradisum potius evehamur, ibi Deum multo perfectiùs laudabimus. Nolo illud multò perfectiùs examinare aut discutere; hoc mihi sufficit; si eum laudem, quantum ipse sapientissimus præscripserit. Ita vir ille sanctissimus, & quietis & pacis singulare domicilium; cuius ab ore manabant hæ frequenter voces: Volo, ut quod Deus meus non est, mihi pro nihilo sit: omni me libertate aliquid volendi abdico, unicum mihi reservo desiderium conformandi me voluntati divinæ, & miror homines alteri bono, quàm illi adhærescere. Nihil ajebat optandum, nihil repudiandum, exemplo parvuli Jesu jacentis in præsepio, & ad omnes cæli injurias expositi: non legitur ad papillas maternas manus extendisse ut lac haurire se velle monstraret, hoc maternæ relinquebat providentiæ, à qua oblata solatiola non recusabat. Nihil ille infantulus ambiebat, omnem suam voluntatem in matris voluntate depositam videbatur: ita non est satis amanti, divino beneplacito cõformari, sed omni se propriâ voluntate exuat oportet, & illam in divinâ quodammodo convertat, ita ut non tam velimus ipsi, quàm Deus in nobis & pro nobis velit, operando velle simul & perficere, modo admirabili, sed amanti perjucundo, atque fructuoso.

Sed ad alia bona, quæ ex hoc fonte conformationis cum divina

4. Exemplo Christi.

5. Et Francisci de Sales.

6. Et Puerculi Iesu.

7. Eius fructus con-

formatio voluntatis.

voluntate promanant, oculos animamque convertamus: in primis si divinæ prædestinationis argumẽtum inquirimus, in hoc certè habemus longè maximum: neque enim in quadam sensibili cęlestium deliciarum prægustatione, aut altissimæ contemplationis somno, aut integra & vix interrupta animi pace, hæc æternæ beatitatis arrha consistit, sed in propriæ voluntatis abdicatione & in divinam velut, transfusione quærenda est; cùm homo Dei amore deflagrans, & sui quodammodo oblitus, omnia sua desideria, prætensiones, omne suum posse & velle irrevocabiliter divino submittit arbitrio, idque tãtâ animi firmitate, & stabilitate consilij, ut ne minimo quidem peccato ab ea subjectione vel minimum unguem velit recedere.

8. Alius felicitatis repræsentatio.

Secundus fructus est quædam cælestis felicitatis repræsentatio, in quâ omnium beatorum voluntates unica Dei voluntas velut absorbet & in se convertit.

Tertius divinæ gloriæ amplificatio.

Tertius est eximia quædam divinæ gloriæ hinc profluens amplificatio: neque enim arbitror ex omnibus humanæ mentis erga Deum officijs præstantiorem atque illustriorem Deigloriam existere, quàm ex profundissimâ creatæ voluntatis ad increatam submissione. 1. Enim dum solius amoris impulsu Dei præscriptionibus me subijcio, meque ei regendum formandumque committo, Deo summam inesse sanctimoniam, & supremam recti, honestique curam ac regulam publicè attestor, & beatos omnes nihil præclarius, nihil rectius, nihil meliori & sanctiori ordine velle aut providere posse, quàm ipse velit, & provideat: deinde, quanti eius Majestatem, & auctoritatem, supremumque in omnes mortales dominatum æstimem, apertè declaro, cùm eius placitis in omnibus obsequor, & minimum eius nutum omnium Monarcharum jussis, & institutis antepono. Tertiò eius eminentiam, & ab omnibus independentiam agnoscere me profiteor, à quo dependere debeant omnia, eiusque legibus agere, & vivere.

9. Alius amoris testificatio.

Quartò hinc oritur amoris ad eminentem gradum provecti excellens testificatio: est enim amor mutuus quædam voluntatum conjunctio, & agglutinatio, & eò fit perfectior, quò firmius stabiliusq; voluntates amantium inter se copulantur, atque conspirant; ubi verò hæc conjunctio rimas agere incipit, animosque dividere; tum etiam amorem interire, aut in quæstuosam proprij commodi, negotiosamque procurationem degenerare necesse est. Ne te putes hanc amoris in Deum perfectio-

ctionem assecutum, cùm ad Dei familiaritatem & amicam in orando, agendoque consuetudinem admissum te sentis; si dum te Deus, illâ tantisper omissâ, negotiosæ & actuosæ vitæ occupationibus implicari vult, eius ordines gravatè & cùm molestiâ suscipias, detrectaturus, & ab illis discessurus, si sine culpâ id obtinere posses.

10. Dissimilia de amico. Dic mihi obsecro, eumnè perfectæ amicitiæ leges accuratè servare existimas, qui rogatus ab amico, ut negotij alicuius causâ, iter aliquod molestum cælo pluvio & nimboso suscipiat, difficilem se præbet, & unicam excusationem obtendit, quòd ab eius aspectu, & consuetudine avelli non possit?

De filio. An filium minùs quàm par sit, Paternis obsequijs addictum non sentis, qui eidem cum Patre mensæ accumbens, & non tam jussus, quàm ab illo rogatus, ut continuò surgens aliquid exequatur, Patri respondet, se quidem in eius semper futurum potestate; obsecrari tamen, ne se modò à suo conspectu præsentiaque amandet, quam experitur longè gratissimam?

De conjuge. Quid tu? an non illam conjugem amorem suum & reverentiam erga maritum malè testari pronuntiabis, quæ semper eius adhæret lateri, cum ubique comitari, laudare, & omnibus amoris argumentis officijsque demereri optat, & contendit; mariti verò desiderio, quâ illam, familiam curare, domesticorum vitijs corrigendis insistere, domi in hunc finem se continere, cupere se non semel ostendit, ægrè obsequitur, quod in illa familiæ gubernatione plus difficultatis, quàm voluptatis percipiat?

11. De eo S. Ignatij doctrina. An non triplex hoc amantium genus non verum amorem, sed amoris umbram affectari meritò dixeris, cùm prima sinceri perfectique amoris nota sit, idem cum amico velle, idem nolle; atque in hanc sententiam clarissimorum virorum & omni sanctitate præcellentium judicia concurrant. S. Pater Ignatius vir cælesti luce præditus, in Exercitiorum libello, documentis sublimibus refertissimo, in illa aurea cõtemplatione, quam inscripsit, de Amore divino; animum contemplantis cælesti flammâ succensum, in hos affectus prorumpentem inducit: *Suscipe, Domine, universam meam libertatem: accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem: quidquid habeo, & possideo, mihi largitus es: id totum tibi restituo, ac tuæ voluntati prorsus trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultrà posco.*

12. S. Francisci Xaverij. S. Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, & inter S. Ignatij filios longè charissimus, Patrique simil-

similimus; hanc ad calcem literarum precationem apponit, genibus flexis illam deprecans, ut sibi impetret gratiam ad Dei cognoscendam voluntatem, eamque perfectè adimplendam.

Et Balthazaris Alvares.

P. Balthazar Alvares, vir in orationis cæterarumque virtutum disciplinâ exercitatissimus, optimam altissimæ contemplationis clausulam esse dicebat, se suaque omnia divino arbitrio permittere.

Et S. Aldegondis.

S. Aldegondis eodem sancti Spiritus lumine illustrata, cùm à B. Virgine ei fieret optio petendi, & impetrandi quod vellet, hoc unũ postulavit; ut sibi ex Dei regula, & præscriptione dirigerentur omnia, suam suorum in eo positam esse desideriorum summam, ut voluntas Dei in se compleatur.

13. Contrarium fecit sponsa in Cant.

Quantæ verò sit prudentiæ, nunquam ab hac divinæ voluntatis regula deflectere, nos errore, & damno suo sponsa in Canticis Salomonis docuit, quæ dum quietis nimiùm amans, & curarum pertæsa, & nihilominus ad labores, & curas à sponso invitata hæret, & cunctatur, & pulsanti ostium non continuò aperit; illo abeunte advertit quàm salubrius, & conducibilius sit, sponso morem gerere, & eo duce cuicunque labori & negotio incumbere, quàm quietis voluptatem consectari: in illa enim nihil nisi myrrhæ amaritudinem percepit, & licet tarditatis suæ pœnitens, & sponsi insistens vestigijs, quietisque dulcedini valedicens, circumeat laboriosè civitatem; verberatur tamen, & vulneratur, & amittit pallium, hoc est sponsi protectionem: tanti est à Dei voluntate vel exorbitare tantillum. Sapientior deinde evadens, ita vineam, quam ei sponsus assignarat, studiosè excoluit, ita laboribus diligenter incubuit, ut vineæ suæ culturam, regni alicuius procurationi anteponere videretur. Operi continuò insistit, à vinea oculos non avertit, operarios urget, ut benè sepiatur, invigilat, summò mane in agrum egreditur, ut videat an illa floruerit, sponsum ad eam visendam invitat; non lucri caussâ laborat, neque ut mille pacificos, hoc est mille florenos congerat; sed omnem sui laboris fructum, omnem vineæ proventum, ei cedit, cui amorem suum, vitamque universam dicatam, consecratamque voluit: ita se gerit anima perfectè Deum amans, quæ vel minimum eius nutum omnibus blanditijs, & vitæ innocentis voluptatibus præfert, omnesque delicias suas in eius voluntatis præscripto adimplendo collocat.

Suo damno.

14. Sisois effatum de eodem.

Magnum solitudinis solem Sisois, cùm apud illum unum aliquem è Monachis magnis laudibus

bus nonnulli in cælum efferrent, quòd cõtinuâ Dei præsentiâ frueretur, dixisse ferunt; non esse magnum interioribus oculis Deum semper præsentem intueri; sed hoc magni faciendum, si se sub omnium pedibus aliquis conspiciat: innuens in uno plus inesse difficultatis, quàm in altero, quod magis cum hominum ingenita propensione pugnare videatur. Ego verò utrisque meritò prætulerim illum, qui se ita omni libertate abdicavit, ut æquè paratus sit sub omnium pedibus abijci, atque conculcari, ac supra omnium mortalium verticem extolli, Deo ita volente, acceptaque ab eius imperio jussuque dominandi auctoritate, atque potestate: etsi enim id viri Sancti remis, ut ajunt, velisque effugere sunt conati, nunquam tamen ubi ita Deum velle cognoverunt, obstiterunt eius voluntati; vel obsistendi pertinaciâ se non esse sanctos ostenderunt. S. P. Ignatius omni contentione gubernationem Societatis excutere conatur, ubi tamen Dei voluntas per eum, qui illi erat à Confessionibus, innotuit, continuò oneri humeros submittit. Joannes S. Birgittæ frater ardenti desiderio in bellum sacrum ferebatur, & jam inter cruce signatos nomen dederat: Rex obicem ponit, eumque vice Regis imperio, & Provinciæ unius administratione implicare contendit: Birgitta continuò ad preces confugit, moneturque à B. Virgine, fratri ut persuadeat Vice Regis dignitatem acceptet, belli sacri voluntatem suâ apud Deum mercede non frustrandam. Sed aliter accidit Religioso Cistercienſi honoris simul, & oneris fuga: electus ille erat in alicuius cœnobij prælatum, anxius ad S. Liduinam accurrit consilij petendi gratiâ, tum quòd solitudinis sui & secessus amore teneretur, tum quòd se imparem tantæ dignitati crederet: Virgo sancta Deo priùs consulto, suadet onus non refugiat, sed divinæ se conformet voluntati. Huic consilio, nimio quietis illectus amore, miser non acquiescit; quod magno illi stetit, ut pòst ipse narravit: tot enim calamitatibus jactatus deinde fuit, ut experimento didicerit (sic enim fatebatur) Deo placere honorem ex Dei voluntate susceptum, quàm ex humilitate palliata nimis obstinata repudiatum.

15. S. Ignatij exemplum.

16. Dei judicium.

17. Contrarium facientis pœna.

CAP.

CAPUT XXV.

Quomodo Amor perfectus hanc cum Voluntate Dei conformationem variis modis exerceat.

1. In tribus consistit voluntatis conformatio.

MIhi ipse consentaneus non sim, si illum omnes conformationis istius numeros implevisse dixero, qui Deo se dedens millies cum Regio vate per diem dixerit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*; & hac officiosa sui exspoliatione contentus, ibi pedem fixerit, nec ad particularia ad perpendiculum voluntatis divinæ componenda ac dirigenda descenderit, quæ vitæ nostræ telam universam contexere mihi videntur, hisque tribus verbis comprehendi: *Agere, Abstinere, Pati.*

2. In agendo.

Primò itaque oportet ut nostrum *Agere*, quàm latè patet, grande, parvum, arduum, aut facile, non summatim, sed sigillatim & ad actiones singulas ad divinæ voluntatis regulam libretur, atque concinnetur. Inter difficillimas actiones S. Bonaventura numerat inimicorum dilectionem; hanc quia à Deo imperatam amor perfectus, quamvis repugnante naturâ, ab homine impetrare conatur; nec ab hac resistentia pervincenda antè desistit, quàm victor evadat, & si ita res postulet, non tantùm aliquam fortunarum jacturam subire, sed mortem etiam subire pro inimico sit paratus.

3. Etiam minima.

Difficilis fortassis alicui videbitur actionum etiam minutissimarum accurata cum Dei voluntate conformatio, non quòd illæ sejunctim consideratæ aliquid difficultatis! contineant: sed quòd cùm tam frequentes sint, & numerosæ, singulisque propemodum momentis se ingerant, miram quandam diligentiam, animique continuam attentionem exigere videantur. Multum exagitat hominem tanta vigilādi, tamque exacta super minuta, fugitivaque excubandi necessitas: inest homini captivitatis ingens odium, & libertatis congenita cupiditas; ut verò intellectus ad omnia particulatim attendat, & voluntas in illis semper velit, quod Deus vult, oportet, ut utrique frænum injicias, & utramque illam animi facultatem à suis diverticulis cohibeas, ne fortè minùs advertenti aliquid contra aut præter Dei voluntatem actionibus se affricet, atque permisceat.

4. Exempla Christi.

Quàm præclara horum omnium exempla reliquit nobis JESUS Christus! nullum ex eius ore verbum prodibat, nisi ad voluntatis paternæ regulam examinatum; *A meipso*, inquit, *non loquor*: nulla actio

actio nisi divinis præscriptionibus conformis. Matri mutationem aquæ in vinum postulanti respondet: *Non dum venit hora mea*; quam scilicet Deus illi præscripserat: sic & propinquis ad iter Jerosolymitanum capessendum provocantibus: *Nondum*, ait, *venit tempus meum*: atque hunc agendi modum viris sanctis etiam fuisse familiarem, ex historijs cognoscimus, qui actiones suas ad voluntatis divinæ nutum ita conformabant, quasi in earum etiam minimis totius mundi cardo, omniumque hominum salus verteretur: similes Pictoribus, qui suum studium non tantùm in præcipuis imaginis partibus bene efformandis collocant, sed minimas etiam res, ut capillitium, herbulam, folium accuratè depingunt; ut nihil sit in quo spectantis oculus majorem diligentiam & perfectionem requirat. Palmas Indicas ferunt in se nihil habere, quod non sit admodum utile, & exquisitum; truncus, radix, cortex, fructus, folia sua secum commoda deferunt: ita in hominibus illis perfectis, omnis actio, omne verbum, motus omnis laudis materiam propiùs intuentibus præbet: inter quos S. Patrem nostrum Ignatium repono, si repono, id mihi cum ratione facere videor, in quo tantam omnium actionum accurationem notarunt, qui eo familiariter usi sunt, ut illum nec oculum vertere, nec manum movere nisi ex præscripto rationis crederent. Atque hanc ipse exquisitam diligentiam in suis etiam exigebat, ut in Patre Oliverio Manaræo (qui hoc ipsum literis tradidit) prudenter ostendit. Mittebatur ab illo Manaræus, ut Laureti primum Rectorem ageret, & cùm valediceret, apud se reputans, Sanctum Patrem non amplius in terris à se videndum, volensque altiùs totius oris ipsius conformationem ac lineamenta memoriæ imprimere, in eius vultum aliquantulum defixit oculos. Quod bene advertit vir sanctus, & reprehensione dignum censuit; nolensque in præsenti id facere, cùm jam Manaræus è vestibulo Domus pedem efferret, Patrem Polancum ad eum misit, qui suo nomine hæc illi diceret: Animadvertit Pater noster te in discessu in eius vultum aliquantisper defixos oculos tenuisse, cumque id in subdito minus decens esse, & pugnare cum modestia & reverentia superiori debita censeat, tria tibi mandat. 1. Ut diebus singulis examines, an illo die oculos defixeris in aliquē, cui reverentiam debes. 2. Ut in pœnam aspectus hodierni, quotidie dicas unum *Ave Maria*. 3. Ut singulis septimanis ad ipsum rescribas, an duo priora fueris executus. quod quindecim mensibus observavit; tum enim, vir sanctus

5. Simile à pictorib.

6. Exemplo S Ignatij.

Manaræum reprehendit.

ctus illi reſcripſit, ſibi factum eſſe ſatis.

7. In abſtinendo à licitis.

Sed veniamus ad difficiliorem meo judicio conformationis materiam, quam verbum ſecundum importat, nempe *Abſtinere*: quo ſignificatur, Amantem non tantum ſe continere ab ijs, quæ cum peccato minimo conjuncta ſunt, ſed præterea nihil ſibi licere velle, nihil permittere, quod non divinæ Majeſtati probetur quàm maximè: ſi id à ſe non impetret, à perfecta amoris lege aberraſſe ſe putat; in quo latiſſimus exercendę conſtantiæ, & rerum omnium deſpicientiæ campus aperitur. S. Carolum Borromæum ab aſpectu per feneſtram, ab hortorum amœnitatibus, vel unico oculorum jactu conſpiciendis abſtinuiſſe legimus. S. Euſebius apud Theodoretum annis quadraginta, neque cæli, neque viridantium camporum proſpectu oculos paſcit. Abbas Pior Antonij diſcipulus intra remotos ab hominum conſuetudine ſolitudinis receſſus ſe abdens, puteum effodit; aquâ qualicumque, quam ille ſubminiſtraret futurus contentus, ſalſam invenit & ſaporis maligni: illâ triginta annis, non aliâ pro potu utitur. S. Sabbas à pomorum eſu toto vitæ decurſu abſtinet. Sexcenta ſunt huiuſmodi per virorum Sanctorum hiſtorias diſperſa, quæ non tam ſibi illos viviſſe, quàm per quamdam ab omnibus rebus delectabilibus abſtinentiam, Dei oblectationi ſtuduiſſe demonſtrant.

Exemplo S. Caroli Borromæi.

S. Euſebij.

Alterius.

S. Sabbæ.

Ad eundem modum ſe gerunt 8
in tertio, quod *Pati* nominavimus, in quo id maximè deligunt, quod patientiam exercet quàm maximè, & in tolerando eam animi firmitatem aſſerunt, quam divinæ majeſtati potiſſimùm placere arbitrantur. In quo genere mihi videtur excellere P. Petrus Faber, primus è Sancti Ignatij ſectatoribus, & dignus tanto Parente filius; cuius de patiendo impoſitum ſibi à ſeipſo decretum dignum eſt quod aureis literis poſteritati mandetur. Ita ſe habet: Primò patiar æquanimiter quidquid mihi acciderit, exile, arduómve fuerit, ab amico æquè ac ab inimico mihi illatum; facto vel verbo, atrociter & contumeliosè, vel cum moderatione irrogatum: quomodocumque fuerim tum animo diſpoſitus, lætus vel triſtis, ab oratione confirmatus, vel negotiorum oppreſſus moleſtijs, feram verò non tantùm modeſtè, ſed hilariter, & inferenti gratias habebo, & pro illo numen deprecabor, quo excelſiùs aſſurgere poſſit Amor patiens, & amans Deum patientia; non video qui hæc ad amuſſim ſervaverit, meritò proponi poteſt in exemplum & incitamentum patientiæ.

In patiendo.

Exemplum Petri Fabri

Verùm Amans ille perfectus in 9.
his

In his attende adverbia, seu modum.

his omnibus, nõ tam verba quàm adverbia præ oculis habet : non tam quid agat attendat, quàm an bene, an accuratè, an reverenter, an circumspectè id faciat ; studiosè considerat átque ut in vestitu corporis non tam vestis materiam, quàm formam, & concinnitatem homines æstimant : ita non tam quod vult Deus, sed quomodo vult rem fieri, quicumque eius gratiam affectat, circumspicit. Sacerdos aliquis dum horarium pensum persoluit, facit quod Deus vult, sed quia sedens, quia tecto capite, quia vago interdum animo, ad solum verborum corticem attento id facit, parum apud Deum gratiæ promeretur, parum defert eius voluntati ; qui actiones nostras ad divinæ perfectionis exemplar conformari desiderat, dum dicit : *Vt sitis perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Hinc S. Ludgerus, dum in itinere in hospitio cum suis comitibus alternis Matutinas preces recitat ; graviter unum ex illis finitis precibus reprehendit, quòd dum recitarent, ut fumi molestiam abigeret, se componendis foci lignis aliquantulum occupasset. Magnus ille Simeon Stylites, jam annos complures in illa sua columna mundo demirante, & plaudente cælo perstiterat, sed invidente dæmone, & Dei voluntatem fallaciter ementiente propemodum concidit: hic

10. In quo peccavit unus è S. Ludgeri Sociis legendo horas cum evagatione.

Sumantur à Deo Simeon Stylites,

specie Angelicâ velut Dei nuntius hominem aggressus, monet Deum velle, currum, ut olim Elias, conscendat aliò avehendus. Ille parendi studio pedem levat : quid agis vir sanctissimè? adverbia non satis observas, minùs circumspectè te geris, nimis præcipitanter ad currus çonscensionem te accingis. Advertit ille, Deo malum aperiente, se temerè procedere, crucisque signum hærens tantisper efformat; ad cuius conspectum præstigiator aufugit : ipse verò hanc ut temeritatem, & præcipitis animi consilium castigaret, pedem, quem levarat, anno integro suspensum tenuit, toto illo tempore uno tantùm pede subsistens.

11. Maria ab Incarnatione.

Maria ab Incarnatione sanctissima mulier dum adverbio, *rectè*, minus attendit, & altissimo fini obliquam proprii commodi intentionem admiscet, tanquam vitiosè factum à Deo reprehenditur; res accidit: opifici pauperi, & ægro eleëmosynæ nomine aliquid largiebatur, subijt mentem illi hæc cogitatio ! potiùs illi, quàm alteri gratiam illam faciendam, quod ad domesticas necessitates eius opera usui esse posset ubi Deo cor eius collustrante hoc amoris proprij commentum animadvertit, culpam agnovit & lachrymis ac animi pœnitudine maximâ diluere conata est: amor scilicet perfectus hanc labeculam diu ferre

12. Sisois. non potuit. Sisois ille solitariorum celeberrimus cum inter orandum alio præsente per incogitantiam susperium emisisset, seipsum incusavit vehementer, & Monachi nomine indignũ professus est, quod alium perturbasset, & interiorem ardorem minùs circumspectè suspirio prodidisset.

Ioseph. Neque in his nimis anxiè processisse viros istos sanctissimos arbitremur, quandoquidem huiusmodi nævos, & leviſſimas culpas severis castigationibus à Deo punitas esse videamus. Josephus in carcere quasi Deo non satis confisus, dum Pincernæ apud Pharaonem preces & gratiam emendicat, duorum propterea annorum in ergastulo pro rogatione multatur. *Moyses legislator.* Moyses vir si ullus unquam apud Deum gratiosissimus, dum Israelitis aquam postulantibus, hæret anxius, & de Dei bonitate, ac in Deum rebellem totiesque refractarium clementiâ dubitat, neque pro Deo satis constanter agere eiusque partes tueri videtur, à terræ promissæ ingressu prohibetur, & in eius conspectu mortẽ oppetit. Sexcenta sunt hujusmodi divinæ animadversionis exempla, quibus omnibus sæculis ostendit Deus omne mortalium bonum in perfecta cum sua voluntate conformatione consistere.

CAP. XXVI.

Perfectissimam conformationem voluntatis humanæ maximè elucere in continuis cum amore proprio conflictibus.

EAdem est animorum ratio, quæ Regnorum: quidam pace altissimâ fruuntur, nec est hostis qui intra vel extra tumultuetur & perturbet; non intra appetitus concupiscibilis, quia ille in suis desiderijs rationis arbitrio se accommodat; non irascibilis, quia nec ille fugit aut abhorret, quod ratio suscipiendum ostendit; sed in omnibus ad instar equi perdomiti sessoris manum ductumque uterque pacificè sequitur: sensus etiam victus & propemodum debellatus aliquid attentare audet, ne novis victorijs & triumphis materiam præbeat. Alij verò, etsi ad eundem amoris gradum provecti, alio modo se habent: continuò in acie versantur, indefessè excubant, intus seditio, foris conjuratio, omnia in tumultu, sensus interiores frænum excutere nituntur; appetitus perturbatò se commovent, imagines omnis generis à dæmonè immissæ phantasiam irrumpunt; continuis impressionibus, &

1. Aliqui animæ sine peccato.

2. Alij in pugna perpetua.

& assultibus fatigatur animus atq; in eius inferiori parte confusa est tenebrisque permista concertatio;

3. Alij in pugna, sed invicti.

in superiori verò parte Dei amor cum ratione velut ex arce ad omnia vigilat, pro Deo stat fortiter, nec minimam defectionem, aut ab eius voluntate dissensionem admittit, quinimò colloquium omne cum adversario respuit; atque hic opus, hic labor, est. Per hasce verò difficultates amor ille perfectus fidem suam erga cælestem Imperatorem probat quàm maximè. Olim ut Paphnutium, uti suprà memoravimus, à fide Christiana Tyrannus abduceret,

4. Ut Paphnutius in aspectu tormentorum.

formidabilissima pro cruciandis Martyribus instrumenta ante eius oculos exponi jussit; ad quorum conspectum risit Paphnutius, & tyrannum irrisit dicens: An putas væsane, Monachum in horrore solitudinis diu versatum similium rerum aspectu posse terreri? scito terribiliora nobis fuisse cum dæmonibus certamina, hæcque omnia, vix mihi eorum umbram repræsentare.

5. Militia est vita hominis.

Mirum est certè aliquos huius cælestis disciplinæ sectatores de difficultatibus interdū conqueri, quas pervincere oportet eum, qui se amoris perfectioni acquirendæ perstudiosum esse profitetur, cùm à Spiritu sancto pronuntiatum sit, vitam hominis super terram militiam esse; & Christum audiat dicentem; se non pacem, sed gladium mittere; dubio procul, ut illo in certaminibus utamur, cumque hostes foris vigilantissimos, & domi perfidos ac perduelles experiamur, & quidem hos nullâ arte, aut prudentiâ pacabiles, adeò ut S. Ægidius audeat asserere, si quispiam vel mille annos perstet in vita, neque aliud toto isto tempore agat, quàm secum pugnare, se vincere, & naturæ vitiatæ corruptelam emendare; habituram tamen post tot annorum lapsum, quod corrigat, & hostes quibuscum confligere necesse sit.

6. In qua inluta quies.

S. Teresia ad viam virtutis constanter tenendam majoribus animis opus esse aiebat, quàm ad breve martyrium subeundum: atque ad hoc accedendum animo ita comparato, ut toto illo tempore cum difficultatibus lucteris, tātoque majores progressus facturum te putes quanto animo ad patientiam meliùs dispositio ad orandum accesseris.

7. Firmior martyrio.

B. Magdalena de Pazzi eodem magistro Spiritu sancto edocta novitias suæ curæ commissas instruit, seriò monet, ne in via perfectionis aliud quàm cruces, angores, ariditates, & pugnas expectent, in ijs rectissimùm ferendis & pervincendis virtutum præstantiam spectari, imbelles illas esse & Christiano nomine indignas, qui aliâ viâ ingredi volint,

8. Ubi ferendæ cruces.

9. Exemplo Christi.

quàm illa, quam Christus suis vestigijs consignavit: proinde ad ista terriculamenta non frangerentur animis, nec pedem referrent, sed contra obsisterent, & victoriarum materiam capesserent.

10. Ad eius libitum ut milites.

Quæ omnia etsi à divina Providentia dependeant, quæ non omnes paribus exercitationibus erudit, neque cum tot hostibus tanto tempore unumquemque committit: facitque quod fieri solet in Provincijs, ubi aliqui militum manipuli nunc ad finitima loca, ubi frequentes sunt cum hoste velitationes, nunc ad interiora, ubi major quies, & nulli prope conflictus ad Imperatoris arbitrium transferuntur; ita Deus nunc hos pacis dulcedine frui permittit, nunc in campum & aciem prodire, & cum hostibus manus conferere jubet. Stat stabitque semper hæc inconcussa veritas, virtutem, fidemque subditi erga suum Principem diuturnâ in rebus arduis periclitatione inclarescere.

11. S. Xaverij constantia in oblegationis Sinensis.

Animum ingentem in S. Xaverio in superandis Oceani fluctibus totitq; itinerum molestijs pervincendis, pluribusque formidolosis cum dæmone eiusque satellitibus certaminibus omni admiratione dignum judico, sed si quis propiùs res ab eo præclarè gestas examinet, in eam mecum sententiam veniet, nunquam eius animi magnitudinem, atque constantiam, nunquam fidem in Deum, & cum divina voluntate conspirationem, atque consensum magis claruisse, quàm cùm summo studio & magnis ab amico factis impensis adornata ad Imperatorem Sinensem legatio, unius Malacensis gubernatoris avaritiâ disjecta, dissipataque est, spesque maximarum rerum eversæ penitùs, atque labefactatæ: quam cùm deinde instaurare conaretur factâ cum Monarcho Sinensi conventione, ab ea etiam illusus atque deceptus, dæmone quodammodo de illo triũphante, suam nihilominus ipse cõstantiam animique firmitatem inconcussam retinuit, & omni voluntate ad pedes Christi depositâ Xaverius ipse de Xaverio triumphavit. Ipsemet etiam Dei Filius tum maximè quantùm Patris sui mandatis adhæresceret, quantùm eius suspiceret voluntatem, ostendit, cùm in extrema cum morte lucta spiritum, animamque in manus Patris deposuit, eiusque usuram omnem paterno commisit arbitrio. Nemo nostrûm Petrum in Monte Thabor tabernacula construere postulantem demiratur; sed in horto somno correptum, & in palatio perfidum, & prævaricatorem, ubi maximè magistro suo agglutinari illum oportuit, omnes reprehendimus.

12. S. Hugonem Episcopum Gratia-

S. Hugonis in tentatione desperationis.

tianopolitanum non tam vitæ sanctimonia & miraculorum frequentia apud homines celebrarunt, quàm apud Deum & cælites illustrem reddidit patiens, & permolesta toto vitæ decursu cum desperationis cogitatione, Deo eam permittente, concertatio, quam ipse in punitionem admissi Episcopatus inflictam sibi à dæmone, Dei arbitratu existimabat, eaque de causâ à Nuntio Apostolico ad Summum Pontificem adductus esset, ab illo, qui jam eius certamen didicerat, ad constantiam & cum voluntate divina consensionem est animatus; monebat Pontifex, videret etiam atque etiam, ne præ metu animique molestiâ, tantillum hosti cederet, Deum hoc argumento ostendere, quanti illum faceret, & quanto amore prosequeretur: ab eo eiusque assiduitate in animarum lucro procurando metuere sibi dæmonem, & velle impedimentum adferre; sed dãno suo & probro, & eius gloriâ & triumpho, qui tanto tempore tam importuni hostis molestissimos congressus sustinuisset fortiter, & generosè repressisset; quo res est difficilior, amorique proprio infestior, eò glorioſior est in ea ferenda vel superanda cum voluntate divina conformatio.

13. Et alterũ respuentis consolationes.

In Blosij Abbatis Lætiensis cælesti doctrinâ refertissimis monumentis legimus virum sanctissimum cùm post annos quinque perpessas ariditates spiritus, mentisque profundissimas tenebras, venisset ad illum Angelus solamen de cælo deferens, quò defluentes, ex oculis eius indesinenter lachrymas abstergeret; noluisse quidquam solatij, vel levaminis admittere; sed ad Deum conversâ precatione dixisse: Domine Deus, nullam à te consolationem nullum lenimen efflagito, mihi abundè est, si tibi in corde meo integrum locum reservavero, ne in illud furtivè irrepat, quod tibi displicere possit. Quo responso plus ille apud Deum acquisivit gratiæ, plus sibi peperit honoris & glorię, quàm si omni lætitiæ & voluptatum affluentiâ redundans, magnã apud homines etiam sanctimoniæ opinionem sibi conciliasset.

Generosas animas amat Deus; illas verò, quæ querelarum plenæ, ubi omnia ex voto non fluunt, hastam abijciunt, ferre non potest: si illis in oratione hæret aqua, si radius cælestis solito more non affulget, si calor ab igne Spiritus sancti excitatus deferbuit; si inertiâ quâdam & desidiâ licet invitè omnes animæ facultates obtorpescere videntur, continuò contentionem omnem remittunt; neque arcanis Dei consilijs se regendas, ut par est, permittunt, quasi meliora essent à Deo promeritæ, vel suo arbitratu, non verò summi

14. Nec causseus id metum culpæ.

ſummi Impetratoris vellent gubernari. Neque mihi dicant ſe longè à ſimilibus cogitationibus abeſſe; ſed ſuam in his culpam, vel negligentiam tantùm pertimeſcere. Si ſcirem, ajunt, nullum in hoc negotio peccatum à me committi; ſed meram eſſe à Deo meæ patientiæ periclitationem, continuò acquieſcerem, & divinò me arbitrio planè ſubijcerem. Fateris ergo ignorantiam tuam, & an omni culpâ vaces, neſcire te profiteris: ſupplex igitur ad divinæ miſericordiæ pedes accide, & ab illa lumen efflagita; tum quidquid in te Deo non placet deteſtare, & tuum velle nolleque eius imperio prorſus ſubmitte, & conquieſce, tibique perſuade hanc ad Dei arbitrium voluntatis tuæ humilem conformationem, moleſto & inquieto conſcientiæ tuæ examini gratiorem multò futuram. Audi modò ex eodem Bloſio de Virgine eminentis ſanè virtutis memorabilis ad divina placita ſubmiſſionis exemplum. Hæc animi anguſtias, & à Dei amicitia velut avulſionem tam acerbam patiebatur, ut pares inferorum tormentis pœnas ſuas eſſe crederet; inter hæc hoc ſolum Deo dicebat: Memento, quæſo Domine, te Deum meum eſſe, meumque conditorem, meque tuam eſſe pauperculam creaturã: tuo ego me arbitrio planiſſimè cõmitto, atque ſubijcio pro tempore & æternitate, hoſque angores perferre ſum parata duratione interminabili. Non ſe contenuit hîc Deus, quin animam ita humilem, & ad ſuos nutus obſequentem donis ornaret ampliſſimis, & ad cæleſtes delicias abundantiſſimè fruendas raptibus iteratis elevaret: ſed tamen amorem iſtius Virginis in Deum priores anguſtiæ, quàm poſteriores deliciæ teſtatiorem & illuſtriorem reddidêre.

15. Sed recurras ad Deum.

16. Exemplũ Virginis id facientis.

17. Quo fructu.

Cùm ego hos amoris divini pugiles in medijs calamitatibus, & malorum incurſibus ad Dei juſſa perſequenda tam conſtantes intueor, videor naviculam aliquam rupi alligatam furioſâ tempeſtate agitari, & hinc undis, inde ventis, cœlique fulminibus & tonitru in eius ruinam velut conſpirantibus huc illuc propelli, fluctibus prope convelutam abſorptamque à ſubmerſione tam propiùs abeſſe quæ ſue nihilominus rupi funibus integris inter hæ firmiter ſadhæreſcit: aut Ducem aliquem intueri qui ab hoſte victore, in arcem compulſus, & omnibus machinis, cuniculiſque impetitus, & de deditione ſolicitatus, conſtans tamen in ſui Principis fide, ſe arcemque fortiſſimè defendit, mori paratus, ſuumque erga Principem amorem generosâ ſanguinis profuſione teſtari. Hæc eſt iſtorum pugilum imago.

18. Simile à navi.

19. Aut ducis obſeſſi.

Sed contingit interdum, ut Deus

20.

Quid in extremis angustijs faciendum

Deus pugilem suum tractet tam duriter tantaque in eum severitate utatur, ut eum hostis loco habere videatur: quid tum pauperculus ille quid agat? quò se vertat? ad quem perfugiat? quam aram apprehendat? atque hic est supremus perfectæ conformationis actus: consilium meum verbo expedio; ille tum ut reus fune collo injecto, ac humi prostratus perduellionis crimen agnoscat, Dei clementiam appellet, Christi vulnera misericordiam deprecetur, seque totum divino submittat arbitrio. Nō ausim hortari, ut cum duabus ex ordine S. Dominici Virginibus, de quibus suprà, ita Deum alloquatur: Nolo Deus meus vel ad ictum oculi esse in cælo contra tuam voluntatem, nec inferorum tormenta recuso, si ita tuo placitum est arbitrio; ubicumque fuero, amori tuo me meque omnia consecrabo. Quia si tum sanctissimum illū, & inter Heroes reponendum Cœnobitā imitemur? qui cùm omnia Monasterij bona divinę Providētię subjecissent, suiipsius etiā curam abjecit, seque totū Deo permisit pro tēpore, & ęternitatę; dicens: Si scirē divino decreto jā constitutū, ut ad inferos detruderet, nollē vel unico momēto Dei voluntati obsistere, & si possem dicendo unum *Pater* & *Ave* decretū illud evertere aut immutare, non facerem; duo tantùm Deum rogarē; unū, ut totâ æterni-

21. Exemplū robustæ constantiæ.

22. Eius fructus patratio miraculorū.

tate sanctissima eius voluntas in me impleretur: alterum, ut mihi eā faceret gratiā, ne unquam vel minimam cogitationem contra eius decretum admitterem: quam animi demissionem & precationem iterabat quotidie; ut nulli mirum esse debeat, si Deus hominem frequētibus miraculis honestarit, cùm tanta animi excelsitas, & magnitudo summum sit ipsa miraculum.

Est prætereà in huius conformationis exercitatione aliquid non ita obvium, in quo tamen amor industrius reperit, quo Dei benevolentiam magis ac magis sibi conciliet; cùm nimirum non vult plus posse, quàm Deo collibitum est, cùm in cogitationes suas, & partis inferioris motus precario quodammodo utitur imperio, neque inde mœrore conficitur, sed in Dei volūtate conquiescit, quod à Seneca Philosophiā duce ac magistrâ factitatum legimus, qui ad Lucilium scribens ita loquitur: *Si quid non possum, non posse me gaudeo.* Non mirum videri debet, si in tantâ altitudine animi summa sit pax atque tranquillitas; ut enim in suprema aëris regione nec tonitrua, nec fulgura, nec aliæ aëris agitationes aut perturbationes fiunt, ita animus tam excelsus, tamque ad Dei arbitrium formatus atque compositus, omni commotione vacuus altissimâ pace & inconcussâ perfruitur: quò Luna terræ ob-

23. Ne plus velis posse quam Deo videatur.

versa obscurior est, eò altero sui dimidio quò solem respicit, illuminatior est: ita quò magis rebus adversis conflictatur animus Deo conjunctus, & calamitatum tenebris involuitur, tantò magis à Deo radijs cælestibus illustratur, & ex ipsa quodammodo infelicitate, ad ipsam felicieatem & veri æternique boni possessionem emergit. *Inter aspera*, dicebat Salvianus, *nulli lætiores, quàm qui hoc sunt, quod volunt.* A propria enim voluntate & proprio arbitratu, cum Deo non benè consentiente omnem mentis agitationem & perturbationem oriri, dixit aliquando Catharinæ Senensi omnis veritatis auctor Jesus Christus: sed & magnus ille cælestis doctrinæ Magister, & institutor B. Franciscus Sales mentem nimis ardentibus perfectionis desiderijs agitatam & in virtutum studio perturbatè agentem, nõ à Deo impelli, sed amoris proprij motibus & stimulis agi existimabat; quo etiam in numero ponebat eos quibus non satis est cogitationibus aut motibus perversis non assentiri; sed volunt eos etiam non sentire, quasi de cælo delapsi, ab Adamo, eiusque vitiata stirpe genus non ducerent.

Lib. 1. de Provid.

24. Quia hoc est ab amore proprio.

CAPUT XXVII.

De Vniformitate, Deiformitate, & Transformatione.

VNiformitatis, & Deiformitatis voces à Dionysio Areopagita accepimus, Transformationis ex S. Paulo assumpsimus. Uniformitas nihil aliud est, quàm tanta voluntatis humanæ cum divinâ conformitas, ut duas istæ, voluntates in unam coaluisse videantur; sicut cum amicitiam perfectam consummatamque significare volumus, unam animam in duobus corporibus habitare dicimus. Deiformitas paullò clariùs indicat Dei voluntatem humano dominantem arbitrio, illud ita sibi subjecisse, ut homo non jam operari, sed Deus in illo & per illum agere videatur. Transformatio idem ferè significat, non quòd natura voluntatis humanę in divinam transformata suum esse amiserit; sed quòd qualitates alias longè præstantiores induerit, & ad modum agendi sublimiorem ac propè divinum evecta sit: quod à S. Bernardo, alijsque varijs similitudinibus explicatur.

1. Quid Uniformitas.

Deiformitas.

Transformatio.

Primò guttulæ aquæ in dolium vini potentissimi conjectæ, quæ brevi tempore, vini colore, & sapore,

2. Similit.

pore, & calore ac agendi facultate imbuitur. 2. Ferri igne candescentis, quod obscuritate, rigore, & frigore depositio, igniſque qualitatibus assumptis clarum, flammeum ac collucens, & flexibile, ac urens evadit. 3. Aëris, qui radijs solaribus perfusus aliam formam induisse videtur, ab eâ quâ nocte per Solis absentiam tenebris obseptus credebatur; quod ipsum in vasculo crystallino dilucidius apparet, quod è loco obscuro extractum, ubi Soli exposueris, tanto splendore continuò perfunditur, ut ad instar exigui Solis intuentium oculos perstringat. In hunc etiam finem vaporum levitas, atque agilitas profertur in medium, qui cùm è terrena crassáque materia conflati, calore tamen Solis subtiliores effecti, in altum elevantur, & in media aëris regione eas agitationes, motusq; concient, quos ignis eò commeans vi caloris prædominantis excitaret. Sic animi illi perfecti amoris virtute in Dei voluntatem quodammodo transformati, eius etiam agendi modum induerunt. Quod ut exprimeret verbis, quod reipsâ experiebatur Paulus Apostolus, dixit: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.*

3. Idea hominis in Deitransformati.

Primò intellectus in illis divinâ luce perfusus intentis semper æternam Veritatem oculis intuens, & in ea defixus, falsis rerum caducarum imaginibus non abducitur, sed ad veri possessionem mentis aciem studio indefesso convertit. Voluntas verò ita incommutabili bono fortiter agglutinata est, ut nullâ prorsus fugientium voluptatum titillatione vel tantillum commoveatur: appetitus verò concupiscibilis longo jam usu perdomitus ab delicijs, ut à scabie se continet; irascibilis quoque nullo jam difficultatum metu retardatur, sensusque omnes mirificè rationis imperium sequuntur. Amor sanctus jam omnibus subjugatis novam faciem rebus induit, Deus pacatè regis cordis solio considēs ab omnibus fidelitatis sacramentum accipit, summaque tranquillitate jus dicit, cunctis perlubenter imperata facientibus: & sicut olim Pharao Josepho ad Vice-Regis dignitatem evecto dixit: *Ego sum Pharao, absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Ita in huiusmodi anima Deo ita volente, nulla se facultatum commoveat, nisi charitate jubente; imò Deo ipso ad suum beneplacitum omnia ordinante, & dirigente. Talem animam sortitum fuisse S. Bonaventuram arbitror, quem Alexander Alensis videri ajebat in Adamo non peccasse, quòd nulla in actionibus corruptæ per peccatum naturæ argumenta proderet, omniaque sua ad rectæ rationis

4. Exemplum S. Bonaventuræ.

perpendiculum normamque conformaret, & nõ tã hominis, quàm Dei Spiritus in eo operaretur universa. Talem ferunt etiam fuisse S. Patrem N. Ignatium, de quo soliti erant dicere, qui eo familiariter usi sunt, Patres sapientissimi æque ac sanctissimi, gratiam illi velut connaturalem fuisse, à qua omnes corporis, animique motus divinæ regulæ conformes prodirent. Tales & Sanctorum plerosque omnes fuisse legimus, quos pro Angelis vel Seraphinis de cælo lapsis, & carneâ mole vestitis habuerunt omnes, qui amicitiâ vel consuetudine conjuncti eos observarunt; jam antè illos in suis animalibus depinxerat Ezechiel Propheta, qui ad instar fulguris coruscantis igneo amore succensi, ibant, & non revertebantur, & gloriæ divinæ currui agendo protrahendoque operam junctim impendebant: divinum aliquid præ se tulisse, & inde dos terrestres appellari potuisse meritò dixeris. Unam quæso ex multis Teresiam videamus, divinitate isque expressam in illa imaginem propiùs intueamur. 1. Deus est impeccabilis, & Teresia mille potiùs mortes subituram se dicit, quàm vel minimam peccati labem deliberatè contrahat. 2. Deus in agendo suam quam potest maximam gloriam spectat, & illa voto sancit majori divinæ gloriæ se in omnibus actionibus intentam fore. 3. Deus semper sibi constat, nullamque mutationem accipit, & Teresia ita bono perseveranter adhæret, ut persuasum habeat, se ne levi quidem vanæ gloriæ afflatu inficì, aut commaculari posse. 4. Deus semper est in seipso, & illa in Deo. 5. Deus erga inimicos clementiâ utitur & benefactis illos prosequitur, & Teresia adversarios suos amore complectitur, amicorumque loco habet, gratijs beneficijsq; afficit. 6. Deus omnipotens est, & illa ita infirmitatem suam divinæ potẽtiæ astrinxit, & alligavit, ut satis sibi virium ad omnem hostium infringendam contumaciam, impetusque retũdendos esse existimet. 7. Deus immortalis est, & illa mortem non timet, sed ambit & provocat, ut immortalitatẽ consequatur. Quod de Teresia in medium protuli, ita cum celeberrimis sanctis Benedicto, Bernardo, Dominico, Francisco commune est, ut in illa cæterorum sanctimoniam expresserim. Ad hoc fastigium perfectionis evehit generosas illas animas Amor sanctus, dum illas omni rerum inferiorum cupiditate vacuas, Deo, donisque cælestibus replet cumulatissimè. Neque idcirco velim tibi persuadeas, eas ab omni prorsus labecula immunes, eximiasque fuisse: hoc enim esset ad Begardorum superbiam, super-

S. Ignatius.

Et alij.

5. In quo consistat transformatio.

6. Begardorum & Beguinarum error.

ſuperciliumque propiùs accedere, ob quam ab Eccleſia condemnati, & perpetuo anathemate confixi ſunt: eouſque illi proceſſerant impudentiæ, & hominem tam altè in amoris perfectione provehi poſſe, dictitabant, ut ulteriùs progredi non poſſet; tum verò ab omnis peccati ſordibus ex purgatum eſſe, nec ullam labem contrahere poſſe aſſerebant, nulliſque proinde aſtrictos legibus, ſed filiorum Dei libertate donatos impunè agere poſſe, quid quid adlubeſceret. Homines miſeri, & inter fæces & monſtra ſuperbiæ meritò computandi, qui non vident væſaniam ſuam vel inde confundi & jugulari, quòd ne quidem Apoſtolos ſuos Iesus Chriſtus iſto privilegio donarit, quos, ut notat S. Auguſtinus, quotidie peccatorum commiſſorum veniam petere docuit, dum juſſit illos dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Sanctos omnes, dum inter huius vitæ corruptelas ad cælum properant, arboribus cum Chriſto meritò comparaveris, quæ fructus aliquos peccati deliberatè commiſſi veneno infectos rarò ferunt, malignæ tamen auræ afflatum omnem, aut vermiculi tacitam arroſionem ſemper vitare non poſſunt: ſunt aliqui ex fructibus præmaturi & præcoces, ſunt alij acerbi, ac proinde indigni qui divinæ menſæ præſententur.

Neque etiam opineris hos amoris egregios pugiles nihil ultrà perpeti, quod omnibus iam animi paſſionibus edomitis, debellatiſque hoſtibus Deum in medio cordis adinſtar pacifici Salomonis præſentem circumferunt: Imò verò patiuntur quàm maximè, & plurima tolerant; ſed perlubenter, & tranquillè, tanquam Dei ſapientiâ amoreque emanantia, argumentaque ſingularis benevolentiæ; tanquam arrhabones promiſſæ felicitatis, cæleſtiumque bonorum præguſtationem, & novæ dilectionis incentiva. 7. Viri perfecti non deſinunt pugnare & pati.

Cùm ad hunc Deiformitatis gradum perveniſſet S. Paulus, & ſupremam huius vitæ in Deum transformationem eſſet aſſecutus, ita nihilominus frequentibus malorum incurſibus eſt agitatus, ut etiam tæderet illum vivere. S. Catharina Genuenſis inter præſtantiſſimas amoris divini ſponſas meritò annumeranda, tanto tamque exaggerato malorum pondere opprimitur, vexatur, & propemodum fatiſcit, ut ne Luciferum quidem (ſi pœnam damni excipias) inter inferorum tormenta ita cruciari exiſtimet: habet enim ſuos etiam amor divinus equuleos. S. Tereſia, cuius ſuprà in comparatione cum divinis perfectionibus, in virtutibus eminentiam perſpeximus, tantis tamen doloribus propè conficitur, dum ſperata Dei *Patet in S. Paulo.* Et alijs.

fruitio differtur, ut pares toto vitæ decursu non senserit: erumpit tum illa in voces, & suspiria præ cruciatuum magnitudine, & audientes ad misericordiam commovet; jam jam dolorum violentiâ animam exhalatura, & hinc amoris vehementiâ desiderijque ardore, inde membrorum omniũ convulsione moritura creditur: atque ubi paululum respiravit, ita corpus debilitatum fractúmque persentiscit, ut triduo manum ad scribendum movere non possit. Si ab illa quæras, cur non divino beneplacito sponsi sui amplexus desideratos protelanti se conformet, totamque se illius non permittat arbitrio, respondebit sibi etiam id solatij ademptum esse, & quidem ad hanc cum divina voluntate cõsensionem aliàs semper velut ad patientiæ anchoram confugisse; jam verò suæ voluntatis suorumque desideriorum dominium sibi ereptum videri; unaque se cogitatione ac cupiditate sponso fruendi ita configi cruciarique, ut illam excutere prorsus non possit.

8. Maxime in B. Virgine.

Si amoris divini vehementia tantum potuit in illos Amantes, quos quæso in corde Beatæ Virginis Mariæ in illa amoris fornace ardentissima doloris sensus excitasse putandus est, cùm se filius ab eius subtraxit & aspectu & amplexu, cùm se ille pompâ admirabili cælis inseruit, & illam solam reliquit in terris: latronem pauculas horas in cruce pendulum, & filio in tormentis associatum ad quinque aut sex verborum supplicationem æternis cum illo gaudijs donatum vidit, se verò desideratissimá fruitione post tot suspiria, precationesque privari: Verè sine dolore, non vivitur in amore. Tria potissimùm urunt & affligunt has animas amore Dei ciusque fruendi cupiditate succensas. 1. Vita hæc tot corruptelis obnoxia, & mentis agilitati onerosa, & gravis. 2. Ardor & desiderium arctioris cum Deo conjunctionis, & summi boni sempiternique dilata possessio. 3. Tanta scelerum per orbem colluvies, supremæque majestatis injuriosa contemptio, quam graviùs ferunt, multique plus sentiunt, quàm Tyrannorum carnificinam, quâ martyres excruciarunt. Atque hoc illud est earum velut purgatorium, quo animi nævos culparumque reliquas sordes eluunt, majorum pœnarum suppliciorumq; avidæ, quia norunt quanti sit meriti pretijque earum tolerantia, quantamque apud Deum gratiam concilient.

9. Quid perfectos affligat.

Felices, qui ad hos Deiformitatis & transformationis apices severioris disciplinæ præsidijs ascenderunt; ne quæso, tamen putes eò te provectum, quia aliquis mentis excessus externis, quibus cælestiũ deliciarum copiosa diffluentia redun-

10. Cœli desiderium in S. Monica. Gerson super Magnificat.

dundat animus, & quodammodo extra se rapitur, corporisque vincula gestit abrumpere ; qualem experta est aliquando S. Monica Augustini Mater, quæ post sumptam Eucharistiam in templo S. Cypriani amoris flammis inardescens, & à terrâ elevata, ac in aëre sublimis exclamare cœpit : *Volemus ad cœlum, volemus:* & interrogata, ubi ad se redijt, unde hæc illi obvenissent, candore columbino, uti solebat, respondit : *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Sed ecce aliam prætervolantem transformationem longè vehementiorem. Differebat in die Pentecostes concionator non ignobilis de mirandis divinæ charitatis effectibus, mulier ibi præsens, & ijs quæ dicebantur intenta, ita paulatim cœpit inardescere, ut velut flammeis sagittis icta, suique jam impos in suspiria, & voces erumperet, monita ab astantibus ut sileret, nec concionem interturbaret; dum hoc facere nititur, spiritibus interceptis suffocatur, & moritur. Evenit illi quod lagunculis musto plenis, & obturatis, dum intercluſi spiritus ignei viam quærunt, violenter aperire sibi illam dum conantur, vas vitreum in partes disrumpunt. Mortem huius fœminæ dixerim meritò fortunatam, & cui parem plures optarint: non arbitror tamen hîc interveniſſe amoris eminentem illam trãsformationem : habet enim amor violentus suos volatiles impetus, quos diu humani cordis angustiæ sustinere non possunt. Aliquos fæni aut palearum manipulos lebeti subijce, aquam continuò bullire, agitari, extolli, & exsilire ac effluere conspicies ; sed ubi ignis deficiente materiâ conciderit, aquam ad ingenitum frigus reverti intuebere ; ita se res habet in plerisque vehementioribus amantium subitaneis commotionibus ; ut facilè oriuntur, ita facilè evanescunt: an non alaudam sive cassitam videmus radijs solis allicientibus sursum ferri in aëra, & suauissimo cantu itinerantium aures animosque demulcere ? quæ tamen paullò pòst velut canendo exhausta in terram relabitur, & malignâ sorte aucupis retibus implecita capitur: idem ferè contingit ijs, quos non amor ille eminenter transformãs, sed flamma quædam de repente invadens sursum extulit, cælestibusque delicijs subitò perfudit ; tum quidem in cantus & gratiarum actiones erumpunt, sed brevi pòst sibi redditi, ijsdem quibus antea vitijs implicantur.

Vera germanaque transformatio præter amorem eminentem, cæterarum virtutum chorum secum trahit: in intellectu rerum fugientium imagines defluxisse, & Deo rebusque Deum concernentibus cessisse loco videntur : voluntas

Ibidem.

II. Charitatis æstus in fœminã.

Simile ab aqua bulliente.

12. Transformationis comites virtutes.

luntas sui arbitrium ad divinę Providentiæ pedes deposuit, divinumque velle pro regula inviolabili tenet constantissimè, parata millies antè vitæ, rerumque omnium jacturam facere, quàm à divinis placitis vel unguem discedere; idque tanta animi pace, ac tranquillitate peragit, ut manifestum sit, Deum pacis in arce cordis dominari: à contrario res magis dilucidabitur. Ira vehementior, aut subita & improvisa ebrietas hominem deformat in belluam; sed ubi paullò pòst sese spiritus illi remisêre, etiam belluinus ille agendi modùs concidit: at aliter res se habuit in Nabuchodonozore, qui septē annis deformatus in bestiam phantasiâ & appetitu inferiore aliquantum perturbatis, toto illo tempore vixit, comedit, seque in cæteris habuit ut bestia, quadam tamen rationis strictura perfusus quâ miseriam suam interdum adverteret, ut in superbiæ castigationem, hanc inflictam dementationem persentiscret; (parū enim incommodorum suorum sentit perfecta & constans insania. Idem cum proportione de perfecti amoris vera transformatione sentiendum est; scilicet hominem per illam in divinum quendam agendi modum traduci atque promoveri, ita tamen ut ex nonnulla quam experitur præsentis vitæ corruptela sese mortalem & miserijs defectibusque expositum esse cognoscat. Magnus ille Antonius vir planè cælestis ita hominē exuisse videbatur, ut in cælo jam domicilium fixisse diceret. De Sole conquerebatur, quòd mane renascens nocturnam in oratione pervigilationem interrumperet. Alexandriam profectus dum ab hominum multitudine ad eum videndum concurrente propemodum opprimitur, amicâ oris compositione omnes intuens dixit; se minimè turbari tot hominum tumultuantium confluxu, qui cum pluribus in solitudine dæmonibus decertasset; & tamen cùm hic tam admirabilis constantiæ vir Paulum Eremitam in tuguriolo convenisset, reversus ad suos exclamat: Non sum Monachus, vidi Eliam, vidi Joannem Baptistam in deserto; nimirum ex aspectu Pauli in vilissimam de se opinionem descenderat, & ingentes ad virtutum eius imitationem animos induerat; Deo similibus exemplis nos instruente, nullibi subsistendum esse, sed ascensiones semper in hac valle disponendas donec videatur Deus Deorum in Sion.

13. Transformatio Nabuchodonosoris emblema transformationis spiritualis.

14. Exemplum illius S. Antonius.

CAP.

CAPUT XXVIII.

De perfecta Transformatione, quâ donabimur in cælo.

1. Transformatio qua petitur animus in cælo.

INtroducis me, ait S. Auguſtinus, *in affectum inuſitatum valde, qui ſi perficiatur, non ſcio quid erit, ſi iſta vita non erit*: verè enim Sanctos inter has calamitates ita beat interdum Deus, ut ſibi cæleſtibus jam delicijs frui videantur: ſed quia iſta proluſiones ſunt, & citò evaneſcunt, ad æterna illa attollendus eſt animus, ubi transformabimur de claritate huius temporis ad claritatem ſine tempore, ubi intellectus omnibus ignorantiæ tenebris liberabitur, voluntas in ſummi boni poſſeſſione firmabitur, & cæteræ animi facultates magnâ pace in muneribus obeundis ſingulæ verſabuntur, & conſumptâ mortalitatis corruptione, in perfectam quandam Divinitatis imaginem totus homo conformabitur; ut ſit Deus omnia in omnibus: omnibus, inquam, & ſingulis Deus tum omnia futurus eſt, vita, honor, gaudium, voluptas, & perfecta beatitudo: inter huius vitæ miſerias in Salomone ſuæ Sapientiæ, opumque ſuarum imaginem quandam adumbrare voluit; in Samſone roboris atque fortitudinis; in Davide manſuetudinis, atque patientiæ; in illa verò beata vita, unuſquiſque beatorum, Dei, omniumque perfectionum eius imago quædam eſt: diverſi ſunt gradus gloriæ, ſicut & meritorum; ſed Deus tamen eſt eritque omnia in omnibus; quia omnium bonorum unus ipſe copiam omnibus ſubminiſtrat, unus ipſe cauſſa efficiens, exemplaris, & finis fac Intelligentiam aliquam ab omni corporea concretione ſemotam tam excellentis naturæ, ut ſubſtantiam ſuam, totâ illâ, quæ cælum inter & terram eſt, intercapedine, extendere & diffundere quadam virtute congenitâ certo modo poſſit: fac à cæli circumferentia, ad centrum uſque minores Intelligentias totum illud intervallum implere: quæ omnes omnium bonorum, quæ in illa majori & perfectiori Intelligentia reperiuntur, participes, pulchritudine admirabili exornatæ, & indiſſolubili amoris inter ſe vinculo connexæ, omnes ſimul in majorem Intelligentiam quantas poſſent ardoris flammas amicâ conſpiratione, ut in ſuorum bonorum auctorem effundunt; quantum inde & quàm pulchrum amoris, & perfectionum exiſteret ſpectaculum. Sed quid iſta ad cæleſtem illam in Deum transformationem, in qua, ut idem B. Doctor ait, *perit quodammodo humana mens, & fit divina*? altiùs enim illa Dei claritati

immergitur, quàm crystallo radius solis infusus; Dei visio conspectusque, clarior, splendidiorque est, quàm quilibet cuiusque rei in luce Solis eminentissima & amœnissima intuitus: amoris nodus est astrictissimus & intimus, ex duobus unum, quantum fieri potest, efficiens: gaudium ita penitissimos animi recessus dulcedine suâ pervadit, ut omnes mundi deliciæ in unũ conflatæ & illi collatæ carduis aut spinis similes haberi possint. *Nullus*, ait S. Augustinus, *etiam de sanctis linguis, & cordibus, per quos nobis veritas annuntiata est illud potest exprimere.* quos inter nominatim Regium Prophetam adducit, qui quasi magnum aliquid vellet dicere: *Inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domus tuæ.* considerans enim, quia homines vino madidi omnium suarum miseriarum suæque conditionis obliviscantur, idẽ de beatis ex Dei possessione mirabili lætitiâ circumfluentibus fieri & dici posse existimavit, quos magnitudo gaudij in omnium rerum & sui oblivionem induxit. *De moribus Ecclesiæ.* *Erunt consummati in unum: eritq; vox una lætantium & unus ardor omnium.* Et quid mirum? cùm omnes in unum gaudium Domini simul jam intraverint, & si verum est., ut ex S. Paulo idem Sanctus deducit, unumquemque conformari ei rei quam diligit, mirum etiam esse non debet omnes eodẽ gaudio inebriari, quo Deus ipse fruitur: quæ cùm ineffabilia sint, de illis meritò pronuntiare possum, quod ille idẽ rerum istarum scientissimus indagator pro epiphonemate adijcit: *Quomodo potui, dixi, & quomodo possũ, video, & quomodo video, dicere non possum.* hoc solùm cũ Beatis illis in Deum per amorem transformatis cum Sancto Bernardo affirmare valeo: *Nihil videre desiderabilius volunt, nihil possunt delectabilius.* Quod cùm æternum sit, inde colligi potest, quàm optanda, & ardentibus desiderijs persequenda sit æterna illa amoris trãsformatio: *Si enim in æternum extenditur videndi copia & voluntas, quomodo non plena felicitas? nihil quippe deest jam semper videntibus, aut superest semper volentibus.* Et ne dicas: *Quid ibi acturus sum?* cùm eminentissima actionum haberi meritò debeat judice eodem Sancto, *Deũ semper videre, amare, & laudare:* quod nobis Deus ex sua abundantissima misericordia elargiri dignetur.

Cant. 5.

S. Aug. de divers. serm. 6.

PARS

ISAGOGE AD AMOREM DIVINVM.

PARS SECVNDA,

CAPUT PRIMUM.

De medijs ad Amorem divinum assequendum.

1. Animum necessariò tenet amor rerum cœlestium.

AMORE carere omnino non possumus; faciliusque fontem sine aqua, aut Solem, sine lumine videris, quàm animum omni omnino amoris sensu affectuque vacuum: aut enim ad superiora Deumque conscendit, aut ad inferiora resque creatas; & sæpiùs quidem magna secum detrimenta sordesque convehens, devoluitur, suo fœtore supremo Numini in primis exosus. Atque ut torrens alveo effusus vicinos agros primò inundat, & depopulatur; ita amor proprius, à Deo, in quem ut finem ultimum tendere debuerat, exorbitans, ad hominem ipsum animumque, à quo manat, reflectitur, ac primùm voluntatem occupat, illamque sui amore inficit, indeque in reliquas animi corporisque facultates cœnum suum extendit. Non possunt duo amores in hominis animo dominari; is qui alio dejecto supremum locum invasit, in totum hominem imperium exercet, & quocumque voluerit, omnes animi corporisque facultates secum rapit: hoc si amor divinus non obtinet, amori proprio, tanquam hominis cordi à

2. Vel terrestrium instar torrentis animum trahens.

natura insito competat necesse est, qui Deo Opt. Max. de possessione cordis deturbato in tantam majestatem injuriosus infestusque consurgit & miras cum illa inimicitias exercens, hominem ipsum Dei loco subrogat, affectionumque suarum finem ultimum constituit, quòd ipsum cùm sine damnis ingentibus fieri non possit, omnium malorum fontem hunc amorem proprium meritò dixeris. Accedit quòd amor, quisquis ille sit, amantem in rei amatæ similitudinem transformat; & cùm homine nihil propemodum sit miserabilius, nihil egentius, nihil inquietius, qui seipsum amat, in has miserias & calamitates se induat necesse est; cùm è contrà Dei amator in quandam divinæ felicitatis participationem admissus summâ animi pace ac voluptate perfruatur.

3. Et hic dicitur amor proprius.

Amor hic proprius geminus est, alter superiorem animæ partem occupat; alter in corporis vilioribus facultatibus se continet: ille honoribus propriæque excellentiæ, & nescio cui sui ipsius satisfactioni studet impensiùs; hic inferiora, voluptates nempe sensuum, corporisque oblectationes confectatur; unde bella & lites, & interutrumque hunc amorem capitalis plerumque dissensio: dum qui in honoris & gloriæ amplificationem ardentissimâ cupiditate fertur, corpus totamque eius familiã in labores, inediam, vigiliasque præcipitat, & quidquid inferiorum facultatum ipsi obstit, odio nescio quo prosequitur, abdicat, & tanquam rebelles cogit, aut proterit. Quid quòd in viris, qui studium virtutis profitentur, hanc amorum luctam non rarò conspicimus, dum voluntatis judicijque proprij nimium amantes, corpus supra modum castigationibus macerant, in quo nihil aliud spectant, quàm ut amori proprio intra cordis sinus delitescenti, eiusque insaniæ faciant satis.

4. Qui duplex alter pascitur voluptatibus.

Alter honoribus.

Verumenimverò videamus an nos ipsos ex ratione aliquando amare non liceat. Aristoteles enim in moralibus negat omnem amorem proprium reprehensione aut vituperio dignum esse; qui enim virtutẽ amat, & colit, eamque studiosè exercet, seipsum amat, & honestiùs multò, quàm qui aut pecuniæ aut voluptatis amore ducitur, quem potiùs laude dignum, quàm prorsus sapiens omnis arbitrabitur; unde alio loco suipsius amorem à natura insitum & rationi conformem esse pronuntiat, & dum reprehenditur, immoderatum dumtaxat intemperantemque damnari.

5. Datur etiam amor proprius laudabilis.

Lib. 9. c. 8.

2. Polit. c. 2

S. Thomas, ut solet, hanc quæstionem accuratiùs examinans, rogat an homo amare seipsum

6. Homini imperatur

22. quæst. 25. a. 4. sum debeat: respondetque omnino debere; cùm ipse sibi velle bonum debeat æquè ac magis, quàm alteri, cùm inter res ad amandum homini propositas post Deum primum locum teneat: ostendit deinde, quàm illi, qui virtutem sectantur, meritò & ex ratione se diligant; quippe qui animi bona fugitivis anteponunt, ijsque conservandis & augendis dant operam ac rectè factorum conscientiâ delectantur, secumque ipsi perlubenter habitant, dum in præsenti bonis cogitationibus aluntur & præteritorum recordatione, & bonorum æternorum expectatione recreantur, nullam mentis turbationem, aut confusionem desideriorum sentiunt, quia ad eundem finem, Deum scilicet, omnis eorum affectio agitatioque collineat.

7. Alius vetitus.

E contra amor proprius, qui in voluntate suis motibus & cupiditatibus intemperanter agitata sedem fixit, sibique soli studet unicè, bona externa interioribus, corpus animo, labentia æternis, fallacia solidis, hominemque ipsum Deo quodammodo præponit: cùm enim ferri in Deum ante omnia oporteret, in hominem ipsum primò miserandâ conversione incurvatur, eius intelligentiam rerum humanarum pulvere excæcat, fallacibus principijs velut fumo offundit, voluntatem ipsam cupiditatum æstu per devia rapit, vanis timoribus ab officio virtutisque viâ consectandâ deterret, umbras nescio quas, quibus conscientiæ luminibus fucum faciat, eiusque retundat aculeos, prætexit; quæ in supremo judicij die ad æterni illius Solis conspectum magnâ hominis perturbatione confusioneque detegentur. Hinc Plato meritò illum, cæcum, & omnium, quibus vita nostra implicatur, malorum fontem appellat; Augustinus verò amoris divini venenum, ac pestem; Hilarius rotam molendini, quam bruta, oculis velo obductis, continenti labore convertunt, ut eius, qui amoris proprij ductum sequitur, & cæcitatem, & pondus laboris immensum ostendat. Appellatur etiam à Patribus stultus Senecio, qui à mundi ipsius incunabulis primum parentem nostrum dementavit, & posteritatem in omnem miseriarum voraginem dedit præcipitem. Vocatur etiam primogenitus peccati, quia ab illo Adami inobedientia traxit originem, dum sui nimium amans, Dei similitudinem affectat, ac deinde in posteros omnes miserabili contagione dimanans, unumquemque nostrûm (quamdiu mortali corpusculo animus immergitur) inficit, obnubilat, & in variorum vitiorum gurgitem præcipites rapit. O monstrum horrendum & omni execratione dignum!

Lib. 5. de legibus.

Lib. 1 qu. Evang. c. 4

8. Qualis hic sit.

9. Quæ eius curæ.

quod non tantùm vitiosis hominibus dominatur; sed eos etiam qui virtutum amorem, vitiorumque fugam profitentur, invadit & commaculat, ut experientia testatur. S. Chrysostomus in illo aureo de compunctione cordis tractatu, hoc ipsum deplorat: doletque illum quàm maximè, Monachos, cùm de monasterijs, & locis ad habitandum destinatis, percunctātur, primò omnium inquirere, an ibi quies sit, an abundent omnia, an aquarum fluant copiæ: quòd si eorum aliquem ad aliquod munus, aut officium evocaveris, aut ministerium divinum injungere volueris; prima omnium est de istis rebus ad corporis requiem spectantibus inquirendi solicitudo: Estnè aliquid, inquit, hac perversitate deterius? Verùm ne me hæc dicentem alios incusare velle existimes, quid mihi ipsi contigerit, enarrabo: Etenim, inquit, cùm urbe relictâ ad monachorum domicilia trāsire in animum induxissem, sat memini quàm solicitè perscrutarer; unde in illis locis necessaria corporis nobis suppeditarentur, an panis recentis & diurni copia quotidie haberi posset: sed & illud diligenter inquirebam, an fortè non esset eiusdem olei jusus pro ollâ & pro lucernâ; an non leguminum gravis & solitarius cibus sumi juberetur: an esset ibi aliquis operis importunus exactor, an fortè terram fodere, aut ligna deferre, aut aquam humeris importare, aut aliqua ejusmodi ministeria exhibere cogerer; hæc, inquit, & similia de quiete corporis solicitus, diligenter percuntabar, quæ dedecere animam Dei amantem ostendit, & lachrymis prosequitur.

10. Similia.

Pauci sunt ex ijs, qui sæculi insolentiam, vivendique licentiam deserunt, qui Rachelis exemplo è domo paternâ idola secum non deferant, eaque sub amoris proprij fæno non abscondant: multi aquilis similes, quæ etsi in sublime volatu feruntur, oculos tamen in terram frequenter demittunt, ut prædam venentur.

Veriſſimum est S. Bernardi pronuntiatum, ubi proprietas est, ibi inveniri singularitatem; ubi singularitas, ibi angulos esse; ubi anguli, ibi sordes. Habet huiusce modi sinus & angulos amor proprius, quos etiam à gravioribus vitijs expurgatæ mentes, quamdiu hoc corpore mortali vestiuntur, non ita facilè deprehendunt; quia virutis se pallio obtegunt, & causas rationi conformes prætexunt, ut securiùs malitiam celent; quod subjectis exemplis manifestum evadet.

11. Prætextus curæ moderatæ corporis dominatur.

Primò sanitatis tuendæ curam moderatam gerere, idque ad majorem Dei gloriam referre nemo est qui laude dignum non judicet: hoc

hoc mantellum nactus amor proprius, corporis commoditatibus, etiam cum amoris divini detrimẽto procurandis ſtudet impenſiùs, ut abierit in proverbium, ut, qui multum peregrinantur, rarò ſanctiores evadunt; ita eos, qui occaſione morbi corpori pluſculum indulgent, vix inde ad majorem virtutis perfectionem emergere: quæruntur palliatæ ratiunculæ, quibus hominibus & interdum conſcientiæ fiat ſatis; an verò ab æterno judice ſint illæ approbandæ, dubitari, & timeri ſapienter poteſt.

12. Exprivat præmio.

Legimus apud S. Antoninum, quemdam ex S. Dominici familia, ut capitis debilitati occurreret, ſomnumque conciliaret, vinum aquâ priùs non dilutum bibere conſueſſe, hancque ob cauſſam flammis purgantibus ad tempus adjudicatum fuiſſe.

Vir ſanctus ex ordine Ciſtercienſi neſcio quâ humoris malignitate laborabat in tibiâ, eaque de cauſſa, à corporis exercitatione & labore, quem communiter certis per diem horis obibant cæteri Religioſi, legitimè ſe excuſatũ arbitrabatur; ſed falsò: nam poſt mortem reliquo corpore lucidus, ſed in illa tibia horrendè maculoſus & deformis apparuit: tantiſper à cæli gaudijs excluſus, dum illa macula purgantis flammæ edacitate excoqueretur.

P. Henricus Calſtrius ex ordine S. Dominici ex itinere oppidò fatigatus, cùm inſtaurandis viribus quietem neceſſariam eſſe judicaret, ſomno longiori præter ſolitum indulſit, ſed à B. V. (cuius alloquijs frequentiùs fruebatur) acerbè reprehenſus, & ſocordiæ damnatus fuit. Reprehenditur à Beata V.

In Societate noſtra unus aliquis ab Angelo cuſtode familiariter excitari ſolitus, dum propter dolorem capitis tantiſper moras trahit, hac viſibili Angeli ſui conſuetudine privatur ad tempus, & ægrè multis lachrymis aliorumque aſſociatis ſupplicationibus gratiam illam recuperat. Et Angelo.

Hi omnes ad prudentiæ regulam actiones ſe conformaſſe putabant; ſed Deo aliter viſum, qui in illis amoris venenum, ſcabiemque deprehendit.

13. Etiam in rebus pijs ſe in animam inſinuat.

Quid quòd monſtrum illud amoris proprij ſanctis etiam operibus, ut ſunt oratio, & ſacræ Euchariſtiæ perceptio, ſeipſum etiam inſinuat, ſuoque virulento afflatu illas inficit, dum amans ſui animula in iſtis Dei gloriam; nõ ſed guſtum ſuum, atque delectatiunculam, aut aliquam vanæ devotionis umbram conſectatur; ut in illa nobili femina (de qua in vitæ ſuæ cõmentarijs S. Tereſia) ſacræ menſæ quotidie accumbere ſolita, luctuoſus probavit eventus: dum enim Sacerdos aliquis, quotidianam

Exemplum. nam fortè communionem in illa non adeò probant, accedentem ad sacras epulas frustratur, hanc illa repulsam tam impotenter tulit, ut ex ægritudine animi morbum, mortemque contraxerit; vel inde opinandi materiam præbens, in illis quotidianis communionibus plus amoris proprij, & vanitatis latuisse, quàm veræ pietatis; quasi verò Deus mulierculæ visitationem quotidianam debuisset.

14. Purgatorij flammis expiatur. Inter sinceræ amicitiæ officia, in præcipuis hæc commendantur: pacem imperturbabilẽ colere, nullius offensionis præbere materiã, & si præter voluntatem aliqua inciderit, continuò abstergere, & novis obsequijs resarcire; quid in hoc genere laudabilius: & tamen Religiosam feminam, quæ nimis anxiè & cum aliqua animi perturbatione in his versata fuerat, vidit quidem Magdalena de Pazzi, gloriâ maximâ in cœlo fulgentem, sed tamen post quinque horas, in purgatorio priùs exactas; quòd ab illo charitatis nævo purgari Dei judicio debuisset. Colloquia spiritualia in viris animarum lucro deditis laudantur; reprehendit nihilominus Virgo Mater Calstrium, quòd cum aliquâ, cuius conscientiam regebat, unâ semihorâ diutiùs, quàm par erat, hæc colloquia protraxisset.

15. Etiam in mortificationis usu. Pœnitentiæ corporisque castigationes amorem proprium infestant, vexantque quàm maximè, nihilominus, quòd una sine Superioris licentia liberiùs illas usurpasset, ab cælesti beatitudine exclusa, molestâ tanti boni dilatione tantisper purgari debuit: quas proinde non sine causa certis casibus B. Franciscus de Sales improbat, dum uni nimium illis addictæ ita scribit: Non multum curat malignus spiritus, si corpus verberibus dilaceretur, dum hoc modo propriæ voluntati obsecundamus; austeritatem non timet, sed obedientiam: acquiesce: nec voluntarias pœnitentias nimium ames, si tamen pœnitentiæ vocandæ sint, opera ab amore proprio profecta.

16. Pacem prætexit. Pax & animorum concordia rationi conformis commendatione dignissima censetur, eamque tanti faciebat S. Xaverius, ut modicum fructum cum pace, quàm magnum cum animorum dissensione colligi mallet: videmus tamen id ipsum in B. Alano ob amoris proprij permistionem à Deo severissimè reprehensum. Res ita se habet: Acceperat B. Alanus à Christo Domino eiusque Matre mandatum rosarij cultum per conciones propagandi; id jam varijs in urbibus sedulò & fructuosè fecerat: tamen, ut sunt res humanæ, in re tam salutari ab Episcopis obicem positum reperit: ille amans concordiæ, & pacem bello

bello præferens, concionibus abſtinuit & amicæ ſolitudini, cellæque delicijs ſe totum tradidit; id ſcilicet Deo gratum eſſe ſibi perſuaſit: ſed ab amore proprio deceptum ſe deprehendit. Die quodam dum ad aras facit, videt Chriſtum in ſacroſancta hoſtia in cruce diſtenſum, ſuoque ore has voces increpantis in modum proferentem: *Tu me iterum in crucem agis.* & ille attonitus, & conſternatus; Ecquid Domine egi, ait, ut hanc ego tibi injuriam inferrem? *Peccata tua*, inquit Chriſtus, *iterum me crucifigunt, dum id omittis, quod te facere oportebat. Mundus lupis plenus eſt, & tu factus es canis mutus: habes ſcientiam, & talentum ad animas ad me convertendas & adducendas, & nihil horum facis: omnium animarum, quæ culpâ tuâ peribunt, eò quòd illis manum adjutricem non præbuiſti, apud me reus eris.* Atque his dictis infernum apertum illi demonſtravit, atroxque ſupplicium illi comminatus eſt, ſi oppoſitionibus contemptis concionandi muneri à ſe demandato conſtanter non inſiſteret. Quis crederet tantum damnationis æternæ periculum homini parum vigilanti ab amoris proprij technis occultis, creari potuiſſe? Quot cum animi ardore, & impetu, & neſcio quo cogitationum æſtu videmus opus aliquod aggredi, eique exequendo incumbere, quos hac in parte ab amore proprio, & dæmonis artibus ad id impelli ſapientiores deprehenderunt. Cellulam ſibi in ſolitudine ædificabat Monachus, & magno labore ictibuſque malleorum congeminatis rupem in iſtum finem excavabat. Illac tranſiens ex ſanctis illis Anachoretis unus aliquis rogat, quid ageret: *Laboramus pro cellula*, reſpondet: *Bene* inquit *dicis, laboramus*; non enim ſolus laboras, ſed in humeris tuis dæmunculum inſidentem conſpicio, qui te ad iſtam laboris contentionem incitat.

17. Chriſtum crucifigit.

18. Dæmonis aſtus amori proprio ſervit.

O ſi hujuſcemodi hoſtis noſtri fallacias doloſque liceret interdum contueri, quàm ſæpè dum immoderatos iſtos ardores boni cujuſdam apparentis integumento velatos ſequimur nos decipi & tranſverſos agi videremus! majori certè diligentiâ ad divinum numen unuſquiſque noſtrûm ad emendicandum lumen accederet; quod dum ex eremi incolis unus aliquis negligit; in dæmonis caſſes miſerabiliter incidit. Agebatur is neſcio quâ cupiditate ſenis alicuius inviſendi; & cogitationum inter ſe pugnantium altercatione in diverſa trahebatur; dicebat illi ex una parte cogitatio: Non eas: nihil cellulæ ſolitudine quietius, nihil Deo gratius: altera verò ſuggerebat, ut iret; boni illius ſenis documentis ad profectum in

19. Sub boni ſpecie.

spiritu adjutum iri : vicit tandem pruritus excurrendi ; abit, & dum ante alterius senis viri sancti cellulam pertransit (hic à Deo de re tota edoctus fuerat) ab illo ad ostium cellulæ egresso his verbis evocatur : *Captive, captive, quò progrederis? tuus non es ; sed hostis tui, qui te decepit : veni mecum, & oremus simul.* Dum oranti ecce sulphurea & fœtens flamma è Religiosi pectore egreditur, quam ille contuitus, continuò suum errorem agnoscens, veniam ab illo, à quo persanatus fuerat, rogat, & ad cellulam suam sapientior, humiliorque revertitur. Quis non huius clandestini hostis insidias pertimescat, cùm videt columnam Ecclesiæ S. Petrum à S. Paulo insimulari, quasi eius artificio cum Judæis Antiochiam Jerosolyma venientibus meticulosâ dissimulatione usus esset? cùm S. Augustinum audit non sine lachrymis conquerentem, de animi medias inter populi acclamationes anxietate, dum dubitat an illis ob plebis suæ bonum Deique gloriam, an ob nescio quam amoris proprij in laudibus captandis pruriginem, delectetur? cùm S. Martinum legit miraculorum faciendorum gratiâ ad tempus à Deo privatum, quòd humanæ gratiæ nimium detulisset, & Imperatoris rogatu cum Hæreticis communicasset?

Exempla varia.

Vita laqueosten-sos. *Lib. 6. Hexam. c. 8*

Rectè monet nos S. Ambrosius, ut ad hostium nostrorum fraudes dolosque attendamus, & cogitationum pennis feramur ad cælestia. In medio, inquit, laqueorum ambulas, quos absconderunt tibi in via inimici tui ; omnia ergo circumspice, ut effugias sicut damula de retibus, & sicut avis de laqueo. Damula retia aspectûs vivacitate declinat ; avis devitat laqueos, si ad superiora se conferat, & terrena supervolet ; in superioribus enim nemo tendit retia, laqueos nullus abscondit : ideò cuius conversatio in cœlis est, huius non solet in prædam venire captura ; sed ad vigilantiam alia prætereà ratio nos urget.

20. Vitia tegi virtutum specie.

Insidiosus enim ille amor caliginem menti offundit, & vitia virtutum loco substituit ; pertinaciam pro constantia venditat, vindictæ cupiditati zeli nomen imponit ; pacem simulatam & vitiosis affectionibus innixam, charitatis fraternæ nomine offuscat, & obtegit ; consiliorum meliorum contemptum nescio quam à rebus creatis independentiam & libertatem spiritûs appellat ; fugam laboris ait esse à divina bonitate providentiaque spei plenam expectationem ; in Dei gloria, animarumque salute procurandâ negligentiam, contemplationis, ac solitudinis desiderio excusat : denique nihil tam sanctum reperias, quod fuco suo venenoque non inficiat : plenæ

næ eius fraudibus & fallacijs hiſtoriæ, quibus viros alioquin probos circumvenit, & non in errorem tantùm, ſed in extremam ruinam perniciemque induxit, ut Hieroni, Juſtino, & Virgini illi contigiſſe legimus, quæ poſt mortem Confeſſario ſuo videndam ſe præbuit, & ob ſuperbiam intra amoris proprij receſſus abſconditam ſe æternis addictam ignibus ſignificavit: ut meritò noſipſos nobis ſuſpectos eſſe oporteat, & in omnes huius domeſtici hoſtis circumventiones intentos. Temerarium certè videri debet, homũculos in tantis undique periculis conſtitutos ac noſtræ infirmitatis conſcios ad Dei ſubſidium non recurrere ſupplices, ut à Sanctis viris factitatum legimus, & nominatim à S. Philippo Nerio, qui frequenter ſupplex Deo dicebat: Domine, niſi à me caveris, & me cohibueris, hodie maius lateris tui vulnus efficiam, hoc eſt, tam ſum infirmus ut perduellionis, & læſæ Majeſtatis crimen incurram. Adde & illud Propheticum, ut clandeſtini huius inimici vires infringas; *Ab occultis meis munda me Domine*: ab his, inquam, tuâ miſericordiâ & ſanguine Filij tui me ablue, quæ norunt oculi tui, mei autem non, ut aiebat pœnitens Auguſtinus.

CAPUT II.

De *Odio ſui, primo ad amorem perfectum acquirendum inſtrumento.*

NOn eſt quod Odij nomen quemquam terreat; latet enim ſub hoc cortice verus ſui amor: non verè ſe amant, qui mundi voluptatibus ſe dedunt: amore falſo, & noxio feruntur, odio vero ſui laborant. *Falsò ſe diligit mundus*, ait S. Auguſtinus, *& verè odit*: quia ſe amando tantum ſibi affert nocumenti, quantum poſſet verus inimicus inferre. 1. Quid odium ſui. *Tract. 2. in Ioannem.*

S. Thomas, duo, quæ huic rei lucem dare poſſunt, diſputationis gratiâ proponit. Primum, poſſitne aliquis ſe odiſſe; alterum, an verè dici poſſit peccatorem ſe amare. Atque ad primum reſpondet, per ſe loquendo, id eſſe impoſſibile; cùm odiſſe ſit malum velle ei, quem oderis; nobis verò ſemper bonum velimus: malum enim eſt præter voluntatem, ait Dionyſ. 4. de divinis nomin. dupliciter tamẽ contingere, ut aliquis ſe oderit; primò, dum vult aliquid ſub ratione boni, quod ſimpliciter eſt malum; ſecundò, dum corporis bonum proſequendo, pernicie animæ ſuæ creat; amant, inquit, ſecundùm id quod putant ſe eſſe; 1. 2. q. 29. a. 4.

oderunt verò id quod verè sunt, dum rationi contraria volunt, & amplectuntur. Rectè enim S. Ambrosius : *Caro amictus est animæ, quæ se induit quodam corporis vestimento : non igitur ut vestimentum es; sed qui vestimento uteris.* & alibi : *Hæc est*, inquit, *vera nostra substantia; corporis verò, vel accedentium diurnus magis, quàm diuturnus est usus.* Ex quibus patet secundæ quæstionis resolutio : nimirum peccantem, ut in veri boni judicio fallitur, atque in eo, in quo consistit vera hominis ratio decipitur, ita à legitimo sui amore aberrare quàm maximè.

Hexam. l. 6. cap. 6. Lib 1. de Abraham cap. 6.

2. Quid in peccatore amet Deus quid oderit.

In hoc nostri odio imitandus est Deus, qui nos amat, & odit: nam & de illo dicitur, *Nihil odisti eorum quæ fecisti*; & nihilominus etiam dicitur, *Odisti omnes operantes iniquitatem.* Amat in nobis, ait S. Augustinus, quod fecit, & quales nos fecit; odit in nobis, quod ipse non fecit, & quod sine illo fecimus, naturarum, non vitiorum conditor : odit quod iniqui sunt; diligit, quod homines sunt.

Tract. 111. in Ioan.

Psal. 138.

Simile à medico.

Imitandus etiam est medicus, qui personam amat, morbum odit, & tanquam hostem sectionibus, potionibus amaris, denique ferro & igne persequitur, nec à persequendo desistit, donec illum expellat, aut mors odio finem imponat. Ad eundem modum, qui superbus est, qui socors, qui garrulus, capitali odio in hæc animi vitia feratur necesse est; dicatque cum Propheta: *Perfecto odio oderam illos*, & persequar inimicos meos, donec deficiant. Magnum verò est, perfectos inter imperfectosque in hoc persecutionis genere discrimen: his quidem imperfectio sua displicet, dolent se sui adeò amantes esse, tam delicatos & molles, tam superbos & væcordes, tam effusos in exteriora, tam querulos; vellent emergere; sed ibi hærent, segni illâ displicentiâ mœstitiâque contenti: perfecto verò odio præditi contra semetipsos armantur, suis vitijs bellum indicunt, & tam diu decertant, donec hoste prostrato, etsi non penitus debellato, victores evadant.

3. Odium sit efficax.

Pone tibi ante oculos, duplicis generis Hortulanos; unum aliquem segniorem, & in labore parum assiduum, operisque difficilioris citò pertæsum: videt ille hortum suæ curæ commissum malis herbis scatere, sepes hinc inde disjectas, arbores non cultas, non expurgatas: displicent quidem illi hæc omnia, & operi manum adhibet, sed segniter, & molliter: alium verò, quem hortuli sui amor, & cultura delectat, in omnia quæ illius elegantiæ & formositati officiunt, odio ferri videbis implacabili: non sudori, non industriæ, non expensis parcit, donec

Simile ab hortulano

nec illa effoderit, ejecerit, & suo hortulo novam faciem dederit.

Ab ægris. Eodem modo duorum ægrorum contemplare differentiam; unus tangi non vult, omnia amara refugit; alter ferrum, & ignes, & acerba libenter admittit, ut citò morbum excutiat. Hortulanum illum industrium, ægrumque generosum imitetur oportet, quisquis in amoris sancti possessionem venire desiderat; oportet ut odio sui incensus, omnia, quæ amori divino obsistunt, deturbet, profligat & proterat, atque hac in parte viros Sanctos ac generosas Christi sponsas imitandas sibi proponat.

4. Exempla S. Birgittæ. Videat S. Birgittam Scoticam, dum ob formæ pulchritudinem ad nuptias petitur, eaque de caussa vexatur à Patre, ita formæ elegantiam odio prosequi, tanquam suis cum Christo sponsalibus inimicam, ut deformari à Deo petat, & uno oculorum amisso voti compos effecta sit.

S. Ebbæ. Contempletur S. Ebbæ Abbatissæ, & monialium eius pro virginitate tuendâ generosos animos, quæ ut Danorum jam monasterio imminentium propudiosam rabiem arcerent, novaculâ nasum, & superius labium abscidêre, Danosque monstroso earum aspectu deterritos à pudicitiæ invadendæ cupiditate abductos, velut injuriam hoc audaci facinore accepissent ad monasterio ignem injiciêdum perpulêre, quo omnes simul cõflagrantes, virginitatis & martyrij coronas sunt assecutæ. Quid hîc dicemus? amarúntne se Virgines illæ, an odio habuerunt? amarunt certè, quia exiguo tempore aliquo corporis dispendio sibi lauros æternas compararunt: sed non amassent nisi peccatum vel peccati umbram exosæ, obnoxium injuriæ corpus pari etiam odio essent prosecutæ.

Aliorum. Hoc est illud odium sanctum, quo tot viri sanctimoniâ illustres in semetipsos incensi atque concitati ad inediam, vigilias, cilicia, catenas ferreas, cæteraque carni vexandæ idonea instrumenta magnis animis convolarunt: alij se in intimos solitudinis abdidêre secessus; alij se aculeatis cymicum morsibus; alij Solis ardoribus, & arenarum siccitate cruciandos exposuêre; amoris proprij carnifices ut divino locum darent. Fuit & Virgo Alexandrina, quæ oculos suos, quòd procacis juvenis cor deprædati essent, & impudici amoris victimam dæmoni quodammodo immolandam amœnitate suâ furtim Deo surripuissent, meliori flammâ succensa sibi erueret, & juveni involutos mitteret, illius animo suorum oculorum, & lucis orbitate lumen pretiosius allatura.

5. Quid verò possit amor proprius

Amici proprij furor in Guilielmo Pictavien-si. 10. Feb.

insaniens, & odium sui sanctum illum debellans, in uno Guilielmo Pictavensi Comite videamus: de quo Theobaldus Episcopus vitæ sanctitate, & doctrinâ conspicius ita loquitur: Genus clarum, corpus aptum, forma elegãs, juvenilis decor, prædia, palatia, immensa supellex, & insulæ dignitatum, carni in eo, non spiritui militabant: eò insolentior, quò nobilior, quò locupletior quò fortior, quò honoratior, quò formosior, universisque famosior: extraneis malus, suis peior, pessimus sibi: erat ad succensendum flãmeus, ad ignoscendum ferreus, ad consolandum serpens; diceres ignem urentem in irascendo, securim vel asciam in dijciendo: proceritas eius erat gigantea; voracitas tanta, ut uni prandio vix sufficerent cibaria, quæ decem fortissimis juvenibus alendis paria fuissent: pugnæ, & contentionum tam avidus, ut armatus ferè semper incederet, & vel invitos traheret ad certamen: carnis præterea vitijs ita immersus, ut fratris sui conjugem violenter retineret, & opprimeret, quem magis suum, fuisque addictum obsequijs, aut vinculis implicitum amore proprius habuit unquam; ubi tamen illi, agente S. Bernardo, divinæ gratiæ radius affulsit, ecce tibi odium sui velut fortis armatus cordis domicilium ingressus, horrendum in modum amorem illum exagitat, vasa eius omnia diripit, & prorsus exulatum abire jubet: carnem loricâ discruciat, jejunijs macerat, cibo parco ad mensuram, & aquæ potu scypho ligneo commensuratæ atterit; nudam humum pro lecto, & pro cervicali lignum substernit; post maximam noctis in lorica ferrea pervigilatam perbrevi somno indulget, lenitatem iracundiæ, animi demissionem superbiæ, & parsimoniam prodigalitati substituit: ita odium sui, hominem antea amoris proprij captivum, in longè nobiliorem servitutem, vel potiùs libertatem asseruit, & amori sancto nobilem prædam adduxit, divinæ Majestati postea in cælis præsentandam.

6. Et sancti odij vis.

Diceres odium sui quæstionarium esse, quocumque in loco amorem proprium reperit, illi continuò manus injicit & velut multorum criminum reum equuleo admovet, & à membris, corporisque sensibus, quibus administris ad peccandum usus est, sigillatim pœnas reposcit: ac primò in tactum gustumque, cilicijs, verberibus, fame, sitique crudeliter animadvertit; visum, auditumque vinculis coërcet, atque in interiora progressus, irascibilem, & concupiscibilem ut complices habet duriter, negat quod expetunt, & ad illa compellit, quæ perhorrescunt: intellectui, & voluntati alas succidit,

7. Et effecta

&

& severissimas leges imponit; denique facultates omnes partis inferioris, & superioris velut sub jugum missas, castigatas certè, & in ordinem redactas amori divino regendas, & moderandas tradit.

De zelo amoris divini, qui nihil aliud est, quàm impetus & ardor animi studiumque injuriam amato illatam ulciscendi, dicitur *Cantic.* 8. durus esse sicut infernus. Ut enim in isto funesto inferorum concavo anima flammis condemnata, mirabili odio in seipsam, resque omnes creatas, quæ æterno illi infortunio caussam dedêre, exardescit, & fœditatem suam ferre non potest; cumque se Deo exosam conspicit, horrore sui concitata, Deum, seque ipsam in nihilum redigi peroptat: ita dum amor sanctus in hac vita animum accendit, ubi ille ante actorum turpitudinem novo de cælo lumine præditus intuetur, in eorum caussam odio fertur incredibili, in vindictam rapitur, nec ullam quietis partem, donec pœnas de reo corpore sumpserit, capere potest. Unde à Richardo à S. Victore, tyrannis amoris sancti hîc status appellatur, quâ amans nollet orbari; quia ex illa tyrannide summam accipit voluptatem, eamque in divinis beneficijs reponit.

8. In utroque prudentiâ est opus.

Verũ operæ pretium est, in hoc odij ardore habere ante oculos S. Basilij monitum; qui cùm dixisset corpora hominum, non ejusdem omnia esse roboris; alia ferrea, alia lignea, alia straminea esse, erga quæ si pari odio ac severitate procedas, si æqualibus pœnis oneres, à discretæ prudentiæ legibus aberrabis longissimè, & deficiente sub onere corpusculo in virtutum stadio à cursu subsistere tantisper dum vires reparet, cogeris: in illis ait, quâ imperfectiones animi concernunt, ne minimo quidem nævo parcendum est, omnia persequenda, castiganda omnia, & ad perfectę virtutis amussim componenda: ubi vel minimus motus insurgit, inclamandum continuò cum S. Hilarione, Hola! ni desistis, jam jam senties, & velut dexterâ rationis manu, quidquid contrarium est, manus sinistræ amputatione castigandum, ut olim in Judæo adolescente Clito factum à Josepho historico proditur: Is forte seditionem Tiberia de excitarat, comprehenditur, & ab ipso Josepho Galilęæ Gubernatore ad utriusque manus sectionem damnatur. *In vita sua.*

9. Emblema Sancti odij.

Rogat ille judicem, ut saltem alterutram è manibus sibi relinquat, & impetrat, modò ipse illam sibi amputet: hic adolescens velut beneficio donatus, alacriter gladium corripit, & dextrâ sinistram sibi resecat. Hoc ipsum facit amor sanctus, quidquid sinistrum est & à recta virtutis via exorbitans, odio

odio sancto secandum committit; omni doloris sensu generosè contento, juxta Christi consilium dicentis; *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* & *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

10. Et Pauli exemplũ. *Act. 21. Serm. 3. in Cant.*

Verba illa Sancti Pauli, *non facio animam meam pretiosiorem, quàm me*, Bernardus ponderans, ita illum alloquitur: *Ergo differentiam facis inter te, & animam tuam? prudenter tu quidem tu tibi pluris es, quàm quidlibet tuum: sed quomodo non tua anima tu?* & Sanctum Paulum respondentem inducit: *Cùm me dico, excellentius, quod in me est, in quo & sto per gratiam Dei, ideſt mentem, rationemq; intellige; cùm loquor animam meam, accipe quod carni animandæ vides accommodatum, etiam & junctum in concupiscentia: id me fuisse quidem, sed jam non esse agnosco, quia non secundùm carnem ambulo,* S. Bernardi doctrina. *sed secundùm spiritum.* Hinc nos hortatur Bernardus ad S. Pauli imitationem: Tu quoque, inquit, si propriam deseras voluntatem, si corporis voluptatibus perfectè renunties, si carnem tuam crucifigas cum vitijs & concupiscentijs, sed & mortifices membra tua, quæ sunt super terram, probabis te Pauli imitatorem qui non facies animam tuam pretiosiorem te ipso; probabis & Christi discipulum etiam illam perdendo salubriter: & quidem prudentiùs eam perdis, ut custodias, quàm custodis ut perdas: *Qui amat animam sum, perdet eam.* Perdet eam dixit; sive ponendo ut martyr, sive affligendo ut pœnitens: quanquam genus martyrij est, spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. Hactenus S. Bernardus. Hoc utrumque martyrij genus adamarunt Sancti, erga seipsos severi judices, & ubi criminosum aliquid repererunt, duri animadversores, & inexorabiles carnifices: ubi verò se Martyrij dabat occasio, ad illud convolarunt, tanquam ad palæstram odio in seipsos exercendo aptissimam, judicesque ipsos, atque tortores ad augenda tormenta, majoremque lanienam provocarunt. Ex Christo.

11. Constantia S. Secundæ.

Junius Donatus Romæ Præfectus Ruffinam & Secundam sorores primariæ in ea urbe nobilitatis sub Valeriano & Galieno Augustis pro fide Christiana trahit in carcerem, & ubi blanditijs nihil promovet, ad tormenta gradum facit, & Ruffinam in Secundæ conspectu flagellari jubet, ut hanc metu prosternat: sed hæc constantiâ sororis, & sanguinis in terram decurrentis intuitu animosior tyrannum compellans: Quid agis inquit, sceleſtissime? cur sororem gloriâ afficis, me autem istius gloriæ non pateris esse participem? ambæ

ambæ Christianæ sumus, & justum est, ut simul cædamur, quæ eundem Dominum confitemur: Christiani nominis gloria angelat ictibus, & quot verbera tot coronæ multiplicantur. O voces Christiano spiritu dignissimas.

Et alterius. Orat. 4. in fine.

Sed & ille non minore admiratione dignus apud Nazianzenum, qui loris toto corpore ad intimas usque partes laceratus, & præ vulneribus exiguum quiddam spirans, tantum tamen abfuit, ut tormentis succumberet, aut aliquid præsentium grave & acerbum existimaret, ut cùm quandam corporis partem à plagis intactam vidisset, tortores ipsos tanquam contumeliosos accusaret, ut qui totum corpus honore non affeciissent; sed aliquid non laceratum, nec sanctitate affectum reliquissent, tibiam demonstrans, quæ sola ungulas effugerat, eosque rogans, ut ne huic quoque parcerent.

Et S. Glycerij.

Audiamus & S. Glycerium Presbyterum Nicomedienses, qui Maximiano extrema minitanti; Tuis, ait, aulicis, & Deorum tuorum adoratoribus ista occine; non ijs, qui maximum tormentum existimant, carere tormentis, eosque, qui parcunt, non benevolos, sed inimicos sibi esse judicant.

Atque hæc Christianæ Sapientiæ summa est Philosophia, amare se odiendo, & odisse amando, & ingentes coronas parvo emere, & modicis doloribus ad æternas voluptates pontem sternere, aditumque sibi aperire.

12. Pugna inter amorem & odium.

E contrà verò eorum insipientiam erroremque, qui se suaque nimium amant, nec suorum criminum, malorumque caussam debito odio prosequuntur, in Joanne Hircano Simonis filio contemplare. Simeonem Machabæum eius Patrem in convivio proditoriè occiderat Ptolomæus, & qui Hircanum ipsum necarent, submiserat; qui divino beneficio morti ereptus, & ad Pontificatum evectus, conflato exercitu, Patris interfectorem in arce obsedit. Habebat ille sceleratus matrem Hircani, duósque eius fratres captivos, quos, dum acriùs premeretur, in locum conspicuum productos flagris cædebat; eos etiam se præcipitaturum minitans, nisi frater ab oppugnando desisteret. Hærebat hic inter affectum matris & fratrum, odiumque perduellis, atque ut suis gratificaretur, de oppugnatione nonnihil remittebat. Clamabat interea è mœnibus mater ne molliretur affectibus; sed potiùs rei indignitate odioque in tyrannum commotus daret operam, ut in potestatem redactum debitis pœnis afficeret: gratum enim sibi esse inter tormenta emori, modò nefarius homo scelerũ suorum supplicium lueret. His quidem matris adhortationibus ad

13. Eius emblema.

ultionem accendebatur juvenis animus, sed ubi Matrem verberari lacerariq́ue iterum conspicit, ardor ille infringitur, & appugnationis fervor refrigescit; adeoque dum hoc modo trahitur in longum obsidio, annus Jubilei (quo ab operibus cessare Judæis solemne est) supervenit, quo Ptolomæus ab hoste suo liber, occisis eius matre & fratribus, ad Philadelphensem tyrannum aufugit. Ita nimia animi mollities tribus malis miserum adolescentem Hircanum implicuit; primò sceleratum hominem debito supplicio non plexuit; deinde ulciscendæ necis paternæ occasionem perdidit, & matri, fratribusq́ue, quos fortassis in libertatem acriùs urgendo asseruisset, ultimam perniciem attulit. Similibus damnis involuit in bello pro æternitate molles animos odij sancti defectus; illudit enim nobis priditoriè amor proprius, fallacijsq́ue suis tempus protrahit, donec mors superveniens bello finem imponat; malisq́ue fortè sempiternis addicat.

CAPUT III.

De abnegatione sui, secundo ad amorem sanctum acquirendum instrumento.

DUplicem amoris sacri conditionem, & qualitatē faciunt, qui illum propiùs examinant; unam, quæ consistit & subsistit in affectu; alteram, quæ in effectum prosilit: ita duplex nobis odium assignant; unum, quo malum dumtaxat displicet; alterum efficax, & gladio semper armatum, varijsq́ue alijs instrumentis instructum, quo amoris proprij ramos resecat, rivulos hinc inde sese diffundentes obturat, & continenter cum illo congreditur, semper vincens, spolijsq́ue hostilibus auctius, & illustrius. Ad hæc omnia Abnegationis utitur ministerio, eiq́ue velut vulnerario omnis sectionis & medicamentorum curam imponit: hæc secundùm S. Bernardum primò, quidquid foris absonum, aut supervacaneum, aut redundans occurrit, continuò rescindit; tum ad interiora gradum faciens, ipsam mali causſam, hoc est cupiditatem adoritur, quam si potest, radicitus succidit, & nos ipsos à nobismetipsis separat, ut impleatur illud Christi; *Quicumque vult venire post me, abneget semetip-*

1. Duplex odium nostri.

2. Utitur abnegationis ministerio.

metipsum, & sequatur me.

Quæ duplex est.

Sancti Caroli Borromæi sententia duplicem facit abnegationem; unâ, quæ appetitui negat quod expetit; alteram, quæ illum aut aggredi aut perferre cogit, quod fugit & recusat; atque totius abnegationis cardinem, & praxim in his duobus consistere existimo quod jam à nobis enucleatiùs tractandum est.

Itaque ne confusè in tam salubri exercitatione res geratur, exempla aliqua proponam. Fortè dum vitia mea, & animi ægritudines accuratiùs examino; ad cibos delicatiores procliviorem me, quàm par sit, invenio: quid hîc aget abnegatio? non tantùm suggeret, ut à cibis optatis abstineam, sed efficiet etiam ut quos averfor, illos, appetitu contra obnitente, sed generosè victo, debellatoque in os & stomachum injiciam: vestium elegantiâ delector; abnegatione duce non solùm quidquid supervacaneum est, amovebo; sed etiam id vestimenti genus assumam, quod animo minus arridet.

A vilioribus mendicabulis, & inopum sordibus abhorret mihi animus, eósque quantum sine offensione possum, declinare soleo, si abnegationis præceptis insistere volo; illos jam indagabo, adibo eorum male olentia tuguriola, nosocomijs assiduus adero, manibus meis ægrotantium ori cibum ingeram, lectulos componam, & huiusmodi officia, eousque frequentabo, usquedum profligato horrore in eius locum animi propensio voluptasque successerint.

Simile ab arbore ex Aristotele

Aristoteles, quâ erat ingenij sagacitate, & judicij præstantiâ, utrumque hoc abnegationis munus ad virtutum celerem; solidamque consecutionem necessarium esse advertit, illudque arbusculæ incuruæ, quam corrigere vis, exemplo luculenter explicuit; neque enim sufficere existimat, quod volebant Stoici, ut illam dumtaxat erigas; sed etiam in contrariam partem inflectas oportet, ut illa deinde majori facilitate recta consistat. quam etiam doctrinam Deus prodigijs, eventisque mirabilibus approbasse legitur.

3. Huius abnegationis defectu punitur Petrus Damianus.

Venerabili viro Petro Damiano, cùm sacris nondum esset initiatus, solemne fuit, ut pauperem aliquem diebus singulis mensæ secum adhiberet; evenit fortè, ut cùm vnicus tantùm domi primarius sive candidus panis suppeteret, is à famulo, orbi Petro designato imponeretur; furfureus verò, aut secundarius mendico. Inter comedendum, pupugit Petrum hæc à Deo injecta cogitatio: Siccine Christum, quam in paupere recipis, pane subnigro vesci patieris, dum tu candido te pascis?

hærebat ad hanc correptionem anxius quid ageret, & an panem suum cum mendici pane, ut illi dictabat interior monitio, commutaret: sed vel pudore, vel panis horrore retentus, non paruit: sed ecce in foribus punitio; primus bolus de appositio pisce in os injectus spinam in gutture transversam egit, & cùm extrahi inde non posset, mortem minari videbatur, usquedum de pane illo subnigro bolum Petrus assumeret, qui viam sibi reliquisque edulijs aperuit. Quo documento voluit Deus Petrum agnoscere, quàm tantula in se abnegando pervincendóque oscitantia sibi displicuisset, posterosque simul docere, quantum gratiæ apud divinam Majestatem cõciliet prompta, constans, & fortis abnegatio.

4. Eiusdem usudeo gratior P. Gonzales.

Patrem Gonzales præstantis virum ingenij, etiam ab aliqua in humanioribus literis eruditione apud æquales celebrem, aliqua gloriolę & famæ colligendæ cupiditas incesserat, quam Deo contẽptionis desideriũ inspirante, ut velut in incunabulis extingueret; stolidum se finxit, dubia nescio quæ ingenij stupiditatem redolentia passim proponere institit, nihilque prætermisit, tum loquendo, tum tacendo, quò de ingenij opinione decideret. Quod tandem apud homines est assecutus; sed apud Deum, inde gratiosior, ad sublimem orationis & sanctitatis gradum evectus est, Deo paleam scientiæ in aurum charitatis permutante.

5. Quomodo se habeant in abnegatione circa usum linguæ perfecti & imperfecti.

Sed jam Perfectorum Imperfectorumque in hac abnegationis palæstra diversum procedẽdi modum intueamur, atq; hoc ipsum in unius linguæ vitijs edomãdis propiùs examinemus. Sunt certè multa linguæ vitia, quandoquidem illam universitatem iniquitatis appellet Jacobus Apostolus, & illa eò magis pertimescenda, quòd de omni verbo otioso reddendam aliquando rationem Iudex ipse Christus pronuntiet: sed multò magis ad huius periculosi membri abnegationem accenderis, si vitiorum ab illo promanantium alphabetum duplex tum apud Drexeliũ legas, tum hîc auctum accuratiùs inspicias; Aspera verba, acerba, adulatoria, æquivoca auxeses secum vehentia in prima litera reperies: Blasphema deinde, biliosa, bilinguem, & blateronem redolentia: Calumniosa, contumeliosa, contentiosa, conviciantia, criminosa: Detractoria, diffamatoria, despicientia, derisoria: Excusatoria, exprobrantia, eludentia, effeminata, execrantia: Fallacia, fraudulenta, fœda, fescennina, falsidica: Garrula, & gravia audienti, grandiloqua: Hyperbolica, & hypocritica: Ironica, impudica, injuriosa, infamantia: Lasciva, levia, lædentia,

lædentia, litigiosa, lubrica: Mendax lingua & murmurans, multiloqua, maledica: Nugigerula, noxia, nefanda, novaculæ instar, & lingua nequam: Otiosa, odiosa, ostensiva, ostentationis plena: Pestilens, proditoria, pindarizans, & pruriens: Querula, quæstuosa: Rancoris plena, ridicula, rumigerula, scandalosa, stultiloqua, simulatoria, scurrilis, subsannans: Temeraria, tumultiosa, turpiloqua, temulenta: Virulenta, vituperans, vaniloqua, ventosa. Quis ad hæc non perhorrescat? quis ad abnegationis frænum, aut novaculam continuò non recurrat? quis Sapientis consilium non sequatur? Prov. 23. *Statue cultrum in gutture tuo?* quis ad preces cum eius parente confugiendum sibi non putet, & dicendum: Psal. 140. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis?* Quis S. Ambrosio consulenti non assentiatur, qui nos ne loquamur, monet, nisi silentio melius quidpiam habeamus? Quis Deo confisus id assequi non conetur, quod suadet Apostolus: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei?* Hoc scilicet Perfecti habent in votis, in id omnem operam curamque collocant, nec senis ex Eremi Patribus responsum à se alienum putant, ut usquedum interrogentur, silentium sibi servandum putent, nec illis S. Antonij displicet monitum, qui discipulum admonet, ne dum silentium servat, magnæ se virtutis argumentum præbuisse arbitretur; sed servasse, quod loqui bene nesciret, ideoque omni sermone, & colloquio esset indignus. Fortassis hæc ardua valde, observatuque difficilia videbuntur, præsertim ijs, quos vitæ ratio & institutum & quæstus animarum ad promiscuam cum populo consuetudinem obligat; sed cùm tot Ecclesiæ lumina Dominicos, Franciscos, Ignatios, Xaverios in istis muneribus hanc linguæ moderationem assecutos videamus, cur non idem speremus, si partibus nostris non desimus, continuaque ad Deum mentis elevatio & deprecatio pro ea impetranda in subsidium accedat?

6. Quomodo utenda in alijs sensibus.

Sed quid in alijs sensibus hæc abnegationis novacula operetur, audire operæ pretium est: aliter enim eâ utuntur Perfecti, aliter Imperfecti: hi in sensuum custodia sibi satis esse arbitrantur, si quod S. Augustinus in sua regula præcipit, ab illicitis nocentibusque oculos avertant: illi verò etiam à licitis se continent, & S. Caroli Borromæi vestigijs pro virili conantur insistere, qui ad diverticulum aliquod ex hortuli amœnissimi conspectu captandum invitatus, ingressus quidem illum est, & obambulavit, sed ab omnibus oculorum invitamentis, quæ plurima occurrebant, spectandis se abstinuit:

Circa visum Petrus Faber.

ſtinuit : Petrum Fabrum Ignatij ſocium ſibi etiam hac in parte imitandum proponunt, qui in ampliſſimæ civitatis ingreſſu Caroli Quinti Imperatoris pompam magnificentiſſimam, ut declinaret, ſeſe in vicinum ſacellum proripuit, ut meliori Chriſti de cruce pendentis ſpectaculo oculos paſceret, eâ victoriâ id conſecutus, ut numquam poſtea vel minimâ rerum huiuſmodi videndarum titillatione tangeretur. Habent etiam quaſi ante oculos propoſitum exemplar B. Felicis Capucini, qui ad eleëmoſynas per urbem Romam conquirendas, è conventu pedem eferens Socio dicebat : *Eia frater, in manibus ſit Roſarium, oculi figantur in terra, cor elevetur ad cœlum.*

B. Felix Capucinus.

7. Circa auditum.

Quod ad auditum attinet, permittunt illi, quos amoris perfecti excellentia, obtinendiq́ue deſiderium minùs accendit, aures ſibi cantu muſico, inſtrumentiſq́ue mulceri : alij verò, qui illius pulchritudine rapiuntur, ſimilia reſpuunt, & ſi quando magis illos harmonia concentuſq; quàm Dei in iſtis laudatio delectavit, ſe cùm Auguſtino culpæ alicuius reos confitentur : ſed multò magis ſe accuſant, laudationi propriæ, magis quàm deſpicientiæ, vitiorumq́ue palponibus potiùs quàm reprehenſoribus, ſi denique adulanti lubentiùs quàm morſicâs veritatis acetum ingerēti aures præbuerint.

Deodoratus abnegatione quid dicam ? his ſi roſa, ſi floſculus alius boni odoris arridet, facile decerpunt, naribus admovent, & ad diuturniorem voluptatem captandam manibus geſtant ; iſti ab huiuſmodi oblectatiuncula prorſus abſtinent : hi noſocomij ſordes, aut male olentes pauperum caſas refugiunt ; iſti eas avidiſſimè frequentant, & cum B. Nicolao Factore Hiſpano (pro cuius canonizatione ad Pontificem maximum ſcripſit Philippus ſecundus Hiſpaniarū Rex) dicunt : Dum peccatorum meorum fœditatem, & graneolentiam conſidero ; aquam, quâ vulneratorum ulcera ablui, lubens ebiberem, mel mihi illa odoriferumq́ue balſamum videtur.

8. Circa adoratum.

B. Nicolaus Factor.

Jam verò in vexando, abnegandoq́ue guſtu duplex hoc hominum genus in diverſa prorſus abſcedit : nam illi in amoris ſancti exercitatione ſubfrigidi, modò extra temperantiæ orbitam non ſaliant, in varia cibi potioniſq́ue oblectamēta avidiſſimè feruntur ; in hoc viliores beſtijs, quòd partem aliquam hominis atque rationis, ſagacitatem ſcilicet, atque induſtriā in obſonijs, cibiſq́ue delicatè condiendis applicent : alij verò, qui ſub ſignis divinæ dilectionis generosè militant, hanc ſenſus iſtius in edulia delicioſa propenſionem nō coërcent modò, ſed cum S. Bernardo guſtatum omnem extinguere

9. Circa guſtum.

S. Bernardus.

re conantur; quod si assequi non possint, subrepentem voluptatulam prorsus abdicant, interque edendum, quod minus sapit, accipiunt; quod magis arridet, Christo relinquunt, uti Joanni Berchmanno & Francisco Cajetano utrique de Societate nostra in more positum fuisse legimus: sale etiam, aceto, oleo, alijsque condimentis non utuntur, ut è duobus prænominatis postremus actitare solitus fuit, dicens acetarium sine sale & oleo sumere, rem meritò exiguam videri ei, qui Christi in nos merita, & beneficiorum magnitudinem in animum revocarit. Non desunt, qui clam alijs cibos suos cineribus ad S. Ignatij aliorumque exemplum aspergunt: sunt qui cum S. Carolo Borromæo, & Francisco Cajetano summis æstate caloribus extra utriusque refectionis tempora ne aquæ quidem guttam admittunt: alij sensui isti discruciando amaras herbas ore circumferunt, potiones medicinales guttatim sorbillant, pilulas dentibus comminuunt, & masticant, quod B. Borgio solemne fuisse memorant. Alij edulia gulæ amica oculis oriique admovent, ut appetentiam irritent, & abstinentiâ, aspectuq; torqueant. quod Senem ex solitarijs feciſſe legimus, cui cùm fratres ex charitate melopeponem, cuius esum appetebat, misissent; illum in cellula reposuit, sæpius per diem aspexit, & deosculatas est, sed ab edendo tamdiu abstinuit, donec putresceret: quod & Jacoponum in edulij carnei appetitione domandâ feciſſe annales Ordinis S. Francisci testantur.

Franciscus Cajetanus.

S. Carolus Borromæus.

10. Circa tactum.

De tactus moderatione cùm agitur, qui ad amoris divini culmen non enituntur, in hoc Deo rationique feciſſe se satis existimant, si mollia non sectentur: sed qui ad perfectionem aspirant, in hoc asino malè tractando toti occupantur: Primò, cum B. Justiniano hyemis tempestate etiam frigidissimâ ad ignem non accedunt; quod cùm unus ex Cœnobij eiusdem Patribus miraretur, manumque eius apprehendisset ut ad focum pertraheret, illam frigore rigentem sentiens: O fili, inquit, magni te amoris igne intus aduri necesse est, qui tantum frigus non persentiscis. Chirothecis, aut alio pellicularum adjumento manus contra frigoris asperitatem non muniunt, atque in hoc duos Ecclesiæ Principes S. Carolū Borromæum, & Cardinalem Bellarminum imitantur: cilicijs, disciplinis, & ferreis catenulis, humicubationibus, & somni parsimoniâ corpus, ut asino simile, assiduè exercent: si sedendum est, locum incommodum cum B. Aloysio; si laborandum, cum S. Catharina Bononiensi opus magis laboriosum quæritant, & de nocte

B. Justinianus.

Bellarminus.

nocte cum S. Ebbâ surgentes aliarum calceos emundant; tum quòd moniales sponsarum Christi loco habeant, tum quòd sensum tactus ut ignobilem, & cum bestijs supra cæteros communē infestare, ac discruciare, quàm maximè cordi habeant.

II. Circa interiores facultates.

Miranda quidem videri potest hæc in sensuum tractatione diversitas: sed longè plus habet admirabilitatis tam dissimilis in interiorū facultatū abnegatione procedendi modus: illi enim tepidiores, imaginandi vim, appetitū tam concupiscibilem, quàm irascibilem, memoriam, intellectum, voluntatem in officio continent, eoúsque, ut in peccatum aliquod non diffluant; ne verò liberiùs evagentur, ne diverticula consectentur, ne nimiâ boni appetitione, aut mali declinatione prępostere aliquid turbēt, parum, aut nihil curant; alij verò meliori amoris divini flammâ succensi, nimiam illam imaginum memoriæ obstrepentium multitudinem aut arcent ab ingressu, aut jā ingressas eliminant, cogitationes sublimes & nobilitate filiorum Dei condignas advocant, alunt, & quàm possunt tenacissimè retinent, imitanturque B. Stephanum Monachum, qui memoriam Iesu Christi in cruce pendentis repræsentationi ita defixerat, ut nihil eorum, quæ dicebantur, adverteret: in utroque verò appetitu edomando assiduâ utuntur severitate; ab omni voluptaria titillatione abhorrent quàm maximè, & S. Bonaventuræ consilium amplectuntur, qui religiosum salutaria monita postulantem ante omnia monet, ut de omni consolatione desperet, simulque alterius Senis ex eremi incolis pronuntiatum magni faciunt, qui vitæ perfectioris fundamentum esse dicebat: omnem huius vitæ oblectationem, ac quietem capitali odio prosequi. atque pro alterius appetitus stimulo seriò & altè animo imbibūt, quod Christus S. Francisco, & S. Catharinæ Senensi persuasum esse voluit, ut aspera, acerba, amaraque omnia, dulcium loco haberent, & dulcia omnia in amarorum numero reponerent: mentem ipsam à rerum, quæ sub aspectum cadunt, consideratione avocant, & in æternarum contemplationibus defigunt.

S. Stephanus Monachus.

S. Bonaventura.

II. Circa voluntatem propriam.

Sed potissimum abnegationis studium, in voluntate propria, judicioque perdomando, quam lepram animi Patres appellitant, versatur; hæ sunt secretissimæ amoris proprij latebræ, hic veneni sui pestilentiam occulit, & tacitè in omnes actiones derivat: scalpello suo ad ulcus hoc exsecandum Abnegatio continenter utitur, ut corruptus veteris hominis sanguis, ut illum appellat Christus agens cùm S. Birgittâ, copiosè effluat;

effluat; docet illa Pachomij exemplo junioribus judicium submittere, qui texens mattulas, cùm à Novicio moneretur, se ad eius voluntatem libenter inflexit; docet cùm foras egredimur ad S. Franciſci imitationem, quocumque Socio collibitum fuerit, agnelli ad inſtar ſequitur. Denique cum Sancto Anſelmo tantæ auctoritatis viro nos moner, eum, qui alienæ voluntati in bono ſe accommodat, apud Deum æquum judicem id mereri, ut eius voluntati Deus etiam ſe accommodet, juxta illud Quâ quiſque mẽſurâ uſus erga alios fuerit, cãdem remetietur ei; deinde iis in rebus, quibus neque ex ſcriptura ſacra, neque per cæleſtem aliquam ab Angelo denuntiationem divina voluntas agnoſci poteſt, alterius voluntatem pro cæleſti cynoſura exiſtere; denique cùm à Chriſto moniti ſumus, ut efficiamur ſicut parvuli, meritò alijs tanquam majoribus deferre, Chriſtiano eſſe glorioſum, & licet illi altioribus principijs in rerum electione non ferantur; noſtram tamen ſubmiſſionem, & cum eorum voluntate bono fine conſpirantem concordiam à Deo eſſe, eique non poſſe non eſſe pergratam.

Se alterius voluntati aptantis quantum meritum.

13. Quàm velox ad ſanctitatem gurſus.

Quicumque hanc continuæ abnegationis viam perſeveranter inſtiterit, exiguo tempore plus in virtutis aſſecutione promovebit, quàm alius annis compluribus, qui ſibi parcens, & ab huius novaculæ ſectione nimium metuens, teſtudineo motu progreditur. Ordo tamen hîc aliquis ſervandus, & quod maximè in nobis exorbitat, amoriſque divini profectibus officit, incipiendum, duoque in primis obſervanda. Primum, ne nimio impetu, & deſiderijs cum anxietate ſolicitudineque animi quietem perturbantibus in hoc exercitium rapiamur: feſtinandum hîc eſt, & quidem ingentibus animis, ſed lentè, & pacatè. Amor proprius, ait B. Franciſcus Sales, ſuos habet deſideriorum ad perfectionem aſſequendam impetus, qui animi tranquillitatem peſſumdant, & cor diſcruciant; vellet non tantùm motibus contrarijs non aſſentiri; ſed ne illos quidem ſentire. Alterum eſt, ut ſibi quiſque perſuadeat, ſicut in hoc negotio magnis animis eſt opus, ita conſtantiâ, & in bene cœptis perſeverantiâ. Quercus condenſa uno aut altero ſecuris ictu non ſternitur, neque muri Jericho ad primum buccinæ ſonum corruêre. Magnus ille inter eremi incolas, & cæleſti præconio cohoneſtatus Siſois, de ſeipſo dicebat: Jam ab annis triginta in linguæ abnegationem moderationemque invigilo, & quotidie Deũ deprecans dico: Bone Jesu impertire mihi gratiam bene linguam gubernandi; & tamen diebus ſingulis

Ex doctrina B. Franciſci de Sales.

14. Quantum in linguæ cura ſtudium Abbatis Siſois.

gulis per illam pecco, & Deum offendo. Huius nos constantiam imitari oportet, & quamvis difficultates novæ se ingerant, parumque nos promovere arbitremur, recentibus tamen animis, copijsq; pugnandum, & nobisipsis occinendum illud: *Cùm consummaverit homo, tunc incipiet*: qui enim, ut rectè notat S. Gregorius, semper se inchoare existimat, infatigabilis in novitate perdurat. Cavēdum ne in illam Dei querimoniam incurramus, quam de Israelitis apud Jeremiam, adductâ pavonis in mediū similitudine, ut eorum inconstantiam explicet, facit, ut sentiunt S. Hieronymus, & S. Thomas. *Nunquid*, inquit *avis discolor hæreditas mea mihi*? Verè, inquit Tertullianus, multicolor, discolor, versicolor, nunquam ipsa, semper alia, etsi semper ipsa, quando alia. Amat Deus homines constantes, & magnâ in se fiduciâ erectos atque fundatos, qui sibi persuadeant, quod Franciscum de Sales dicere solitum ferunt, horam, quâ ad perfectionem evehendi à Deo sumus, ab ipso præfinitam esse; neque ab illo differri, nisi ut suo tempore majori fructu proventuque compleatur: ex nostra verò parte habendum est illud S.P. nostri altissimè menti infixum pronuntiatum: tantum quemque in virtutum consecutione, amorisque sancti perfectione facturum progressum, quantum in amoris proprij abnegatione promoverit.

Eccles. 12.

Lib. 15. *moral. c.* 2.

Ierem. 12.

De pallio.

CAPUT IV.

De morte Spirituali.

NOn est mirum, dum in bello civili adversæ acies infestis animis inter se concurrunt, si vulnerantur multi, si sanguis copiosus funditur, si hinc inde neces multiplicantur: ita dum odium sui & abnegatio adjuvante divinâ gratiâ cum amore proprio eiusque auxiliaribus copijs congreditur, sæpiusque confligit, mirum videri non debet, si malæ propensiones, vitiosique affectus, fracti, debilitatique ita jaceant, ut se commovere vel non possint, vel non audeant. Etsi enim, quamdiu corpus hoc gerimus, & naturæ per peccatum depravatæ corruptelis obnoxij sumus, exscindi prorsus, & emori non soleant, quia hoc alteri vitæ reservatur: ita tamen prosternuntur, ut vitam, motumque amisisse videantur.

1. Quid mors Spiritualis.

Dicimus aliquem mundo mortuum, cùm ab omnibus, quæ mundus amat, animum cohibet, nullâ blanditiarū eius & voluptatum cupiditate tangitur, eumque ad illas degustandas solicitare, cruciare est; quia, ut ait S. Bernardus, *Crux illi est omne, cui mundus inhæret.*

2. Discrimen inter hanc & corporalem.

Magnum-

Magnum est inter mortem corporis, & hanc, quam mortem Spiritus vocamus, discrimen: illa in instanti conficitur; hæc paulatim, & totam ferè vitam occupat: illa omni sensu, & actione hominem privat; hæc sensum non tollit, sed consensum; nec operandi facultatem extinguit, sed in meliorem partem eam detorquet, impeditque quo minus aliquid contra Deum, vel amorem sanctum audeat: illa hominem truncum reddit, ad omne bonum, omnemque cum hominibus consuetudinem, inutilem: hæc alacriorem efficit, & ad omnia publicæ rei, hominumque commoda procuranda expeditum, sibique & multis proficuum; quia, quod corruptionis ab Adamo confractum est, instaurat, omnesque animi, corporisque facultates in meliorem statum restituit: quod ex parte significare voluisse videtur Apostolus, dum dicit: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

3. Quis mortis illius modus.

Sed quomodo id fiat, sigillatim inspiciamus: in genere quidem quærenti quî possit aliquis sensuũ voluptatibus emori, respondet S. Augustinus: *Consuetudine ijs carendi, appetendiq; meliora*: Sed enucleatiùs ex antiquis illis Patribus Abbas Moyses interrogatus, quomodo aliquis proximo mori posset: Si, inquit, de ijs quæ illum tangunt, non inquirat, si de eius actionibus judicium non ferat, si illum non aspernetur, si omnibus bene velit, & nulli malè. Abbas Agathon, quid esset omnibus, quæ in cella sunt, mori, hoc modo explicuit: Si cùm aliquid earum rerum, quas habemus in cellâ, à nobis petitur, continuò libenter elargimur. Qui omnibus rebus extra Deum moritur, vinci non potest, pace invitis adversarijs perpetuâ fruitur: *Non vincitur quis, nisi cùm eripitur ab adversario, quod amat*, ait idem Augustinus: qui ergo id solum amat, quod auferri non potest, invincibilis est. Aufer amortuo vestes quantumlibet pretiosas, non reluctatur, auferentem fatigat illæsus.

Epist. 131. ad Nebrid.

4. Et Agathonis doctrina.

Cùm Abbati Ammonio, aliquando vellet ostendere S. Antonius quò per gratiam Dei patientiæ, & ad omnes injurias tolerandas fortitudinis deventurus esset, eduxit illum extra cellulam, & ad lapidem prægrandem, iussitque ut injurijs illum appeteret, & verberibus oneraret. Fecit quod jussus erat Ammonius. Interrogavit tum illum Antonius, an saxum illud aliquod sensus indicium dedisset? Minimè, inquit ille. Ad hanc animi magnitudinem provehet, inquit Antonius, te Dei gratia, & omnibus injurijs faciet superiorem. Linguæ eiusque defectibus & vitijs quâdonam aliquem mortuũ arbitrabimur? Cùm ad Abba-

Et S. Antonij.

Et Pambonis praxis in moderatione linguæ.

5. Signa voluntatis matuæ.

tis Pambonis in linguâ moderādâ perfectionem provectus fuerit; qui nullū verbum nisi præmeditatè proferre & implorato per aspirationem cordis, cælesti auxilio proferre solitus fuit, & in supremo mortis articulo dicere ausus est, se nullius verbi pœnitere. Volūtati propriæ mortuum aliquem, quo argumento deprehendemus? cùm B. Franciſci de Salez gradum fuerit assecutus: qui dicere solitus erat; nihil se velle, nihil se nolle, omnem suam voluntatem in oceano divinæ voluntatis absorptam esse, libertatem omnem irrevocabili donatione divinæ se majestati consecrasse.

6. Quanta sit mortus felicitas.

O felices animas quibus intellectus gratiæ divinæ operâ rerum fugientium simulacris spoliatus, & sæculi axiomatibus ablegatis, solius veræ fidei principijs ducitur, voluntasque ipsa ad bona infima omni propensione depositâ, & propriæ libertatis amore abdicato, inferiorum etiam facultatum aut appetitionibus aut timoribus coërcitis, uni Deo vivit, eiusque ductum omni promptitudine sequitur, vitamque in terris imitatur Angelorum, quam miris laudibus effert Gregorius Nazianzenus Basilio scribens & sanctimoniā Monachorum Ponti depingens, vocatque *Materiâ vacantem & incorpoream vitam*, quæ homines veluti Deos in terris efficit, & supra cōmunem cæterorum mortalium vivendi consuetudinem ad proximā cælestium spirituum imitationem ac similitudinem elevat. Hanc deprædicabant, ac velut virtutum omnium fundamentum æmulabantur primi illi, & ardentissimi perfectionis assectatores eremi incolæ; è quibus Moyses dicebat, ad illam qui aspirare voluerit, in animum debere inducere se à triēnio cum mortuis contumulatum, & omnium rerum, præterquam Dei, curam memoriamque deposuisse. Conquerenti apud Ammonium de fratre suo Paysio nimium cum altero, uti sentiebat, familiari; Adhuc vivis & nondum planè mortuus es, ait Ammonius; ita te gere ac si jam annum mortuus esses, & sepultus: qui aliena nec videt, nec sentit.

7. Quantæ laudes apud antiquos Monachos.

Ut de alicuius virtute periculum facerent, eum maximè hac in parte pertentabant, & an re, erga quam honestè affici poterant, privari sine sensu aliquo possent, attentè dispiciebant. Juvenem Monachum apud Senem solitarium depredicabant aliqui quasi jam longiùs in virtutum stadio provectum. Id experiri, & reipsâ probare voluit Senex; & assumptis comitibus juvenis cellulam adit, hortulum intrat, & bene cultum aspicit ac olera hinc inde adulta; suspicatus illa heriles esse delicias, baculo quo innitebatur, quasi ludibun-

Exemplum.

dibundus ea demetit, & prosternit, unum dumtaxat intactum relinquens: inde, ut moris est, simul Psalmos recitant, quibus finitis juvenis Monachus vultu modesto, & hilari Senem rogat; velítne olus, quod restabat in collatiunculam apparari. Ad quam petitionem attonito similis insilit in eius collum Senex, dixitque: Video, fili mi, te, ut audieram, verè mortuum appetitionibus tuis: quandoquidem ad tantam à me factam in hortulo labem, atque vastitatem tam parum commoveris.

8. Est prædestinationis signum.

Perlustrabat suæ Diœcesis monasteria S. Basilius; & in eorum aliquo Abbatem rogavit, an ex suis quemquam è prædestinatorum numero præ cæteris esse censeret. Ad talem quæstionem parum hæsitans Abbas, accersitum unum è simplicioribus Basilio sistit. Ad quem continuò vir sanctus: Affer mihi aquam in pelui, ut pedes lavem. Currit ille, aquam defert: sedere illum jubet Basilius, & ipsemet ad pedes monachi inclinatus eius pedes non se moventis nec reluctantis abluit; mandat deinde, ut die sequenti cùm Sacristiam ingrederetur, compareret, moneretque ut sacerdotio initiaretur. Facit ille ad amussim omnia: atque hinc Basilius illum proprio judicio voluntatique mortuum dijudicãs, vera habere argumenta judicavit, quibus inter prædestinatos censeri meritò posset, eumque sibi deinceps in suis functionibus comitem adlegit.

9. Eius defectus castigatur in S. Birgitta.

Quos Deus singulari præ cæteris amore prosequitur, ad hanc tam beatam appetitionum mortem rerum carissimarum exspoliatione sensum efformat. Birgittam sibi etsi conjugij vinculis alligatam in sponsam delegerat, ubi illam videt thalamum curiosiùs adornantem, illam per suam cruci affixi imaginem propiùs appensam ingenti alapâ percutit, deinde mũdum muliebrem gemmasque igne furtivè immisso consumit; incendij caussam esse significans aliquam animi ad ista agglutinationem, quam stirpitus evellere, & ad perfectam mortem illam provehere similibus eventibus voluerit.

10. Exercitium in S. Elisabetha.

Quid de S. Elizabetha Turingica dicemus? à morte mariti palatio expellitur, filijs orbatur, & ad incitas, imò extremam propemodum mendicitatem detruditur: duæ illi supererant comites virgines, calamitatis sociæ, & non mediocre in tot ærumnis allevamentum: has illi etiam subtrahit vir sanctus conscientiæ eius arbiter, à Deo instigatus, ut omni rerum extra Deum solatio destituta, & sibi etiam quodammodo amorique proprio mortua, uni sponso cælesti viveret, perennemque cum u-

no illo, quam habitura erat in cœlo conjunctionem conformationemque voluntatum inchoaret.

11. Quis fructus.

O felicem, fortunatamque huiusmodi mortuorum conditionē, qui ei soli vivere incipiunt qui pro ipsis mortuus est Christus, quorum vita abscondita cum Christo in Deo ; qui hac interiori morte id assequuntur, ut à morte peccati, & à morte damnationis æternæ absint quàm longissimè: quam ob caussam votis toties congeminatis illam expetebat S. Augustinus, illud sibi solemne exclamans : *Moriar, ne moriar.*

Et neglectæ damnum.

E contrà, quam luctuosum, & sanguineis etiam lachrymis dignū spectaculum, tot miseros mortales intueri, qui dum pravis cupiditatibus mori nolunt, in mortis æternæ lamentabiles cruciatus ruunt præcipites ; longè diversi ab illis primitivæ Ecclesiæ Christianis, qui bonorum omnium, vitæque ipsius jacturam parvi faciebant, ut tantò securiùs æterna illa incendia devitarent, quique , ut ait excellens ille temporum istorum orator Minutius Felix, *dum mori post mortem timent, interim mori non timēt.* Quo etiam imbutus spiritu S. Paulinus suos adhortans aiebat : *Moriamur, ne moriamur* : & eligamus, quod ipse enucleatiùs mentem suam explicans, subiungit, *& amoribus istius ævi, mente prius, quàm morte mori.* Hæc est illa, quam *Euangelicam mortem*, appellat S. Augustinus, à Christo tam impensè nobis commendatā. Mors, ob eius, qui eā commendat auctoritatem, meritò in pretio habenda: mors, quia pacem animi secum defert, jure expetenda : mors denique, quia nos in quandam cælestis vitæ libertatem asserit, omni studio & assiduitate quærenda. *Vtinam hac morte frequenter cadam !* ait S. Bernardus, ut non sentiam mortifera blandimenta, impatientiæ stimulos, angores solicitudinum, molestiásque curarum. *Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona mors, quâ non corpus cadit, sed anima sublevatur.* Ad hanc mortem, quam optabat, jam pervenerat vir sanctus, imò & ad illam, quam Angelorū esse dicit, quamque desiderijs prosequitur. *Moriatur*, inquit, *anima mea*, etiam (si dici potest) morte Angelorum, ut præsentium memoriā excedens, rerum inferiorum, corporearumque non modò cupiditatibus, sed & similitudinibus exuar; sitque cum illis pura conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Ad hanc etiam perveniſse arbitror S. Patrem Ignatium, de quo hoc luculentum testimonium in eius Canonizationis processu lego. A seipso amorem omnium rerum, quæ Deus non sunt, prorsus abiecit, atque in eundem transtulit Deum, erga quem charita-

Natali 10.

12. Eius votum in à Bernardo

ritatem adeò puram in corde suo aluit, retinuitque, ut etiam suiipsius amorem prorsus amandarit. O nos felices si ad istum gradum provehi liceat!

CAPUT V.

De libertate Spiritus.

1. Libertas spiritus est abnegationis effectus.

POstquam Abnegatio officio suo perfuncta succulos appetitionum exuberantes resecuit, & mors inde subsecuta suborientes eorum motus si non penitus extinxit, certo tamen modo suppressit, inde animus libertatem respicere incipit: jam enim hostibus amoris divini debellatis, nulla domi timenda amplius seditio; nullus foris tumultus, nulla conspiratio: ubi vel minima insurgit hostilis comminatio, continuò dominator hominis animus imperio suo omnia sedat, & ad obedientiam promptam, constantemque compellit.

2. Eius votum in S. Bernardo.

Ad hanc libertatem suspirare volebat Pontificem Eugenium S. Bernardus, cùm dicebat: *O Eugeni, quàm bonum est nos hic esse; quàm foret melius, si quando tamen toti sequamur, quo ex parte præcessimus. Præcessimus animo, & ne ipso quidem toto; sed parte, & parte modicâ nimis. Affectus jacent mole corporeâ prægravati, & luto hærentibus desideriis: sola interim arida, & tenuis cogitatio prævolat: quid si totam se colligat anima, & reductis affectibus è cunctis locis, quibus captiui tenentur, timendo quæ non oportet, amando quæ non decet, dolendo vanè, gaudendo vanius, cum his meat totâ libertate volatum, pulset cum impetu Spiritus, & in pinguedine gratiæ illabatur?*

O felicem libertatem, ad quam ut pervenias, tibi rebusque fugientibus moriaris oportet. quod insinuare videtur Seneca, dum suo Lucilio dicit: *Meditare mortem: Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet: qui mori didicit, servire dedidicit: supra omnem potentiam est; certè extra omnem: quid ad illum carcer, & custodia, & claustra? liberum ostium habet: una est catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ.* Qui Rempublicam Romanam à servitute liberarunt, & in libertatem asseruerunt, demum tyrannis, prostratis extinctisque proclamarunt: Vivat libertas; ita omnia in nobis amori divino contraria iugulentur & emoriantur oportet, antequam in veram spiritus libertatem ab omni affectionum jugo, operante divinâ gratiâ vindicemur. *Epist. 26.*

3. Libertatis definitio apud prophanos auctores. *Metaph. 2. Seneca. Ep. 123.*

Romanus Orator quærit: *Quid est libertas?* & respondet: *vivere ut velis.* Quod & Philosophus sentire videtur, dum eum liberum pronuntiat, qui alieno arbitrio vivere non cogitur. Et Seneca cùm magnificè dixisset, neminem omne quod vult habere posse, esse tamen

men in cuiusque potestate, nolle quod non habet, & rebus oblatis uti hilariter; in hoc magnam libertatis partem constitutam esse censuit. Neque ille, aut aliquis eorum, qui in Philosophiæ pronuntiatis rationem ducem sunt secuti, ad veram libertatem unquam exegere, ut malum & rationi repugnans possis eligere. Ipse Romanus Orator supra allatis jungit interrogatiunculam: *Quis igitur vult? Qui recta*, inquit, *sequitur*. Et Pythagoras ante illum pronuntiavit, neminem liberum censeri oportere, nisi illum qui sibi ipsi bene imperare noverit. Ipsa Dei libertas, summæ & perfectissimæ libertatis exemplar ab omni labeculæ contrahendæ periculo remotissima est: posse peccare defectus est, & infirmitatis argumentum, non libertatis: quò igitur animus abnegationis, mortisque spiritualis adminiculo à consuetis in malum propensionibus liberior, quò ab amore rerum fugientium remotior, quò omnium perturbationum incursibus superior, in stadio virtutum constantiùs provehitur, eò feliciùs libertate desideratissimâ fruitur, propiusque ad Dei beatitatem accedit. Si à S. Ambrosio requiras, quem ipse liberum esse arbitretur, respondebit tibi, eum, *qui amore non capitur, qui avaritiæ vinculis non detinetur, qui metu criminis non obligatur, qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura.* Si à S. Augustino viam ad illud tantum bonum assequendum flagites, dicet: *Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat.* Vidit hoc Crates Philosophus, qui aurum, argentum, cæteramque omnem suam supellectilem projecit in mare, & per præconem edici jussit: *Crates Cratem libertate donavit.* Idem sensêre celebres illi Philosophicæ palæstræ duces, & antesignani Zeno, Diogenes, Anacharsis, Seneca, Epictetus, qui velis, remisque ad hanc animi libertatem cursum intenderunt, & suos ea de re sensus ac judicia literis ad posteros trâsmisêre: agnoverunt omnes quod Seneca claudens Epistolam 104. magnificè pronuntiat. *Non potest gratis constare libertas: hanc si magno æstimas, omnia parvo æstimanda sunt.*

4. Quis liber S. Ambrosij judicio.

Lib. de Ioseph.

Ep. 104.

5. Ne à majoribus liberæ minoribus impedia.

Hinc eorum vesaniam commiseratione dignissimam mecum judicabis, qui rebus maximis abdicatis sese in alicuius cœnobij secessus conclusêre, & tamen pedetentim novis vinculis, rerum minimarum illecti cupiditate, miserè se induunt, aviculas imitati, quæ seviſſimo filo captivæ detinentur. quod egregiè docuit Dositheum suum aliquando S. Dorotheus. Oblatum sibi elegãtem cultellum ambiebat Dositheus, & illius usum à magistro suo Dorotheo postulabat,

labat, prætexens quòd cùm infirmorum curam gereret, hîc cultellus magni sibi usui esse posset. Vidit Magister discipuli animum jam cultelli cupiditate in servitutem abductũ; & ad illum paterno affectu conversus: Quid hoc est, inquit, fili? vin' tu cultelli captivus esse? vísne animo tuo reculam tam vilem dominari? vin' ob exigui instrumenti amorem libertatis tuæ jacturam facere? quæ verba, quam jactari possent in multos, qui Dei obsequio mancipati vilissimarum rerum affectionibus implicantur: qui tamen, ut sibi, aliísque fucum faciant, ad excusationum umbras, & ficus folia cum Adamo confugiunt, nunc sanitatis curam habendam, nunc majorem Dei gloriam quærendam, nunc conscientiæ pacandæ necessitates, nunc sanctæ amicitiæ vincula restauranda prætendunt, ut miseræ servituti mantellum objiciant; & reprehensionibus interioribus quibus interdum mordentur, aliquid opponant. Miseri & miserabiles, quos amoris proprij captivos esse delectat, & quo minus alacriter ad virtutum culmen evadant occultis compedibus irretiri se sinunt.

6. Cane falsam libertatem in sperandis ho.

Sed aliud in hoc genere præcipitium quasi digito in illud intento ostendere me oportet: insedit enim penitus atque inveteravit apud nonnullos falsæ cujusdam libertatis affectatio, qui dum aliorum judicia, & in rebus conscientiæ sententias ac placita humiliter sequi servitutem esse autumant, suo ipsi ductu vivere volunt, sibi sapientes esse, & à judicio proprio tanquam ab Ariadnæ filo regi non tantum glorioſum, sed æquũ esse & securum arbitrantur. Audiant hi magni illius Episcopi Francisci Sales de huiusmodi fallaci præsumptione judicium: Sũt, inquit, qui solo Dei spiritu regi volunt, & quidquid illis in mentem venit, id à Deo quasi primo fuminis omnis fonte sibi infundi arbitrantur, se à Spiritu Sancto quasi infantes manu duci existimant: in quo falluntur magnopere; quis enim majoribus de cælo prodigijs vocatus est, quàm S. Paulus, quem etiam Christus ut ad meliora converteret, verbis ipse suis compellavit; & tamen noluit illum de rebus agendis instruere, sed ad Ananiam pergere, eumque audire jussit: an nos majoribus à Deo gratijs donatos arbitrabimur, majoribusque luminibus præditos, quàm fuerit ille gentium Apostolus, ad totum terrarum orbem illuminandum à Deo electus? hic ad hominem, à quo doceatur, à summo Magistro, mittitur, & tu te tam eximium judicas, ut Deum solum tui instructorem esse tibi persuadeas? Apage istud supercilium: humilis obe-

minum judicijs & consilijs.

Entretien. 19.

7. Imitare S. Paulum datum Ananiæ in disciplinam.

dientia nobis sit pro cynosura; extra cuius ductum voragines sunt, atque præcipitia. Dicet aliquis; An non illi, quos mihi duces assignas, homines sunt? an non paribus mecum erroribus obnoxij? ut quid me ad illos amittis & relegas? vin' ut relicto fonte ad rivos divertam? an non semper paratus est Deus lumen infundere, de quo dicit Propheta: *Accedite ad eum & illuminamini est facies vestræ non confundentur*? ut quid cellâ aut domo egredi, ut ab homine lumen emẽdicem, cùm Deum semper habeam in promptu? à quo ille ipse, quem consilij causâ ad ire vis, lucem efflagitet necesse est: ut quid hinc, illinc temporis & melioris occupationis jacturam facere? non ab heri aut nudiustertiùs in palæstrâ virtutum decerto; quid inter naturæ & gratiæ motiones intersit, longo jam usu didici, quod alijs consilium dare in hoc, mihi ipsi occino: ut quid me vis alteri homini, ut vitem ulmo illigari? ut quid libertatem sanctam deperdere, ut quid non Deo soli adhærescere? non eadem sapientum semper de rebus ijsdem sententia; ubi in diversa abeunt, quem vis me potius sequi? Tot legimus, quos Græci vocant Θεοδιδάκτους, à Deo edoctos, & in rebus agendis divino lumine collustratos veræ virtutis orbitam tenuisse: non est abbreviata manus Domini, nec

8. Aliquorum deceptio.

eius misericordię consumptæ: non de nihilo rationis luce donati sumus, hac bonum à malo, & maius bonum à minori facile discernimus; orare, ægros invisere, corporis castigationes assumere, ad sacram synaxim accedere opera sunt, quorum obvia cuique bonitas ad ea frequentanda animos invitat, ut ulterioribus consilijs opus esse minimè videatur, præsertim cùm interior Dei instinctus, & mentis illustratio ad illa usurpanda nos impellit.

Multa certè cõgeris: sed ad ista omnia unico opus cuneo, qui omnia rescindat. *Ne sis sapiens apud temetipsũ*; inquit, prima sapientia: & Apostolus Romanos minet: *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos*: quid quod illis malũ imprecatur Isaias, dũ inclamat. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & corã nobismetipsis prudentes*. Verè hac in parte aliquam mentis aberrationẽ & stultitiã agnoscit S. Bernardus, dum ait: *Qui sibi magistrum constituit, stulto se discipulũ subdit*. & audaciùs in similes invectus Deo plenus Clymacus clarè hoc effatum reliquit: *Inhis, qui sibi credunt, Dæmon sæpe Prophetæ est*.

9. Ne tibi nimium credas. Prov. 3. Cap. 12. Cap. 5. Gradu 3.

Humilitatem, & obedientiam divinæ inspirationis notas esse, & testes irrefragabiles pronuntiat B. Franciscus de Sales. Maximam hominis felicitatem in eo sitam esse, ut alieno se regi sinat arbitrio, edixit S. Ægidius; hanc viam in-

10. Humilitas sectanda.

instituisse Apostolos postquam divini Spiritus donis fuerunt locupletati. S. Liduinam solitam dicere memoriæ prodiderunt, eum qui Spiritus sancti operationes in se desiderat, in omnibus Confessarij monitis obedientem esse oportetere ; cuius ductu tanquam Christi hac in parte vices gerentis, & salutis iter securè conficiet, & altissima animi pace perfruetur, quod ægrè assequetur, si alio tramite ingredi voluerit.

11. Deo grata.

Quàm hæc submissio Deo gratia acceptaque sit, evidenti argumento colligit B. Ioannes de la Croix : cùm enim divina bonitas cum aliquo tanta utitur familiaritate, ut etiam cum illo amica misceat colloquia, & de rebus agendis secreta consilia communicet, vult tamen ut illa rata non habeat, neque se ad executionem accingat, donec cum homine, cuius consilijs in rebus conscientiæ utitur, illa contulerit, & eos velut sigillo confirmata perceperit : atque ad hoc faciendum ipse animæ illi occultam quandam propensionem injicit, ut sibi nunquam faciat satis nisi alteri omnia aperuerit, & rerum agendarum velut codicillos ab illo acceperit. Quas hac in parte pugnas, quas mentis altercationes expertus sit Dorotheus, posteritati ad exemplum, & cautelam notas esse. Cùm aliquando consilij super aliqua re à Seniore expetendi se daret occasio, tum illi submurmurabat cogitatio : Quid opus est illum adeas, sat nosti, quid ille tibi responsurus sit, aliàs simili eventu hæc, & hæc tibi respondit? Ego tamen meipsum, ait, tum increpans : Abijce hæc procul, & judicium proprium abdica, ac prudentiæ tuæ oculum effode : quod enim hoc in negotio scire te arbitraris, à Diabolo est, non à Deo. Contigit interim aliquando, ut responsum Senis, cum eo quod antè mecum definieram, conspiraret. tum iterum cogitatio : Nunquid prævideram, & bene præsenseram quid Senex responderet, quid erat necesse & illi & tibi negotium facessere? sed tum ego mihi; Aberras, ajebam; nam quod tibi in mentem venerat, antè Senem quàm adires, à Deo tibi suggestum non fuit, sed à Diabolo; quidquid enim à teipso promanat, hoc dæmonis instinctui tribuas oportet : Omnis enim tua cogitatio ab amore proprio, qui te excæcat, originem sumit, & ab eo inficitur. *Luc. 11. 12.*

Expertus id S. Dorotheus.

Quorsum quæso tam seriò Christus in Evangelio nos monet, ut videamus ne lumen, quod in nobis est, tenebræ sint ; hoc est, ne mens, & ratio, quæ duce gratiâ, & humilitate obedientiâque comitibus nobis pro lumine est, tenebris affectionum, velut

Sine hac etiam optima Deo displicent.

caligine, offundatur; nisi quia inde actiones etiam tenebricosas enasci necesse est: Sacramenti Eucharistici frequentationem, misericordiæ opera, bona esse & laude & approbatione digna non est, qui inficietur; si tamen hæc tuo sensu obeas, si illius, cui tuæ conscientiæ rationes commisisti, hac in parte decretum violes, à recta virtutis orbita non parum aberras, & S. Philippi Nerij sententiâ cervicosus, & superbus haberis monitus, inquit, pœnitens à Confessario, ne die aliquo ad sacram mensam accedat, si non audiat; pervicacia est, non devotio, quæ illum corporis Christi participatione reddit indignum.

Sed omissâ hac fallaci ac supercilíosâ libertate, ad aliam longè sanctiorem, cuius meminit Christus in Euangelio, eius freti, fultique subsidio constanter aspiremus: *Si filius Dei*, inquit, *vos liberaverit, verè liberi eritis*: quia in filiorum adoptionis libertatem admissi, à servitute peccati, & perturbationum, quas secum trahit Adami inobedientia, tranquille respirabitis: abrumpite tantùm vincula, quibus amor proprius mentes vestras tenet implexas: non sentit avis filum, quò ligatur, nisi dum ad volandum enititur; plerumque ad instar Samsonis funibus irretiti securè somnum capimus, & locum damus hostibus extremam nobis moliendi perniciem, à quibus circumventi, & oculis orbamur, & miserrimam cogimur servire servitutem.

13. Veræ libertatis exempla.

Longè nobiliora nobis Christianæ libertatis suggerit exempla Oriens in SS. Basilio, & Chrysostomo, & Occidens in SS. Ambrosio, & Hilario, quos supra omnes mortalium minaciſſimos assultus, & quidquid sub Deo formidini esse potest, animi excelsitas, & magnitudo extulit, ut vitâ ipsam tam facile ponerent, quàm vestes, quando dormitũ concedunt.

In Basilio singulare.

Arianus Præses, Modestis nomine, Basilium adortus, è tribunali minaciter fremens, illum compellat: Quid? potestatem hanc meam non pertimescis? cur verò pertimescam, inquit Basilius, quid fiet? quid patiar? Quid patieris? intulit ille, unum è tam multis, quæ meæ sunt potestatis. Quænam hæc? ait Basilius, facite ut ea cognoscamus. Bonorum, inquit ille, proscriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum Basilius: Si quid aliud habes, id nobis minitare; horum enim, quæ modò commemorasti, nihil nos attingit: primò bonorum proscriptioni obnoxius non sum; quippe qui nihil habeam, nisi fortè laceris, ac detritis hisce pannis indiges, ac paucis libellis, in quibus omnes vitæ meæ rationes sunt sitæ: Nec verò exilium ullum agnosco, qui nullo

nullo loco circumscriptus sum, neque terram hanc, quam incolo, meam duco, & eam omnem, in quam projectus fuero, pro meâ habebo: imò, ut rectiùs loquar, universam terram Dei esse scio, cuius advena ego sum, & peregrinus. Jam verò quid efficere possint in corpore meo tormenta, nõ video, cùm corpore caream; nisi fortè primam plagam dixeris: huius enim solius inferendæ potestatem habes, mors porrò beneficij mihi loco erit; citiùs enim ad Deum me transmittet, cui vivo, & cuius gratiâ munere meo fungor, maximaque ex parte jam obij, & ad quem jam propero. Fregit hæc Basilij responsio plena libertatis Præfectum; ac deinde ad Imperatorem relata, ab illo reverentiam, & admirationem extorsit, ut nihil deinceps contra ipsum auderent.

14. Et Chrysostomo.

Jam verò audiamus Chrysostomum in Epistolâ ad Cyriacum generosè pro animi libertate declamantem: Cùm urbe inquit Constantinopolitanâ ejicere, nihil horum mihi curæ fuit; sed ita mecum ipse locutus sum: Si Imperatrix velit me proscribere, proscribat: *Domini est terra, & plenitudo eius*: si serrâ discindere, discindat; Isaiam habeo in exemplum: si in mare præcipitem me dare voluerit, faciat; Jonæ recordabor: si in caminum ardentem proijcere, proijciat; tres illos juvenes habeo, qui id pertulerunt; si bestijs vult objicere, Danielis meminero in lacum leonum conjecti: si lapidatione conterere, Stephanum protomartyrem; si capite minuere, Joannem Bapt. imitabor: si substantiam, fortunæque bona eripere; eripiat sanè; nudus egressus sum ex utero, nudus revertar illuc: Apostolum me exhortantem audio: *Personam hominis Deus non accipit*: & *si hominibus placerem, Christi servus non essem*: armat me, animatq; Propheta Regius: *Loquebar*, inquit, *in conspectu Regum, & non confundebar*. Et ne altioris animi in suis epistolis eum esse, quàm in suggestu arbitreris; audi illum è pulpito, antequam iret in exiliũ, populum suum alloquentem: licet adversùm me fluctus inundent, licet maria concitentur, & principum consurgat indignatio, omnia illa mihi telis aranearum viliora sunt; & nisi vester in me amor obstitisset, ne hodie quidem hinc emigrare renuissem: hoc mihi semper in ore est: Domine fiat voluntas tua: non quod talis, aut talis habet in votis, sed sicut vis Domine: hæc mihi turris, hæc petra firma, & immobilis: hæc baculus, qui inflecti non potest: si Deus hoc fieri voluerit, fiat: si me voluerit hic esse gratias ago, si alibi, itidem gratias ago: quod illi ita solemne fuit, ut Olympiadi scri-

bens dicat: *In omnibus hoc verbum velut epilogum, & clausuram usurpare non desinam. Gloria in omnibus, & propter omnia Deo sit.*

15. Et Ambrosio. Jam ad Occidentem migremus, & paris libertatis in Dei caussa spiritus in SS. Ambrosio, Hilarioque videamus. Volebat Imperator Arianus templum sibi suisque concedi; conveniunt Ambrosium super hoc Comites & Tribuni: respondet ille, si à se peterent fundum suum aut argentum, non refragaturum: verùm ea quæ divina sunt, Imperatoris potestati non esse subiecta: Si patrimonium petitur, inquit, invadite, si corpus, occurram: vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptas est mihi; non ego me vallabo circumfusione populorum nec altaria tenebo, vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Cumque Præfectus cubiculi Imperatoris Calligonus spado minaciter diceret: Me vivo contemnis Valentinianum? caput tibi tollam. Respondit: Deus permittat tibi, ut facias, quod minaris: ego enim patiar quod Episcopi; tu facies, quod spadonis: minas tuas non timeo; carnem enim occidere potes, animam non potes: vitam istam corporis potes eripere, meritum non potes extinguere; anima quippe quæ Deo subdita est, humanę potestati non est subjecta. An nocere te putas? imò magnum mihi commodum præstas; vitam adimis temporalem ut succedat perpetua. Hæc totidem verbis narrat ipse S. Ambrosius in Epistola ad Marcellam sororem.

Jam S. Hilarium fideli in Christo libertate, ut ait, non perturbationis vitio incitatum hæc inter cætera contra Constantium declamantem audiamus. 16. Et Hilario. Utinam omnipotens Deus ætati meæ, & tempori præstitisses, ut hoc confessionis meæ in te, atque in Unigenitum tuum ministerium Neronianis, Decianisne temporibus explessem! Non ego per misericordiam Domini, & Dei filij tui Jesu Christi calens eculeum metuissem, qui defectum Isaiam scissem; nec ignes metuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem: nec crucem, & fragmenta crurum meorum vitassem, postquam translatum in Paradisum Latronem recordarer, &c. Nunc pugnamus contra persequutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat ad mortem; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publicè minatur, sed gehennam privatim accendit. Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuissem quod ex me

me Decius & Maximianus audirent: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum; sed divinorum. Hæc & plura Apustolicâ, ut ipse ait, libertate, gravis ille, & imperterritus divinitatis Christi defensor, qui altè illud imbiberat. *Quis me separabit à Charitate Christi?*

O magnos Pontifices, & in Christianæ libertatis palæstra verè palmares: quorum albo libenter inscribo, etsi minoris subsellij juvenem, Joannem Calybitam, qui à latronibus verberibus exceptus vestibusque spoliatus, parvâ etiam casulâ igne consumptâ, suavissimè Deo laudes accinebat, ad instar aviculæ, quæ ab aucupe libertate donata, eum pro gratiarum actione suavi modulamine circumvolitando demulcet.

17. Et Francisco Salez. Non immeritò etiam illis adjungo B. Franciscum de Salez, illum liberrimi spiritus, & spoliatissimæ mentis ab omni affectionum genere Episcopum, qui redituum Episcopalium curâ alteri commissâ, nunquam accepti expensique rationes audire voluit; nunquam ira, vel metu tangi visus est: qui calumnijs apud Regem & in maxima totius Curiæ, & Parisiorum luce oneratus, non magis sensit, quàm si barbæ pili detonsi leviter fuissent, brevi, ut aiebat, renascituri: non mortem pluris, quàm levem soporem æstimabat; nullum aliud sepulcrum, quàm propriæ voluntatis, nullam Parasum, quàm divini beneplaciti in pretio habebat; in terrâ prorsus homo cælestis, & ipsa Sanctoaum Innocentium die, dum in Litanijs diceretur, *Omnes sancti innocentes*, cælestium fælicitatem innocens ipse cum omnium adstantium admiratione suaviter assecutus.

18. In quo consistat constantia. Antequam caput hoc claudam, velim id altè omnium cordibus imprimi, compendiosam ad hanc libertatem viam in ipsa servitute consistere, quâ nempe velut mancipia à Dei nutu pendemus, ut proinde egregiè simul in hoc negotio concurrant S. Ambrosio judice, *pretiosa servitus, & gloriosa libertas*; quin juxta Paulinum ipsum *servire Deo libertas est*, quia, ut idem subjungit, *nemini subjectus est, qui se soli Deo subjecit.* *Lib. 2. de Iacob.*

Atque hac ego de caussa jugum suum suave, & onus suum leve Christum appellasse existimo, quia non onerat, sed liberat; atque, ut idem Paulinus ait, *à terrenis nos, & inferri levat, & in excelsa regni cælestis attollit: levitas enim omnis altipeta est, & sursum versus vigore, subtilitate attollitur.* *Epist. ad Amand.*

19. Quis de illa possit gloriari. Felix ergo qui potest dicere: O Domine, ego servus tuus sum, dirupisti

rupisti vincula mea. *Vox facilis, & communis videtur*, inquit Ambrosius, *sed paucorum est, satis enim rarus, qui potest Deo dicere: Tuus sum:* ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non novit: qui potest dicere Domino: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, qui potest dicere: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Nam si quis mutabilis est, ut ego, qui aut mœrore mutor, aut indignatione, non est Christi: venit ira, & dicit: Meus est: venit tristitia, & dicit: Meus est: ego nunc Dei mei sum, nunc tristitiæ, nunc iracundiæ, nunc verbi ociosi; & ideò qui plùres Dominos habet, non potest uni dicere: Domine Jesu tuus sum: illius totus erat Apostolus Paulus, ideò dicebat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christus?* ille ergo dicebat: Christi sum, & respondebat ei Dominus: Meus es: qui verè dicit: Tuus sum, audit à Domino: Meus es. Hactenus S. Ambrosius; cui concinit S. Augustinus, dum Christum solum posse à perfecta libertate laudari asserit, ac de illo dici, *Solus in mortuis liber:* in mortuis, inquam, peccato originali, & corruptionis ab illa manantis labe infectis, solum Christum verè liberum esse, & qui dicere possit: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Quemliba valdè justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato: prima libertas est carere criminibus, cùm illis homo carere cœperit, incipit caput erigere ad libertatem, sed ista inchoata est, non perfecta libertas: quare: quia video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: ex parte libertas, ex parte servitus; nondum plena libertas, quia nondum æternitas: ipse Job voce Dei approbatus, ut justus huic veritati calculum apposuit. Nec mirũ; quia militia est vita hominis super terram, & quamdiu passionibus, & animi perturbationibus urgemur, servituti obnoxij sumus: (*Servilis est enim omnis passio*, ait Ambrosius) in perfectam demum libertatem asserendi, cum inter cæli municipes beatâ æternitate perfruemur.

In Psal. 118. ser. 12.

Tract. 41. in Euang. Ioan.

Lib. 2. de Iacob.

20. Exemplo severum Christianorum.

Cùm olim rogarentur Christiani servine, an liberi conditione essent, hoc unum respondebant: Christiani sumus, & servi Jesu Christi; veram libertatem in hoc consistere arbitrati, si à peccatis immunes, etiam malorum affectionum vincula, & captivitatem effugissent: Generosi ille animi Martyr Thyrsus Hispanus, (unde Teresæ nomen derivatum sunt qui putant) cum se Christianum, & Jesu Christi servum professus esset, inde intulit, se in libertatem quasi manu missum, nihil metuentem,

tem, & omnibus inferorum terriculamentis superiorem : *Quia*, inquit, *qui Deo servit, nihil præter Deum timet.* Longè etiam supra alios magnificentiùs de hac servitute locuti videntur S. Constantius Episcopus & Martyr, & S. Agatha, cùm illam Regum opibus, & potentiæ prætulere ; cùm in illa tot mortalium votis expetitam libertatem positam esse censuêre. *Summa libertas*, ajebat Constantius, *est Christi servitium*, quam veritatem sanguine deinde suo signatam, & posteris commendatam esse voluit.

CAPUT VI.

De Vnitate spirituali.

1. Quis homo dicendus multiplex.

MUltiplicem hominem hic dicimus, qui cogitationes suas, amoremque in plura partitur ; unum verò, qui simul omnes animi vires in unum colligit, in unum scopum collineat, & uni Bono, quod summum est inter omnia, quantum conniti potest, omnibus animæ viribus adhærescit. Cùm jam sancta libertas hominem vinculis miseræ captivitatis absoluit, novis illum amoris compedibus, sanctioribusque constringit, & ne per multa vagetur, Divini amoris captivum Deo sistit, atque ut omnibus animi facultatibus in unum idemque cum illo conspiret, efficit.

Res, quæ in mundo primariæ sunt dignitatis, unæ sunt : Unus Deus, Unus Sol, unum Cælum Empyreum, & stellatum unicum ; quæ in gemmis præstantiores, raræ sunt. Oratorem perfectum vix unum unius sæculi longitudo parturiet, si Tullio assentimur : in ordine Gratiæ Redemptor unus, & Redemptoris mater unica ; in statu gloriæ Rex unicus, & una Imperatrix Maria. Quò longiùs ab unitate, eò etiam à perfectione præstantiâque res abire videntur. Hinc est quod Sanctus amor multiplicitatem fugit, unitatem amat. Interrogatus B. Ægidius S. Francisci sectator, quæ compendiosior esset ad perfectionem via : Si una ad unum, ajebat. Hoc est, si una anima ad unum Deum collectis in unum animę viribus indesinenter connitatur.

2. Unitas est via ad perfectionem.

Inspice mecum magna illa amoris sancti lumina, atque miracula, ac in primis Magdalenam. unum habet in corde IESUM, unum in ore, unum in oculis, hunc solum respirat, hunc ambit, hunc per Pharisæi contumelias, per querimonias sororis, per Apostolorum cavillationes, per militū minas atque discrimina, perq; ipsas mortis fauces investigat, uni Iesu quærendo amplexandoque aures, ocu-

li, manus, pedes, unguenta pretiosa omnisque denique quanta quanta est facultatum copia militant: ad cætera omnia omni spoliata sensu, & omnis expers est timoris: stipitem aut saxum esse dixeris. Dum sponsam per vicos, plateasque cursitantem vides, & quærentem, quem diligit anima sua, frustra illam stiteris; verberatur, pallium excutitur, rapitur, offendit nocturnos vigiles; nec tamen ab incœpto desistit, quia in unum sponsum omnes cogitationes, omnem animi cupiditatem, studiaque convertit.

3. Patet in S. Paulo & S Xaverio.

Intuere etiam generosos illos Apostolos S. Paulum, eiusque imitatorem S. Xaverium: quid agunt? quid moliuntur? quò spectant ingentes eorum labores, & per orbem terrarum interminabiles ferè discursus? quid sibi vult illa Pauli instantia quotidiana, illa solicitudo omnium Ecclesiarum, ille paternus erga omnes infirmos commiserationis sensus, & ob scandala zelus exæstuans: an non divisum, imò dilaceratum ob tot variarum molestiarum incursus Apostoli pectus arbitraberis? Audi tamẽ illum inter ista exclamantem: Vnum autem persequor; quid quæso? Dei mei amplexus, perfectamque fruitionem; in quo & bravium & omnium meorum laborum scopus unicus, est constitutus.

4. Et nobilis,

Quàm verò seriò ad virtutum apicem incumbenti fructuosa, & glorioſa sit hæc mentis unitas, viderunt qui in colenda, docendaque virtute cùm apud Ethnicos, tum apud nostros eminuere. Seneca Lucilio suo: alibi: *Magnam rem pula unum agere; nemo præter sapientem unum agit.* S. Ambrosius Epist. 1. postquam produxit illud Moysis ad populum, *Audi Israel: Dominus Deus tuus unus est. Et tu*, inquit, *ad similitudinem Domini unus esto.* & ad Virgines: *Vnum nos vult esse Dominus, ut supra mundum simus.* Ep. 100. Ep. 1. &

Si ab hoc magno Præsule quæras, cur Christus in Euangelio adolescenti eius sequelam ambienti, & priùs parentes tumulo mandare cupienti responderit: sineret mortuos sepelire mortuos; dicet tibi Christum noluisse juvenem ab operibus misericordiæ avertere, sed animum eius à multiplicitate ad unitatem traducere. *Bonum studium*, inquit, *sed majus impedimentum: nam qui partitur studium, derivat affectum, & qui dividit curam, differt profectum.* Hanc etiam ob caussam discipulis ad prædicandum regnum Dei abeuntibus præcepit Christus; neminem in via salutarent; non quòd sibi hoc urbanitatis officium displiceret, sed quòd vellet ad illud dissemi-nandi Euangelij munus ita esse attentos, ita in illud omnes animi vires

vires sensusque convertere, ut illud unum agerent, unum cogitarent, cæterorum velut obliti. Idem antea famulo suo Giezi dederat Elizæus in mandatis, cùm ad filium viduæ cum baculo suo à mortuis excitandum dimisit: scilicet Spiritui sancto ita cordi est hæc Spiritus unitas, ut communia inter homines humanitatis officia, ne illa aliquid pateretur, negligenda esse quodammodo voluerit. Hinc est quòd Sancti Patres tam gravibus verbis animi multiplicitatem, & in plura divisionem non semel damnarunt. Ipse S. Antonius de Padua inter Dæmonis malas artes, & dolos hunc unum ex præcipuis esse arbitratur, atque hoc ut probet, Cyri in expugnandâ Babylone commentum in medium producit: qui Euphratis alveum, quò se maximè tuebantur Babylonij, in rivulos complures dissecuit, fundumque fluminis ferè exsiccatum cum copijs trajecit, Urbem cœpit, Regem Balthazarem necavit, eiusque exercitum internecione delevit. Ita nobiscum dæmonē agere opinatur, orationis filum fluxumque ut divertat, animum in plures curas dividit, ab uno bonorum omnium fonte Deo in res creatas velut rivulos partitur, ac ubi jam aridam & exsuccā reperit, ac perturbationibus obnoxiam, in extremam perniciem nullo prope conatu præcipitat. Hanc ob caussam hanc animi in multiplices occupationes effusionem S. Bernardus Eugenio scribens, *afflictionem spiritus, eviscerationem mentis, evacuationem gratiæ,* appellat, cùm eas antè *maledictas* nominasset. Sed audiamus antiquiorem Bernardo S. Gregorium Pontificem nomine, & re maximum, de multiplicitate, quam secum trahunt occupationes, querelas admirabiles depromentem. *Alta,* inquit, *quietis meæ gaudia perdidi, & intùs corruens, ascendisse exteriùs videor: unde me à conditoris mei facie depulsum deploro; conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, & non solum vocibus, sed medullis cordis ad Dei speciem anhelans dicebam: Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum: Vultum tuum, Domine, requiram: Undique nunc causarum fluctibus quatior, & tempestatibus deprimor: ut rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et sequenti epistolâ ad Gregorium Patricium scribens: *Tanto,* inquit, *me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam; oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident, triste est, quidquid aspicitur.* Sed cur quæso, caussam continuò adfert occupationes nimias ab uno illo distrahentes. *Proculpis,* inquit, *meis in occupationis exilium dominantis missus, quasi destitutæ viduæ vocibus, cum Propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me.*

Lib. 1 de consi.

Ep. 6. & 29.

Serm. 1. in Dom. post festum Trinitatis.

5. Simile de multiplicitate.

me. Si ulteriùs ab illo petas, cur ad illud Unum in corde retinendum studium assiduè non collocet, respondebit tibi: *Redire post caussas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum, ita ut propheticæ voci obedire nequeam, quâ dicitur: Redite prævaricatores ad cor: sed stultis cogitationibus pressus, solum exclamare compellor: Cor meum dereliquit me.* Ad alterum verò Gregorium scribens: *Si me diligitis, plangite; quia hic huius mundi tantæ occupationes sunt, ut per Episcopatus ordinem pænè me ab amore Dei videam separatum, quod incessanter desceo, atque ut pro me Dominum exoretis, rogo.* Has querelas spinosarum occupationum aculei, & profunda animi demissio ab ore sanctissimi Pontificis expresêre, quem tamen constat inter tot negotiosi regiminis curas animo magis in Deum attento, collectoque fuisse, quàm sit aliquis extra urbanos tumultus intra cellulæ abdita conclusus, ut vel inde discamus, quàm nobis hæc curarum impedimenta superflua declinanda sint; cùm viro tanto Pontificatus à Deo commissi occupationes necessariæ, tam molestæ, & cum illâ ad unum, summumque Bonum attentione adeò pugnare videantur.

6. Quomodo multa

At dicet non nemo: Ecquis multa magnaque ad Dei gloriam propagandam, utroque, ut sic loquar, animi brachio amplectetur, si per hæc operosa studia conatusque ab illius Unius amplexu divelli hominem sit necesse? Audi hac in parte S. Augustinum, & te ab illo uno non separandum per occupationem qualemcumque intellige; *Sinon teneat, dum tenetur; non implicet, dum multiplicatur; si non cùm peccatur, involvat.* Audi & monitum S. Patris Ignatij, quod ipse constanter observabat, ut te negotijs non tradas, sed commodes. Sed & Bernardum ausculta Dei imitationem proponentem, quem ait *quasi unum respicere multos, & quasi multos unum.* Esto quod Cassianus, & post illum Petrus Damianus monet, *sigillum adamantinum*: quod in resistentem etiam materiam signum suum imprimit nullâ sui læsione, aut fracturâ: fac, quod virtutis proprium esse, ait Seneca, quæ *omnia in colorem suum trahit, ut mare flumina.* omnibus amoris divini characterem imprime, & illius unius colore succoque imbue: quod assequêris, si mentis aciem, amore sancto facem præferente in Unum semper intendas: si lyncis oculos assumas, quem nunquam retro respicere, & trans murum posita pervidere post Cœlium, & alios narrat Petrus Damianus: ita tu in omnibus negotijs Deum quodammodo latitantem, & absconditum aspicias: de quo

possimus complecti sine multiplicitate.

Epist. 11.

89. in Cant.

Lib. de Provid. Ep. ad 1. Cant.

quo dicit sponsa: *Ecce stat post parietem, prospiciens per cancellos.*

Ad hæc contentione animi, constantiâque opus esse non diffiteor, ut mentis instabilitati velut torrenti secum obvia suo impetu rapienti obsistas; quod notavit S. Gregorius his verbis primo Regum insinuari: ubi dicitur: *Erat vir unus.* Virum te esse oportet, antequam unus sis; ut multiplicitati animum in diversa distrahenti viriliter resistas. *Vir*, inquit S. Gregorius, *quia proposito fortis est; unus, quia amore singularis, quia magna virtute cuncta præsentia despicit; unus quia solâ Dei omnipotentis specie frui concupiscit.* Talem fuisse Patriarcham Iosephum testatur S. Hieronymus, quem ijs qui cum varietate casuum conflictantur, ad imitandum proposito existimat. *Abjectâ insipientiâ*, inquit, *tenete sapientiam, per quam positis non cum varietate temporum commutari, sed varietatem temporum vobis unum tempus efficere. Ioseph unum habebat propositum, placere Deo: hoc nullâ varietate temporis immutatum est: nec fratrum invidiâ, nec conditione servitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Ægyptiæ potestatis: sed semper unus fuit. Hoc idem & de Iob sentiendum est, quod per varia tentamenta vocatus, nec divitijs, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec solitudine, nec postea bonorum omnium restitutione mutatus est.* Hactenus S. Jeronymus.

In cap. 5. ad Ephes.

7. Simile à columna.

Marmoreæ ergo columnæ similes nos esse oportet, quæ si recta stat, & ad perpendiculum firmata, quò majori onere premitur, eò magis contra ventorum impetus & aquarum incursus hæret immobilis; si verò vel tantillum à rectitudine suâ incurvatur, ruit in præceps, & omnia quæ illi innituntur, in eandem ruinam secum trahit. Si in Uno nostro, hoc est Deo, mens nostra hæret defixa, negotiorum rerumque contrariarum pondus illam non concutiet, sed confirmabit, corroborabitque; si ab illo ad seipsam, aut res alias deflectit, tum in se curarum & afflictionum multitudine divisa, ac dilacerata ruinam incurrit miserationis dignissimam.

8. S. Ignatius in multis non multiplex.

Inter multos huius marmoreæ columnæ exemplar in Sancto Patre nostro Ignatio mecum intuere: quem cùm inter negotiorum æstus, & rerum agendarum multitudinem deprehensum adverto, non unum, sed in partes animo dissectum dispersúmque esse mihi persuaderem omnino, si in admirabilem eius cum Deo conjunctionem oculum non intenderem. Fundarat ille Societatem, & vivens toto prope terrarum orbe propagarat: excubabat in omnes partes tanti corporis, in quo membra

cum capite mirum in modum apta, connexaque sunt, & ad singularia & minuta suas etiam curas extendebat; volebat, ut qui Rhetoricæ dabant operam, themata sua & Rectores quæ notatu digna in Collegijs suis acciderent, præsertim in Italia singulis hebdomadis ad se mitterent: quotidianis literis sive Principum aut urbium operarios postulantium, sive consultantium obruebatur, ut unâ nocte triginta simul literas daret, ex quibus undecim aliquando suâ manu non semel descripserat, (quemadmodum Benedicto Palmio, ut exemplo suo illum ad majorem in literis dandis adhibendam curam animaret, aliquando scripsit) Romæ domiciliorum tum Societatis, tum aliorum, quæ ad bonum commune animarum erexerat, curam in se ipse suscepe-rat, & fœminas ad illa deducebat, ut mirum sit, hominem affectâ jam ætate, & valetudine ea præstare potuisse, quibus plures homines robusti & industrij vix pares esse viderentur: in hac tamen negotiorum varietate & mole, ita unus semper cum Deo fuit, ut illius amorem ardentem in corde assiduè, nunquam interruptâ numinis præsentiâ, ad mortem usque aluerit (ut processus pro eius canonizatione testatur) ac in seipsum suarumque actionum examen singulis horis descenderit, vultu semper æquali, & jucundè gravi, & affabili, ad intuentium & adeuntium animos Deo conciliandos singulariter facto: quæ omnia vera esse facilè sibi persuadebit, qui Senecam de Socratis, & Catonis in vitæ tenore servando admirabili constantia differentem legerit: Socrates, inquit, per omnia aspera jactatus fuit, invictus fame, & paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, ferè semper aut in bello, aut & tyrannide, aut in libertate, bellis in tyrannis sæviore; quibus tandem successit damnatio sub gravissimis criminibus impleta; objecta est & religionum violatio, & juventutis corruptela, quam immittere in Deos, in Patres, in Remp. dictus est; post hæc carcer, & venenum: hæc usque eò animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint: illam mirabilem laudem, & singularem usque ad extremum servavit: non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit: æqualis fuit in tantâ inæqualitate fortunæ. Vis alterum exemplum? accipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo & infestiùs fortuna egit, & pertinaciùs. Nemo mutatum Catonem toties mutatâ Republicâ vidit: in prætura, in repulsa, in accusatione, in provincia, in concione, in exercitu, in morte: eodem, quo repulsus est, die in comitio

Epist. 9. Et Socratis.

Epist. 10. Et Cato.

mitio pilâ lusit ; Pompejum & Cæsarem, quorum nemo alterum audebat offendere, nisi ut alterum demereretur, simul provocavit; dum reliquias victi exercitus, per colles arentes loricatus trahit, quoties aquæ fuit occasio, novissimus bibit : sed & illud in eo mirum, cùm illi legem dissuasuro, toga in foro esset erepta, & à rostris usque ad arcum Fabianum per seditiosæ factionis manus tractus voces improbas, & sputa, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias pertulisset, ita tranquillè se habuit, quasi ullâ affici injuriâ non posset.

Idem tract. quod in Sapientem Cap. 12.

Tract. quod Deus sit immutabilis.

Demus ergo amori in Deum perfecto, quod apud Philonem quidam Philosophię tribuunt, qui ajunt veros germanósque Philosophos hunc præcipuum ex scientia fructum decerpere, quòd non mutantur unà cum negotijs, sed inde flexâ constantiâ adaptant se rebus omnibus: quod similitudine lyræ illustratur, quæ ex sonis inter secontrarijs, gravibus nempe & acutis contemperata, & manu doctâ pulsata, suavissimâ harmoniâ audientium aures demulcet : ita justus cùm in rerum contrariarum concursu animum plus æquo non intendit nec remittit, ad Deum, qui in se semper unus est, & immutabilis, quàm proximè accedit.

CAPUT VII.

Non est tam difficile, quàm multi putant id quod superioribus capitibus de modis amorem sanctum consequendi dictum est.

1. Quomodo amorem illum consequi possimus.

VEreor ne metiulosis, quæ jam dicta sunt, stuporem quendam injecerint, aut desperationem ; & proinde melius esse non incipere, quàm in medio conatu præ molestiarum magnitudine deficere : animandi sunt illi verbis Christi ad Sanctam Birgittam prolatis: *In amore meo*, inquit, *videtur esse onus quasi plumbum, quia cùm jejunare debent, seu vigilare, & refrænare carnem, quasi plumbum portare sibi videntur: si autem verba, & contumelias audierint, si in religione, & oratione morantur, quasi inter aculeos residents, & in omni hora angustiantur : sed qui in amore meo esse vult, incipiat primò vertere onus, id est conetur ad faciendum bona per voluntatem, & continuum desiderium: inde levet modicè, & paulatim, id est, faciat ea quæ potest, cogitando sic: Hoc bene possum facere, si Deus dederit mihi auxilium : deinde perseverans in incœpto; cum tanta alacritate, ea quæ videbantur sibi prius esse onerosa, incipit portare, quod omnis labor, in jejunijs,* [L. 1. c. 15.]

junijs, seu vigilijs, & alijs laboribus quibuscumque est sibi tam levis quasi pluma; & in tali sede, quiescunt amici mei, quæ malis, & desidiosis est quasi circumsepta aculeis; sed amicis meis, est summa quies, & levis quasi rosa.

Ijsdem objectionibus, dum ad virtutem homines hortaretur, flagellabantur aures Senecæ: Toties, inquit, mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse, quidquid facere non possunt, & ajunt nos loqui majora, quàm quæ natura humana sustineat: at quãto ego de illis melius existimo: ipsi quoque hæc possunt facere, sed nolũt. Deniq; quem unquam ista destituêre, tentantem? cui non faciliora apparuêre in actu? non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt. Verè notavit idem Philosophus nos umbris nostris terreri, quæ luce experientiæ dissipantur: *Multa*, inquit, *per noctem habita terrori, dies vertit in risum.* *Epist. 104.*

2. Proprij judicij abnegatione.

Philippum Nerium solitum dicere accepimus, perfectionem trium digitorum latitudine comprehendi, atque hoc dicens tribus digitis frontem obtegebat; arbitror significare voluisse proprij judicij voluntatisque submissionẽ præcipuum esse ad perfectionem virtutum assequendam instrumẽtum: addiderim pace tanti viri, verè in tribus totum illud, quod tam arduum & laboriosum habetur, parandi sibi amoris divini negotium consistere. 1. Ut accuratum de re totâ formes tibi judicium; tũ ut seriò illam velis. 3. Ut studium conatumque ad illam consequendam sedulò & constanter adhibeas.

3. Seria voluntate.

Suppono, ergò tam amoris divini indolem atque præstantiam, quàm viam, quæ ad illum ducit, ex superioribus tibi esse perspecta; ad secundum igitur te accinge, & fac ut seriò velis: Christus Dominus homini ad perfectionis culmen iter postulanti, *Si vis*, ait; sed velle opus est cunctabundo, sed resoluto, & ad difficilia quæq; obeunda parato atq; expedito. Rectè notavit Seneca, sicut laboriosũ est & molestum homini, eousque necessitatis adigi, ut cogatur alteri dicere, Rogo te, ita nihil æquè promptum esse ac facile dicere, Volo. Inter hominem famelicum & boni stomachi, & alterum languidum, & fastidiosum, magna est differentia; ille enim omnia devirat, & panis marcidus & & mucidus illi etiam sapit: huic omnia fastidio sunt, & ubi modo hunc, modò illum cibum delibavit, nauseabundus ibi relinquit: ita se habent languidæ, & ad minimarum difficultatum umbras desultoriæ voluntates. *Ep. 36.*

4. Et alacri.

Non amat similes Deus; sed alacres, ardentes, & expeditas, quas ubi seriò ad opus accingi con-

conſpicit, continuò ſubſidio accurrit, & ad reliqua adjumento eſt. Abbatem Theodoſium cùm vitam ſolitariam eſſet auſpicatus, ductum in Theatrum ingentis magnitudinis monuit Angelus pugnandum eſſe cum Æthiope tam vaſtæ molis, ut capite nubes tangere videretur. Ad hæc verba exhorruit Theodoſius, ſed inſtitit Angelus, addiditque: Ingredere cum omni alacritate, & fiducia; mox enim ut tu illum adorſus fueris, ego adjutor adero, tibique victoriam reponam. atque ita factum: ubi enim luctari invicem cœpêre, continuò Angelus adfuit, & coronam capiti eius imposuit. Aliud luculentius ſubminiſtrat exemplum ad Macariũ ſcribens S. Paulinus, qui Senem obortâ tempeſtate cæteris per lembum delapſis ſolum in navi relictum mirabiliter à Chriſto adjutum memorat; ita tamen, ut primum conatum ſemper ab illo Chriſtus exigeret. Jubetur à Chriſto malum excidere, quem eo tempore excidi pro navis remedio oportebat: id multi homines ijque validiſſimi, ſine ſuo & navis periculo facere non potuiſſent, ille tamen verbo Dei nixus ad id ſe accingit, & ecce malus leviter bis ſenili manu tactus magis, quàm ſecuri ictus in mare ſine periculo profilit: ita ad alia omnia nautica munia tantùm ſpecie agendi manum porrigere jubebatur ad ſingula; cætera Chriſti virtus & potẽtia ſupplebat, atque hoc modo portum, quem petebat, feliciter attigit.

In prato Spir. c. 66.

Ibid. 36.

Cùm aliquando in templo caneretur, *Qui vult venire poſt me*, vidit S. Gertrudis Chriſtum viâ quidem floridâ & vernante incedentem; ſed tamen ſpinis obſitâ, & horreſcente; crucem verò præcedere, ſpinas hinc inde amoventem, & diſſipantem, quibus ſignificatum volebat Chriſtus aſperam quidem eſſe virtutis viam, ſed Crucis & Paſſionis ſuę meritis mirum in modum aſperitatem mitigari, & ſe continuò adeſſe, ubi ſuæ voluntatis auſpicatu homo ſacrificium gratiâ operante inchoarit. S. Anſelmus ex iſtis verbis, *Si quis vult*, rectè colligit Chriſtum uti gratiâ excitante prævenit voluntatem, ita ubi illa conſenſum præbuit, eiuſdem gratiæ ſubſidio operantem comitari, & laborantem ſublevare. Arſenij celebratur pronuntiatum, teſte S. Dorotheo, eum qui ſe vincere conatur, experturum Domini auxilium, quo facilè id efficiat, quod ſibi difficultatibus implexum videbatur. Hinc S. Gregorius Nazianzenus Dei bonitatem admirans exclamat: *O Fauſtam contrahendi cum Deo rationem! hõc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur.*

5. Et crucis auſpicio.

De menſurá crucis.

De Sacro Bapt.

6. Et Dei ope

Novit Deus suæ gratiæ subsidium nobis esse perquàm necessarium, illamque libentiùs elargitur, quàm ad eam flagitandam prompti simus. quod triplici similitudine declarat S. Macarius: Si aliquis filium suum vellet ad instar avis volare & sursum ferri, ei alas subministraret: item si in regionem longinquam emitteret ubi sciret illi cum venenatis serpentibus negotium fore, illum pharmacis & antidotis communiret; denique si juberet illum mare traijcere, instrueret navim, qua vehi posset, ne si nando id agere tentaret, fluctibus obrutus submergeretur. Vult Deus nos in perfectionis montem quasi volando evadere; vult cum dæmone, mundo, & carne virulentis bestijs colluctari; vult per huius vitæ tempestuosum fretum, ad æternitatis portum cursum dirigere: quis est paternorum viscerum, quibus Deus plenus est, tam ignarus, ut putet de rebus ad hæc necessarijs non continuò nobis provisurum? Nostra culpa est si in medio cursu deficimus; laborem fugimus, & difficultatum deterremur incursibus: nec bene apprehendimus, quod expressit Quintilianus: res inter initia urere, sed consuetudine mollescere; quod medicinæ similitudine enucleatiùs ostendit S. Anselmus; hæc enim accepta & in stomachũ transmissa cõclusiones, & vomitus provocat, ac ægrum ad querelas & in medicũ convicia jaciẽda cõpellit, ubi verò aliquot horarũ lapsu malignos humores hinc inde collectos expulit; ubi caput, & stomachum aliasq; corporis partes sublevavit, tum demum & medicus & medicina laudatur. Ad hunc modum divina gratia in animum à Deo immissa primo cum vitijs & malis affectionibus congressu, omnia interiora tumultu & seditione complere videtur; posteà verò adinstar apis in alveolo, ita illà in corde hominis suum mel ab aspectu hominum abscondita & retrusa suaviter operatur, ut notat S. Macarius, aut, ut ait S. Diadochus, ad instar pictoris in officina sua concluſi, qui paulatim imaginem suam efformat ac primò crassiores colores substernendo; tum alios pulchriores apponendo, denique præstantissimos cum subtilibus lineamentis ex arte deducendo picturam effingit spectantium oculis acceptissimam: ita cũ anima nostra divina agit gratia.

Hom. 1. & 16.

Similia.

7. Contra molestias nitendo.

Obsitmemus itaque in animum ad assecutionem tanti boni, & Israëlitarum in terræ promissæ hostiumq; expugnatione segnitiem, pusillosque animos, dedecoris & exitij plenissimos fugiamus, qui ubi ab illis, qui terram illam perlustrarãt, gigantea hominum corpora, urbesque muratas expugnatu difficiles intellexerunt, continuò

tinuò fracti debilitatiqúe pedem retrò referre voluerunt; cùm in Omnipotente, qui uno flatu omnia illa dissipare poterat, spem suã collocare debuissent: ne simiam imitemur, quę dum dentem in nucem abijcit, quæ si morsum unum aut alterum congeminaret, *nucleo* effracto medullæ dulcedine frueretur: ne perfectionem amoris sancti similem faciamus pomo illi, quod Unedonem appellari dicit Plinius, quod propter acerbitatem saporis semel illud gustasse sufficiat: sequamur potius Christi consilium, qui è sancti Francisci familia Religioso ob ordinis austeritatem in perseverantia vacillanti suasit, ut ad amarissimæ suæ Passionis memoriam, & ad sui lateris vulnus recurreret; quod dum illo piè exequitur omnes ordinis Religiosi asperitates velut melle respersas deterfasque est expertus. Sanctam Lutgardem juvenculam mundi illecebris detentam, & vaga per evanescentes flosculos mella hinc inde colligentem, dum Christus ad saniorem orbitam revocare vult, ei apparens, latusque discooperiens, vulnusque sanguinem stillans, ei ostendans dixit: Cave posthac ne amoris stulti blanditias & irritamenta stultior ipsa venêris, hic vide quem te amare, & quibus de causis oporteat; tibiqúe spondeo; si gratiæ meæ non desis, defæcatis, & nullo fine terminandis delicijs te beandam.

8. Ex memoria Passionis.

CAPUT VIII.

An brevior via ad assequendum perfectum amorem sit Oratio; an verò mortificatio.

PLerique primas partes orationi deferunt; & faciliorem, jucundioremq; viam ad amorẽ sanctum eam sedulò frequentanti aperiri existimant in eâ colligi rosas sine spinis, deque rupibus mella sponte sudare sibi persuadent, ac ubi cum aliqua potentiarum tranquillitate sese Deo supplices stiterint, aperiendum illicò cœlum, & manna cæleste abundanter effusum iri, ac lumen divinum submini-strandum cum nescio qua præguſtatione eliciarum paradisi: in quo sæpiùs contigit eos falli. Hinc est quod S. Teresa eum, qui orationis iter ingreditur, vult in animum inducat, ad pugnam, & crucem se vocari; alioquin, ait, super arenã ædificabimus præter quàm quod ridiculum sit intueri nos mille impedimentis, & imperfectionibus obnoxios, & vix primis nascentium virtutum elementis imbutos (Deus det, ut eousque pervenerimus) audere nihilominus in oratione gustus & consolationes affectatè exquirere, & de aridi-

9. Dolor circa amotis consequendi modum.

Du chastean de l'ame me 2. c. 2.

ariditate conqueri. Ex antiquis illis solitudinis Eremiticæ Patribus, qui in orationis palæstrâ maximè versati fuere, precandi laborem, super cætera gravem & onerosum censuere; neque ab homine nisi ad patiendum deliberatè parato unquam suscipiendum esse. Cùm ergò utrumque non parvæ occurrant difficultates, & qui mortificationis via incedit, interdū unius horulæ spatio majoribus circumfluat delicijs, quam is, qui multo tempore orationi perseveranter incubuit, omittamus disputationem de facilitate, & dumtaxat examinemus quæ è duabus sit ad amorem sanctum compendiosior via.

10. An sit oratio.

Videbitur fortassis alicui id Orationi tribuendum, idque non sine ratione. Est enim Oratio ad instar fornacis, quæ amoris proprij scoriam excoquit, & separat. Est familiaris cum Deo consuetudo, quæ cùm eius infinitam Bonitatem propiùs intueatur, eiusque pulchritudinem inenarrabilē contempletur, quî fieri potest, ut in hominis pectore flammas ardentissimi amoris non excitet? ille pastorculus, apud Poëtam, ex unico aspectu in favillas abit, & exclamat: *Vt vidi, ut perij*: & hominem inter tantos ignes amorisque sancti tantas illecebras non continuò incendi & inardescere arbitramur? Crystallus ad solem lumen induit, ferrum ad ignem admotum excandescit, glacies ad radios solis solvitur; frigus vincitur & inter agentia debilius fortiori cedere experientia nos docet; cur idem non fiet ab oratione quæ hominem cum Deo quodammodo committit? Luctatur Jacob cum Angelo & vincit, cur idem non accidat homini in oratione cum Deo pro amoris sancti consecutione decertanti? si oratio clavis est thesaurorum Dei, facile alumnum suum in possessionem gemmæ primariæ, quæ charitas est, inducet. Qui cum Rege de rebus magni momenti agit sæpè familiariter, facile rerum minorum obliviscitur, aut contemptor est: ita qui orationis ministerio ad rerum cælestium tractationem cum Deo frequenter admittitur, res inferiores & perituras continuò aspernatur. Non aggreditur aliquis hostem suum, quem videt Regis latus claudentem, nec dæmon adoritur hominem orandi assiduitate à Regis supremi conspectu non recedentem. Addamus ad hæc similitudinem usurpari solitam, Principis imaginem ære eliquato fusoq; multò faciliùs quàm repetitis malleorum & scalprorum ictibus efformari. primum orationem nobis repræsentat, alterum mortificationem.

11. Huic jungenda.

Etsi hæc omnia cum veritate consentiant, dicendum nihilominus

mortifica-tio.

nus unum sine altero nihil, aut perparum posse: sunt hæ alæ geminæ, quibus anima levatur in Deum: ac quemadmodum si avi alam unam aut decurtaris, aut religaris, volandi facultatem ei sustuleris; ita nihil unquam promovebit ad cælestis amoris consecutionem is, cui è duobus alterutrũ, oratio scilicet, vel mortificatio defuerit. Laudabat S. Teresia hominis docti sententiam, qui eos, qui orationi sese non dedunt, similes paralytico esse dicebat, qui se commovere non potest. Alius verò eum, qui mortificationi non vacat, malis humoribus, & sanguine corrupto repleri ajebat, qui tandem morbum periculosum parturirent. S.P. Ignatius in suade perfectionis studio epistola homines multæ orationis, sed exiguæ mortificationis depingens, ait illos esse ut plurimùm superbos, arrogantes, præsumptione elatos, proprij tenaces judicij; & cùm apud illum laudaretur aliquis tanquam vir multæ orationis; dic potiùs, inquit, multæ mortificationis: ac propterea in continua sui victoria maximum ad perfectionem momentum statuebat; in quo primarios Patres & Ecclesiæ lumina duces habuit. *Vis*, inquit S. Augustinus, *ut intret mel, unde acetum nondum fudisti? funde, quod habes, ut capias, quod non habes: disce non diligere, ut discas diligere; avertere, ut advertaris; funde, ut implearis.*

Num. 37. inter ho.

Atque ut Deus Prophetæ mandavit eradicaret, ac deinde plantaret, ita idem Sanctus ab unoquoque nostrûm exigit: *Quomodo radicabitur*, ait, *charitas inter tanta silvosa amoris mundi? magnum semen posituri estis, non sit in agro quod suffocet semen.* Quod de voluntate per mortificationem emundanda ab impedimentis amoris divini, hoc idem de intellectu nos docet. *Quomodo*, inquit, *si quis videre non posset, quia sordidos & saucios oculos haberet irruente pulvere, vel pituitâ, vel fumo, diceret illi medicus: Purga de oculo tuo, quidquid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuorum.*

Ierem. 1.

Tract. 2, in Ep. S. Ioan.

12. Simile. *Tract. 1. in Ioan.*

Secundùm Platonem, Homo est anima corpore utens. Hinc S. Agatha animam grano frumenti, & corpus paleæ comparabat, ac sicut panis confici non potest nisi priùs granum à paleâ excutias & separes, ita nec animus ad cælestes aptari delicias, nisi abducatur à corpore. Hinc S. Thomas ubi Principem instruit, vult primò in amovendis obstaculis operam studiumque collocari: *Cùm aqua*, inquit, *igni sit contraria, difficulter ligna vel candelæ ignem suscipiunt, quæ habent aquam; aqua enim resistit; ita sit ubi malitia primò mentem adolescentis occupavit: non est verisimile Deum adeò libenter ponere balsamum gratiæ in vase sordido & immũdo, etsi*

Opusc. de eruditis, Principise l. 5. c. 6.

illud à sordibus emũdaveris ac deterseris, acponeret in eo vase, in quo immunditia nunquã: fuit: ita sanè oportet vel præcedat, impediatque sordes mortificatio, vel succedat, si irruperint, easque diluat & abstergat, priusquam amoris divini balsamum in animum infundatur.

Hom. 53. in Ioan. *Propone*, inquit S. Chrysostomus, *tibi hominem plenis argento manibus; nunquid aurum rapere poterit, nisi id prius abijciat.* Ita certè ut divini amoris aurũ ignitum, quod Christus in Apocalypsi suadet Episcopum emere, tibi compares opus est, utmortificationis operâ, etiam quod tibi videtur utile, abijcias, eiusque jacturam facias spe rei pretiosioris.

Lib. 3. de comp. *Apud homines*, inquit idem alio in loco, *mos est, ut tum thesauros suos filijs patefaciant, cùm eos jam adultos viderint, & puerilis lasciviæ vitia respuisse; ita anima nisi priùs terrena contempserit, cælestia mirari non poterit.* Quam admirationem primum contemplationis gradum facit S. Bernardus, quam præcedat oportet terrenarum rerum per mortificationis disciplinam inducta & firmiter in animo corroborata contemptio. Sicut uva Soli exposita matureſcit, obumbrata verò pampinis & folijs remanet acerba; ita Moyses Abbas accidere ajebat homini, qui quando per mortificationem folia conversationis humanæ non resecat, nunquam facile ad orationis, & conjunctionis cum Deo maturitatem perveniet. Jungẽdæ ergo sunt inter se, & velut innexis manibus copulandæ oratio & mortificatio, & imitandi sunt Hebræi, qui à captivitate reduces sub Esdra incumbebant in templi Salomonici restaurationem, quique unâ manu trullam, alterâ gladium gestabant: aut certè Gedeonis manipulus ad imitationem nobis proponendus, qui dexterâ tubam bellicarum quâ classicum canerent, alterâ lampadem accensam vase testaceo inclusam proferentes, & sonitu & lampadum splendore territis hostibus ingentem de illis victoriam reportarunt. Imitandus & Christus, qui diebus quadraginta & corporis castigationi per jejunium, & menti per orationis pabulum nutriendæ ad nostrum exemplum vacare voluit. In hanc sententiam multa sunt Veterum in Eremo Patrum præclara dicta, & facta, quorum aliqua cum alibi à me commemorentur, hîc illis supersedebo; in hoc omnes consentiunt, nimis austeram esse mortificationem, nisi orationis melleo succo leniatur, & orationem parum constantem & fortem, nisi mortificatione fulciatur. quod postremum sequens historia confirmat.

13. Probatur exemplo.

Justinus Hungarus, nobilitatis, & opum, & gratiæ apud Principem collectæ contemptor, ordini S. Fran-

S. Franciſci nomen dederat, in quo orationi & contemplationi impensè addictus, & à Deo ſingularibus donis affectus fuit, ut ſæpè extra ſe raptus etiam ſublimis in aere conſiſteret, quam ob cauſam vanæ gloriæ vitandæ gratiâ ſecretiores receſſus adamabat. Romam tamen cùm religionis ergò veniſſet, & in celebri conventu, quem Ara Cæli nominant, menſæ aſſideret, piæ cuiuſdam lectionis auditione extra ſe abreptus, & amoris divini violentâ flammâ ſuccenſus, in altum elevatus eſt ad ſupremam muri altitudinem ubi imago B. V. affixa erat, quam tangens brachijs in crucem diſtenſis manſit immobilis. Aderat tũ B. Joannes Capiſtranus, qui rei admirabilitate perculſus, partem Religioſorum miſit ad templum, ut Deo coram V. Sacramento de tanto beneficio fratri conceſſo gratias agerent: ipſe in Refectorio ſubſtitit, ut videret, quò res evaderet. Erat tum Romæ Summus Pontifex Eugenius quartus, qui re intellectâ Juſtinum accerſit, eumque gratioſè, & honorificè excipit, & familiari colloquio habito cùm amplexu plurimis auctum gratijs dimittit. Inflavit ſuperbiâ hominem tanta Pontificis benevolentia, & quia orationi mortificationem animi hactenus non junxerat, in extremæ miſeriæ voraginem præcipitem dedit. Ubi ad cœnobium rediit, advertit animum divino inſtinctu ad hanc in miſero fratre mutationem B. Capiſtranus, eumque compellans: Frater mi, ait, ſanctus è Cœnobio ad Pontificem jeras; ſed inde Diabolus redijſti. Contempſit monentem tumidus, & arrogans, ac in dies deterior factus, atque ob alteri vulnus inflictum in carcerem conjectus, ac inde evadens, & vagus, atque iterum ergaſtulo incluſus in ſua pertinacia diem clauſit extremum.

CAPUT IX.

De ſanctis deſideriis, & quantum juvent ad divini amoris conſecutionem.

1. Quam graviter errent, qui meditationẽ negligunt.

NOn deſunt noſtrâ ætate, qui cum Hierotheam à B. Dionyſio dilaudari audiunt, quòd divina pateretur, atque à Myſticis Theologis orationem quietis & ſilentium ſuſpenſionemque potentiarum laudibus efferri; in eam venerunt ſententiam, ut dicerent homini in Oratione nihil prorſus agendum, neque permittendum, ut intellectus & voluntas illo tempore actum aliquem exerceant; abijciendas, & in nihilum redigendas utriuſque iſtius facultatis operationes; expectandum Dei illapſum, & tamdiu cum ſilentio in eius conſiſtendum præſentia, donec

donec ipse in nobis sine nobis agat. quæ omnia non satis à quibusdam sanè intellecta non parum damni multis attulerant.

Primò enim inde manavit apud aliquos orationis, quæ ratiocinando instituitur (quâ Sancti plerique familiariter usi ad magnum sanctimoniæ gradum pervenêre) non parva contemptio: manavit etiam despectus nonnullus orationis vocalis, à multis tanta cum utilitate usurpatæ; adeò ut rosarium percurrere, & similibus precatiunculis tempus impendere, dicerent occupationes esse imperfectorum.

Secundò hoc prætextu serpsit apud inertes & desidiosos, quoddam otium, ut vocant spirituale, in quo dum nihil boni agere volunt, & malis cogitationibus vagisque aditum dumtaxat præpedire conantur, varijs se aberrationum mentis, & ariditatum exponunt periculis, quia submini stratis à Deo potentijs uti nolunt; sed potius hortulanum segnem imitari, qui pluviam de cælo expectans, obstinatiùs illà deficiente brachijs ad hauriendam è puteo uti non vult, fructuque ac voluptate dominum suum privat, quem ex bene culto & solicitè irrigato horto decerperet.

2. Ij laborãt superbia.

Præterea si audiamus Magistram orationis S. Teresiam; à vitio præsumptionis & arrogantiæ non longè abesse eum arbitratur, qui tam excelsæ orationis donŏ se dignum existimat, & ad illud aspirat non vocatus, quemadmodum damnaremus illum famulum, qui à viro nobili ad obsequium, famalitiumque admissus, vellet cum domino amicisque invitatis eidem mensæ accumbere, pari cũ illo vini potione, epulisque delicatioribus commessari, cum tamen ad aquæ aut cerevisiolæ potum ciboque viliores esset ablegandus. Ipsa certè S. Teresia viginti duobus annis cum ariditatibus mentis inter orandum conflictata, ita se semper intra modestiæ cancellos continuit, ut ad illos sublimes orationis volatus aspirare non auderet, seque adeò parvi duceret, ut quæ de Deo ne cogitare quidẽ digna foret, magnique beneficij haberet loco, ad Dei præsentiam admitti, & continuò tanquam indignam non repelli.

Non desunt inter Theologos, qui hanc otij & quietis affectationem nimiam peccati alicuius condemnent; cùm enim Deus optimus nos facultatibus ad ratiocinandum necessarijs instruxerit; qui ijs, ut par est, uti negligit, videtur Deum tentare, & ab eo miraculum exigere: etsi enim, ut ajunt, locis probari potest; ad eius tamen præsentiam aspirantibus non eadem se sponsione obstrinxit, ut nimirũ pacis cogitationes infunderet;

3. Et miraculum petunt sine necessitate. Vasquez 1. 2. d. 185. 9. Suarez de gra. Lessius Medina.

funderet, infestantes & impedientes amoveret, & ad quietam secum consuetudinem ac familiaritatem admitteret : neque enim hæc ad salutem consequendam necessaria sunt, uti solet esse gratia conversionis : imò nonnullos etiam sanctitate in Ecclesia conspicuos fuisse existimant, qui toto vitæ decursu cogitationum pacem non sunt assecuti, Deo, post molestissimam cum illis pugnam hoc demum beneficium illis in cælo reservante.

4. Sano sensu de doctrina hæc intelligenda.

Neque hæc ita accipienda sunt, quasi ipsa orationis fundamenta vellem convellere ; quis enim tam rudis est & ignarus, qui nesciat quantum ad bonam orationem interfit, quod Scriptura sacra, quod SS. Patres, quod Cassianus inculcat, antè ad eam quàm accesseris, cogitationibus silentium indicere, & te in Dei contuentis, amantis, & adjuvantis conspectu sistere : ibi fidei simplicis oculo sese ut atomum in sole, aut pisciculum in mari, ita Dei immensitate circumfusum intueri, amorem eius, & benevolentiam, ac desiderium, quo redamari à nobis efflagitat, pensiculatè expendere, & sub tantæ Majestatis tam admirabili dignatione in nihilum quodammodo redigi, ac præ reverentia veluti obmutescere, & stupore quodam admirationeq; defixos ; ibique tam diu gradum figere, donec animus pabulum aliquod & alimentum aliunde quæritans ad puncta, quæ antè consideranda sibi præfixerat, suaviter delabatur. Hæc qui fecerit, & in principio orationis hoc totius ædificij fundamentum jecerit, habet sanè quo & Dei gratiam, & sibi fructum aliquem possit promittere : Hîc nos perversum otium, & quietis nomine palliatâ desidiam exagitamus, & carpimus, & ardentia amoris divini desideria sæpiùs cum animi tranquillitate repetita magnam ad illam obtinendum vim habere dicimus : ad id nos sacræ literæ exstimulant, provocant Sanctorum exempla, & utilitas ingens inde consecuta hanc à Spiritu sancto viam institutam, & probatam esse demonstrat. *Concupiscite*, inquit ipse, *sermones meos*. Et quare quæso ad concupiscendum invitas? quia, inquit, *concupiscentia Sapientiæ ducit ad regnum perpetuum* ; regnum scilicet amoris & charitatis. Quare quæso S. Petrus nos ad similitudinem infantium excitat ad lac concupiscendum, nisi quia vult in nobis paria divini amoris ardere desideria, qualia in infantium corculis intuemur, dum sitibundi ad mamillas maternas feruntur : quibus antea Christus non modicum levamentum, sed saturitatem ad promisit, dicens : *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

In hisce verò desiderijs ita dies

Ferventia Sanctorũ desideria.

& annos consumpsêre viri desiderij, ut eorum scripta vix manibus versare possis, quin pari cum illis desideriorum æstu incalescas Qnã frequenter, & magno cordis ardore ea auribus nostris ingeminat Regius Propheta, qui jam ad instar cervi ad fontes properantis ad Deum anhelare se describit, jam oculos capitis, & animi ad cælum levasse, jam sibi lachrymas die, noctuque ad instar panis pro alimento fuisse, jam præ desideriorum magnitudine contabuisse declamat; quas desiderantis animi flammas tanti ducebat, ut cùm illas se remittere persentiscere, novis illas ardoribus excitaret: *Concupivit*, inquit, *anima mea* *Psal. 118.* *desiderare justificationes tuas in omni tempore*: quasi diceret noluisse se tempus ullum hisce desiderijs vacuum prætermittere; desiderijs, inquam, voluntatis divinæ exequendæ, quæ est divini amoris occupatio facile princeps. Salomon filius eius vestigiis paternis insistens: *Optavi*, inquit, *& datus est* *Sap. 7.* *mihi sensus.* additque se supra opes, & honorem & gloriam, supra sanitatem & pulchritudinem, supra omnia mundi desiderabilia expetijsse sapientiam Dei, hoc est sapidam ab amoris gustu Dei cognitionem: atque utinam in huiusmodi desiderio ad mortem usque perennasset! Isaias Deo plenus & Propheta verè entheus, quasi desiderijs suis dies non sufficerent, in illis etiam noctes consumit: *Anima mea*, inquit, *desideravit te in nocte.* Danielis desideria celebravit, & sigillo cælesti approbare visus est Angelus, dum *Virum desideriorum* eum appellat, & votorum compotem facit. Quid de Christo Domino dicemus, qui non tantum totus desiderabilis, & collium æternorum, hoc est animarum exaggeratæ sublimisque sanctitatis, appellatur desiderium; sed ipse inflammatissimis desiderijs propemodum consumptus, se coarctari constringique proclamat: Quomodo coarctor, inquit, & desidero desideravi, & in cruce Sitio, aliaque similia velut flammeas voces è pectoris fornace prorumpentes mortalium auribus insonat, ut desideriorum suorum magnitudinem testatam faciat. *Cap. 26.*

6. Eorum fructu, *Orat. 40.*

Videamus nunc, quæ fructuum ubertas ex his desiderijs efflorescat. *Cùm tibi*, inquit Nazianzenus, *nullo labore rei expetitæ compotem fieri liceat, quæ tandem stultitia est donum in aliud tempus rejicere? Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, ite, & emite, ac vinum nullo pretio persoluto bibite. O ingentem benignitatis promptitudinem! ô facilem contrahendi rationem! hoc bonum solâ voluntate venale tibi proponitur, desiderium ipsum boni, ingentis pretij loco habet. Sitit se sitiri, bibere cupientibus potum præbet, cùm* *Isaiæ*

ab

ob eo beneficium petitur, beneficio afficitur; jucundiùs dat, quàm alij accipiat. Quid quòd S. Augustinus desiderijs ardentibus tantum tribuat ut eos præcursores & fontes faciat eorum bonorum, quæ electis suis Deus impertit. *Sitio, ut in peregrinatione, sitio in cursu, satiabor in adventu.* Nec dolendum est, si fructus iste desideriorum amœnissimus non continuò colligatur: *Desiderium*, ait, *differtur, ut crescat; crescit, ut capiat: non enim parum aliquid daturus est Deus desideranti, aut parum exercendus est animus ad capacitatem tanti boni: non aliquid quod fecit, daturus est Deus, sed seipsum, qui fecit omnia: ad capiendum Deum diu exercêre, & quod semper habiturus es, diu desidera.* Imò cùm tam magnus, & tam excelsus sit Deus, ampliandus, & dilatandus est locus, in quo recipi potest. *Desiderium*, inquit idem, *sinus est cordis; capiemus, si desiderium quantùm possumus extendamus.*

Psal. 4.

Psal. 85.

7. Quomodo illa temperet Deus.

Quàm hoc facile est anima mea! dicunt quidem homines; Dictu nihil facilius; sed ut optimè notat S. Bernardus, id verum est comparatione operis; alioquin visu aliquid facilius est, quàm dictu, & cogitatu, ac desiderio, quàm utroque: cor nostrum ad instar fontis perennis, in cogitationes & desideria varia mirâ facilitate continenti & vix interruptâ scaturigine diffluere sentimus: atque utinam perpetuò fluxu dirigerentur in Deum! utinam in hoc imitaremur S. Franciscum, qui cùm voluntariè pauper, corpus tantùm & animum haberet ad oblationem Deo faciendam residua; corpus immolabat Deo per rigorem jejunij, spiritum per ardorem desiderij: utinam essemus ex ijs sitientibus, quibus Deus promittit aquas vitæ, & quidem gratuitas: ait enim: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis*; hîc quidem per intermistas miserijs delicias, sed perenniter in altera vita: ubi, ut ait S. Augustinus, amor erit quietus in vultu Dei, quem desideramus; ubi actio nostra erit laus Dei, & amor Dei; ubi qui manducabunt, adhuc esurient, & qui bibunt, adhuc sitient; quia nunquam fastidient; hoc enim est *bibendo sitire, nunquam fastidire.*

S. Bonav. in vita.

Apoc.

Miris modis hæc in nobis desideria excitat, & alit Deus; subtrahit se, differt dare, ut, quod notat S. Bernardus, impleatur illud in nobis: *Desideria dilata crescunt.*

Rogabat Deum S. Gertrudis pro sanctimoniali, quam malè habebat, quòd minus ardoris & devotionis die quo ad sacram Synaxim accedendum erat, quàm alijs temporibus persentisceret. Respondit Christus id à se consultò fieri: alijs enim diebus, inquit, cum homo se per occasionem cõmunionis non excitet, nisi à me

submissis igniculis ad amorem accenderetur, perpetuo gelu torpesceret: ubi verò ad Sacrosancta mysteria ex instituto accedendum est, & gratiam sensibilem subtraho, tum electorum corda se bonis desiderijs sursum attollere, & profundâ demissione in nihilum suum se conantur abijcere, atque hic conatus mihi illos sæpè reddit magis acceptos, quàm si sensibili devotione circumfluerent.

8. Quid in ijs cavendum.

Impetus.

In his tamen desiderijs exercendis duo extrema vitanda sunt: Unum nimius impetus, alterum torpor: illi enim turbant, & animi pacem pessumdant; ut Franciscus Salez nimijs desiderijs anhelantem ad mundi fugam & Religionis habitum capessendum monuit: atque ipsa S. Teresia etsi in illis desiderijs quæ à Deo in animam immittuntur, non esse periculum excessus asserat, quantumcumque efferuescant; peccari tamen posse dum de nostro nimios aliquos impetus adjungimus, qui à dæmone vel lædendæ valetudini, vel captandæ apud homines per externas demonstrationes gloriolæ furtim immittuntur. Insignis est hac super re Patris Balthazaris Alvarez ad Ordinis S. Augustini Religiosum Epistola, ex qua decerpendum duxi, quod sequitur:

In eius vita c. 24.

Non vellem videre te, inquit, profectus tui, & spiritualium internorum sensuum tam cupidum, ut eorum desiderio turbari te patiaris, pacisque & internæ quietis jacturam facias: scriptum est enim; Depone concupiscentiam, & invenies requiem: pone finem desiderijs, nisi velis torqueri: quod nisi feceris, ipsamet desideria erũt tui carnifices, & instrumenta quibus dæmon plures tibi adferet molestias, & turbationes quàm sint in aëre atomi: permitte te Deo, & amorem, quem erga illum habes, perfectâ cum eius voluntate conspiratione testatum facito, sive parum, sive multum, sive nihil tibi largiatur; tibique persuade gratiorem te illi futurum in pacifica tua & hilari paupertate, quàm si menti tuæ propositam perfectionẽ adipiscerere: famulatus es hactenus Deo tuo arbitratu, nunc eius ductum tuo abdicato humiliter sequere: tuum profectum illi committe; seu velit aliquid addere, seu auferre, eius voluntati totum te consigna, neque impedimentum à defectibus tuis non spontaneis & affectatis pertimesce, quandoquidem præcedentes tuæ culpę multò majores non obstiterint quò minus ea, quibus nunc frueris, beneficia tam cumulatè tibi conferret.

9. Et torpor.

Aliud extremum in his desiderijs exercendis est languor quidam, & torpor animi, quo vel ipsam desiderandi molestiam fugimus, vel si aliquid concipimus, tam

tam tepidè volumus, ut sagitta straminea potiùs dici debeat, quàm telum aliquod ignitum, quod nubes penetret, & cordi Christi infigatur. Sunt qui sanctis desiderijs inflammari videntur quidem, sed parum constanter: diceres desideria esse similia paleæ accensæ, quæ citò extinguitur, aut floribus arborum intempestivis, qui nunquam nodantur in fructus, exiguoque vento decussi terræ admiscentur; vel fœminis invalidis, quæ fœtus rarò provehunt ad partum; sed præmaturis parturitionibus & abortivis tumulos implent.

10. Tria requiruntur.

Ad alicuius sancti desiderij perfectionem tria requiruntur. 1. Ut sit ardens. 2. Constans. 3. Efficax; pacificum tamen & tranquillum, & cum magna ad Dei arbitrium conformatione atque fiducia: nõ est opus in cordis motus sensibiles aut palpitationes abeat, non erumpat in voces aut suspiria; sed superiorem hominis partem occupet, voluntatem inflammet, à rebus perituris abducat, & in Deum solum transferat; non hinc adrepat unum *Si*, non inde se ingerat unum *Sed*, quod desiderij tranquillum ad cælestia volatum interturbet. Maffæum S. Francisci Socium mecum aspice, & imitare. Audierat ille aliquem esse, qui tametsi virtutibus eximijs alijsque Dei donis esset ornatissimus, tantâ tamen animi demissione erat præditus, ut se omnium mortalium nequissimum existimaret: exarsit continuò tantæ humilitatis obtinendæ desiderio Maffæus, & ad Deum conversus: Domine, ait, hoc spiritu principali, & solido virtutum fundamento me confirma, & istud perfectæ humilitatis donum mihi concede, quod donec à te obtinuero, nunquam perfectè lætabor. Non restitit ad primam postulationem; iteravit incessanter, in cellula, in solitudine, cum suspirijs, & corporis maceratione; donec tandem sylvam ingredienti, dixit: Frater Maffæe, quid vis dare ad hanc gratiam obtinendam? & ille: Domine, inquit, dabo oculos capitis mei. & Dominus ad eum: Ego volo deinceps & oculos tuos, & istam gratiam habeas: atque exinde tantam vir sanctus est assecutus animi demissionem, ut nihil illo humilius, nihil abjectius videretur.

CAPUT X.

De Petitione; & quomodo obtineatur Amor sanctus cùm petitur ut oportet.

EXigua est desiderium inter & petitionem distinctio, si S. Augustino, ut par est, assentiri volumus: *Ipsum*, inquit, *desiderium tuum oratio tua est, & si continuum desiderium, continua oratio: si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare: desiderium tuum vox tua est.* In Psal. 37

1. Petenda sunt à Deo sancta desideria.

Non videntur mihi ullo modo audiendi, qui nescio quo opinionis œstro abrepti perfectius esse existimant, & sibi alijsque persuadent ab omni petitione orationis tempore prorsus abstinere: imò volunt animæ ad supremũ quietæ orationis gradũ evectæ impossibile esse ad petendum descendere, quia absorpta divinæ dulcedinis delicijs, nihil aliud agere potest quàm sponsi cælestis amplexibus frui. & quod mirêre, negant se vel unum *Pater* aut *Ave* pronuntiare posse; & si id agere conentur, lavare laterem, & oleum ac operam perdere, atque à perfectæ orationis orbita, ad devia deflectere. Vulgò dicitur; non esse granum sine palea: & falsum vero è vicino insidiari, eiusque se laciniâ obtegere: non putem inficiandum, quamdiu anima Deo in silentio fruitur, eique jam sui velut impos penitus adhærescit, tum petitionibus congeminandis idoneum tempus non esse, & verò illam Divinæ bonitatis oceano ita semper esse immersam quis credat? an non potiùs hîc suas partes agere vim imaginativam suspicari meritò possumus, aut fortè etiam aliquid occultæ præsumptionis subesse, dum aliquid præter solitum & vulgare nos esse assecutos opinamur, idque alijs persuadere nitimur. *Omnia tempus habent*, ait Dei lumine & spiritu afflatus Sapiens, *Tempus amplexandi, & tempus recedendi ab amplexibus; tempus tacendi, & tempus loquendi.* Sublimissimæ orationis dono locupletatus fuit à Deo P. Balthazar Alvarez, de quo solitam Sanctam Teresiam dicere accepimus (cuius consilijs in rebus conscientiæ & communicationis cum Deo dirigebatur) se nunquam cum illo egisse de gratijs, quibus inter orandum à Deo cumulata fuit, quin ille ipse priùs à Deo optimo maximo ijsdem donatus, haberet quod à sua experientia edoctus, responderet: hîc tamen hanc veritatem scriptis testatam posteritati reliquit: nunquam aliquem ita sublimi orationis dono à Deo offerri supra cæteros, quin ad libellos supplices Numini offerendos tempus aliquod dare possit, imò Deum velle ut id faciat; sibique Eccles. 3. 2. Ex P. Balthazaris iudicio.

sibiqúe quadam vice dixisse: *Quare tam parcus es ad petendum, cùm Deus tam promptus sit & liberalis ad dandum?*

3. Et SS. praxi justorum.

Non legi unquam Sanctorum aliquem ita suæ paupertatis ignarum fuisse aut ita se ex demissionis humillimo sensu divinis obtutibus aut auribus indignum existimasse, ut à Deo nihil unquam peteret, ne gratias quidem ad profectum in virtute necessarias: imò apud Cassianum invenio Senes illos eremi incolas, sagaces perfectionis & sanctimoniæ indagatores, & cultores, ita hanc mendicationem probasse, & demum eos qui continuò se divino indigere auxilio censerent, & haberent in ore perpetuò Versum illum, *Deus in adjutorium meum intende*, inter viros consummatæ virtutis collocarent. Meritò despectui habet, & ridendum proponit S. Hieronymus modum orandi, quem viduam quandam docuerat hostis humilitatis & gratiæ Pelagius. 1. Ut se in præsentia Dei statueret, tũ repræsentaret illi sua obsequia, suásque eleemosynas, dicendo: *Tu nosti Domine, quàm sanctæ, quàm innocentes, quàm puræ sint ab omni fraude & rapinâ, quas ad te extendo, manus; quàm justa & immaculata lubia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi misereatis, rogo.* Christiani est hæc, an Pharizæi superbientis oratio?

Longè aliter amicos suos instruit Deus. Juniperum unum ex primis suis socijs multùm ob virtutes adamavit S. Franciscus, adeò ut astantibus admirans diceret: *Vtinam de hujusmodi Iuniperis integram silvam haberemus!* Aliquando dum oraret, & fortè magnum aliquid de se conciperet, apparuit quædam manus in aëre, & divina vox insonuit: *Manus sine manu nihil potest facere*: id est nullus tam probus tantæque virtutis existit, qui si Dei manu potentiaque non juvetur, aliquid præstare possit: ad quem proinde perpetuò recurrendum. *In Annal. S. Francisci ad annum. 1220.*

Tripotius, qui insignia, & inscriptiones Regum Franciæ ex antiquis numismatibus alijsque monumentis collegit, ait in aliquo Clodovæi primi nũmo quatuor brachia expressa conspici, quorum duo manus junctas levant ad cœlum, ab alijs duobus sustentata, cum hac inscriptione *Tutissimus*: quod ego significare arbitror vires regum regnique potentiam præcipuè cælestis auxilij perseveranti postulatione fulciri; ut inde etiam doceamur ad virtutem regiam, quæ charitas est, asse quendam, & retinendam seriò & constanter divini subsidij mendicationi insistendum esse.

Dicet mihi fortassis aliquis, verum quidem esse utrumque; sed cur è duobus, quod perfectius est,

4. Et Christi doctrina.

est, non suadeo cur ab amantissima cum Deo consuetudine & tractatione hominem ad miseriarum suarum considerationem subsidiumque postulandum avoco, quod altero videtur imperfectius? Nescio an aliam nobis formare velimus perfectionis effigiem ab ea, quam à Christo nobis relictam & ipsius expressam actionibus intuemur; qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque cum clamore valido & lachrymis offerens, non semel aut iterum; sed toto vitæ decursu totum enim, quod egit Christus in carne, ait S. Ambrosius, preces sunt & supplicationes pro peccatis humani generis) exemplum nobis dedit continuæ, & indefessæ precationis.

Ad Hebræos cap. 5.

Ibidem.

5. Et exemplo divorum in cœlo.

Habemus etiam, quos imitemur cælo jam receptos, & nullius egentes cælestis Jerusalem municipes; quorum contemplationem & cum Deo conjunctionem longè sublimiorem arbitror omni illâ, quâ homines quâcumque sanctimoniâ præditi in hoc mundo fruuntur, & tamen petunt, & ardenter quidem, ut Joannes se vidisse in Apocalypsi testatur: *Clamabant enim voce magnâ dicentes: Vsquequò Domine? Magnus* inquit S. Gregorius, *earum clamor, magnum est desiderium: tanto enim quisque minùs clamat, quantò minus desiderat: animarum verba ipsa sunt desideria: nam si desiderium sermo non esset, Propheta non diceret: Desiderium cordis eorum audivit auris tua.* Et quia objici posset, animas jam beatas nullius egere & pace ac conformitate desideriorum cum Dei voluntate conspirare ac in illo penitus conquiescere, nec proinde videri superesse, quod petant, respondet: *Ab ipso aliquid petere dicuntur, non quòd quidquam desiderent, quòd ab eius voluntate, quem cernunt, discordat. Sed quò Deo mente ardentiùs inhærent eò etiam de ipso accipiunt, quod ab ipso petunt, quod ipsum velle noverunt: discordarent à voluntate conditoris, si quæ vident eum velle, non peterent: eiq; minus inhærerent, si volentem dare, desiderio pigriori pulsarent.* Non video quo expressiori loquendimodo jugulare possit Sanctus hic Doctor errorem eorum, qui hanc mendicitatem, & supplicabundam orationem ad imperfectos ablegant.

Cap. 6.

Lib. 1. moral. c. 6.

2. 2. q. 83. a. 5.

6. An aliquid in particulari petendum.

Rogat S. Thomas, an in oratione debeamus aliquid à Deo determinatè petere, & Valerium Maximũ de Socrate referẽtem inducit; quòd Dij immortales scirent quid unicuique esset utile, illum sensisse nihil ab illis determinatè postulandum, sed tantùm in genere, ut bona tribuerent; quia nos plerumque ea expetimus, quæ non impetrasse melius foret: divitiæ enim, & honores, & conjugia multis

multis exitio fuêre : ad quæ S. Thomas id verum esse respondet in ijs, quæ malè uti possumus; alia verò, quæ nos ad æternam beatitudinem consequendam juvant, petere possumus & debemus exemplo Sanctorum, qui in similibus nobis præluxêre. Omitto hîc Soliloquia S. Augustini, meditationes S. Anselmi, Bernardi, precationes à S. Ambrosio, S. Bonaventura, S. Thoma Aquinate alijsque usurpari solitas, quas libelli precatorij nobis suggerunt: nihil dico de oratione Dominicâ à Christo Apostolis, totique Ecclesiæ dictatâ atque propositâ. Gersonem omittere non possum in orationis mysticæ cognitione versatissimum, cuius alis ad sublimem contemplationis gradum evectus est eamq; frequêtavit maximo vitæ decursu, & cum admiratione legentium eius essentiam, viam ad illam, erroresque in eius studio ac exercitatione vitandos posteris commendavit. Hic vir tantus post quadraginta annorum experientiam, nihil se ad intimam cum Deo conjunctionem utilius, nihil expeditius reperisse profitetur, quàm mendicitatem spiritualem, ex petitionibus contextam, de quâ multis ipse differit, & omni commendatione dignam demonstrat frequentandamque multis argumentis proponit.

S. Coletam virginem sanctissimam ita in preces vocales effusam legimus, ut quotidie Psalterium integrum, Psalmos pœnitentiales aliásque orationes recitaret, & tamen tam eminentis fuisse cum Deo conjunctionis, ut sæpè inter orandum facem ardentem ex eius ore prorumpere viderent illi, qui aderant; interdum oratorium ipsum in flammas abire, & totum igne succendi crederent, atque ad extinguendum incendium cum situlis aquâ plenis accurrerent; solem etiam ex illa radijs promicantibus prodire sunt qui viderint. A susceptâ sacra Synaxi sæpiùs etiam horas duodecim cum dulcissimo sponso degustandis cælestibus delicijs ita consumebat, ut in eius veluti complexu conquiescere, & deliciari videretur, ut meritò censeam paucas Virgines in contemplationis eminentissimæ dono cum illâ cõparari posse.

S. Teresiam adijt simplex feminâ, quæ in honorem sanguinis pro nobis à Christo profusi aliquot *Pater noster* voce percurrere solita erat, à quo precandi modo recedere cùm vellet, tempus miserè vagis mentis aberrationibus consumebat. Ubi rem totam propiùs examinavit Teresia, ad tam sublimem orationis gradum elevatam mulierculam deprehendit, ut dicat, sibi parem à Deo gratiâ pa-

remque contemplationis excelsitatem concedi peroptasse. *Pater noster* septem constat petitionibus, quibus cum attentione & consideratione frequentandis simplex fœmina ardentissimi amoris beneficium est consecuta.

Incumbamus ergo ad amoris consectationem postulando; sed postulemus *humiliter, constanter,* & *fidenter*: *Humiliter,* quò non tantum nos parum dignos arbitremur, qui Deo præsentemur, sed cum Sancto Francisco tam demissè de nobis sentiamus, ut ne mereamur quidem, de nobis cogitet Deus, aut cum S. Patre Ignatio undecumque eius conspectu indignissimos, & multo magis amicâ familiaritate judicemus: *Humilium enim*, ait Judith Deum alloquens, *semper tibi placuit deprecatio*; quæ, ut notat S. Bernardus, quasi quodam colore pudoris obducta uberem meretur gratiam; & repulsam non experitur.

7. Pete humiliter.

Constanter; hac in parte S. Basilij consilio adhærentes; qui ait: *Sive annus, sive triennium, sive quadriennium, sive plures anni interceſſerint, donec accipias ne ceſſaveris; sed cum fide pete. At sæpè petivi, inquis, neque tamen impetravi. prorsus, quia non rectè petijsti, aut dubitabundus, aut aliud agens, aut quæ tibi utilia non erant futura: quòd si ea quæ tibi erant utilia petijsti; non tamen perseverantiam adhibuisti: scriptum est enim: In perseverantia possidebitis animas vestras. Et, Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: Omnia ad corpus pertinentia largiter nobis suppeditat; & cùm singulari sit bonitate, pluit super justos & injustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos, etiam priusquam à nobis rogatus sit: fidem verò, & virtutis opera, & cæleste regnum, nisi cum labore multaq; perseverantia petieris, non impetrabis.*

8. Constanter.

Luc. 11.

Fidenter, fiduciâ scilicet his quatuor columnis innixâ, Dei bonitati, divinis promissis, Christi meritis, & Sanctorum intercessionibus: huic Deus nihil recusare solet, hæc illi cor, ut de S. Gertrude testatus est, suffuratur, & tantum eius vim extollit S. Thomas, ut orationem dicat meritum quidem à charitate haurire, vim tamen impetrandi à fide potissimùm accipere.

9. Sidenter. Ibidem. 2.2.q.83. Orat.

Sed quantum amoris à Deo efflagitabo, inquis? quantum Sanctorum maximis, imò & cœlorum Reginæ concessit Deus; neque enim tam audaci petitione aut Dei Majestati, aut B. V. honori quidquam derogabis: inde potiùs Dei honor incrementum sumet, & Deiparæ nihil decedet, quæ hoc unum habet in votis, ut Deum omnes ament quàm possunt maximè, & Dei gloriam omnibus, quæ se contingunt, anteponit: neque inde timenda est aliqua in cœlo confusio, quasi in cœlo inter

10. Magna & excelsa. In Ps.

ter cœli municipes dispositio totâ æternitate non mutanda requirit: cùm enim nos totos ex una parte divinæ providentiæ committimus, ex altera verò eius etiam voluntati morem gerimus, quâ sanctificationem nostram vult maximam, amandique desiderio modum nobis nullum præstituit, in quo deficimus: unde S. Basilius nos ad summa quæque ab eo postulanda adhortatur: *Pete*, inquit, *digna Deo*; *munificentissimus est Rex noster, & indignatur, si parvum quid ab ipso petas.* In eundem sensum eius intimus & consectator & imitator S. Gregorius Nazianzenus: *Hoc unum caveamus*, inquit, *ne jejuni ac minuti animi notam subeamus, parva Deique liberalitate parum digna postulantes.*

Ibidem.

Orat. 40.

Accedat ad hæc duo Græciæ lumina, tertius ex occidente S. Augustinus. *Quid*, ait, *melius Deo dabitur mihi? amat me Deus, amat te Deus: ecce proposuit, Pete quod vis. Si tibi Imperator diceret; Pete quod vis, quos tribunatus, comitatusve ructares? quanta tibi proponeres, & accipienda, & alijs largienda? Deo tibi dicente: Pete quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exerce avaritiam tuam, protende quantum potes, & dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed omnipotens Deus dixit: Pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes qui nascuntur, coloni tui, & servi tui sint. Et quid cùm totam terram possederis? Mare petiturus es; in quo tamen vivere non poteris; in hac avaritia te pisces superabunt; sed fortè insulas possidebis: transcende & hæc, pete aerem, quamvis volare non possis: porrige cupiditatem tuam usque ad cœlum; dic tuum esse Solem, Lunam, Stellas; quia ille, qui fecit omnia, dixit: Pete quod vis: tamen nihil invenies carius, nihil invenies melius, quàm ipsum qui fecit omnia: ipsum pete, qui fecit, & in illo, & ab illo habebis omnia, quæ fecit: omnia cara sunt, quia omnia pulchra sunt; sed quid illo pulchrius? fortia sunt; sed quid illo fortius? & nihil magis vult dare, quàm se: si aliquid inveneris melius, pete. Si aliud petieris, injuriam facies illi, & damnum tibi, præponendo illi, quod fecit; cùm velit seipsum dare, qui fecit.*

In Psal. 34

Sed dicet aliquis: Satis intelligo, satis capio, quid sit Deum desiderare, quid etiam sit Deũ, Deique possessionem, & amorem petere: sed quî sciam an & quando desiderij mei, & petitionis compos factus sum? Si amas, si desideras, jam Deum habes, Dei possessor es: *Aurum*, inquit idem Sanctus, *cùm volueris, non habebis: Deum tuum cùm volueris, habebis*: an fortè temerè dicimus faciendo nobis Deum possessionem? non est temeritas, sed affectus desiderij: possidemus eum & possidet nos: dic securus, ama securus Deum esse possessionem tuam; non facies illi

Psal. 32.

injuriam, si hoc dixeris; imo facies, si non dixeris.

Dic ergo: Domine Deus, cùm me aliquid dignum tanto Rege, qui Rex simul & Deus sit, petere à te velis; unicum hoc postulo, ut mihi amorem te dignum dare digneris: si Seraphinorum omnium inflammatos ardores consequi possem, si cælum & terra in flammas amoris verterentur: si ex omnibus rebus jam creatis, & quæ à te condi creariq́ue possunt, unum ingens conflaretur incendium, illudq́ue à te mihi concederetur, esset quidem aliquid, sed tamen longè infra votum desiderium q́ue meum: amorem desidero, rogoq́ue dignum te, qui in infinitum & sine termino es amabilis: amorem tuum, quo te amas rogo; ut quemadmodum Filium tuum ad me ab æterno interitu redimendum concessisti, ita amorem tuum, qui est Spiritus sanctus, ad te amandum donare digneris.

II. Quem ex ijs fructum collegerit B. Stephana.

B. Stephana de Soncino ordinis S. Dominici abducta aliquando à sensibus interiori mentis intuitu vidit omnes beatos Spiritus & universum Sanctorum chorũ, unà cum B. Virgine in amando Deo, quantum poterant, occupari, & tamen quantum meretur amari, non amare: vidit deinde quasi velo aliquo reducto immensam & interminabilem abyssum amoris, qui à nullo amabatur, confestim q́ue exclamavit: Da mihi Deus hunc totum amorem, aut vivere non possum. Subridens Christus dixit: Finiti ad infinitum nulla est proportio; cùm ergo mortalium amor omnis sit finitus, & limitatus, ad meum, qui infinitus est, comprehendendum par esse non potest: nihilominus ne propter hanc repulsam omni solatio destituaris; habe filia mea, voluntatem & desiderium me amandi, si fieri posset, quantum amabilis sum, & hac bonâ voluntate ita esto contenta, sicut & ego illam gratam acceptam q́ue habeo. Ne tamen propterea illam amoris impermeabilem abyssum frustra esse, aut nullius amoris scopum fieri existimes; ego enim, qui Bonum sum infinitum, omni intellectui creato incomprehensibile, in illo amando æternùm occupor. Altero die à sacra Synaxi domum reversa, & ante crucifixi imaginem prostrata: O Domine, inquit, ergone tuum mihi amorem elargiri non vis; alium amorem omnem respuo, te solum amare desidero; & ecce rem mirandam, Christi imago revulsis à cruce brachijs amplexu illam dignata est, adeóque cor eius sancti amoris igne succendit, ut quadraginta deinde dies nullâ potione, nullo cibo, solâ Eucharistiâ vixerit: tantum apud Deum ad impe-

tran-

trandum amorem virium habet unica, sed constans, & inflammata petitio.

CAPUT XI.

Modus distinctior, & enucleatior amorem obtinendi per desideria & preces.

1. Ad ea juvat præsentia Dei.

ENitere primò, quisquis amoris sancti cupiditate flagras; Deum continuò præsentem habere: sive excitato fidei actu, quo te in Deo, ut piscis est in mari, aut spongia in Oceano, eius immensitate circumfusum aspicias; sive quod laudat S. Augustinus, & suadet S. Teresia, fructum uberrimũ inde provenientem expecta, Deũ intra te contẽpleris: Anima, inquit hæc non alis indiget, ut Deum suum quærat & inveniat, se tantùm intra seipsam colligat, ibique illum continuò præsentem intueatur: quæcumque intra angustum hoc cœlum, omnibus rebus abscedere jussis, sese concluserit, persuadeat sibi, bene rem procedere, bibiturum se de fonte, exiguoque tempore multum se itineris ad perfectionem assequẽdam confecturã. Si, inquit, tum sciviſſem, ut modò agnosco, quàm potens Rex in parvo cordis mei palatio domicilium fixerit; non illum tam diu ibi solum reliquissem, neque commisissem ut tot sordibus palatium inficeretur.

Sed cavendum est ne simplici quâdam, & indifferente præsentiâ contenti simus, qualis est inter duos loco quidem præsentes, sed non animo; ita ut alter de altero non cogitet, non curet: Deus verò ita considerandus est nobis præsens, quasi totus esset oculus, ita ad omnia quæ in cordis secessu geruntur, attentus, ut ne atomus quidem sine eius nutu permissúque prætervolet; ita boni nostri percupidus, ac si omnis eius voluptas, & beatitudo ex illis incremento penderet.

Præsentia hæc non est hominis, sed Dei, qui totus spiritus est, totus amor, totus bonitas & liberalitas, qui sine labore pervigil excubat, sine perturbatione amat, sine bonorum suorum imminutione profusè elargitur, & ita unius animulæ bono invigilat, ac si aliud nihil haberet agendum; ita omnibus ut singulis intentus, & ad omnes hostium molitiones contra animulam ita attentus ac si de regni sui omniumque thesaurorum conservatione ageretur.

Ab hac præsentia bene apprehensa exsurgit in homine Dei quædam ingens admiratio & sub tanta Majestate tanta demissio, ac si

2. Unde nascitur admiratio.

si arenula aut guttula oculos intuentium fugiens, ad audiendum quid tanta Majestas velit eloqui, vel ad supplicationes offerendas, præ verecundia vix sui compos, assisteret; implens, quod tantopere commendatum voluit S. Bernardus; dum agendum nobis cum Deo est: *Accedendum scilicet, non irruendum*; quia, ut ait Joannes Avila vir in his exercitationibus inprimis versatus, volenti cum Deo agere, nihil intolerabilius impudentiâ.

Serm. 31. in Cant.

Sed, inquies, ubi jam homo cum reverentiâ quam potest maximâ stitit se Deo præsentem, quis colloquium incipiet? procul dubio, Deus initium dabit; cùm enim omnis bona cogitatio, omnis inspiratio, excitatio, desiderium à Deo sint, quis dubitet omnis bonæ supplicationis exordium ab illo esse? *Tu*, inquit S. Bernardus, *cùm talia volvi animo sentis, non tuam putes esse cogitationem; sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit: Ego qui loquor justitiam. Bona cogitata, Dei sermo est, nec talia cogitamus nos ex nobis, sed in nobis audimus.* Audiamus ergo illum nostro bono nunc de nimijs evagationibus arguentem & dicentem: Quo tamdiu per inania aberras? ego te hîc præstolor in silentio, & ad cor cordisque magistrum non reverteris: ego non semel invitavi, sed non es obsecutus; ô quot bonorum per ista diverticula jacturam facis! Audiamus quod olim Samaritanæ, auribus nostris interioribus insusurrantem: *Si scires donum Dei, & quis est, qui loquitur tecũ, forsitan,* & utinam non forsitan, sed opportunè, importunè desideria cordis effunderes, & tibi daret aquam vitæ. Vel audiamus familiariùs nos interpellantem, ut olim Apostolorum Principem, & ut sic loquar, venam cordis pertentantem, & dicentem; *Petre amas me?* & ô felicem qui respondere posset: Tu scis, Domine, quia amo te.

Ibid.

Multum hunc agendi cum Deo modum commendat S. Bernardus: *Incessanter*, ait, *hortamur vos, fratres, ut ambuletis in viâ cordis, ut sit anima vestra in manibus vestris semper, ut audiatis, quid loquatur in vobis Deus, quoniam loquetur pacem. Quibus loquetur pacem? utique in plebem suam, & in Sanctos suos. Quæ est plebs, & qui sunt Sancti? ipsi nimirum, qui convertuntur ad cor.*

3. Commendatur à S. Bernardo. *Serm. sup. illud, Audiam quid.*

Persuadeamus etiam à Deo nos invitari ad agendum & loquendũ, nobisque ab illo dici: *Fac me audire vocem tuam.* Sed quid dices, quis tibi verba tantâ Majestate digna suppeditabit? habes ad manum illa per Scripturæ sacræ paginas dispersa in Psalmis, in Canticis, in Prophetis; amor in Deum tuus paupertas tua, quod in alijs amantibus & pauperibus videmus, tibi illa

illa ſuggeret. Dices aliquando cum ſororibus Lazari, teipſum deſignans: *Ecce quem amas, infirmatur*; aliàs paupertatis tuæ quodammodo immemor inclamabis: *Diligam te, Domine, fortitudo mea*: quandoque cum Magdalena de Pazzi unius verbi aſpiratione contentus eris, dicens: *O amor!* vel pluribus cum S. Teresia poſtulabis: *O Domine, da mihi hanc aquam!* gratiæ ſcilicet & charitatis: vel cum S. Anſelmo amplificabis petitionem, & votis tuis vela largiùs expandes: *Trahe me Domine in amorem tuum, & hoc ipſum totum. Totum quod ſum, tuum eſt conditione, fac totum tuum dilectione. Ecce Domine coram te eſt cor meum: conatur, ſed per ſe non poteſt, fac tu, quod ipſum non poteſt; quod me facis petere, fac & accipere: dat quærere, da & invenire: doces pulſare, aperi pulſanti. A te habeo deſiderare; à te habeam impetrare.*

Medit. de Redempt. cap. 7.

4. Exſuadetur a Davide.

O quot viri ſancti ad amoris aſſecutionem hoc modo per deſideria & petitiones aſpirarunt, & tandem illum impetrarunt: imitemur, & monenti Prophetæ regio aures hac in parte commodemus: *Quærite Dominum*, ait, *quærite faciem eius ſemper*: ac præſertim illud ſemper, hoc eſt omni loco & tempore, indefeſsè, & inceſſanter huic negotio incumbamus. Audiamus monentem S. Ephrem, ut ſive in templo, ſive domi, ſive in agro, ſive ovibus paſcendis, aut exſtruendo ædificio, operam aliquis navet, ſive in convivio cum alijs accumbat, ab orando Deo, amoriſque dono efflagitando non deſiſtat. Sequamur & conſilium S. Chryſoſtomi; qui ab hac ſupplicatione diem auſpicari vult, ſimul ac evigilaſti, & in eadem per diem perſeverare ſaltem ad horas ſingulas, ut oratio tua curſum ſolis exæquet, & cùm cubitum abſcedis, ultimum verbum, ultimaque cogitatio ſit elevatio ad Deum pro amoris divini impetratione. Nec præter Deo débitam reverẽtiam te aliquid agere exiſtima, ſi etiam dum manibus laboras, huic petitioni inſiſtas, cùm ad Pſalmorum concentum dum operi manuali vacant, ſuos ipſe Baſilius ad hortetur. Imò nec cibi ſumendi, nec corporis amicicẽdi occupatione hoc petendi ſupplicandique ſtudiũ interrumpi permittit. *Amiciris*, inquit, *pallio? fac in te augeſcat erga Deum charitas, qui integumenta dedit gratuitò, hiemi & æſtati accommoda.*

De orando Deo.

De orando Deo in fine.

In Reg. fuſ. diſp. interr. 37.

Homilia in M. Iulittam.

Denique quidquid rerum creatarum ſub aſpectum cadit, pro ſtimulo tibi ſit ad amorem Dei: quidquid intueris, donũ eſt amantis: corpus tuum, & quod illud alit; aër ipſe, qui refrigerando cordi deſervit; cælum, & Sol, qui calore fovet, & vegetat, qui luce nos illuminat, linguæ ſunt amoris; terra,

5. Ex rebus creatis Deum præſentem intellige.

terra, quæ sustinet, animalia; quæ reficiunt; flores & fructus, qui recreant, voces sunt ad redamandum nos excitantes. *Mundus iste magnus*, inquit Nazianzenus, *& admirabilis, divinæ Majestatis præco est, non unâ, ut reliqui præcones, sed omnium linguis loquens.* Sed, inquies, quis unquam ab homine inter occupationes continuas distracto & ad mortalium salutem procurandam eorum obsequijs, & voluntatibus ad instar mancipij addicto, tantam Dei præsentiam animique recollectionem impetrare poterit? 1. respondeo, non esse impossibile apud Deum omne verbum, & gratiâ semper esse ad te juvandum in promptu, si illi non desis. 2. Deum ipsum nihil æquè à nobis velle, quàm familiarem secretorum communicationem, & si cum illo conspiraverimus, brevi te de cordis tui instabilitate triumphaturum. 3. Naturam paulatim assuescere, & tam facilè sanctis cogitationibus ali atque delectari, quàm vanis & inutilibus antè consueverat. Id cùm Barlaam Josaphato persuadere vellet, hoc exemplum attulit in medium: Mihi, inquit, Dei cultor rem hujusmodi narravit. Cùm firmissimum divinæ contemplationis habitum mihi comparassem, ipsiusque meditatione anima mea tincta esset, huius rei periculum aliquando facere cupiens, mentem meam ita continui, ut eam pro suo more meditationi se adjungere minimè sinerem. Quod quidem eam perægrè ac permoleste ferre intellexi, atque ad eam effrænatâ quadam cupiditate properare, nec ad contrariam cogitationem ullo modo inflecti posse: at cùm habenas ipsi nonnihil permisissem, statim ad studium suum & operam celerrimo cursu ferebatur, exta-batque, quod ait Propheta: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarũ, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*; ex quo demonstratur, hoc in nobis situm esse, ut virtutem adipiscamur. Ita ille.

Orat. in hom. Dom. 9.

Psal. 41.

Lib. 1 cap. 20 de vita Barlaam apud Damasc.

Maria Victoria Annuntiatarum, quas Cælestes vocant, fundatrix ita animum habebat in Dei præsentia defixum, ut vix ab illo per occupationes, & colloquia abstraheretur, & si abstrahi contingeret tantillum, his duabus vocibus *Amor Dei*, tanquam igne sulphuri admoto continuò recalescebat,

6 Exemplo.

Philoromus Sacerdos S. Basilio perfamiliaris, à Juliano Apostata pro fide tormentis exagitatus, sed à dæmone atrociùs per impuras imagines, & varia terriculamenta viginti & plurium annorum spatio divexatus, inter has concertationes, & cogitationum prœlia Deum tamen sibi præsentem ita semper habuit, ut quodam die per occa-

Palladius cap. 105.

occasionem de hac re loquens diceret, se non meminisse mentem suam à Dei unquam præsentia distractam fuisse.

Idem ferè in processu canonizationis S. P. N. Ignatij judicium sententiâ auditis testibus memoriæ proditum legimus his verbis: *Tanto erga Deum amore flagrabat, ut totâ die illũ exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quàm placere Deo, & illius obtemperare voluntati.*

Patrem Carolum Condren Congregationis Oratorij in Galliâ secundum Præpositum Generalem, qui etiam ante sacerdotium sæculi implectebatur tribulis & spinis, ita tamen inter illa præsentem Deum semper habuisse memorant, ut plurium annorum spatio, vix octies aut novies, & quidem per exiguum spatium divinâ præsentiâ conspectuque caruerit, idque ex confessione generali eius manu descripta compertum est: tantis verò id temporis locupletatus est divini amoris delicijs, ut cor ferendo impar palpitationem in reliquum vitæ contraxerit; ardorisque istius violentia duas costas extra locum connaturalem elevarit, tumore aliquo ad pectus prominente huius rei fidem faciente.

Ad istiusmodi præsentiam pro viribus eniti nos oportet, nec difficultatibus in principio occurrentibus re quasi desperatâ cedendum. Non est abbreviata manus Domini, adlaborandum est gratiæ, & signis exterioribus (ut sunt in digitis annulus, acicula in brachio, nodus in cingulo, pungentes alicubi aculei, familiaris cum Angelo tutelari, aut animabus in purgatorio igne detentis conventio) excitanda Dei præsentis memoria, in Dei ipsius liberalitate & erga nos munificentia spe omni firmiter collocatâ, fore tandem aliquando ut ad amoris toties desiderati possessionem ex eius gratia admittamur.

CAP. XII.

Quantum conferat ad acquisitionem amoris divini mentalis oratio.

1. Quot partes orationis mentalis. *De contemp. l. 3. c. 1.*

DIviditur hæc in cogitationem, meditationem, & contemplationem. Cogitatio est quædam mentis circa Deum agitatio, sive, ut Richardo à S. Victore placet, est animi respectus ad evagationem pronus. Meditatio verò secundùm Augustinũ est occultæ veritatis studiosa investigatio: quam, ut conducat ad id, de quo hic agimus, oportet inoperari ab actu voluntatis, ad id quod Deo placet, aspirantis. Contemplatio

2. 2. q. 180. a. 1. & 3. *de spiritu & lit.*

secundùm D. Thomam est divinæ veritatis simplex intuitus, & secundùm Augustinum est eiusdem veritatis jucunda admiratio. Cogitatio in meditationem transit, dum fortiter insistit, & inquisitioni studium impendit: meditatio in contemplationem, dum id quod investigavit, admiratur, ait Richardus suprà.

Hæc si acquisita sit, nihil aliud est quàm notitia intuitiva divinorum affectuosa, & labore humano cum gratia Dei procurata: si infusa, ab auxilio Dei mentem vel per se, vel per dona Spiritus sancti & habitus supernaturales elevantis procedit: prior remiganti, irriganti, manducanti, in quibus est aliquis labor, comparatur; infusa verò velis expansis ventisque navem ferentibus, pluviæ, potui, etiam inebrianti; juxta illud: *Comedite, amici, & bibite, ac inebriamini charissimi.*

Cùm ergo oratio mentalis, quæcumque illa sit, ad Deum propiùs mente conspiciendum animum hominis elevet, eumque in cogitanda, vel meditanda, vel contemplanda Dei pulchritudine, ejusque in nos amore, & beneficijs perpendendis (quæ sunt tria amoris nostri incentiva) Deo ipso adminiculante defigat; dubitari non potest in illa magnum ad amoris divini consecutionem esse adjumentum.

2. Lemnius, Dei pulchritudo phisicum efficax.

Mulierem memorant, quæ in gynecæo suo Mauri effigiem nigram & deformem habebat, in quam sæpè conjectabat oculos, deformem postea & Mauro similem prolem peperisse: aliam verò, quæ cùm illiberali esset facie, vereturque ne proles sibi similes gigneret, cubiculum elegantibus hinc inde picturis adornasse, ex quarum quotidiano conspectu factum, ut etiam proles formosas in lucem ederet. Si tantum potest in mulieris animum muta effigies, quid non faciet sæpius objecta, & attentè mentis oculis repræsentata ineffabilis Dei pulchritudo? Ipsius B. V. excellens forma vel semel tantum per transennam ab homine illam amante conspecta, tantis eius animum perfudit delicijs, & ardoribus inflammavit, ut paratum se offerret è Belgio Romam non pedibus, sed genibus adrepere, dummodò ad unius *Ave Maria* spatium tam jucundo conspectu frui iterum daretur; cùm verò omnis creata pulchritudo Dei excellentiæ comparata, sit velut guttula toti oceano composita, quæ non incendia Dei præstantissima natura in hominis mente suscitabit, non in transitu, sed fixo contemplationis intuitu attentè, & jucundè considerata?

3. Contemplandi Dei viæ duæ.

Duas nobis vias contemplandi Dei essentiam assignat B. Dionysius; unam positionis sive affirmationis,

4. Ex contemplatione amor Dei

tionis, alteram negationis sive detractionis: per illam intellectus quidquid excellentissimum potest concipere, Deo attribuit; per hanc ab illo removet, quidquid vel minimam imperfectionem secum trahit. Harum praxim ex Cancellario Parisiensi Joanne Gersone accipe. 1. Circumcide & abstrahe Ens ab omni conditione individuante, à loco, tempore, quantitate, qualitate, relatione, & habebis Ens æternum, independens, à nullo existens, & istud agalma, inquit est, Deus. 2. Concipe, & circumcide hoc modo Bonum, & habebis bonitatem æternam, infinitam, illimitatam: ac in primo quidem attrahis rationem Entis perfectissimi per intellectus operationem, cuius proprium est res sibi attrahere: in secundo verò abis extra te voluntate, & ferris in illam Bonitatem in circumscriptam, & ab omni conditione restringente abstractam & circumcisam ac in primo dicere potes. *Delectus meus mihi*, & in secundo, *& ego illi.*

4. Ex contemplatione amor Dei.

Jam verò si postquam in hunc Entis & Bonitatis Oceanum profundè ingressus es ad amorē similiter infinitum & immensum, quo te illud Ens incomprehensibile, illa Bonitas ineffabilis, te vermiculum complectitur, attendas quomodo tantis non capieris illecebris, & tantis incendijs non totus inardesces? Qui inter mortales à formosa aliqua virgine, quam deperit, & procatur, adamari se non mediocriter ex eius familiari ancillula arcanorum Dominæ suæ conscia intelligit, quot inde novas & ardentiores amoris flammas concipit? Quid ergo faciet animula, dum per contemplationem in amoris divini fornacem ingressa, se à tanta Bonitate post tot infidelis ingratique animi fœdissimas notas ad dulcissimos amoris sinceriissimi complexus invitari, admittique conspicatur? *Nimis durus est animus*, ait S. Augustinus, *qui dilectionem, si nolebat impendere, noluit rependere.* Sanè nimis durus, præsertim, si S. Bernardum monētem audiens ponderarit attentè has quinque voces: *Tantus, Tantùm, & Gratis, & Tantillos, & Tales*: aut altiùs ab infinita Dei amantis præstantia ac eminentia, ad suam indignitatem oculos reflectens, cum S. Bonaventura videat, matureque consideret, amari ab infinita Majestate, *pauperes, viles, miseros, ab æterno nondum existentes, nondum diligentes, imò nescientes, & resistentes, & offendentes ipsum.* Carbo ignitus alterum juxta se positum frigidum licet, tamen levi flatu paulatim accendit, & quî fieri poterit, ut animus divinæ naturæ, quæ tota ignis consumens est, per contemplationem propiùs admota, & constanter adhærescens, non

De Catech. rudibus cap. 4.

tota in flammas amoris abeat? Inter miserias generis nostri, quæ undique nos circumdant, meritò primum locum obtinet tam profunda tanti boni ignoratio, & ad illud propiùs cognoscendum & assequendum tam supina oscitantia: hinc illæ voces B. Magdalenæ de Pazzi: O amor, quàm parum à mortalibus cognosceris, & parum amaris! da mihi, bone Jesu, latera tam firma, & vocem tam sonoram, ut dum velut tui amoris præco, te Amorem appello, ab Oriente ad Occidentem audiri possim, ut ab omnibus tanquàm Amor unicus cognoscaris & ameris. Hic idem sensus ab oculis S. Patris Ignatij, & B. Iacoponi ciebat uberes lachrymas: videbant istæ cælestes aquilæ, quàm interesset humanarum mentium tantum Amorem bene cognosci, & redamari. B. Mariam de Victoria post susceptum in sacra Communione Christum vehemens incesserat cupiditas aliquid agendi, quod impensè Deo adlubesceret: & intus respondentem audivit: Me dilige, sicut ego te dilexi: non ut æquo amori infinito ipsa limitatæ in amando virtutis responderet; sed ut se totam amando impenderet; sicut antea Christus fecit, & facere pergit, nihil unquam de amore remittens. Hanc considerationem utinam altè animo impressam circumferremus semper! quam ab una è filiabus suis, dum in se domanda laborat, eadem sancta prudenter exegit, dicens ut se pro amore Dei, sive pro tanto dono promerendo vincere conaretur: addens; Ne committe filia, ut has voces, pro amore Dei, frustra protulerim; fierine posset, ut id non faceres, quod per amorem istum te rogo? certè si recusas, dicam te nescire quanta res sit, & quantæ excellentiæ Amor Dei.

Adjungamus Amori divino beneficiorum, quæ tanta sunt, tam crebra, & tanto numero, seriam & attentam considerationem. Summum bonum, Deum scilicet amiseramus culpâ nostrâ, & in abyssum malorum æternorum ibamus præcipites: non erat qui ruentes sustineret, nisi Deus ipse nobis debitas pœnas sponte susceptisset: quis hæc pensitans non hæreat attonitus, & vix sui compos? Constantinum Magnum leprâ laborantem, ut huic malo remedium adferret, ferunt ex infantium sanguine balneum apparari permisisse; quæ res quia crudelitatis plena, meritò apud plerosq; admirationē habuit: sed multò plus admirationis sibi conciliasset, si ut puerulum leprâ cōspersum persanaret, Constātinus de suo sanguine balneum ipse confecisset. hoc postremum in nostri gratiam fecit Deus.

5. Et ex beneficiorum divinorum memoria.

Tria beneficiorum genera à Regibus in alios derivari possunt: Pri- 6.

Beneficiorum genera varia.

Prima quidem nullo Regis sumptu conferuntur, consensu solo, & unico *Fiat* res tota conficitur: ita privilegio, militaria, & urbana officia, ita criminum remissiones, & fisco, vel ærario debitæ summæ condonantur. Secundi generis sunt pecuniarum largitiones & nonnulla istiusmodi, quæ sine aliqua regiarum opum diminutione fieri nequeunt. Tertia laborem & pericula secum trahunt, ut si Rex mari se committere, si conferre manum cum hostibus, si capitis adire discrimen debeat, ut captivum, quem amat unicè, in libertatem asserat: primis beneficijs debetur aliqua gratiarum actio, secundis major, tertia ita totum hominem devinciunt, & amorem ab illo maximum, & omne obsequiorum genus exigunt, nisi velit hac in parte à belluis superari; inter quas quid Leo liberatori suo in amphiteatro gratiæ retulerit, ob unicam è saucio pede detractam spinam? quid alter ob allatas in prælio cum dracone suppetias, dum inter medios fluctus perdit vitam, ne benefactorem perderet? quid canis, quid aquila nutriculis suis obsequij rependerint, ne beneficiorum memoriam deposuisse viderentur, ab antiquis memoriæ proditum cum admiratione legimus? sed sigillatim à Deo in nos collata beneficia consideremus; tot enim sunt linguæ quæ

7. Divina in nos quot & quanta.

auribus nostris Amorem ingeminant, tot carbones igniti in cumulum velut undique exaggerati, & in nos congesti, ut eorum flammas vitare non possimus: cùm Psalmista meritò canat: *Qui coronat te in misericordiâ, & miserationibus.* Conijciamus oculos in magnam illam rerum creatarum multitudinem, quæ per magnum illud à cælo ad inferos usque protensum intervallum dispersæ sunt, & à maxima & perfectissima ad minimam descendendo interrogemus singulas, quis illam condiderit & in quem finem: dicent profectò se ab amantissimo Deo conditas, ut nos ad ipsius amorem provocarent, & nos ad illum, à quo profectæ sunt, facto amoris circulo perducerent; de quo hoc consectaneum reliquit nobis S. Dionysius: *Qua in re sine & principio carere, se ostendit excellenter divinus Amor, tanquam sempiternus circulus.*

Sed non citò ab hoc circulo pedem efferamus, creaturas singulas velut huius circuli annulos propiùs inspiciamus: continet se illarum unaquæque in suæ perfectionis gradu, sic tamen ut suum ipsæ gradum non norint: non cognoscunt bestiæ se, quia sensu præditæ sunt, arboribus nobiliores esse, neque arbores, quia vitâ infimâ vegetantur, se gemmis præstare norunt, neque rosa se cæterorum florum, ob suam purpuram

& odorem velut reginam esse perspectum habet, & quia hoc ignorat, nullam inde vel voluptatem vel utilitatem percipit: Sol non gestit præ cæteris astris gaudio, nec super alias stellas se Deo debitorem reputat, quòd dux & moderator sit temporum, quòd astrorum dominatum obtineat: Homini soli gradum suum & supra cæteros præstantiam agnoscere, cæterorum etiam dotes discernere, inde voluptatem & fructum capere competit. Novit ille rerum omnium conditorem, cum eo agit quantum vult familiariter, ad eum spectat, illum laudare, gratias agere, & amorem rependere, cùm omnia in sui gratiam, commodum & voluptatem facta esse non sit nescius: ipse caput est & princeps universi, ipse ex illo velut à prōptuario alia ad delicias, alia ad quæstum, nonnulla etiam ad instructionem haurit ut lubet; mundus illi est instar hortuli, ex cuius aspectu fructuque cum Deo & in Deo reficitur; gymnasium est, in quo exercetur, & eruditur. Hinc unus pro omnibus rebus, quæ ipsius commodis deserviunt ad agēdas gratias obstringitur; veluti si unicus in civitate sapiens esset, amentes cæteri, qui illius imperio & emolumentis detinerentur adstricti ad Sapientem illum tum pro se, tum pro reliquis omnium bonorum, quibus urbs ista fruitur, agendarum gratiarum ratio, & debitum unicè pertineret. Ita se res habet in hoc Universo: unus Homo pro omnibus rebus obstrictus obligatusque est: ille pro omnibus conditorem amare, obsequijs illum colere, referre pro omnibus gratias debet, & quidem uniuscuiusque rei præstantiæ commensuratas, majores pro Sole astro nobiliore, quàm pro Luna, & sic de cæteris, prout major vel minor fructus ad ipsum redit.

8. Quam obligatus Deo sit homo præ cæteris creaturis pro corpore.

Quòd si ita est, quas hominem pro se gratias agere convenit, qui pluribus supra cætera beneficijs ornatus est, & res omnes creatas in universo vincit naturæ dignitate atque præstantiâ? & quamvis corporis humani fabrica non ita eminere videatur, plus tamen conditori suo debet pro corpore, quàm pro reliquarum rerum universitate; nec hominem sani judicij reperiri posse judico, qui non mallet rerum cæterarum, quàm capitis, aut manus utriusque jacturam facere. Sed longè ampliùs pro animi, qui incorruptibilis est & immortalis, & aliquid divini in ratiocinandi eminentia accepisse videtur, quem omnes velut Principem & Dominum suum sub Deo reverentur, homo Deum observare, & officijs omnibus demereri tenetur.

9. Pro animo ob creationem.

Tantæ dignitatis est animus ille, ut Deus cum illo consuetudinem insti-

instituat, in eo sui imaginem delineet, sedem & domicilium in illo figat, ac velut in regia sede dictet imperia; & familiariter tanquam cum amico delicietur. Hinc ut filijs Regum fieri solet, pro Pædagogo à primo ortu Angelum nobilem attribuit, pro hoc purgando balneum in Baptismo, pro corroborando Confirmationis chrisma, pro reconciliando Pœnitentiæ lavacrum, pro alendo panem cælestem, pro cõtra hostes armando supremam unctionem paterna munificentia providit: omnibus horis aditum ad sui colloquium præbet, quin imò restitantem invitat, aliò fraudulenter abductum benignè revocat, cadentem sustinet, lapsum relevat, pugnanti succurrit, vincentem coronat, tenebricoso lucem, anxio levamen, fesso quietem suos inter amplexus subministrat. *Divites*, ait S. Paulus Corinthijs, *facti estis in illo, ut nihil desit vobis in ulla gratia*. S. Bernardũ imitemur, qui etsi Christum in Incarnatione jam fratrem nostrũ pauperrimos mortales ad oris sui osculum admittentem demiretur & omni amore dignum existimet: propter calicem tamen amarissimæ passionis & mortis maximè nobis amabilem proponi arbitratur. Ponderemus pauca verba, sed mysterijs refertissima in S. Thomæ Aquinatis hymno cani solita: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.*

10. Ob redemptionem.

Intueamur propiùs, quis ille sit, qui dat, quanto amore se donat, & quibus, & procul dubio in eandem cum S. Augustino ibimus sententiam; Ut qui propter creationis beneficium Deum non amat, inferorum mereatur supplicia; qui verò rursus pro redemptionis dono, non diligit alterum, infernum in caput suum meritò accersere videatur: continget fortassis ex tantarum gratiarum attenta contemplatione, quod B. Ægidio Franciscì discipulo, qui cum frigidissimâ hyeme algeret totus, & deficiente calore vitali propiùs abesse videretur à morte, ita tamen cogitatione in charitatem Christi in cruce morientis conversâ derepente totus incaluit, ut in medio fornacis incendio versari crederes, aut ad æstivi Solis radios inardescere.

11. Comparatione ad matris beneficia.

Voluit aliquando Sancti Chrysostomi Mater filium ad Christi vexilla convolantem à sancto proposito avertere, & ad sui solatium apud se retinere; manu itaque prehensum, duxit in secretius cubiculum, ubi illum genuerat, & digito in thalamum intento, in quo acerrimos partus dolores erat eius causâ perpessa, & ex alia parte opes & thesauros, quas ingenti curâ illi compararat, ostentans, obsecravit, ut amorem amori re-

pen-

penderet, & cùm non longiùs abesset à morte, ne se tantillo tempore ante suum è vita decessum desereret: O si thalamum crucis, in quo nos cęlo acerbissimos inter dolores peperit Jesus Christus, sæpiùs attentis oculis intueremur, diceremus procul dubio cum S. Francisco; Quî fieri potest ut illum non amem, qui amore mei mortuus est?

12. Emblema de Christi amore.

S. Rudisindum Compestellanũ Episcopum ferunt insignia habuisse, in quibus ab uno latere speculum, ab altero penderet circinus, & in utriusque medio Crux; hoc commento duo volens indicare; primum, Amorem Christi speculum esse veri perfectique amoris; alterum circino, hoc est mentis cogitationum crebrâ circumvolutione Christi amorem cum suo velle se conferre, & unum circini pedem in Christi corde, alterum in suo collocare, ut quantum differentiæ, & disproportionis inter utrumque amorem interesset, posset advertere, & pudore pœnitentiáque suffusus, ad ardentiùs amandum incitaretur. Hoc à nobis etiam agendum est, & audiendus hac in parte Apostolus, qui Hebræos suos monet, ut repetant memoriâ sæpiùs hunc Christi erga nos amorem tot tantorumque malorum patientiâ comprobatum: *Recogitate*, inquit, *eum qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem.*

Rapiuntur homines in admirationem dum audiunt insigne aliquod dilectionis facinus, verbis illud, scriptisque celebrant, & interdum non tantùm animo, sed insolitis etiam corporis affectionibus commoventur; ut accidit Ludovico de Medicis, qui dum audit sibi ad lectulum perlegi nobilium Matronarum Bavariæ erga maritos charitatem, gravi morbo, quo tenebatur, levatus est. *Bodinus in Præf.*

13. Amor mulierum Bavariæ in maritos.

Res ita se habet: Conradus Imperator, post longam Werbergæ obsidionem, in qua dux Bavariæ, cum nobilibus suis eorumq, conjugibus inclusus erat, eos tandem ad deditionem, & quas vellet conditiones admittendas compulit; quarum princeps fuit, ut fœminæ dumtaxat liberè egrederentur, ijsque liceret efferre, de mundo muliebri, rebusque pretiosioribus & carioribus, quantum gestare possent, maritis & reliquâ militum turbâ remanentibus captivis: sed ecce rem admiratione dignissimam: nobiles matronæ cæteræq; mulieres, relictâ monilium, & vestium muliebrium pretiosâ supellectile, humeris suis maritos suos singulæ imponunt, & hoc perfecti amoris onus bajulantes unà cum liberis urbe pedem efferũt. Quod ut vidit Imperator, ad tam insolitum spectaculum collacrymans, inimicitias, quas cum Bavaro gerebat,

rebat, depoſuit, vindictæ cupiditatem remiſit, culpam condonavit; & cum illo novum amicitiæ fœdus inijt: tantum potuit conjugalis amoris in mulieribus inſigne monumentum. Bone Jesu, quantum hinc habes contra mortalium torpeſcentia in tui amore corda argumentum! ecce ob amoris ſcintillam in admirationem & lachrymas, & miſericordiam toti abeunt, & ad tui in cruce pendentis conſpectum ad ſanguinem undique profluentem commoventur: quàm verè dictum alia de cauſſa ab Auguſtino, *miracula tanta aſſuetudine viluerunt.*

Utinam, quod pleriſque conceſſit tua Humanitas, ad iſtud in Calvariæ monte amoris buſtum, ad rogum iſtum incenſæ charitatis propiùs accedentes in illo igne excoqueremus amoris proprij ſcoriam, excuteremus torporem animi & ad tantæ dilectionis incendia inflammaremur univerſi! Utinam nobis accideret quod peregrino in terram ſanctam contigiſſe legimus, qui eùm ad Calvariæ locum, in quo flammis amoris conſumptus pro nobis exſpiraſti, pronus toto corpore tuum amorem incomprehẽſibilem verſaret animo, ita exarſit, ut animus, vinculo corporis effracto, pennis amoris in cælum evolaret; fortè impleretur in nobis hoc modo B. Ægidij votum, qui contemplatione amoris divini malebat, quàm martyrio è vitâ decedere: ab iſta enim contemplatione ſperabat tantas tamque vehementes incenſæ charitatis faces evibrandas, ut corpus illas ferre non poſſet, & vinculo animę conſumpto animus liber in amoris æterni abyſſum abiret.

CAPUT XIII.

Aliqua obſervanda ab ijs, qui orationi mentali ſe dedunt.

I. Abuſus varij in ſtudio orationis.

MUltos nævos & abuſus eorum animis ſe inſinuare, qui hiſce mentis ſanctis exercitationibus dant operam, docuit plurimorum annorum experientia, quorum aliquos cæteris omiſſis hîc ſtrictim attingam, ſuggeramque breviter remedia; qui amplius volet, eos, qui de his fuſiùs tractant, ſi lubet, adire poterit.

Primus. Primò videbis aliquos, qui neſcio quo vanæ cupiditatis vento elati, neglecto ordine primiſque principijs, à ſummo contemplationis otio, & oratione, quam vocant quietis, indicto ſibi in præſentia Dei potentiarum omnium ſilentio ordiri volunt.

Secundus. Alij è contrà cùm evagationes mentis pervincere nequeant, languore ac tædio confecti, abijciunt

omnia, ac in illo orationis genere affectando, se oleum & operam perdere arbitrantur.

Tertius. 3. Alios videbis contrarijs semper ventis agitatos rapi in oppositа: si succedere videatur oratio, & consolatione ac delicijs cælestibus affluere, sibi plaudunt, & vanæ gloriæ sensu non parum efferuntur: si ficcè & aridè res procedat, hastas animosque abijciunt, sibique, & alijs, querimonijs suis molestias creant.

Quartus. 4. Aliqui cùm bene cœperint, & si constantiam teneant, plura à Deo successu temporis non immeritò sperare possunt, ubi in aliqua concione, aut libri pij lectione intelligunt, aliquod sublimius orationis genus esse, relicto suo, in quo cum fructu versabantur, ad illud aspirant, & dum continuò mutant, in nullo proficiunt.

Quintus. 5. Alij verò modo aliqui orandi, cui ab aliquo tempore assueverunt, ita mordicus adhærescunt, ut Deum per instinctus, & interiora lumina ad sublimius orationis genus invitantem non audiant, nec sequi velint.

Sextus. 6. Alij orationem quietis & silentij semel atque iterum experti, eodem beneficio se à Deo, quandocumque se ad orandum contulerint, donandos arbitrantur, idque præstolando tempus otio & evagationibus consumunt, dum potentias animæ exercere, & alicui piæ considerationi applicare nolunt.

Septimus. 7. His affines sunt, qui ubi audiunt eos qui altissimæ contemplationis dono fruuntur, nullis imaginibus aut repræsentationibus uti, nolunt amplius de vita Christi, eiusque passione meditari, quod hoc sine corporeis repræsentationibus fieri non possit, quas admittere, & non excutere imperfectioni tribuunt.

Octavus. 8. Alij de orationis bonitate, non ex fructu, sed ex gustu dijudicant, atque ubi ab illâ cælesti melle delibuti recedunt, etsi nævis & defectibus obsiti, omnia salva arbitrantur, & de novis ad profectum conatibus non curant.

Nonus. 9. Denique multi illo tempore, quo orationi vacant, aliquas amoris flammas excitant, sed volatiles, & quæ continuò subsidunt, atque operationes virtutum non promovent. Videamus nunc quid hisce aberrationibus, & defectibus remedij possit adferri.

Opusc. de medit. cons.

Remedium primo abusu. Primos Joannes Gerson ad humilitatem revocat, & gressum infantium more priùs formare, quàm gigantum passus aut avium sine alis volatus imitari vult nec ordinem Dei hac in parte deserendum ait, qui priùs vult, hominem intellectus & voluntatis ministerio uti in oratione, quàm quietis aut silentij orationem affectare, quam nisi priùs in meditatio-

tatione exercitatis sine miraculo, & inusitato privilegio Deus non solet concedere, adeòq; opus esse tantisper exercendis cum labore animi facultatibus incumbere, donec Deus ad sublimiorem orationis gradum hominem promoveat.

2. Error Illuminatorum. Atque hunc fuisse Illuminatorum errorem, qui occultâ præsumptione, sine speciali Dei vocatione imparati ad orandum proruebant, & illustrationes extraordinarias ambitiosè expectantes, quidquid illis adlubebat, tanquam cælestem afflatum amplexabantur, & simplicibus venditabant. Fieri quidem potest, ut aliquem in conversionis suæ initijs, & inter orationis prima rudimenta, Deus ad sublimiorem gradum, & intimam secum familiaritatem evocet; sed hoc singulari gratiæ, quæ extra ordinem communem datur, tribuendum est; quia quisque se indignum existimare debet, & cùm datur, sibi persuadere, id agi, quod aliquando S. Birgittæ docui B. Virgo, Deum tum imitari pastorem ovium; qui principio florum herbarumque fasciculis oviculas suas allicit, & successu temporis ita illas assuefacit, ut æquè libenter fœno pascantur, quàm antè floribus.

3. Simile de exstruente ignem. Accinge itaque te primò ad meditandi laborem ex amore, & pro amore suscipiendum. Ex amore, quia Deo placendi unico desiderio impulsus illum aggrederis; pro amore, quia non alium fructum in illo spectas, quàm divini amoris incrementum. Atque in prævio ad meditandum apparatu, imitare famulum ignem exstruentem; primò ille ligna defert & disponit, carbones accensos aut lumen, simulque paleas admovet, insufflat, si opus sit, donec flammam excitatam, & prorumpentem conspiciat. Ad eundem modum tu puncta meditationis velut ligna appara, ignem per Spiritus sancti invocationem emendica, considerationem velut paleas & aspirationes voluntatis velut insufflamina admone, donec tandem in meditatione tua ignis exardescat: si nihil succedat, si obrigescas ut glacies, si indurueris ut marmor, ne turberis; divinæ te Providentiæ committe, patientiæ tuæ fructu non privaberis, ut ex contrario colligere potes. Si quispiam exitiali odio in alium inflammatus, de eius ædibus incendendis consilium caperit, si paleas & fomitem igneum clàm admoveret, atque in illo facinere deprehenderetur à Judice, continuò tanquam capitis reus ageretur in furcam, aut flammis cremaretur; quid tamen egit, quod damnum creavit? etsi conatus eius eventu caruerit, satis tamen multa molitus est, ut pro incendiario habeatur, & puniatur.

Idem censeto de eo qui ad divini amoris flammas per meditationem excitandas, quod suarum erat partium, fecit: *Quod vis, & non potes, Deus imputat factum*, inquit S. Augustinus.

4. Prostando aliud indidem petitum.

2. Quæ verò mentis evagationibus uti vellent, mederi non possunt, præter ea quæ jam dixi, spe meliorum animum corroborent. Avicula cùm primùm caveâ includitur, tumultuatur aliquantulum, & desultoriè huc illuc ad cancellos circumvolitat; ubi verò paulatim clausuræ assuevit, ad cantus suos, & quietem redit: antequam lignum virens & humidum ignem concipiat, molestiam insufflanti creat: non sunt imitandæ insipientes ancillulæ, quæ per impatientiam focum destruunt, & huc illuc irritatæ ligna dispergunt: fenestra potiùs aperienda, & fumo abeundi, & aëri novo subeundi locus dandus, hoc est gratiæ divinæ, quæ animam meliorum expectatione corroboret, sanctisque aspirationibus & ignitis jaculis in cælum vibrandis interea vacandū, quales sunt quæ sequuntur: O Deus meus, quando ad tuum beneplacitum tibi famulabuntur omnes vires animæ meæ! quando tandem illucescet dies ille, quo tibi intimè & constanter adhærescam! Utinam hoc momento totus esse tuus incipiam! ô si omnium mortalium corda in mea essent potestate, quàm lubenter illa tibi perfectè consecrarem! Utinam cor meum in cælum empyreum transformetur, ut tuo amori tuisque laudibus tantum sese impendat, quantum beatorum omnium innumerabilis multitudo! Fac Deus meus ab amore tuo destruatur quidquid tibi in me displicet, quocumque demum dolore meo & cruciatu id fieri debeat. Similia vota, & mentis velut emissitiæ sagittæ molestiam sublevabunt, & non inutiliter tempus atterent, etsi nullo gustu fieri ista videantur; cor & voluntatem, non gustum orantis attendit Deus: & dum sæpè funditur ignivomus silex, erumpit tandem interdum scintilla, quæ magnum ex insperato excitat incendium.

5. Protestatio.

3. Qui tertij sunt generis, magis in utroque statu ad humilitatis anchoram recurrant, seque majorum donorum agnoscant incapaces, cùm unius guttulæ cælestis gustu velut ebrij extra orbitam abeant: timeant proinde ne à Deo in sua paupertate relinquantur; neque enim amans filioli Pater, cibum illi porrigit, qui vermes generet, neque vinum, quo febris accendatur, subministrat. Olyssipone cùm in aula regia solemne tripudium ageretur, curiositate videndi abreptus nescio quis homo nauticus in aulam penetravit, cumque suffumigationes & odo-

res,

res exquisitos ferre non posset, ingens animi deliquium passus est, & pro mortuo habitus. Regis medicus superveniens, & conjecturâ assecutus id quod erat, hominem ad navim suam efferri jussit, ubi ad primum aëris marini haustum, & nauticam graveolentiam sibi redditus & integrè persanatus fuit; ita cum illo agere solet, Deus qui cælestes delicias digerere, & concoquere præ nimia elatione non potest, ad pristinam egestatem reverti illum jubet, & se suamque indignitatem, atque abjectionem propiùs inspicere, ac persentiscere.

6. Pro quarto. Meritò verò damnanda est eorum, quos suprà quarto loco nominavimus, inconstantia, qui similes sunt ijs, qui in mentis ascensu ad medium clivi jam gradum cùm promoverint, conjectis oculis in eos, qui aliâ montis parte conscendunt, quasi meliorem illi & compendiosiorem viam elegissent, suam deserunt, & ad illam properant, quam cùm æquè difficilem atque impeditam reperiunt, se levitatis & inconstantiæ accusant: similes Pictori illi, qui multas imagines inchoabat, nullas absolvebat: similes puero literas primò formare discenti, qui dum Magistros sæpius mutat, cùm ad eorum exemplaria diversimodè characterum figuras depingit, parum proficit, & multum sudat.

5. Non minorem culpam incurrunt, nimium in suo orandi instituto pertinaces, quos quinto loco notavimus, qui suo potiùs, quàm Dei ductu orationi insistunt, nec ad altiora vocantem sequuntur; quod fit dum Deus discursui & ratiocinationi obicem videtur opponere, animumque pacatè & jucundè in sui præsentia contemplationeque reficere; ex quo cum Deo congressu homo rediens, & intellectu voluntateque in amore Dei, cæterisque virtutibus magis confirmatus, omnia contraria permittit faciliùs, & integritate vitæ retinenda perseverat constantius: Deus cordium humanorum Dominus pro potestate cum illis agit, aperitque prout lubet claditque & luminibus tenebrisque vicissim collustrat & offundit, pro beneplacito suo, supremaque consilij sui lege ab humanæ mentis cognitione longè impenetrabili.

7. Pro quinto.

Hic duo extrema vitanda, in quorum alterum præcipites ruùt, quos sexto loco posui: primum est, ne arbitremur in hoc statu ita hominis intellectum voluntatemque otiari, ut prorsus nihil agant: verum quidem est animum tum non ex electione & applicatione ad hoc potiùs, quàm illud, ad admirandum potiùs, quàm laudandum, aut gratias agendas potiùs, quàm profundam submissionem arbitratu suo ferri: aguntur enim

8. Pro sexto circa quod duo notanda. Primum.

potiùs à Deo, & ab illo prævenți per contemplationis amœna vireta ducũtur, aut ad fontis æternę marginem jubẽtur conquiescere, & refici aut inebriari, prout Deo collibitum fuerit: operatur nihilominus tum homo mente, & voluntate; alioquin adinstar stipitis, aut somno sepultis haberet, neque aliquid mereretur præmij: sed quia operatio illa tam suavis est, tam penetrans, ac subtilis, ut animus laboris nihil sentiat, sed delicijs totus circumfluat; hinc fit, ut homo nihil se tum agere arbitretur: ita quem alicuius instrumenti musici harmonia suavissima suspensum tenet, etsi sonum auribus excipiat, quod sine aliqua sensûs auditûs operatione fieri nequit (plus enim agit, quàm si surdaster esset, & sensu illo careret) se tamen nihil prorsus agere, sed solum cõcentu delectari existimat.

9. Alterum. Alterum est ne tale genus orationis magis à nostra voluntate pendere arbitremur, quàm ventus est in potestate navigantis. *Potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia*; *sed non copia*, ait S. Bernardus, *quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo; subitò dum teneri putatur, elabitur, comprehendi se patitur, sed minimè retineri, dum subitò, quasi de manibus evolat.* Imitandi sunt periti *navarchæ*, qui remis manus admovent, dum ventus deficit, & in sudore vultûs quærendus panis divinior, quàm ille Adami, ad quem quæritandum & parandum ad sudorem Adamus ob culpam damnatus est: nec imitandi cervicosi infantuli, qui dum ablactantur, oblatos cibos etsi profuturos aversantur, & lachrymis & suspirijs quereliśque se & alios enecant.

Serm. sup. Cantica.

10. Pro septimo. Septimus error ex malè intellectis mysticæ Theologiæ principijs oritur: cùm enim Deus sit simplicissimus & ab omni corporum materiæque concretione remotissimus ac proinde per species à rebus corporeis haustas, quibus vis imaginativa in formandis suis conceptionibus utitur, nullo modo repræsentari possit; hinc fit ut qui divitiæ contemplationi dant operam, omnes corporeas imagines longè abdicent, conenturque ad Deum, ut S. Dionysius loquitur, *ignotè consurgere*; quia earum rerum cognitionem, quam per species à sensibus acceptas hauserunt, prorsus avertantur, & se ingerentem repellunt, ac transilire conantur: quod sponsa cùm fecisset, invenisse se quem diligebat, gloriatur, ut S. Gregorius Nyssenus verba illa sponsæ explicat, *Paululum cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea*, quasi diceret inquit: *Quamprimùm parum ab ijs transij relictâ omni materiâ, & prætermisso universo, quod intelligitur in creatura, & dimissâ omni viâ*

Cant. 6.

&

& ratione comprehendendi, inveni eum, qui diligitur. Ubi ergo homo interorandum mentis suæ cogitationes ab omni repræsentatione corporeâ abstraxit & jam, ut loquuntur, *indepictum intellectum* habet; voluntas fertur in Deum obscurè cognitum supra omnem præstantissimis perfectionibus præditum & summè amabilem, eumque admiratur, reveretur, diligit, amplectitur, seque velut omnium bonorum Oceano immergit, nullo ad res corporeas diverticulo intellectui permissò. Deus verò qui, ut Sol vapores, ita animum hominis à rebus sensibilibus abduxit, & cælestium deliciarum affluentiâ perfudit, eundem suspensum detinet, & altiori luce, & novis ardoribus, quantum lubet, locupletatum per amoris incrementa ad integram sui possessionem disponit.

Qui ergo parum in mystica Theologia solidè versati, hæc audierunt, & legerunt, aut fortassis aliquas inde aut scintillas aut guttulas sunt experti, ita omnes imagines sive repræsentationes aversantur, ut ad illud extremum delapsi, etiam de vitâ & Christi Passione contemplationes ad imperfectos relegent.

II. S. Theresæ de eo frustus in

S. Theresa nõ uno loco de hoc errore & abusu mentionem facit: non possum, ait, capere quid sibi velint, dum ita ab omni repræsentatione corporea recedunt; semper enim ardere charitate Angelorum est, nos verò qui hoc corporis ergastulo detinemur, cum ijs qui in corpore detenti magna pro Dei amore gesserunt, mente & cogitatione associari oportet, neque ex composito ab Humanitate Christi, in qua omne nostrum bonum & remedium situm est, mente sejungere. Vult Deus amoris ignem, qui per intervalla in nobis sopitur, omni studio à nobis accendi, atque ad hoc, cùm ad sublimes cõtemplationis volatus aditus nobis præcluditur, juvat quam maximè de Christi tormentis cõsideratio: & tametsi discursus & ratiocinationis incapaces simus, nemo tamen meritò dixerit, se super ista mysteria, præsertim cum eorum memoriam celebrat Ecclesia, mentis aciem figere non posse, eaque velut præsentia contueri; constat enim experientiâ Christum in horto prostratum, & sudore sanguineo perfusum attento mentis oculo ita considerari posse, ut non unica dumtaxat hora, sed plures in illo formidabili spectaculo consumantur: simplici intuitu in istud intellectus defixus adhæresçit, & quàm pro tantis cruciatibus ingrati simus attendit; atque commota voluntas etsi nullâ sensibili devotione, optat tamen in tanti beneficij gratiam constantioribus obsequijs Deum colere,

vita, & castro animis, mans. cap. 7.

colere, & pro illo pati: compertum habeo, nullum inde etiam eminentissimæ orationi, ne quidem illi, quam quietis vocant, impedimentum accedere; imò illos qui eius dono fruũtur, ut cum fructu labores huius vitæ exhauriant, Christi patientis, & Apostolorum aliorumque Sanctorum eâdem viâ gradientium contemplatione indigere: multum in alia ista extraordinaria semita periculi subesse existimo, ac dæmonis artificio huc usque malum posse promoveri, ut etiam erga venerabile Sacramentum non afficiatur: in me quidem eousque res non processit, hoc tamen mihi damnum creavit, ut de Domino Iesu Christo tanto deinde gustu cogitationes non susciperem, & ebrietate illâ spiritus ac suavitate, quæ orationem quietis comitantur, abriperet cunctabundè illam expectans: quem & errorem meum tandem deprehendi: nam cùm illa non esset in mea potestate, inde fiebat, ut huc illuc divagaretur cogitatio, & animus ad instar volitantis aviculæ nusquam consisteret, & tempus ac profectum in virtutibus & oratione perderet, donec cum magno Dei servo de meo orandi modo conferens, ab eo edocta, errorem meum agnovi, tempusq; illud deflere satis non possum quo de tanta jactura fructum aliquem facere arbitrabar. Hactenus S. Teresia, quæ & alio loco ita loquitur: Adverti dæmonem hac in parte insidias mihi struere voluisse adeóque periclitata sum, ut ausim dicere, ne fidem habeatis ei; qui ab his quæ dico, diversa vobis suggeret. In vit.

Morbo, quo laboravi, illi, quos octavo loco nominavi, medicinam faciet in orando intentio, & abjectâ in sinum divinæ providentiæ omni curâ, humilis cum eius voluntate conformatio: non retorqueat mens nostra oculos supra satisfactionem propriam. Nostræ, inquit B. Franciscus Salez, de rebus nostris opiniones, quæ nos recreant, & solantur, non semper divinis oculis judicijsque probantur: faciunt dumtaxat satis amori nostro proprio, & anxiæ, quam de rebus nostris, nullâ Dei habitâ ratione, continenter gerimus, solicitudini: qui cælesti amatori ardenter placere desiderat, ad se suáque non retorquet oculos, ad unum amorem augendum semper intentus. Hujuscemodi sponsa orationi sedulò incumbit, animum examinibus & confessionibus expurgat, formæ interiori per virtutum actus excolendæ dat operam; non ut perfecta evadat, non ut sibi faciat satis, non ex desiderio progressus in spiritu, verùm, ut Deo morem gerat, ut eius desiderio reverentiam exhibeat, ut illi placeat: non se mundat ut purior evadat, non 11. Prodr. 10.

non se ornat, ut pulchrior appareat; sed ut Deo dumtaxat faciat satis, cui si æquè deformitas arrideret, ac pulchritudo, æquèutramque adamaret; sicut unico amore ardet & ducitur, ita rem unicam in omnibus spectat & intendit, ut scilicet in sui Patris amantissimi beneplacito conquiescat; in eius sinum omnia deposuit, hoc unum curans, ne aliquid extra Patrem curet; non permittit, ut desideria virtutum, & gratiarum, ut progressus in spiritu vel tantillum animum molestent aut turbent: omnia inquieta, anxia, & turbulenta desideria, pro distractionibus, & inutilibus occupationibus, & multorum actionum impedimentis habet, eaque contemnit, nulloque reputat digna conspectu; ubi verò observat illa in foribus esse & furtivè aditum tentare, continuò occurrens ab illis se expedit, & ne quidem attendit, quid velint. Hanc mentis excelsitatem atque constantiam à suis expetebat B. Magdalena de Pazzi, ut super omnes res creatas animû erigerent, nullo eventu percellerentur, ad Deum continuò pergerent, pedem nunquam referentes, & ad agendum & patiendum bene comparatæ; suavitates, & asperitatum absynthia, abundantiam & egestatem, donorum à cælesti sponso liberalem profusionem, & repulsam, atque inopiam æquali oculo aspicerent, parique animo susciperent.

13. S. Theresiæ monitum.

Monet S. Teresia, ut ad orationem accedamus tanquam ad singulare cum dæmone certamen, nullis alijs armis, quàm cruce & patientiâ muniti, nullâ consolationum expectatione; nimis debile fundamentum, illæ sunt ad orationis & ædificij spiritualis substructionem. Confirmant hæc B. Virginis monita, quibus S. Birgittam ad fortiter cum hoste orationis tempore decertandum instruxit: primò ut sibi persuaderet orationibus nostris dæmonem esse infensissimum, easque infestare & perturbare solitum: secundò obsistendum constanter eius machinationibus, & orationem non abrumpendam, sed mentem pro auxilio impetrando elevandam: si nihil succedat, laborem nihilominus nostrum apud Deum pro oratione gratissimâ acceptandum & importunas cogitationes, quas abijcere nitimur, præmia & coronam nobis parituras.

S. Catharina Senensis, uti suprà fusiùs dixi, se similibus occasionibus in profundam humilitatis & inferorum voraginem, tanquâ id suis peccatis esset promerita, demittebat, tempusque solitum orationis producebat, & adjunctâ corporis castigatione altissimáque cum Dei voluntate conformitate ad eadem usque ad diem judicij

toleranda sese offerens tandem illustrem de dæmone victoriam reportabat.

14. Et P. Balthazaris Alvarez.

Pater Balthasar Alvarez in ista cum ariditatibus, & cordis duritate, atque interioribus tenebris lucta hanc animi demissionem cum peccatorũ humili agnitione confessionéque plurimum commendat ; monetque ut tum temporis homo Deum ita compellet: Ecce, Domine, messis mali à me jacti seminis, & fructus præteritorum annorum : talia à me excipere non merebaris, nec à me fieri oportebat; piget, & pœnitet, optóque mihi dari omnes doloris sensus omnemque lachrymarum copiam, quibus unquam tuam clementiam verè pœnitentes placare sunt conati, tuamque gratiam fuêre promeriti; de cætero quod peccata mea punias, & pœnis hisce me castiges gaudeo, & gratias habeo: durent istæ pœnæ, quantùm tibi placitum est, etsi toto huius vitæ decursu, & mille annis posteà. Cùm verò Deus perlubenter suos aspiciat, in eo, quem promerentur gradu se continere, dum aliquis ad eum vilitatis, & humiliationis locum se abijcit, quem suis ipse peccatis sibi accivit, seque ad supplicium illis debitum luendum offert, tum demum benignis illum oculis intuetur, & cælestium bonorum affluentiâ perfundit; si votorum suorum homo compos fiat, gratias aget; sin minus, humiliationis, & perseverantis in Deum fiduciæ, quod securissimum est, ita ingredietur. Monent alij, ut tum agere cum Deo importunè, & congeminare supplicationes non desinat Patrisque Iosephi Anchietæ viri sanctissimi, & miraculis clarissimi, hac in re consilium sequatur. Si quando, ajebat, interorandum te pumice aridiorem, & tædio languoreque affectum persentiscis, imitare discipulos euntes in Emaus, & apprehensâ Christi laciniâ dic: *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit.*

15. Ejus fructus in S. Lutgarde.

S. Lutgardis nocte Nativitatis Christi pervigilans cùm undecim horas cum desolatione, tædio, animique molestissima ariditate esset colluctata, tandem exclamat: Si quis in cælo Sanctorum mei misereturauxilium, manumque adjutricem porrigat. Adfuit B. Jordanis recèns mortuus, nuper dum viveret ipsi notus, nubemque ac tædium omne dissipavit. Nihil æquè erga mendicum aliquem nos ad commiserationem commovet, quàm illum in tueri frigore rigentem, & inediâ prope confectũ ad fores nostras perseverare; si hoc imitemur, flectemus dubio procul Deum ad misericordiam, facietque quod olim Mardochæo Assuerus, quem ad januam aulæ regiæ adstantem jussit vestibus regijs indui, & à principe aulico per urbem

urbem triumphantis in morem circumduci.

16. Pro nono. Ut illis qui postremo loco nominantur, stimulos addamus, persuadere sibi debent, arborem ex fructibus cognosci, illamque orationem probandam, quæ duarum præcipuè virtutum cotem acuit, Charitatis & Humilitatis; indicium est, aliquem multùm ab igne incaluisse, si aliquanto pòst tempore vim caloris in intimis hærere advertat. Non orationis tantum tempore, sed actionis etiam, imò continenter amari, & coli meretur Deus, sicut ipse nos momentis omnibus diligit, nobisque eius imperio Sol & Luna, cæteræque res creatæ continuis obsequijs famulantur. Voluntas nostra, quæ semper in motu est, cur, quæso, non æquè facilè ad agendum amoris divini, quàm commodi proprij moveatur impulsu? plus voluptatis hauries, si in actione tua amorem Dei uniçè spectes; quàm si illam ad unius voluptatis sensum percipiendum referas. Qui pulchritudinis alicuius amore capitur, eam semper cum voluptate animo versat: qui venationem amat, in illa aut re, aut cogitatione versatur: atque ut ignis deficit defectu materiæ, ita & in nobis emoritur dilectio, dum nihil ampliùs in altero amabile reperit, quod in Deo locum non habet; qui quò magis amatur, eò magis ad amandum amantis pectus accendit; quia novam semper amandi materiam, novasque amoris faces subministrat. Neque difficultatem prætendere possumus, quia amore nihil facilius; fons enim amoris voluntas est; quid fonti proclivius quàm aquas profũdere, si obicem non ponas? nec fastidium etiam obtexere, quia nihil in Deo reperies, quod tædium, aut nauseam generet: ignaviam ergo nostram aut cæcitatem aut perversitatem animi accusemus, qui extra orationis tempus Dei tam facilè obliviscimur, & relicto bonorum omnium perenni fonte ad lutulentos rivulos, fœcesque rerum creatarum divertimus, & à centro remoti longiùs animi pacem ubi non est, fallacesque delicias consectamur.

17. Universale est, Dei opem implorare.

Cùm igitur tanta bonorum affluentia ex orationis assiduitate redundet, & tot in eius frequentatione defectus erroresque sese ingerant, meritò sæpiùs & fervenˉter compellandum est numen, dicendumque, *Domine doce nos orare.* Deus enim lux est, Christumque stellas manu gestantem Joannes in Apocalypsi vidit; habet ille clavem domus David, quæ est Ecclesia, & thesauros in illa reconditos solus aperit; neque quidquam illi potest obsistere: spiritus eius ubi vult, & quando vult, neque homo scire potest, quò vadat, &

quomodo redeat, implorandus tantummodo & ad bene orandum à Deo adminicula gratiæ emendicandæ, ut & intellectus facem, & voluntas ardorem, & cæteræ animi facultates constantem supra se elevationem suspensionemq; impetrent; præsertim cùm isto tempore, nos tam aperto marte, quàm insidijs adoriatur hostis, & ad eius machinationes cognoscẽdas lumine & ad propulsandas fortitudine, Deique protectione ac subsidijs egeamus quàm maxime; ô quanta damna incurrimus, cùm hæc in orationis vestibulo vel omittimus, vel oscitanter facimus: si verò bene succedat oratio, si ventis prosperis usi fuerimus; ne quæso ob ista vel tantillum infletur animus, revolet, amoris flamma ad Deum, tanquam ad centrum à quo processit, ut cum gratiarum actione novisque incrementis ad nos redeat, interim verò humilis nostræ cognitionis pulvis & cinis, apud nos remaneat tanquam infirmitatis nostræ supellex inseparabilis.

Sed quoniam, nt rectè monet S. Ambrosius, Deus *præsentior est diligentibus, negligentibus abest*; idcirco colligendæ sunt ante orationem vires animi, & cum diligentia ad eam perfectè obeundam connitendum: dicendumque cum Davide: *Propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac*: atque adminicula in illum finem capite sequenti suggeremus.

Lib. 9. in Luc. c. 20.

Lib. 2.

CAPUT XIV.

Quomodo, qui meditari nequeunt, orando nihilominus amori divino consequendo studebunt.

PLerique propter mentis instabilitatem, & cogitationum aberrationes continuas meditationis incapaces se esse profitentur, eaque super re experientiâ testem appellant; quos ego nolo repellere, sed ad aliud orationis genus eos invito, quod cum volubili illa cogitationum importunitate nihil habet commercij, sed in excitandis voluntatis pijs & sanctis affectibus situm est, multumque habet ad amoris divini consecutionem momenti: qui enim de mystica Theologia tractant, ab eo qui ad intimam cum Deo conjunctionem aspirat tria requirũt. 1. Magnum huiusmodi conjunctionis desiderium, quo eam cæteris bonis anteponat. 2. Abdicationem, & exspoliationem omnium affectuum, qui illam retundat. 3. Constantiam in semel concepto tanti boni persequendi proposito,

1. Qui vagis cogitationibus vexantur tria præstet,

2. Valde desideret conjungi cum Deo.

Gerson sup. Magnificat Cant. 7.

Abneget affectus alienos,

posito, eâ assiduè à Deo postulando, tædia, animique tenebras atq; molesta fastidia ferêdo fortiter, & spem, firmâ alendo donum istud obtinendi, cùm tempus à Deo præfixum advenerit: ad quæ omnia cùm fides amori divino conjuncta sufficiat, non video, quid nobis cum frænandis phantasiæ divagationibus occupationis, negotijque supersit, quas ferre potiùs patienter & generosè contemnere oporteat, si expeditum ad amoris perfectionem cursum tenere velimus. hac solius fidei lampade collustrati homines simplices, dum totis affectibus in unum Deum feruntur, citiùs multò amoris divini flammis inardescunt, quàm homines literarum præsidijs instructi, qui ratiocinando ad huius boni possessionem nituntur.

3. Simile de duobus filijs.

Demus duos eiusdem Patris filios diversæ prorsus indolis esse, atque ingenij; unum elegantis, & facundi, qui Patris nobilitatem, titulos, opes gestosque magistratus apprimè calleat, & verbis etiam, ubi se dat occasio, amplificare norit; alterum, qui quòd tardi sit ingenij, & impeditæ linguæ, hoc unum sciat, & effari possit se Parentem nactum esse optimum, & perquàm liberalem, à quo ametur quàm maximè, & qui amari à se velit impensissimè; ac primum quidem demus præter verba parum amoris erga parentem habere, seipsum in omnibus quærere, suis commodis & oblectamentis studere, mandatis paternis non multum deferre, suisque desiderijs, ubi sine graviore patris offensa fieri potest, impensiùs obsequi: alterum verò mirum in modum erga Patrem bene affici, eum omnibus officijs colere, voluntati eius studiosè morem gerere, ad omnes nutus se fingere, nihil quod illi collibitum fuerit, detrectare, minimam offensam fugere, & amori paterno in rebus etiam difficillimis omni contentione velificari. Quid de his duobus filijs censes? quem tuo judicio præponis? cuius sortem & conditionem si tibi daretur optio, præeligis? dubio procul eius, qui minus habet ingenij, sed plus erga Patrem affectus; minus scientiæ & eloquentiæ, sed plus amoris & benevolentiæ. Ad hunc imitandum si sapis enitere, obicesque in hoc amoris per affectus excitandi negotio occurrentes, aut dissipa, & disijce; aut si non potes, suaviter declina, quod ex subjecta comparatione facile discès.

Altero qui sepsum quærat.

Altero qui patris placita faciat.

Hanc imitetur, qui laborat in meditatione.

4. Simile à vivo viam quærente inter rupes.

Pone tibi ante oculos rivum per varios mæandros sinuoso alreolo in mare lentè, sed continenter defluentem; vide primò, quomodo nullibi subsistit, sed cursu non interrupto tendat in mare: deinde si rupes occurrat,

aut mola aquatilis, quomodo deflectat ad latus, & molli flexu innoxiè aditum inveniat; denique post varios decursus & anfractus nullibi exundans, nec sata, aut pascua vicina lædens, tandem in Oceanum leniter delabatur, ibique se permisceat, & abscondat; velim imiteris, & imperturbato animo phantasiæ molestias ferens, & contemnens ad Deum tanquam ad omnis bonitatis Oceanum patienter tendas, in quo post longam diuturnamque probationem tandem aliquando immersus omni deliciarum affluentiâ perfruaris.

5. Aliud à peregrinis duobus.

Duo peregrini simul iter faciunt, quorum unus importunos occurrentium canum latratus non sustinens, illos vel baculo, vel lapidibus abijcere aut compescere nititur sæpe frustra; alter contemptim illos præterit: idem age tu cum imaginationis tuæ inter orandum suggestionibus.

6. Et à matribus cum pueros discurrente.

Vidistine aliquando Matres, quæ triennes infantulos secum ducunt ad templum? earum aliquæ ita circa illos occupantur, sive ut silentium illis imponant, sive ut cursitationes per templum compescant, ut cùm templo egrediuntur, vix affirmare ausint se vel unum *Pater* & *Ave* cum attentione recitasse: aliæ verò prudentiores, aut infantulos domi relinquunt, aut si comitentur ad templum, vident quidem illorum ineptias, & divagationes, monent & minantur, sed ita rarò, ita tranquillè, ut nullum ferè orationis impedimentum inde percipiant. Quàm facile est memoriam, atque intellectum eorumque importunas repræsentationes nihili facere, totumque se voluntatis sanctis affectionibus concitandis impendere, cor suum velut aureum vasculum amoris balsamo excipiendo Deo offerre, rogareq; ut illud & à vinculis rerum inferiorum expediat, & si quas inde fæces contraxit, illud ipse Filij sui sanguine eluat; hoc unum nobis in votis esse, cætera flocci facere; & quantumvis interea reclament nescio qui tumultuarij appetitus, volubilesque phantasiæ aliò rapiant, ijs contemptis ad eadem amoris desideria, supplicationesque centies reverti.

7. Apologus de felc & vulpe.

Audi felis & vulpis apologum: hæc in media silvâ felem silvestrem reperiens, rogavit illam, quibus artibus se à venantium persecutionibus tueretur. Respondit felis, unico se uti remedio, ubi illi imminent, arborem se conscendere, & in altum eius cacumen evadere. O! subjunxit vulpes, longè ego te artificio & versutijs supero: ego circuitu multiplici, & meiendo, latratum fingendo, tam canibus quàm venatoribus illudere soleo, quos meis artibus tamdiu fatigo, donec à per-

perſequendo deſiſtant. Dum hoc modo fabulantur, ecce tibi audiri cornu venaticum, & canum murmur: hîc & continuò felis in proceræ arboris ſublimes ramos evadit, vulpes verò à canibus impetitur, & poſt multos diſcurſus, & fraudes tandem capitur. Quod ex alto felis intuens, vulpem eiuſque artes irriſit, plus in ſuo ſaltu, quàm in jactabundæ vulpis verſutia, præſidij experta. Utinam inter tumultuantium cogitationum aſſultus arborem crucis aſcenderes, teque ſubſidij cauſsâ in latus Chriſti apertum immitteres, atque in eius corde velut in aſylo conquieſceres, quantam illic ab eius ſanguine defluente munditiem, quantam in loco tam ſecuro pacem & tranquillitatem conſequereris?

8. Affectu conſcendat arborē crucis.

Telam ſubfuſcam & ſubnigram, dum matutinis roribus, ac ſolis deinde radijs quatuor palis diſtenta ſuper herbam exponitur, albeſcere paulatim videmus, & cum nive candore certare: an nō idem tibi contingeret, ſi pretioſi ſanguinis irrorationem, & amoris à corde Chriſti proſilientes radios conſtanter exciperes, & palis, hoc eſt fiduciâ in tam benignum Redemptorem firmatâ cogitationum tuarum ventos atque ludibria irrideres? ô quàm ſupra crucis iſtius altitudinem elevatus terrena deſpiceres! Qui in Alpibus ad ſuprema montium iſtorum cacumina penetrant, domos & arces in valle poſitas non vident, quia nubes, quas ſub pedibus habent, aſpectum impediunt: huc uſque vellem te proveheres, ut nihil eorum, quæ in infima phantaſiæ tuæ regione tumultuariè geruntur, te diſtraheret: in quo homines illiterati, quia parum ratiocinantur, ac ſupra cogitationes ſuas reflectunt, minus laboris experiuntur, quàm alij quibus mens in perpetua agitatione verſatur. Laborabat ad mortem morbo lethali vetula, quā adiens conſolandi & juvandi gratiâ Cancellarius Gerſon, rogavit, quî ſe haberet, animo præſertim. Reſpondit illa: Bene, Deo laus, ſentio cor ab omnibus rebus creatis abſtractum, omnibus votis Deo adhæreſcere.

9. Exemplum vetulæ confidenter morientis.

Alius verò ſimili modo ad extrema deductus, (Juriſperitus is erat, & cauſarum patronus) confeſſario ut ſe ad ſupremam luctam pararet, eumque in finem ut ſecum ſeptem Pſalmos pœnitentiales recitaret adhortanti; cùm ad illum verſiculum ventum eſſet haud longè ab initio primi Pſalmi, *quia non eſt in morte, qui memor ſit tui*: aſſuetus ille ratiocinationibus, reflexionibus, & annotatiunculis, altâ voce dixit: Quomodo hoc verum eſt, cùm ego jam morti proximus totque alij in eodem articulo Dei meminerint? Ad hanc mentis aberrationem advertens animum

10. Et advocati cum cogitationibus litigantis.

animum confessarius: Non est, inquit, Domine, tempus disputandi, aut similia diverticula admittendi; sed pœnitentiæ & suspiriorum, quibus à Deo peccatorum veniam ardenter petas. quod ipsum non tantum in illo supremo agone, sed quocumque tempore, dum orationi vacamus; à nobis esset observandum.

11. Utatur variis actibus.

At enim, inquies, difficile est horam integram in simili unius desiderij exercitatione consumere, cùm illa velut flammulæ prætervolent, & tanto tempore contineri non possint? Sit ita sanè; non desunt auxilia: invenies fortassis in his, quæ modò suggeram adjumentum: Sume tibi memoriæ caussâ septem verba, *Credo*, *gratias ago*, *doleo*, *adoro*, *opto*, *spero*, *amo*: atque per illa velut per gradus mentem, ac voluntatem paulatim exerce.

12. Fidei.

Credo. hîc voluntas tua intellectum excitet, ut Deum præsentem apprehendat, & ab eius conspectu nusquam evagetur: ut concipiat etiam illum amore tui ardentem, & tuum in te ipsum amorem infinito intervallo superantem; ad sua tibi dona largienda promptissimum, teque ad instar infantis manu apprehensum ad æternam sui possessionem paratum deducere. Fac, ut veritas hæc altissimè menti infigatur, & intimè à voluntate gustetur.

13. Gratiarum actionis.

Gratias ago. hîc beneficentiam eius in te agnosce: quidquid bonorum in te vides, ab illo fluere, & quamvis illorum abusus, tuaque in referendis gratijs oscitantia aliud mereatur; nova tamen ab illo beneficia in te fluxu perenni omni temporis articulo derivari, hoc ipso etiam momento, quo ad orandum te ad suam admisit præsentiam, ita erga te afficitur, ut plus boni facere sit paratus, quàm omnium Sanctorum universitas, etsi vires omnes ad beneficia tibi eroganda conferrent, unquam assequi, aut æquare possent.

14. Contritionis.

Doleo. Deo tam amabili, & formidabili tam negligenter huc usque servijsse te summopere dole: post toties datam de tui emendatione spem, & fidem, nihil te præstare, rei alicuius creatæ amorem illi te præferre, tantum te temporis cum illis ingenti tui profectus jacturâ consumere, amare te, quæ non decet: timere quæ non oportet; gaudere vanè, dolere frustrà & sine caussa, amori tui in multis velificari: atque in his & similibus fœdum, luctuosum, & lamentabilem animi tui statum attende: admirare eius bonitatem, qui tale monstrum in suum conspectum admittat, & orantem audiat: de tanta benevolentia gratias age, meliora in posterum concipe, & ut exequaris, auxilium ab

ab eo pete, eóque orationem dirige.

15. Adorationis. *Adoro.* Supremam Dei Majestatem, eiusque excellentiam cum tua vilitate compone, tuam ab ipso in omnibus dependentiam cum eius eminentia & absolutissimo in res omnes jure ac dominatu confer: demitte ergo te, & profitere non tantùm te ex te non solùm nihil esse, nihil posse, nihil scire; sed coram illo cætera nihil esse recognosce; omnium rerum ipsum esse principium, & finem; & velut ab immenso infinitoque Oceano omnia ab illo fluere, & in illum reforberi fluxu perpetuo, & interminabili. Descende in omne submissionis & venerationis genus, quasi nihil satis reverentiæ excogitare possis, quo coram tanta Majestate te prosternas atque demittas.

16. Desiderij. *Opto.* Opta, quod & quantum in bonis optari potest: sed hunc unicum omnibus tuis votis & desiderijs scopum præfige, majorem scilicet Dei gloriam, juxta eius beneplacitum, & sanctissimæ voluntatis regulam. Spatiare animo, & excurre, per omnia bonorum genera, quæ huius finis assecutioni adminiculari, teque divinæ gloriæ promovendæ instrumentum maximè idoneum possunt efficere, eaque desidera ardenter, & ardentiùs pete.

17. Spei. *Spero.* Hæc tanquam ad finem, salutemque præstantissima media te impetraturum spera, animumque tuum inter metus hinc inde exorientes, velut navim medios inter fluctus agitatam hac spei anchorâ immobili confirma: Bonitati divinæ, eiusque Sapientiæ, & Omnipotentiæ innitere, qui pro gloriæ suæ amplificatione plus tibi boni subsidijq; conferet, quàm optare audeas, qui dando auget bona sua, non minuit: nec indignum te, qui talia consequaris, puta; habes ad manum Christi merita, quæ Patri æterno repræsentata, ad id, quod habes in votis, obtinendum aditum tibi munient: habes B. Virginis, aliorumque Sanctorum preces, atque supplicationes, quæ tibi suffragabuntur.

18. Amoris. *Amo.* Hoc verbum tuas cogitationes ad examen, & trutinam revocabit, efficietque ut tuum ipse cor pertentes, atque discutias, verúmne sit te Deum amare, possisque coram Deo dicere cum S. Petro: *Domine, tu scis quia amo te.* si hoc non audes, protestare saltem ex animo & dic: Domine, qui corda hominum scrutaris, & renes, tu scis, quia unicè desidero amare te, & abijcere à me omnia, quæ in me amoris tui regnum interturbare possunt. Me totum omniaque mea tuo amori, tuæque gloriæ, ac sanctissimæ voluntati dono, ac consecro.

19. Importunè flagitet.

Porrò etsi oratio sit donum Dei, ut ait S. Bernardus super Cantica, facilius tamen illud obtinebis, si cor purgatum, præparatum, & improbum afferas, hoc est importunum, quod improbum (dum ægrè à supplicante exorari flectique potest, durus benefactor,) appellatur stylo Euangelico, quam laudabilem importunitatem & laboriosam, sed humilem perseverantiam tibi comitem assumas velim, qui orationi das operam, eumque tibi imitandum proponas, qui in orationis ariditatibus, & pugnâ cum mentis instabilitate, dicebat sibi: Persistamus aliquantisper, & saltem ad quadrantem in hac lucta perduremus, fortè id temporis eleëmosyna de cælo depluet; si secus accidat, hoc tædium ad præteritorum peccatorum expiationem deserviet: ubi verò nec isto quadrante oratio successerat; sed potiùs sterilitas, angorque mentis accreverat, tum ille sibi: Forsitan, ajebat, Deus meæ patientiæ periclitatione delectatur, eius hac in parte voluptati obsecundemus & cùm ipse in cruce inter atrocissima tormenta tres horas traduxerit, nos saltem ad horæ dimidium hâc molestiam patienter feramus. Si illo tempore marmore sis durior, & pumice aridior, cælumque æneum experiaris, tum te omni rore cælesti indignum profitere, cumque toties Deum monentem surdis auribus exceperis, nunc ad tuas preces illum meritò obsurdescere cogita, gratiasque age, quòd graviora, quæ commeruisti supplicia, in leviora commutet, teque pœnis paucarum horarum puniat, ne castiger æternis: dicque illi: Tibi, Domine, tibi honos & gloria, omniumque bonorum debetur affluentia; mihi despectus atque confusio, & molestiarum spinis & carduis obsita peregrinatio; nisi tu paupertatis meæ per intervalla misertus, digneris immerenti de rore cælesti guttulam aspergere: sis interim ob misericordem in me castigando justitiam, & profusam in largiendo liberalitatem semper, & ab omnibus benedictus, ac præsertim quòd me tuo conspectu indignissimum, & parum reverenter, & circumspectè coram tanta Majestate me habentem tam patienter ferre dignatus sis: si hoc modo ad dies aliquot, aut etiam, si Deus ita voluerit, ad menses, & annos perseveraveris, veniet aliquando tempus, & Sol tandem serenior illucescet, in quo præteritorum oblitus, misericordias Domini gaudio perfusus decantabis, eriscque unus ex illis, qui seminant in lachrymis, & in exultatione metunt. Interim fortè, una te solabitur cogitatio, si in animum inducas; aliter cùm rogantur homines

20. Si non impetrat, tædiũ patiatur pro peccatis.

21. Se humiliando.

rem

rem agi, aliter cùm Deo ſupplicaturi proſterniniur: qui enim apud Judicem pro reo perorat, varias animi affectiones in illo concitare nititur, & ab ira ac ſeveritate ad miſericordiam flectere; nos verò cùm ad orandum Deum accedimus, non ſtudemus affectionibus quorum incapax eſt, in illo axcitandis, ſed animo noſtro ad meliora capeſſenda faces admovemus, mutamuſque nos, nō Deum; accuſamus inertiam noſtram, atque condemnamus, deſiderijſque novis accendimur, eaque Deo repræſentamus: quid ergo tibi decedit, ſi mutaris, ut Deo placet, non ut tibi magis arridet majorem animi demiſſionem, atque firmitatem, ſi profundiorem cum voluntate Dei conformationem, atq; patientiā per illas tuas in oratione ariditates aſſequeris, quàm ſi delicijs cæleſtibus circumflueres: totum quod ſenſum tuum demulcet, & percipi poteſt, non obtines; certè quod occultum eſt, & oculos fugit, Deoque te reddit acceptiorem, accipis, quo ſi bene uteris, evades tandem votorum tuorum compos & torrente deliciarum potaberis.

22. Et divinæ voluntati conformando.

Atque jutinam hæc altè mentibus ſuis imprimerent, qui orationi vacant, ſibique perſuaderent, haſce ariditates, & in illis ferendis cum Dei voluntate conſpirantem animum, magis probare Dei præſentiam & amicitiam, quàm alia quævis conſolationum affluentia: Chriſtum ſcimus cruces amare, animumque in illis confixum benignè intueri atque in illo figere domicilium ſuum, & in intimis receſſibus, velut in delicioſo thalamo inter cruces lubenter commorari. Dum, inquit S. Thereſia, conſolari me vellet Chriſtus, monuit, ne caderem animo; nos in huius vitæ decurſu inter viciſſitudines verſari: me jam ad omnia pia opera promptam & ardentem, ac paulò pòſt tardam ac deſidem fore; modò pace ſummâ fruituram, paulò pòſt turbandam, & tentationum moleſtijs agitandam: ſed inter iſta fiderem eius tutelæ, timoremque omnem abijcerem. Angor, inquit, interdum, dum tam parum obſequij Deo præſtare me video, & corporis tam pigro, tamque moleſti ac nequam, famulitio obſtrictam ad curam obſequiumq; illi impendendum compelli; cumque quadam vice ob ingentes dolores, velut vinculis corpuſculi obſequio illigatam conſpicerem, tantum inde mœroris hauſi, ut ex oculis lachrymæ magnâ copiâ defluerent; donec, ut poſtea inſinuat, his corporis moleſtijs contemptis, Deo ſe totam tradidit; hoc unum habens in votis conſtanterque à Deo efflagitans, pati ſcilicet, aut mori. Quid plura? nunc cùm au-

Cap. 40. vitæ. 23. Exemplo S. Thereſiæ.

dit horologij pulsum, lætitiâ efferri se, ait, quod tantillum, ad Deo post huius vitæ decursum, fruendum, propiùs accesserit, posteà verò nec vitæ, nec mortis cupiditate teneri se dicit; sed animam velut desidem, & tenebris obductam trahere. Si per istas varietates tanta Heroina jactata est, quorsum nos homili de trivio de molestijs intercurrentibus conquerimur? Accipe tamen paraphrasim aliquam super orationem Dominicam, triginta amoris actibus contextam, quibus ad coërcendam phantasiæ evagationem uti poteris.

CAPUT XV.

Quomodo ex oratione Dominica aspirationes amoris possimus elicere.

1. ORationem Dominicam ita appellatam, quia Dominus Jesus eam nos docuit, in se amoris igniculos, & semina continere facilè credet, qui S. Theresiam audit dicentem, vel primam vocem, quâ Deum *Patrem* appellamus, habere satis, quo mentem & voluntatem occupet, ad altiora elevet, & admiratione suspendat, flammisque incendat amoris: alteram verò vocem *Noster* complecti in se argumentum Jesu Christi nos tenerrimè & præfervidè amantis; dum communem secum Patrem nos habere vult, & in numerum fratrum, & cohæredum adsciscere.

2. Illud verò additamentum, *qui es in cœlu*, qua secundùm Augustinum Deum in corde nostro velut cœlo mystico considentem contemplare possumus, hominem ab exterioribus, ad intimos cordis recessus revocat, facitque ut collectis ibi viribus Deo se totum immergat, & orationis quiete suavissimè perfruatur. Ingens est certè amoris testificatio, cœli terræque Imperatorem in corde nostro velut in Paradiso, deliciarumque suarum domicilio sedem velle figere, cum quo septem petitionibus à Filio ipsius digestis, nobisque dictatis agere familiarissimè possimus, & ad amorem perfectum impetrandum instanter conniti: *Quæ enim*, ait S. Cyprianus, *potest magis spiritualis esse oratio, quàm quæ à Christo data est, à quo nobis Spiritus sanctus missus est?* Spiritus utique, qui inter Patrem & Filium nodus amoris est, à quo & charitas in nostra corda diffunditur.

Nolo hîc movere quæstionem, meliusnè sit ariditatis tempore Deo se totum committere, & nihil prorsus agere; an verò aliquid pro virium infirmitate conari. Multò minus hortari velim, ut isto deso-

desolationum, & obscuræ noctis nubilo, ita sibi homo vim inferat, ad aliquam ignis strictúram scintillamvè excitandam, ut lædendi capitis periculum incurrat : hoc solum intendo, ut dum imaginatio tibi avolat ludibunda, & voluntatem secum trahere nititur, huic retinendæ, & alendæ ac sanctis amoris affectionibus inflammandæ materiam suppeditem. Nolim hîc dicas, parum inde te juvandum, quia ore dumtaxat extremisque labijs ista proferes, igniculis ad interira nõ penetrantibus : quæ te, ne amorem tuum sensuum experientiâ metiaris; judicia ista Deo relinque; tu tantùm desideriorum vela expande, optaque sanctarum mẽtium flammulas omnes persentiscere, quas ex istius orationis petitionibus hausêre, omnemque syllabæ sonum, omnem labiorum motum, pulmonum respirationem, in sancti amoris faculas converti desideres. Non carent fructu hæc desideria; nam teste S. Augustino & S. Gregorio, etsi in rebus naturalibus, hoc ipso quod aliquid optetur, non habeatur; aliter tamen res se habet in negotio amoris, qui desiderari non potest sine amore, quia ipsum desiderium amor est.

Tertullianus & S. Cyprianus orationem Dominicam *Breviarium Euangelij* appellant, quo lex amoris nobis data est, ut meritò (ut ex S. Theresia suprà diximus) ex illa lignorum congeriem, ad ignem amoris excitandum, & nutriendum abundè petere possimus.

Pater meritò te, Deus optime maxime, Patrem appellamus, qui re, & effectu Patrem te amantissimum exhibes. Pater es ob amorem, curamque paternam omni admiratione dignissimus : Pater es in profundendis beneficijs ad nos tibi conciliandos liberalissimus, in ferendis condonandisque injurijs mansuetissimus, in remunerandis levibus obsequijs, compensandisque exiguis laboribus munificentissimus. O quis talem Patrem non amaret! Utinam omnium liberorum in parentes intensi affectus in cor meum simul confluerent, ut talis tamque amabilis Patris amori universos impenderem! *Pater* qui me tibi filium, è nihilo creando, & ad similitudinem tuam efformando, sed multò magis in baptismo regenerando effecisti, & de filio iræ, æterisque miserijs in statum filiorum adoptionis, & perennis felicitatis hæredum transtulisti. Tum ego de pompis hujus mundi spernendis & abdicandis fidem dederam; sed non servavi : rerum caducarum meique amorem tibi prætuli : nec video, quod vitæ meæ momentum assignare possim, in quo te perfectè dilexerim: quo- 3.

modo nunc perfidiam istam corrigam, nisi me totum amori tuo consecrem? quod ex animo facio; tu tantùm hanc mihi impartire gratiam, ut peccata mea, & ingrati animi erga tam bonum Patrem, tot per dies singulos à me multiplicata argumenta, tui in me amoris flammas non impediant.

4. *Noster.* Non *mei* unius Pater es, multos alios in boni istius communionem venire voluisti, filios plurimos, & me multo meliores numeras, ac inter illos Maurorum ultimum æquali cum totius orbis Monarcha adoptionis jure gaudere vis: vis etiam ut omnes tanquam filios tibi charissimos amore fraterno prosequar, nec cum minimo alienati animi ab illorum aliquo sensu coram te compaream. Id ipsum vehementissimè desidero, amantissime Deus, & ecce vel guttulam amaritudinis & fellis, si quæ in corde meo resideat, ad pedem crucis tuæ effundo. Omnes in te propter te amare volo, omnibus ut filijs à te dilectis fratribus meis amantissimis omnium bonorum copiam opto, & præsertim amorem tui ardentissimum.

5. *Qui es in cœlis.* Amas me Deus, omni loco, & omni tempore, & in omnibus rebus; vis tamen ut te in cælo conspiciam, ut à contagione rerum terrenarum, quæ amori tuo impedimento solent esse, cogitationem abducam: vis ut videam in cælo, quanto tui amore ardeant beati illi Spiritus, quorum una, æternaque occupatio est, amare te, & laudare te, utque te parì cum illis amore complectar, & agere nunc incipiam quod totâ æternitate facturus sum: vis ut sursum mentem erigam, eamque cœlo inferam, & in illo pulcherrimo palatio quantâ magnificentiâ filijs tuis de æterno domicilio provideris noscã. Mi Deus, quàm admirabilis est amor in nos tuus! Utinam corculum meum in cœlum empyreum transformetur, omniumque beatorum erga te amorem in se colligat, quo qui summè amabilis es, & ab amore mei non cessas, amare possim ardentissimè! Quid! quòd, Domine Deus, cum S. tuo Augustino cœli nomine, animos hominum gratiarum tuarum ornatos varietate intelligi etiam posse arbitror, in quibus libentiùs, quàm in illo stellato palatio sedem figis; imò multis cœlorum millibus præfers. Utinam, mi Deus, unus ex illis sim, utinam per gratiam tuam sit animus meus pro te Paradisus deliciarum, & pro me sanctimoniæ, & amoris tui æternum domicilium; ut dum totus in te maneo, & tu in me, unum me semper occupet amoris tui negotium, & præterea nihil.

6. *Sanctificetur nomen tuum.* Vis, Domi-

Domine Deus, ut nomen tuum, hoc est Majestas tua, Omnipotentia tua, Sapientia tua, Sanctitas tua, & omnium tuarum perfectionum infinita excellentia, cognoscatur ab omni intellectu creato, colatur, honoretur, celebretur intensissimè, & ametur sanctissimè. Id in cælo præstant beati Spiritus, qui *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* summâ veneratione, & alacritate, incessabili voce proclamant, & ut in eandem secum laudationem & gloriationem cõspiremus optant, & invitant: unde & militans Ecclesia in eandem præconij laudisque ac gloriæ communionem venire desiderans Sacerdotibus suis injungit, ut ante Canonem eundē glorioſę sanctificationis hymnum concinant. O quanta cum animi mei lætitia, tibi gloriam, quã mereris, impensè reddi video! utinam cum vocibus corda conspirent!

Utinam tot paganismi, & hæreseos, ac atheismi tenebris obcæcati mortales tuam excellentiam, & plenam gloriæ Majestatem agnoscant & venerentur! O si totus vox essem, ut hoc omnium auribus cõstanter ingeminare possim, earumque mentibus tuæ essentiæ magnitudinem præstantiamque altè imprimere: quàm millies sanguinem vitamque hunc in finem lubens profunderem, quàm vellem singulas sanguinis mei guttulas toti mundo prædicare te, omni cultu, gloriâ, amoreq; esse longè dignissimum!

Præterea à me exigis ut singulis meis actionibus, & quolibet animi corporisque, quantum fieri potest, motu nomen tuum sanctificem testificerque te sanctissimum esse, & omni morum sanctitudine colendum, atque venerandum. Exigis ut amoris erga te mei constantiâ, firmitate, atque præstantiâ te omnium cordium magnetē esse ostendam, atque profitear: hoc ipsum est, quod unicè in votis habeo, & in quo omnes animi mei corporisque vires atque conatus lubentissimè consumam. Bone Iesu, millies, & millies me tibi meaque omnia dono consecroque, rogoque ut in me, & per omnia, quæ mihi dedisti, Patrem tuum omni gloriâ & honore digneris afficere, atque in eo colendo, amandoque totum quod sum, quod vivam, impendere.

Adveniat regnum tuum. Quando tandem, Deus meus, & Rex meus, illucescit dies illa, quâ hostibus tuis devictis atque prostratis regnabis pacificè. Ecce in animas tuo sanguine redemptas diabolus, peccatum, & mors imperium exercent: quàm luctuosum cordi te sincerè amanti hoc accidit spectaculum, dum te de possessione, quam morte tuâ acquisisti, summa cum injuria dejectum vident. 7.

Prope-

Propera Domine Deus, propera, & profligatis adversarijs parta trophæa æternùm duratura erige: imple celeriter vacuas cœlorum sedes, & electos tuos in regno illo amoris, admirabili & jucundâ varietate colloca, ubi tu eris omnia in omnibus, & omnes incredibili vinculo charitatis inter se, & tecum agglutinati sempiternâ pace perfruentur: ô quantum tum tibi voluptatis accedet, cùm Rex pacificus in medio multorum millium considens, ab omnibus colêris, amaberis, & laudibus nunquam finituris extollêris: ô quàm ardet animus me tibi totum dedere velut diabolo ereptum spolium, & tui prædam amoris! nolo cum tuis hostibus ullum mihi posthac esse commercium: confirma, ô Deus! hæc animi salutaria decreta, & me in tuorũ subditorum numerũ, qui tuos nutus adorant, misericorditer admitte.

Interea Rex amantissime, dum regnum illud æternum continuâ hinc electorum tuorum transmigratione pedetentim disponis, & stabilis, ultimum demum post auditas in die supremi judicij rationes latamque sententiam complementum imposituras: oro te suppliciter, ut quamdiu hîc vivimus, regnũ amoris in cordibus nostris ordinare & stabilire digneris. Utinam omnium mortalium corda in mea essent potestate! quàm libenter universa tui juris facerem tuoque subderem imperio. ¡En meũ, incipe in illud ex hoc momento jus habere, & ad omnes tuos nutus fingere, ac quidquid amori tuo obstat vel minimum, longiùs expellere. Volo ut facultates omnes meas, omnes sensus, nervi atque articuli, omnia denique membra, & ossa communi consensione proclament: Vivat Jesus, vivat Rex charitatis & amoris. Ingens beneficium est, Deum regiam suam sedem in cordibus nostris velle ponere, nosq; regnum suum efficere; sed majoris benevolentiæ argumentum est, Deum nobis regiam fieri, cuius possessione Reges nominemur & simus. Mi Deus, hanc quæso mihi fac gratiam, ut te possideam amando, & per eundem amorem à te possidear; hæc votorum meorum meta, huius boni si compos fio, mors me occupet quando lubet, eam semper in lucro reponam.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Cur quæso, ô suprema Majestas, vis rogari ab homuncionibus, ut voluntas tua fiat, qui in omnes supremum jus habes, cujus decreta, si nolis, nemo potest infringere, cuius mandatis ubi absolutè ita jubes, obsistere nemo potest. Ita est, inquis, sed coacta obsequia non amo, volo meis jussis obedientiam spontaneam & alacrem deferre, utque id fiat, ab 8.

uno-

unoquoque subsidium gratiæ à me postulari: hanc à te flagito, ô Bonitas incomparabilis, ut tam ego, quàm cæteri mortalium cujuscumque statûs & ordinis voluntati tuæ perfectissimè conformemur: ô quantum inde tibi gloriæ, nobis verò utilitatis accederet! utinâ mihi mille vitæ suppeterent, quas lubens donarem, ut id fieret sicut in cœlo ita & in terra! utinam omnia hominum corda in mea essent potestate, ut illa humiliter & amanter ad tuæ supremæ & adorabilis voluntatis arbitrium fingerem atque subijcerem! Porrò cùm inter mandata tua, primum locum teneat charitatis præceptum, à quo universa lex pendet & prophetæ, & in hoc ego implendo studium omne ponere volo: agedum anima mea, vult Deus illum amemus, & vult amorem istum alacrem esse & spontaneum, & vult propositâ pœnâ inimicitiæ sempiternæ, si non facias: dic ergo millies per diem *Fiat, fiat*, amoris eius sanctissimâ flammâ ardeam continuò, & scoriam omnem amoris proprij exuam. Sed quid hoc sibi vult, quòd beatorum in cœlo degentium amorem imitandum nobis proponat? illi sempiternis innatant gaudijs & pulchritudinem illam in meridie lucis æternæ omni amore obsequioque dignissimam contemplantur, & nos immersi luto & tenebris per fidei velamen illam intuemur, & quî quæso, ad beatorum amantium similitudinem assurgere possumus? Verùm cùm utrisque sit eadem Bonitas, & Pulchritudo ad amandum proposita, illam ego cum ipsis, & sicut ipsi amare volo, hoc est propter ipsam solam, & super omnia, nullâ proprij commodi, & voluptatis habitâ ratione: volo insuper tota vita mea ad istius supremæ voluntatis perpendiculum dirigatur, idque quia ita vult summa illa Majestas, & in volûtatis suæ executione delectatur.

Volo insuper, ut continuò tria hæc verba menti meæ obversentur, *Agere*, *Abstinere*, *& Pati*, & perseveranti studio, ad id quod significant, perficiendum incumbere. Volo, Domine, tuæ gratiæ subsidio adjutus, facere omne quod vis, & sicut vis, idque solùm in hoc spectare, ut tibi placeam. Volo ab omnibus quæ tibi displicent abstinere, quia illa non probas, & millies mori malo, quàm vel in minimo sponte & scienter tuos oculos offendere. Volo & pati quidquid mihi ferendum esse volueris; nihil abnuo, nihil recuso, omnia amanter, & cum gratiarum actione volo, quia totus amor es, & quidquid immiseris, mihi melius est, & æquius, quàm omnes mortalium voluntates in unum conflatæ, & mihi benefaciendi studio incensæ procurare

possent : sed cùm ad hunc perfectionis gradum absque tuo singulari subsidio evadere non possim, te per amorem tuum, quo te gloriamque tuam amas, per Filij tui pretiosum sanguinem, per B. V. preces & merita, per Sanctorum suffragia suppliciter rogo, ut implendæ voluntatis tuæ gratiam, & vires impertias.

9. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* O Pater benignissime, vis te non tantùm ut Patrem, sed etiam ut nutritium agnoscam, utque ad instar mendici à tua liberalitate panem petam, atque inde cognoscam quàm ad te amandum multis nominibus sim obstrictus. Da mihi ergo Deus, quæ ad sui sustentationem vita præsens exigit, & quantum ad te amandũ, serviendumque sufficit : absolvi animum meum à cura superflua rerum, quæ corpus concernunt, & cùm velis panem dumtaxat quotidianum à me postulari, ne permitte, ut in futurum solicitudinem extẽdam, ut tanto liberiùs me tuis obsequijs amorique tuo totum impendam.

10. *Da nobis.* Vis ut proximi mei in hac petitione curam habeam, & pro omnibus mendici partes agam; pro divitibus, ut fortunas quas possident tua dona sciant, illisque velut à te commodatis bene & ad sui pauperumque sustentationem secundùm Charitatis præscriptionem utantur: pro pauperibus, ut necessaria illis quotidie suppeditare digneris, & ne victus vestitusque procurandi gratiâ animi curam deponant, aut conscientiam lædant. Hæc à te pro utrisque enixissimè efflagito, Domine Deus, ut quidquid in mundo est, ad tui amorem gradum sternat: & fugitiva bona corpori, corpus animo, animus tuo amori gloriæque deserviat.

Panem nostrum. Non arbitror te velle, ut in solius panis materialis petitione pedem figamus, vis, ut mihi persuadeo, ut in panem spiritualem convertamus oculos, & panem orationis, quæ cibus est animæ, panem sacræ doctrinæ, panem Eucharisticum, & super cæteros charitatis amorisque sancti, quo maximè alitur robo raturque animus, alimentum postulemus; hoc animi mortalium sustentantur; hoc tibi, qui vita cordium es, conjungamur. Da mihi, Deus optime, hunc panem, eumque mihi non tantùm quotidie, sed per singula momenta subministra. Amor iste verè panis est vitæ, quia amando te vivimus, non amando, mortui sumus. 11. 12.

Et dimitte nobis debita nostra. Vis, Domine Deus, ut quotidie errorum & offensionum mearum veniam postulem; ut hoc modo cor meum, quod amoris tui sedes est, à sordibus quotidianis expurgetur;

getur; neque enim tam nobile balsamum, cum luto & multiplici peccatorum colluvie misceri vis. Purgetur ergo à te, & à me inquinatum corculum meum, à me fletibus, à te sanguine dilecti Filij tui: vellem mihi aquarum rivi sanguineæque suppeterent lachrymæ, quibus perfidiam meam deflerem, qui tam facilè amoris tui domicilium inquinavi, & cor meũ, quod tibi totum debui, in varios rerum fugientium amores sum partitus: hoc ipsum est, quod potissimùm me discruciat: clamat unaquęq; res *Accipe, & redde*, accipe quod Deus amore compellente tibi donat, & amorem repende; sed oppositum ago, proque benefactis injuriam facio, & benefactorem meum offendo: ignosce bone Deus, ignosce, & sicut res omnes creatæ voces sunt tui præcones amoris, ita cogitationes omnes meæ, verba & opera deinceps tuâ adjuvante gratiâ talia sint, ut characterem amoris tui secum ferant, fidemque dent majoris in posterum in te diligendo ardoris. 13.

Nobis. Non mihi tantùm, sed pro omnibus peccantibus remissionem postulo, quorum numerũ, & magnitudinem tu solus nosti; certè si unus ex illis de suis solùm iniquitatibus dixit: *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei*; quis mortalium recensere reliquam multitudinem poterit? O Deus clementissime, aspice, & miserere; aspice in magnitudinem misericordiarum tuarum, & sanguinem Filij tui, & ob illum quem pluris æstimas, quàm innumerabilium mundorum peccata oderis, in nos oculos converte, nobisque peccantibus clementer ignosce.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quis hîc bonitatis tuæ excessum non admiretur? non deprædicet? ecce indulgentiæ, remissionisque mensuram arbitrio meo committis, & vis à me postulari eo modo peccatorum veniam mihi dari, quo aliorum in me offensiones condonavero. Et quis ego sum, qui me ab aliquo læsum putem? nónne ego ille perduellis & perfidus, qui omnium in me indignationem provocavi? numquid ille, contra quem elementa omnia proclamare meritò debẽt: ô proditorem divinæ Majestati injuriosum, qui eum, à quo tot beneficijs auctus est, cuius nos obsequijs mancipati sumus, quotidie offendit, ac despicit? O Deus! quis quæso me injuriâ aliquâ potest afficere, qui ob scelera mea æternas inferorũ pœnas sum promeritus? quia tamen vis me ignoscere, id ex animo facio, ac insuper rogo, ut illis etiam, tu, qui inter læsos primum locum tenes, condonare digneris, atque in huius rei testimonium corda nostra amoris tui flammis accendere. 14.

15. *Et ne nos inducas in tentationem.* Dum hoc jubes, Deus meus, me de imbecillitate mea commones, qui cum hoste vafro, vigilante, & importuno sine periculo congredi non possum: doces me, ut S. Basilius, & Hilarius existimant, tentationes fugere, ac deprecari; quia cùm ad instar arundinis modico vento huc & illuc impellar, periclitaretur salus mea, si cum dæmone velut cum pari committerer: rogo ergo te Deum meum, & protectorem meum, ut illius tentamenta discutias, ne fortè victor, amoris tui in me thesaurum ille deprædetur, quem vitâ meâ pluris æstimo.

Verùm cùm nos coronare nolis nisi victores, & victoria reportari non possit sine prœlio, nec prœlium sine hoste consistere, velisque virtutem, quæ otio destruitur, perpetuis cum hoste conflictibus confirmari & crescere, omnesque nos monueris, ut dum tibi Sacramentum diximus, tuisque obsequiis initiamur, animum ad tentationem præparemus? ecce me ad omnes inimici paratum insultus, tantùm tuâ me gratiâ protege, ut nihil inde de tuo honore & amore decedat, sed potiùs facias cum tentatione gloriæ tuæ amorisque proventum.

16. *Nos.* Idem pro omnibus pretioso tuo sanguine redemptis beneficium efflagito. Circuit omnes Leo ille tartareus, quæritque quem devoret, ô si præstare possem in commune subsidium, quod vir sanctus ex eremi incolis, qui contra dæmonis homines infestantis molitiones excubans, illum sibi proponebat toto orbe dispersos aggredientem, cui ipse se opponebat auxilium de cœlo evocans, & inclamans: *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.* non dubito, quin hoc tibi Deus gratissimum accideret, hominibusque cum hoste confligentibus fructuosum: id facio, Deus, & manum tuam auxiliatricem, quantâ possum contentione, imploro.

Sed libera nos à malo. Sive velis nos petere à maligno, hoc est dæmone defendi, ut explicant Tertullianus, & Chrysostomus; seu ab omni malo liberare, ut intelligunt Cyprianus & alij; ab illis ego dumtaxat malis liberationem, & immunitatem efflagito, quæ amoris tui alas inficiunt, aut succidunt. Cur enim ego alia mala, quæ à peccato sejuncta sunt, subterfugiam, cùm Christus ipse in mundum veniens ea delegerit, & dolorem, contemptum, ac paupertatem comites sibi sumpserit, eosque usque ad mortem summo sit amore complexus? Ecce Domine, ubi tibi collibitum fuerit, ijs excipiendis libenter sinum aperio; tu mihi tantùm ea immitte quæ amori 17.

mori tuo augendo deſerviunt, ejuſq; propagationi viam aperiunt, & muniunt. Multa mala ſunt quæ mundus odit, qualia ſunt morbi, ignominiæ, corporis afflictationes, fortunarum everſiones, mors deniq; ipſa; horum omnium nihil æquè æſtimo, ac amoris tui privationem; irruant cætera, & magno impetu ſibi invicem ſuccedant, hominemq; proſternant modò amoris tui integritas ſalva ſubſiſtat; cętera feram perlubenter: mihi pro equulei cruciatu eſt, quod te, ut par eſt, non amem: tepeditas mea in te amando pro tormento mihi eſt, pudet me oſcitantiæ meæ, qui pro rebus caducis, pro luto & ſordibus flammas in corde reperio, nullas verò pro Deo meo, unico puri amoris fomite & objecto immortali. Medere quæſo huic morbo intolerabili Deus optime, & à tanto malo me libera.

Nos. Hoc ipſum pro omnibus etiam atque etiam peto, ut omnes cõmuniter tuo amore ardeamus, perfligãtur & extinguantur in cordibus noſtris omnes profani ignes, conjunctiſque ac conſpirantibus animis in tui amorem exardeſcamus: ſola charitas per Spiritũ ſanctũ tuum diffuſa regnet in nobis. Nemo noſtrûm voluptatis, aut quæſtûs gratiâ te diligat, nemo amet, quia amantibus bene vis, & benefacis; ſed quia omni amore digniſſimus es: hic cardo, & meta, in quo vota noſtra voluantur, & terminentur. Amen.

Invenies in hac orationis Dominicæ paraphraſi triginta & plures actus amoris; quos omnes cõpendiohîc colligo, ſuadeoque ut ſæpè dum Orationẽ Dominicã recitas, quaſi trâſcurſim recolas memoriæ priùs quàm devotionis excitandæ gratiâ: dic ergo vel ore, vel mente:

Pater cæleſtis, ſi amare eſt velle bonum, ei quem amas; ecce ante te proſtratus, quæ tibi bona doces eſſe acceptiſſima, ea ex animo tibi volo, & opto, ſcilicet ut ab omnibus quàm fieri poteſt ſanctè colaris & ameris, ut regnum gratiæ, quâ in cordibus regnas, & regnum gloriæ in cœlo magis ac magis in dies ſtabiliatur, donec brevî ultimum ſuum complementum in æternitate accipiat ut voluntati tuæ omnes integtè ad beatorum imitationem obſequantur, atque ad hæc rogo ut omnia nobis neceſſaria concedas, & impedientia removeas. Amen.

Si adjungas *Ave Maria*, in eodem amoris actu potes perſiſtere, & verba Salutationis Angelicæ ore pronuntiando, corde dicere: O Virgo Mater Dei amantiſſima! gratiâ plena es, & Dominus eſt ſemper tecum, cæleſtibus benedictionibus abundas; hanc unam inſtanter à te peto, ut ſanctificationi nominis Filij tui, & regni eius amplificationi cooperari poſſim ar-

dentissimè, & sanctissimam eius voluntatem in omnibus exequi: quæ tria bona illi optas & procurari assiduè: Te rogo, per amorem ineffabilem, quæ te amat sanctissima Trinitas, amabiliq́ue in æternum.

Ex his facilè colliges non omnino sapere nonnullos, qui in tribus primis petitionibus invenire se ajunt amoris in Deum excitandi materiam, sed non ita in quatuor postremis, in quibus nostræ utilitati studere videmur: Christus enim istius orationis auctor, in omni actione, & doctrinâ, unicam Patris sui gloriam spectavit, noluit ut in petendis ijs, quæ nobis conducunt, intentionis nostræ figeremus pedem, sed ad Patris sui gloriam regniq́ue sui amplificationem, & voluntatis divinæ executionem omnia nostra desideria referremus, in quo stat nostri summa ad amorem divinum progressûs.

CAPUT XVI.

Passio IESV Christi magnum in se continet amoris divini incentivum.

1. Passio Christi fons & formæ Amoris.

ID probant illæ Christi voces, *Cùm exaltatus fuero à terrâ, omnia trahàm ad meipsum.* Ac si diceret. Multa quidem in totius universi creatione ad amorem meum incitamenta submini-stravi, tanta rerum pulcherrimarum in hominis usum, & oblectamentum à me suppeditata copia habet varias amoris illecebras: ipse deinde carne humanâ indutus, quà verbis, quà mirandis operibus per mortalium corda meæ dilectionis & benevolentiæ flammas dispersi: verùm ultimam ad mortalium animos expugnandos machinam in passione mea reservavi, cùm in cruce ad instar arcûs intensi suffixus & in altum elatus, per orbem universum mei sagittas amoris ejaculans mille millia cordium vulneravi, & meæ charitatis vinculis astrixi: redire solet Ecclesia sponsa mea ad hauriendum amorem ad cor meum, unde ex lanceæ ictu per amorem nata est Crux illa, in qua pependi, arbor est vitæ in Ecclesiæ paradiso plantata, & cuius fructu qui vescitur, calorem amoris, quo animus vivit, reparat & fovet: Ego enim verè de me pronuntiavi: Ego sum via, veritas, & vita. Ego per obumbrantem Spiritum sanctum, qui amor est, in utero Virginis conceptus sum, & ad eumdem amorem propagandum in arbore crucis elatus, quod qui norunt, non aliunde studiosiùs quàm à cruce amoris alimenta deposcunt.

2. Primò itaque attenta Passionis Christi

Ad multa juvat eius meditatio.

Christi consideratio magno nos contra amorem proprium, eius denudata detectaque contagione, radio inflammat. 2. Ad difficultates, quæ in virtutum assecutione occurrunt, ingentibus animis superandas nos aluit, quarum victoria amori divino in nobis regnum stabilit. 3. Excellentem Christi erga homines charitatē in luce collocat, & pro amore amorem reposcit. 4. Eum, qui Passionis suæ memoriam alit in pectore, donis suis locupletare solet Christus, inter quæ locum principem amor sanctus sibi vendicat.

3. Ad amoris proprij expugnationē.

Amorem igitur proprium rem esse detestabilem, & omni abominatione dignissimam clamant vulnera, quæ Christi corpori perduellis inflixit. Hac peste, quicūque illum diseruciarunt, infecti fuere. Pilatus timore perdendæ dignitatis illum morti addixit, Judæos invidia, Judam avaritia, militespecuniæ spes ad illum tradendum, prodendum, torquendumque impulêre; longiùs tamen repetenda est eius colluvies, & inde ab Adamo accersenda, quæ per eius posteros propagata, ut exhauriretur à Christo, laborum illi dolorumque materiam dedit acerbissimam: & quod mirere, post corpus flagris dilaceratum, post spinas & clavos, & sanguinem lachrymasque ac suspiria profusa & congeminata, hæret etiamnum in intimis mortalium fibris eius contagio, ut meritò exclamet Propheta: *Tanto labore sudatum est, & non exivit rubigenus.* Ezech. 24.

4. Peccator Christum occidit.

Ille est, qui etiamnum, quantùm in se est, Dei Filium tollit in crucem; ille qui flagris & plagis onerat, ut S. Virgini Coletæ ipsa Christi sanctissima Mater ostendit: cùm enim ab illa rogaretur ut apud Filium pro miseris mortalibus vellet intercedere, ostendit illi in pelui infantem in frusta concisum suo sanguine innatantem, dixitque: Aspice filia, & perpende, an qui ita crudeliter in Filium meum desæviunt, mereantur, ut meis precibus ab eorum cervicibus malum avertam. Lector amice, persuade tibi Christum è cruce te verbis hisce compellantem: *Servire me fecisti in peccatis tuis*: tua scelera me in hoc tormentorum mare conjecêre; amor tuus insolescens dum ita habenas laxat, & injurias vomit, his me sputis deformavit, dum cogitationes honori meo, & proximi bono injuriosas alit, hisce spinis caput meum transfodit; dum pudendis operibus se inquinat, flagris me dissecuit; dum pertinaciter malo agglutinatur, me cruci affixit; hanccine tu pestem, & vitiorum omnium cloacam adamare deinceps poteris? Aman, dum innocenti Judæorum genti extremam perniciem machinatur, ab Assuero, quem

5. Crucifigendus Amor proprius instar Aman.

quem ad hoc injustum, & invidiosum facinus instigarat, in crucem tollitur, & uxorem liberosque in idem secum exitium trahit, ut de tã scelerati hominis familia nullus supereſſet: & tu amorem proprium, qui te non solùm homicidio, sed Deicidio contaminavit, impunitum dimittis? Vide quomodo Christus, licet ab omni peccati contagione remotissimus, illum in se exagitet; quomodo illum in omnibus carnis delicatæ sensibus crudeliter habeat; quomodo in ijs, quæ honorem, quietem, vitam denique ipsam spectant, infestari illum, & torqueri patiatur; teque ad idem secum redintegrandum prœlium velut signo dato dux invitet. Non est servus major domino suo. Jehu inunctus in Regem Israel, accepto divinitus de evertenda Achabi stirpe mandato, currum ascendit, & cùm exequendæ divinæ jussionis zelo accensus progreditur, obvium habet Jonadab, à quo petit, haberétne sicut ipse cor rectum coram Domino, animumque in ultionem inimicorum Domini pari secum ardore conspirantem. Cùm alter se habere respondisset, manu illius apprehensâ in currum sustulit, monuitque videret, quâ in omnem regiam familiam idololatriâ contaminatam strage baccharetur.

6 Idem à Christo, cùm illum in cruce pendentem contemplamur, edici arbitremur; noſque ab illo rogari, an pari secum odio in amoris proprij exitium ferri velimus, an arma contra illum eius auspicijs capere, an sub illius vexillo dicere sacramentum, eumque ad internecionem persequi? felices nos, si Christo Domino verbis Regis Josaphati respondeamus, qui à Rege Israelis ad Societatem armorum solicitatus, dixit: *Ascendam, qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus; & equi mei, equi tui.* Ita bone Iesu, in hostem tuum, & meum te duce arma capiam, & quacumque parte imperabis, signa inferam, cum hoste congrediar, & tibi gloriæ triumphique materiam consectabor. Hac armatos cogitatione fuisse arbitror tot strenuos Christi milites, qui flagellis, cilicijs, catenis, vigilijs, jejunijsque, & cæteris sensuum afflictationibus amorem proprium aggressi, ejus vires attrivêre, eumque sub jugum misêre, omni spe fœderis, aut reconciliationis sublatâ: illi scilicet in Christum ab hominum vitiosis affectibus, ab amore proprio in arenam eductis cruci affixum oculos conjecêre, & contra illum ejusque copias odio implacabili concitati; *Crucifixerunt*, ut ait Apostolus, *carnem suam cum vitijs & concupiscentijs*, nullâque eius commiseratione permoti, clavis severissimæ disciplinæ, temperan-

Sequendus Christus ex cruce invitans.

7. Exempl. Sanctorum.

rantiæque undique confixum ita tractarunt, ut vix respirandi spatium concederent: quantum verò hæc de amore proprio victoria, amoris divini incrementum ferat, nullus est qui non videat. Jam verò quomodo virtutum, sine quibus charitas non potest consistere, assecutioni aditum muniat, inspiciam. Cùm in virtutes primarias oculos conijcio, cùm intueor Fortitudinem, quæ rerum terribilium metum domat, & vincit; cùm Patientiam, quæ in malis quibuscumque tristitiam moderatur; cùm Temperantiam, quæ in maximis voluptatũ blandimentis animum hominis fræno suo retinet; cùm Humilitatem, quæ inter ludibria, & contumelias stat in gradu suo, & velut victrix exultat; cùm pari modo reliquas charitatis comites considero; non video unde potissimùm peti & comparari possint, quàm ex Christi patientis armamentario: præsertim cùm ad illud videam nos à Sancto Petro ablegari. *Christo* inquit, *in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Certè sentio cum Theologis notæ non infirmæ, Christum passione suâ majores ad capessendas virtutes mortalium animis stimulos injecisse quàm si vitam virtutum exemplis instructissimam ad diem usque supremi judicij inter illos traduxisset. Hac in primis Christi patientis cogitatione armabat se, dum ab Arianis impeteretur, egregius Athleta Gregorius Nazianzenus: *Quota tandem pars*, inquit, *est omne quod patior indignitatis illius, quâ Christus, cuius causâ pericula subeuntur, consputus, & colaphis cæsus est?* Idem exemplar Christi tormentis & opprobrijs vexati dum sibi proponit S. Elzearius, futurum ajebat ut barbæ pilos à famulis pedetentim divelli, si Deo collibitum foret, magnâ animi æquitate pateretur: ipse etiam Christus cùm è suis sequaribus nonnullos inter contumelias animo concidere & propemodum labefactari cerneret, eos suorum tormentorum consideratione ad fortiter tolerandum erexit: ita Petro martyri de injusto exilio conquerenti animos addidit; ita P. F. Joanni Peccanio Anglo ex ordine S. Francisci Theologiæ Doctori, & Romæ in palatio Pontificio sacrarum literarum Professori, cùm falsis calumnijs denigratus apud S. Bonaventuram Ordinis Generalem innocentiæ suæ patrocinium non inveniret, & ad Crucifixi pedes querelas deponeret; Christus altâ & intelligibili voce, verba quæ sequuntur, & ad pedes imaginis crucifixi descripta etiamnum leguntur; pronuntiavit, vel eorum saltem sensum.

8. S. Petri consilio.

1. Pet. 4.

Memorabili exemplo Ioannis Peccanij.

Et ego quid demerui pendens inter latrones? *Wadingus.*

in Annal. ad annum 1278. n. 30.

Oravi, nec obtinui carnis petitiones;
Calicem mortis sorbui, Patri placere studui per carnis passiones:
Ergo murmur non exeat, si non fit, quod orasti;
Nec orasse pœniteat, quamvis non impetrasti;
Dum fraudat desiderium, ad maius beneficium datorem obligasti.
Ad me si levas oculum, vides argento vendi,
Tradi quoque per osculum, & durè comprehendi,
Ac alligari funibus, confici verberibus, sine lege parcendi.
Relinquor ab amantibus velut jam desperatus,
Præsentor Pontificibus quasi latro ligatus;
Quos amavi fortiùs, ab illis citiùs sum spretus, & negatus;
Ibi clamor, derisio, severitas minarum,
Et capitis relatio, & ictus maxillarum.
Omnes impunè feriũt & quidquid mihi faciunt videtur esse parum.
Saturatus opprobrijs ducor ad Pilatum,
Renovatis injurijs ruunt in accusatum.
Hinc homicidam liberant, & me cruenter verberant ad mortem judicatum.
Ibi nihil habet veritas, sive jus allegando,
Sed æmula clamositas prævalet insultando:
Nec Præses dat præsidia, nec curam gerit curia de justo liberando,
Quasi vile mancipium dant in Herodis manus;
Mox producor in medium, deludor ut insanus:
Tandem remissus Pontio diræ mortis supplicio condemnor ut prophanus.
Extra muros ejicior, & ipse crucem fero
Matre videnti, spolior vestimentis quæ gero;
Tandem clavis confodior, & in Cruce morior, de vita non despero.
Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre quæris.

Hîc absoluit exhortationem Christus hominemque admiratione simul & quadam animi dulcedine perfusum, & ad plura patienter toleranda animatum deseruit, ac paulò patefacta eius apud suos innocentia ab omni criminis suspicione liberavit. Plenæ sunt similium eventuum historiæ: sed mecum, quanto odio contra omnis carnis illecebras imbuat animum, aspice. Vir nobilis Vallisoleti Patrem Fabrum è primis Ignatij socijs adijt urbanitatis & alicuius salutaris doctrinæ hauriendę gratiâ, petijtque ab illo formulam aliquam precandi, & fructuosæ meditationis materiam: Pater cùm id temporis ad exercitia

Io. Et Civis Vallisoletani.

tia ſpiritus per aliquot dies obeunda hominem parum idoneum cenſeret; quatuor puncta illi meditãda aſſignavit in hunc ferè modum: Chriſtus paupertatem adamavit & coluit, ego verò divitijs abundo: Chriſtus famẽ paſſus eſt, ego verò Satur ſum, & deliciatè me nutrio: Chriſtus nudus in cruce expoſitus fuit: ego verò commodè veſtior: Chriſtus fatigatus fuit, ego verò laboris & laſſitudinis expers ſum. Hæc velut cõmunia non magni tũ fecit vir nobilis, aliquid inter documenta ſpiritus magis reconditum à Patre expectans; ſed ecce cùm aliquot pòſt dies verſatur in opiparo convivio, ita iſtæ antitheſes mentem hominis pupugêre, ut cùm lachrymas & ſingultus continere non poſſet, è convivio diſcedendum illi fuerit, locuſque ſolitarius quærendus, in quo nullo teſte cõcitatis animi affectibus habenas laxaret. O ſi oculorum noſtrorum caliginoſis humoribus illud Paſſionis Chriſti collyrium mederetur, quàm pungeret nos vitæ noſtræ cum Chriſto patiente diſſimilitudo, quantoque nos ſæpè pudore perfunderet! Duo è noſtris in Germaniâ diſcipulis ad pedem ſpeculi, quo ad ſe comendam, ornandámque mater mundi legibus vivens, & hæretica utebatur, affixerunt, rogaruntque illam, ut poſtquam cum ſpeculo ſuo negotium muliebre abſolviſſet, in Chriſtum etiam oculos vellet cum attentione defigere; acquievit, fecitque quod rogabatur, ſed tanto fructu, ut & majorem in veſtibus modeſtiam, & ſimul fidem Catholicam non multò pòſt ſit amplexa. Nihil hîc de Catharina Suevica, nihil de multis alijs dico, quæ ex Chriſti crucifixi aſſidua contemplatione & mundi pompis, & carnis delicijs nuntium remiſêre. Unum tantum attingam, quod Neapòli non ante multos annos contigiſſe memorant annales noſtri: hîc puella nobilis & prædives ab adoleſcente paris nobilitatis in conjugem petebatur, & jam in id conſenſerant utrimque parentes, & pro connubialibus pactis communiter ſtabiliendis in aliquod conclave convenerant; cùm puella in ſuo cubiculo ante pendentem è cruce Chriſtum proſtrata, altioribus cogitationibus agitari cœpit, & divinioribus flammis accendi: Quid, ajebat, quid ago, Jesu fili Dei, & hominum amator? ſiccine dum tu carnem tuam innocentiſſimam tam atrociter tractas, ego voluptates licet in conjugio licitas conſectabor? ſiccine dum tu vulneribus, & ſanguine deformaris; ego formæ excolendæ, ego gemmis & monilibus ornando corpori operam dabo? non fiet. & continuò ſibi comam reſcindit, eâque ad pedes crucifixi appensâ, illam ipſam effi-

11. Pœnitentiæ hæreticæ.

12. Et puellæ Neapolitanæ.

gię manu gerens, è cubiculo egreditur, & ad conclave in quod omnes convenerant, se confert, ibi ad matrem conversa: Non est, inquit, Domina, quod de conjugio meo ulteriùs agatis; ecce sponsus ille meus est, quem elegi, & cujus pedibus crines meos, ut arrhas appendi. Mira hîc inter omnes turbatio, admirantur aliqui, fremunt & indignantur alij: sed tamen penes Christum novumque eius sponsam stetit victoria.

13. Christum nobis amabilem facit eius passio.

Verum est S. Bernardi pronuntiatum, nihil æquè Christum nobis facere amabilem, quàm dũ illum intuemur tanto amore passionis amarissimæ calicem exhaurire. Non potuit Charitas altiùs ascendere, quàm dum pro vilibus mancipijs summæ Majestatis Dominum velut patibularium affixit cruci, nec Deus fortiùs amare, quàm dum comparere voluit inter latrones, *deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur*. S. Trinitas personarũ, hypostaticè milles myriadibus naturarum inter homines se conjunxisset non tantum amoris erga nos, tantæque benevolentiæ dedisset argumentum, quàm dum in cruce, pro peccatoribus vitam ponit. *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Deũ optimum maximum vitam nullo pretio æstimabilem pro homuncione, qui Deo compositus est ad instar arenulæ mundis infinitis comparatæ; sponte & gratis donare, res est, quæ ab intellectu creato ponderari satis non potest, & à sola divina mente pro dignitate æstimari. Rogavit aliquando Cyrus Rex Persarum virum Principem, quem cum conjuge captivum tenebat, quid pro conjugis libertate daturus esset: Vitam, inquit ille. Hanc deinde captivitate exemptam liber etiam maritus rogavit, quid ipsi de Cyri pulchritudine videretur: Ego, inquit, in Cyrum oculos non conjeci; sed in illum qui pro me in libertatem asserenda vitam se daturum est protestatus. Si tantum potuit ad animum mulieris captivæ devinciendum, unica & quidem verbo facta de morte pro ipsius libertate subeunda protestatio; quid non faciet mors ipsa à Deo pro hominibus sceleratis amantissimè obita?

Xenophon in Cyro.

14. Etsi pro omnibus tolerata.

Ne, quæso, mihi dixeris, Deum non pro te solo, sed pro cæteris etiam hominibus mortuum esse: hoc ipso namque majoris erga te benevolentiæ argumentum præbuit: Dic, amabo, si Deus tui dumtaxat gratiâ hominis naturam assumsisset, si pro te solo miranda illa opera, quæ in Euangelistis legimus, patrasset, & si tormenta acerbissima tolerasset: si tamen optionem tibi fecisset, alios in tanti beneficij communionem admitten-

mittendi, an non tu parentes, & amicos, imò & concives in tanti boni Societatem venire voluisses? Prætereà, dum inde vides tibi nihil decedere, si provinciæ, si regna, si mortales omnes eâdem tecum munificentiâ gauderent, miserrimi alioquin futuri, si illâ priventur, an non tu liberatorem tuum rogasses, ut pari tecum gratiâ illos afficeret? Nimis inhumanus, & crudelis esses, si hoc illis denegares: si socius in pœna solatium afferre dicitur, multò magis Societas in beneficio, si nihil inde tibi detrahitur; sed ex boni communicatione nova tibi laudis, & gratulationis materia accedit. Vide, igitur, quantum Deus & te, & simul mortales omnes obstrinxerit, dum tui illorumque causâ tanta perpessus est! Vide an non meritò sanguinem pro sanguine, vitam pro vita reponere debeas: vide an aliunde, quàm ex crucis arâ velut è fornace amoris flammis accensa charitatis ignem petere debeas: cùm hoc sit unicum Christi patientis votum, ut amore eius ardeas, & ad omnes casus pro divinæ gloriæ amplificatione tolerandos tibi te comitem adjungas.

15. Exemplum Principis adimitandi regem comparati

Damascenus in vita Barlaam & Ioasaphat.

Unus è Principibus aulicis apud Regem Abenner de Christi fide susceptâ accusatus erat, quasi de violato regio mandato, & crimine læsæ Majestatis: id quia occultum erat, ut dolo aliquo detegeretur; eum convocat Abenner fingitque se de baptismo Christianisque sacris admittendis cogitationem suscepisse, imò de deponenda dignitate regia, & vitæ, quod supererat, in solitudine inter Monachos transigendo. Valde probavit consilium Regis Princeps aulicus, Regem sincerè & ex mente loqui arbitratus: sed miser in casses incidit: ac illâ suâ approbatione vera esse accusationis capita persuasit: nimirum Christianis sacris se initiatum esse & ad regni successionem aspirare; unde ad illum minacibus oculis Rex conversus, verbis acrioribus castigatum aulâ exulare jussit: ille regiâ simulatione se deceptum & non longè à supremo capitis discrimine abesse animadvertens, ad amicum consilij causâ se confert, reique totius seriem aperit; quo auctore postero die lugubri veste, & cilicio indutus Regem adit, & detonso capite quasi delicijs huius vitæ valere jussis, genu flexo ita illum alloquitur: En me, ô Rex, paratum, id vitæ institutum sequi, quod heri tua Majestas amplecti se velle profitebatur: dulcia quidem sunt blandimenta voluptatum, sed absit, ut illis abs te abdicatis, eorum ego illecebris rerineri me sinam: si annuis, tecum ego inter solitudinis horrores & vivam & moriar, atque uti voluptatum, ita etiam pœnitentiæ & au-

austeritatum socius ero. Permovit Regis animum tam humilis prostrati species, & oratio, & non tantùm omnem de affectato regno suspicionem detersit, sed eum penitus sibi reconciliavit, qui proinde in amplexus ruens majoriqúe quàm priùs benevolentiâ complexus, illum inter amicos primum habuit, & amplioribus honoribus deinceps auxit.

16. Quanti pretij apud Christum sui imitatio.

O quàm lubens videt Christus illos homines, qui in medijs tormentorum acerbitatibus constanter ipsi adhærent, qui crucis brachium sustinent, amplexantur, osculantur, & omnibus mundi opibus & delicijs anteponunt! ô quot in similes gratiarum cumulos exaggerat? Dixit aliquando S. Gertrudi, se benignis oculis illos intueri, qui se cruce pendentem vel unico aspectu per transennam amicè dignantur; quantis ergo illos locupletabit beneficijs, qui amore ipsius accensi in partem cruciatuum venire volunt, & unà cum ipso in cruce suffigi?

Respha concubina Saülis, à Rege Davide, & populo laudibus & bene dictionibus effertur, quòd sub patibulis, in quibus pendebant filij, multis diebus, nullis temporum injurijs fracta ac debilitata permanserit: pari modo qui ad pedem crucis Christi prementibus hinc inde rebus adversis perseveraverit, dubio procul cælestibus beneficijs redundabit.

Ad vulnera penduli Jesu tanquam ad salutarem maceriam cõvolans sponsa Christi, velut columbæ, ut à milui infestationibus se tueantur in his munitiunculis delitescentes, omnia mundi conuicia, & ludibria derident; imò, quia per illa sponso similiores evadunt, eiusque benevolentiam amoremque sibi conciliant, eorum multiplicatis incursibus & vexationibus impensè delectantur; ut sequenti capite patebit.

CAPUT XVII.

Rebus adversis ad sancti Amoris consecutionem gradum fieri.

COnquestus est aliquando apud S. Patrem Ignatium Barcinonensis iuvenis, qui illo utebatur familiariter, quòd cùm ipse multos suis institutis ad virtutum perfectionem efformaret, ipse relinqueretur in postremis. Respondit S. Pater ipsius in moribus profectum verè sibi cordi esse; sed diversam ab alijs viam à divina Providentia ipsi destinatam; jungendum enim ipsum matrimonio, & magnis rerum familiarium tempestatibus jactandum, & tandem ad desideratum æternæ felicitatis portum appul-

1. Variæ ad virtutem viæ.

furum.

surum. Non est ergo quòd ij, qui nec meditationibus, nec contemplationibus se idoneos experiuntur, despondere debeant animo; alias habet vias Deus; fortassis illi juvandis pauperibus; fortassis animarũ ardenti zelo, fortasse cordis sectandâ munditie, & vitæ innocentiâ ad amoris perfecti culmen suo tempore, licet ignoranter, evadent. Est virtutum omnium domicilium ad instar Regiæ in montis cacumine sitæ, ad quam multis semitis ascenditur: duas ego de multis demonstratum eo, unam afflictionum, humilitatis alteram.

1. Adversarum utilitas.

Res adversas triplicem nobis fructum adferre existimabat B. Franciscus Borgia, Primò à rerum creatarum vinculis expedire animum. 2. Cum Deo magis conjungere. 3. Eiusdem civitatis aut Religionis membra arctiùs inter se connectere: ac quemadmodum, ut arbor altiùs se attollat, rami terræ viciniores resecanter, atque ut granum separetur à palea, flagellorum ictus multiplicantur; nec ex raremis vinum exprimitur, nisi sub torculari conculcati gemant; ita tribulatio rerum caducarum nexus rescindit, & honorum, opumque vana desideria, ut paleas excutit, ac denique divini amoris musto animos reficit, & & quod in sacrificium Deo offeratur subministrat.

3. Exempla.

Wenceslaus Bohemiæ Rex cùm adversâ belli fortunâ perdito exercitu ipse in hostium devenisset potestatem, rogareturque, quo animo esset: Nunquam meliori, respondit; se inter prospera vix unquam Dei meminisse, nunc verò ante oculos sibi propè continuò versari,

Wadingus in Annal. ad annum 1288.

B. Ludovicus ex ordine Minorum filius Caroli Siciliæ Regis, obses pro Patris libertate Alphonso Aragonum Regi datus septennium hæsit in carcere, quem scholam virtutis, & felicitatis humanæ Lydium Lapidem, & divini amoris scalam est expertus. Rogatus enim aliquando unde illi tanta æquabilitas animi, tanta firmitas, atque constantia; respondit, amicis Dei plus prodesse adversa, quàm prospera; tunc Deo nos subditos esse, cùm adversis urgemur, secundis rebus mentem extolli, & abripi, ut de Deo non cogites, illumque parum reverearis: carcere deinde liberatus, illud Prophetæ cecinit: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala*: additque nolle se cum totius mundi opibus carcerem fuisse commutatum; potiùs se illum repetiturum, in cuius gymnasio tantum profeciſſet. Ordini sancti Francisci nomen dedit, & Sanctorum numerum postèa auxit.

Snatocopius Moravorum Rex ab

ab Arnulpho Imperatore bello victus, & veste mutatâ profugus, cùm per sylvas pererrans tres Eremi incolas viros Religiosos offendisset, ijs se comitè ignotus junxit, ac in eodem vitæ instituto ad mortem usque perseveravit, atque ante obitum, quis esset aperuit, dicens; se totis illis quatuordecim, quibus ipsis convixerat annis, plus tranquillitatis & amoris in Deum persensisse, quàm dum omnibus delicijs in regia dignitate potiretur.

Seneas Sylvius, in sua historia.

4. Tribulatio maximam nullam pati tribulationem. Cap. 59.

Philippus Nerius nullam majorem & nocentiorem homini tribulationem esse ajebat, quàm omni tribulatione carere. Pater Balthazar Alvarez vir sanctissimus, & rerum divinarum experientissimus dum res adversæ hominem exercent, tum demum illum cognoscere ait quàm fallaces sint res humanæ, & dum terga vertunt & nos deserunt, tum monere ne illis affectu conglutinemur, sed ad illud incommutabile bonum amando aspiremus: cùm tempus omne, S. Augustino teste, miserè pereat, quod amori tanti boni non impenditur.

Epist. 14.

Vidit hunc in calamitatibus reconditum fructum S. Chrysostomus, qui Olympiadi scribens, ita loquitur: Quis tandem ærumnas illas, quæ mihi in via perferendæ fuerunt, oratione cõplecti queat, quas quotidie memori animo circumferens exsilio gaudio, & quasi voluptatis pennis jelatus volito, ingentem in illis thesaurum absconditum raperiens.

5. Adversitates sunt scopæ.

Tertullianus postquam dixit calamitates esse velut scopas, quibus domus Dei purgatur, & ad instar scalæ Jacob, quâ ascenditur fructuosè, & descenditur, ut tandem ostendat eius auctorem esse, non dæmonem, sed Deum, hæc addit: *Quando Deus magis creditur, nisi cum Ecclesia in attonito est? tunc & fides in expeditione solicitior, & disciplinatior in jejunijs, in stationibus & orationibus, & humilitate, in alterutra diligentia*, in dilectione, *in sanctitate, & sobrietate: non enim vacatur nisi timori, & spei: adeò ex hoc ipso ostenditur nobis, non posse diabolo deputari eam, quæ meliores efficit Dei servos.*

Lib. de fuga in persecut.

6. In ijs homo maxime ad Deum recurrat.

Rectè à S. Bonaventura pronuntiatum, mortales ad Deum tribus maximè occasionibus accedere; cùm fluminis aquarum exundatio ultimam Urbi perniciem minatur; dum vehementius incendium jam domum invasit; dum apertis jam muris hostis est in procinctu ad assultũ. Si homines sceleribus obrutos dum in mari tempestate bacchante mortem ante oculos vident, votis omnibus pro salute Deum solicitare, experientia nos docet; quid non faciet simi-

lis

millis eventus in animis ad virtutem amoremque Dei bene disposítis ?

Dum aliquis altiori sopore depressus, vocantis vocem non intelligit, eum verbere percutimus, ut evigilet; ita Deus torpentes animos rerumque fugientium delicijs immersos flagellis ad amorem divinum capessendum excitat.

7. Pineda in Joab. Optabat Absalon, ut Joab pro reditu in aulam regiam, & admissione ad aspectus paternos apud Davidem intercederet, iteratos ad illum nuncios ut veniret, simulque ea de re tractarent, miserat; sed surdo canebat: jubet ergo Absalon in messem Joabi à famulis suis ignem immitti. Ad hoc facinus, damnumque commotior Ioab, ad Absalonem accurrit deque famulorum audacia, jacturaque indignabundus expostulat: ubi fraudem amici intellexit, Patrem filio reconciliat. Ita cùm ad vocem divinam obsurdescimus, infortunio aliquo à Deo immisso ad majorem cum ipso familiaritatem, & firmiorem in amore sancto constantiam provocamur.

8. & Gerico. S. Arnulphus necessitudine conjunctu erat cum Gerico homine improbo, quem cùm verbis ad meliorem frugem revocare non potest, Deo supplicat, ut flagellis id agat: exauditur: mors continuò liberos homini rapit, ipse Gericus lethali morbo correptus lecto affigitur: qui dum mortem æternumque exitium videt in foribus, sapere incipit, seque jubet ad S. Arnulphum Episcopum Suessionem deferri, à quo magnâ benevolentiâ exceptus, vitæque prioris vitia detestatus cum bona mente sanitatem recuperat, & amori divino seriò studens fidem liberat. Tunde silicem & ignem elicies; duras mentes dum Deus tundit, flammas divini amoris excitat, quas beneficijs suis prosperisque rebus impetrare non potujt. S. Simeon Salus cùm puellas complures à meretricio quæstu ad meliores mores traduxisset, ne redirent ad vomitum, illis ægritudines & ærumnas à Deo procurabat; sæpè etiam rogabat, si aliâ viâ non proficerent, ut à dæmone possiderentur; ita scilicet rosas amoris, quas eorum in cordibus plantare cœperat, spinis armandas & conservandas vir sapiens existimabat. Miratus sum aliquando à S. Hieronymo dæmonem Dei Quæstionarium appellari, & à S. Chrysostomo Pædagogum; sed dum video homines vitijs obsitos, & rebus prosperis insolescentes, illi torquendos & castigandos à Deo tradi, ut sic tandem bene & sanctè amare discant, censui meritò istis nominibus esse appellatos. Expulerat dæmonē S. Dominicus è Matronâ, cuius corpus longo tempo-

9. Dæmon cur Pædagogus dicatur.

In Psal. 107. Hom. 5. in Ep. 1. Cor.

re insiderat, & vexarat ; deinde verò cùm in eandem urbem aliquando revertisset, matronam deprehendit ab ista dæmonis vexatione liberam in amore divino torpescere ; hoc illum malè habuit; communicatoq́, cum fœmina consilio statuerunt ambo Deũ rogare ut dæmonem in antiquum domicilium remitteret, ad Deum impensiùs amandum pro stimulo futurum: quod factum non sine divini amoris incremento. Ita homines luto vitiorum ut jumenta immersi, iteratis verberibus, ut sese expediant, compelluntur, & pigris ac restitantibus ad currendum calcar additur.

10. Res adversæ maximè juvant justos.

Jam verò si res adversæ vitiosis hominibus ad divinæ dilectionis flammas in illis excitandas, ita sint salutares ; quis dubitet, si illæ in viros virtute præditos incurrant, quin in eorum animis majores divini amoris ignes accendant: *Legi apud quemdam sapientem*, ait S. Bernardus, *Non est vir fortis cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate: ego autem dico magis inter flagella fidendum* : quidni addamus, magis amandum? in tribulatione, ait Regius vates, dilatasti mihi, nempe sinum cordis, ut capacius esset ad ærumnas simul & flammas amoris divini recipiendas. Justorum proprium est, imitari palmam, quoque magis calamitatibus premitur, eò altiùs & animosiùs versus cælum pennis amoris elevari.

De consid. ad Eugenium.

11. Ut S. Gregorium.

Gregorius Magnus morbis assiduò conflictatus, & Imperatorum Regumque pressus oppositionibus, ac in sanctam sedem malevolentiâ, quò magis rerum adversarum inundabant maria, eò ipse (ut arcam Noë crescentibus aquis propiùs ad cœli convexa ascendisse legimus) etiam cælo vicinior, totulque amoris flammis inardescens, promovebat impensiùs divinam gloriam, quam plerique alij ventis secundis velificantes, facere potuissent.

12. S. Ignatium.

S. Patrem Ignatium virium imbecillitas, & ægritudines variæ lectulo sæpius affigebant, cùm ad has corporis afflictiones aliqua contra Societatem tempestas accedebat, tum velut oleum flammæ infusione, ita novâ illâ calamitate amor eius in Deum magis accensus, erigebat illum è lectulo, & quocumque poscceret Dei gloria, anhelantem rapiebat.

13. S. Theresiam.

S. Theresiam, dum ærumnis & persecutionibus nõimpetitur, adinstar lampadis emorientis fuisse memorant: cùm istæ irruunt, licet corpus pateretur, animus velut in regno suo supremus dominator omnia illa ad instar puerorum terriculamenta despiciebat. Evigilabat scilicet tum amor divinus ut ventis insurgentibus sopitus ignis solet accendi.

14. Descendamus nunc propiùs ad varia

Bonorum jacturahominem reddit ad amorem Dei expeditum.

varia ærumnarum genera, & an non amori divino augendo potiùs, quàm minuendo deserviant videamus. Occurrit in primis bonorum jactura, quæ tantum abest, ut mentem hominis ab amando numine retardet, quin potiùs ut eam ab amoris proprij captivitate ex parte liberet, amoris sancti impedimenta subvertit: divitias enim dictas putat S. Ambrosius, quòd cor dividant, & ut aurum, argentumque è terrâ eruuntur, ita mortalium animos ad terram incurvant, & agglutinant. Pecunia verè nervus belli, non tantùm illius quod inter Reges & Respublicas geritur, sed etiam alterius, quod amori proprio, cum amore divino inde à mundi incunabulis grave & periculosum perpetuò fuit, nullo tempore, nisi alterius extinctione finiendum: ubi enim opes tanquam auxiliares copiæ amori proprio subsidio veniunt, tum gulæ, lenociniæ, voluptates sensuum, & ambitio contra virtutes potentiùs insurgunt.

16. Patet ex doctrina Christi.

Hinc Christus, dum militem suum instruit, primũ victoriæ momentum in horum profligatione & exspoliatione constituit: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes*: nec multinterũest, ut notat S. Chrysostomus, si tu illa in pauperes distribuas, aut si Deo ita permittente igne aut inundatione, aut latronũ hostiumvè depræ-

dationibus tibi pereant, & tu divinæ voluntati hac in parte consentias: *Non enim*, inquit, *tantum opes, quas eleemosynæ nomine dispendimus, transferuntur in cælum, sed etiam quascumque hostes fidei piorumq; persecutores rapiunt, alibi thesauri erunt: est enim hoc non minus quàm illud.*

17. Et memorabili historia.

Historiam admirabilem, quâ auri contemptus, & privationem, longè apud Deum plus demereri gratiæ quàm bonum illius usum, docemur, ex antiquis Græcorum menæis petitam proferamus in medium. Duo fratres rebus & spebus humanis abjectis, se intra cœnobium abdiderant, ubi triennio exacto cum facultate Prælati in silvam haud procul à Babylone secesserunt, specusque illic repertas non admodum inter se disjunctas ingressi illic herbis & glandibus victitare cœperunt: festis tantùm diebus simul conveniebant, alijs diebus etiam dum herbas ad victum quærebant; seorsum uterque abibat in diversa, ut alter ab altero semper unum aut alterũ milliare distaret: Comes illis & consolator adesse solebat Angelus: accidit verò ut dum seorsim ita incedunt, alter alterum uno à se stadio remotum videret subsistentem, ac deinde facto signa crucis locum illum ingenti saltu traijcientem ac si laqueum transiliret: miratus alter saltum & fugam fratris,

Raderus 2. p. Virid. c. 5. ex Papatrico.

lastrandi loci caussâ progressus videre voluit, quid accidisset fratri: venit & invenit ingentem auri acervum, fusisque ad Deum precibus, exutum pallium auro implevit, & vix oneri ferendo par, magno labore illud in speluncam suam intulit: inde in urbem profectus, Monasterium, ac Hospitale erexit, dotavit; ac reliqua in pauperes distribuit, ne denariolum quidem in usum suum retinens: re, ut putabat, præclarè gestâ, gloriabundus, & fratrem nimiæ simplicitatis hominem apud se reputans, qui tali occasione ad Dei gloriam uti nescijsset, redibat ad cellulam, cùm Angelum obvium habuit, qui atroci vultu illum intuens dixit; fratrem eius plus auri contemptu fugaque apud Deum collegisse gratiæ & præmij, quàm ipse Hospitalis & Monasterij molitione, cæterisque largitionibus esset consecutus: ac quia superciliosè fratrem ut simplicem despexerat, fratris deinceps conspectu, suoque privatum iri: exorato tandem multis precibus & lachrymis Angeli post septem dies reditu, jussus est ab illo columnam prope Edessam ascendere, in qua post pœnitentiam quadraginta novem annis severissimè exactam & terribilia cum dæmonibus certamina Angeli iterum conspectu recreatus, & de fratris in cœlo beatitate certior factus, cui paullò pòst comes futurus erat, diem supremum, totius historiæ serie priùs Episcopo patefactâ, fæliciter obijt.

Hinc quæso mecum perpende an non opum jactura, & contemptio, quocumque demum casu illa eveniat, & generosum animi tum temporis in sinum divinæ providentiæ perfugium, plus tibi conferat ad divini amoris incrementum, quàm si opibus circumfluens eas in egenos aut nosocomiorum fabricas aut alia pietatis opera liberaliter effunderes.

17. Et mors amicorũ.

Sed veniamus ad alterum calamitatum genus, quod in amicorum aut necessariorum, aut alicuius à quo animi nostri potissima pendent negotia, amissione consistit: dic quæso mihi quisquis ad similes casus plus æquo angeris, & interdum tristitiâ velut decumano aliquo fluctu demergeris, an non ille, quo te orbatum ita deploras, aliquid de amore tuo suffuratus erat, quod melius in Dei dilectione collocasses? an non ex illo pretioso cordis tui balsamo deperdebantur aliquæ guttulæ, quarum flamma sursum ascendere debuisset? Certè si Christum audimus Apostolis dicentem: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet*, quasi nimia eorum erga Magistrum eiusque præsentiam agglutinatio, Spiritus sancti in illos liberalitatem & munificentiam retardaret; an non putas sæpiùs inter mortalium amicorum

corum nimis affectatas & delicatas, & si varijs obtectas prætextibus amicitias idem accidere? Nec mihi dixeris, eum te lugere, cuius tu consilijs ad amoris sancti salutisque negotium utebaris unicè, & à quo omnes animi tui rationes, omneque virtutum studium, & omnia conscientiæ arcana pendebant. An ergo tu illum tibi necessarium fuisse arbitraris? reputasset se inter Deo exosos & reprobos, Philippus Nerius, si alicui ad iter salutis capessendum, animæque negotia necessarium se esse fuisset arbitratus; si tu hominis mortalis consilio ideò uteris, quia illum tibi à Deo donatum putas, permitte ut quod dedit, auferat, seque eius loco substituat, & audi illum tibi dicentem quod olim conjugi suæ Eleana; se nimirum meliorem, utilioremque tibi esse quàm decem homines similes illi, quem tantopere amissum luges. Interim credo te de illis captivis unum, qui vincula sua non sentiunt, & de te tuique similibus agere S. Augustinum, dum dicit: *Plerumque cùm adsunt mutabilia bona, putamus quòd ea non diligamus, sed cùm abesse cœperint, invenimus qui sumus: hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit*, non verò è contrà.

Lib. de relig. cap. 19.

18. Et Corporis incommoda.

Tertium ærumnarum genus, quod corpus affligit, quales sunt morbi, fames & sitis & nuditas, si in præparatum animum cadunt, quanta secum adferunt ad amoris divini consecutionem adjumenta? Corpus nostrum suis abundat lenocinijs, & fraudibus, & mirum quantum suorum commodorum cupiditate assiduóque studio suffuretur; patronus est suorum necessitatum fraudulentus, & cum animi Domini sui detrimento causam propriam agit, seipsum in omnibus quærit, & rerum pereuntium bullis ad instar desipientis pueri consectandis tempus miserè consumit, atque in eandem amentiam animum secum trahit; denique velis, remisque & cæco quodam impetu in omne quod sensibus blanditur, continuò rapitur: quantum homini tum accedit boni, cùm Deus tam pernicioso famulo, morbi alicuius compedes injicit; tum licet illi conscientiæ arcana diligentiùs excutere, & temporis rerumque meliorum jacturam propiùs intueri, & alas reficere, quibus in sponsi cælestis amorisque divini sinum faciliùs evolet: tum ut aliquando S. Gertrudi indicavit Deus, cum homine agit familiariùs, juxta illud Prophetæ; *cum ipso sum in tribulatione*; cum enim homo per res creatas vagatur desultoriè, nec sponsi vocem quietus audire vult, tum ab illo sistitur & in lectulum deijcitur ut per otium monitionibus amantis aures præbeat: vulgus

quidem istas divini amoris artes non attendit, & ad Sanctos, ut morbo levetur, accurrit; at qui virtuti student, patientiam postulant, non levationem; qui verò ad perfectionem charitatis aspirant, ad illos excipiendos, ut de cælo missa munuscula sinum aperiunt, Deoque gratias agunt impensiùs.

19. Patientia Alphonsi Rodriguez in morbis.

Horum de numero Alphonsus Rodriguez Societatis nostræ Coadjutor fuit; virtutum omnium perfectissimum exemplar, qui statim à primo tyrocinij ingressu cruces, morbos & copiosam patiendi segetem à Deo postulavit instantiùs & totis quadraginta septem annis, quos in Majoricensi Collegio transegit, voti compos à dæmonibus, morbisque mirum in modum exercitus insignis patientiæ palmam tulit, & posteris spectabile trophæum erexit: ultimo vitæ anno præter cætera acutissimis calculi doloribus discruciatus, ita ut in unum dumtaxat latus posset decumbere, admirabilem in ijs tolerandis constantiam ostendit. Non ille quærebat dolorum lenimenta, non rogabat Deum ut illos vel tolleret vel mitigaret: sed ut augeret: omnis eius sermo, & quidem magnâ animi vultusque serenitate permistus, erat de magna fælicitate in ipsis morborum acerbitatibus abscondita: eos quos malis ingentibus exercebat Deus, inter mortales esse præ cæteris beatos: Deum, quòd illa in donis præcipuis reponat, in Filium suum ea plenâ manu profudisse: si in beatos spiritus cadere posset invidia, mortalium sortem, qui plura pro Deo patiuntur, velut invidendam summo ambitu petituros: fecerat illum in hac patiendi materia, quam amabat unicè, amor divinus eloquentissimum: sed ad quem charitatis gradum hâc viâ conscendisset credimus? nihil dicam de amore in corpus exundante, cui nisi modũ adhibuisset, ardore suo cor suffocans vitam illi ademisset: nihil de eius colloquijs amoris ignem spirantibus: nihil de charitatis operibus, quibus ita Christo gratificabatur, ut sub hominis specie Christus illi eorum materiam daret: nihil de oratione inter tot dolores eminentissimâ, quam diu noctuque frequentabat, & vix unquam à Dei præsentis interiore cõspectu abducebatur: nihil etiam dico de charitate erga proximum incredibili, quâ se pro vilissimi Mauri salute ad æterna inferorum incendia toleranda Deo lubens volensque offerebat. quod ita supremo numini acceptum fuit, ut Deus ostensâ illi secundò mortalium tum in terris degentiũ multitudine dixerit, ob preces, quas pro illis fundebat ardentissimas non minori mercede donandũ, quàm si

20. Ob eorum fructus.

21. Eiusdem charitas in proximum.

si omnes ad fidem æternamque beatitudinem adduxisset : ipsum verò morborum doloribus & charitatis igne in hac vita purgatum rectà à morte in cœlum evolaturum : Ita pro mensura cruciatuum divinus in illo amor accreverat, ita in Deum Deique voluntatem transformaverat, ut qui illo quadraginta annis familiariter usi sunt, nihil adverterint; imò ita sua egisse, ut perfectiùs fieri posse non crederent, nec si mortales omnes, aut inferi contra ipsum conjurassent, effecturos fuisse, ut quod erat perfectius, aut magis è Dei gloria, non faceret: elegisset, que potiùs in frusta dividi, quàm minimam Societatis & instituti nostri regulam quocumque prætextu violasset : ita Rector eius, ita alij, & miracula ipsa ante & post obitum patrata testantur, alimenta amori divino præbuêre morbi, & morbos patienter toleratos amor ipse divinus beatâ deinde æternitate coronavit.

22. Tentationum utilitas.

Quartum afflictionum genus, quod tentationes, ariditates, desolationes secum trahit, duriùs malis extrinsecùs animum Dei amantem exercet; sed etiam citiùs ad amoris culmen evehit, si in illis homo generosè, constanter, & humiliter divinæ providentiæ nutum, ductumque persequatur. Tentavit Deus Abrahamum, ut Scriptura sacra loquitur, dum unigenitum filium Isaac paternâ manu jugulatum in sacrificium offerri mandavit: sed dum duo amores, Dei scilicet, & filij, triduò inter se fortiter confligunt, amorque divinus victor evadit, majora tum ille sumpsit pauculis diebus incrementa quàm toto vitæ decursu fecerat.

Seraphinus Firmianus in vita B. Margaretæ Ravennatis jussu Pontificis Pauli tertij à Cardinali Sarmonetta examinata narrat rogatam aliquando obamico dictam Beatam, ut à quotidiana cum impuris cogitationibus lucta tandem aliquando ipsius precibus liberaretur; ipsa consulto per orationem Deo hortata est hominem, ut fortiter faceret, pugnam potiùs quàm ab armis & impugnatione cessationem amaret, conflictus illos assiduos & virtutum incrementa, & insignem in cælo lauream allaturos: surdo canebat scilicet: ille enim pusillanimitate dejectus sibique diffidens perstitit in rogandâ à prælijs immunitate: tum illa, Quandoquidem, inquit, de victoriâ desperas, quæ tamen ad manum tibi est, si gratiæ divinæ subsidium imploraveris, ecce compos voti tui eris, sed etiam coronâ illâ privaberis, quæ pugnanti & vincenti ab agonotheta erat præparata.

23. Petris Fabri de aridita-tibus judicium.

P. Petrus Faber vir divinarum rerum experientissimus, solebat dicere, istas mentis ariditates, & Dei

Dei velut absentiam, non in postremis beneficijs reponenda: tum enim approbari vetus Sanctorum Patrum pronuntiatum; hominem istâ velut gratiæ elongatione mirum in modum erudiri, aque inter cætera, tum sibi vim facere, ut cum exigua gratię portione, quam Deus impertit, Deum ipsum inveniat, quo conatu non parum in virtutũ stadio promovet: ut enim qui in literis formandis tyrociniũ ponit, plus proficit dum solus ipse magno labore & contentione literas utcumque permistis hinc inde lituris efformat, quàm dum Magistro manum eius ducente eleganter, & nullo propemodum studio eas depingit: ita fit dum in virtutum exercitatione, gratiâ quodammodo destituti supremos conatus adhibemus. Si Parens uni liberorum suorum iter demandat, facile, amœnum, & cœlo sereno obeundum; alteri verò asperum, & saxis horridum, & periculis à latronibus & belluis infestum, ubi uterque peracto itinere domum redit, an non ille majorem apud Parentem init gratiam qui ut illi gratificaretur plus laboris exhausit? idem esto in nostro casu judicium.

24. Simile.

CAPUT XVIII.

Quomodo per Humilitatis studium progressus fiat ad amorem.

1. Qui ad amorem contendit, demisse de se sentiat.

HOc caput ultimo loco tractandum assumpsi, ut nullus sit ab amoris divini studio ac prosecutione excusationi locus: si enim te nihil esse mihi dicis, nihil posse, marmore te frigidiorem, pumice ficciorem, pulverem te esse ac cinerem, & vel unicâ amoris divini scintillâ indignum: si coram Deo totaque curia cælesti talem te judicas; si præterea in publico omnium mortalium cætu te talem agnoscere, accusare & condemnare paratus es: si vis optasque ut omnes suum judicium tuæ sententiæ conforment, & talem te verè esse existiment, qualem te profiteris, adeóque te despiciant, contemnant, fugiant, hominumque commercio indignum judicent: cùm tu teipsum tanquam sterquilinium cælo indignum, ubi omnia sunt munda; & tam frigidum ac proinde arcendum ab illo loco, ubi amore flagrant universi; sed ne dignum quidem, qui sis membrum Ecclesiæ militantis, quæ sponsa est amoris, nec qui sanguine Christi redemptus sis, qui in cruce ex amantissimo corde lanceâ

lanceâ confosso filios amoris progenuit; imò qui ne quidem dignus sis eorum pedes & vestigia deosculari, qui sub vexillo charitatis stipendia faciunt, seque amoris divini imperio devoverunt.

Postquam hæc omnia verissima esse senseris, & dixeris, & tamen comparata tuis, quas experientia te docuit, miserijs longè ab illis superari judicaveris, & hæc omnia sole clariora esse, & qui aliter de te loquuntur, & sentiunt, decipi & cæcutire pronuntiaveris. Si deinde ubi contemptus & opprobria catervatim irruerint, immotus peemanseris, si te pro meritis tractari, & si homines tuas sordes nossent, contemptibiliùs tecum acturos professus fueris: si contemptores in amicorum tuorum numerum adlegeris, si pro illis oraveris & loco & tempore tanquam pro gratia gratiam rependere studueris.

Postquam eò te verissima tui cognitio redegerit, factusque fueris velut vas perditum, & ad inferos usq; depressum; tum demum veritatis amator Christus te complectetur, & sanctissimis amoris sui ignibus accendet.

2. Ita Dei benevolentiam sibi conciliavit S. Petrus.

S. Gertrudem aliquando memoria peccatorum tanto pudore suffudit, ut sibi exosa se conspectu divino indignissimam judicaret, optaretque aliquod nanciscij latibulum, quo turpitudinem suam obsconderet, & quod divinis non poterat, humanis saltem oculis & naribus tantum fœtorem subduceret. Quid ageret hîc Christus? continuò tantâ benevolentiâ ad eam se demisit, ut præ admiratione tota cælestis curia à tanta demissione illum dehortari velle videretur: quibus Christus dixit: Sinite; continere enim me non possum, quin me totum ei impertiar, quæ tanta sui dejectione cor meum ad se pellexit.

3. Faciendũ judicarunt Sancti Patres.

Hanc bonorum copiam à profundâ animi demissione promanantem probè cognoverunt viri sanctimoniâ præstantes, eamque propterea in amoris divini consecutione primas tenere sunt arbitrati. *Profectus anima, profectus humilitatis est*, ait S. Basilius. Ab hac fondamentum ædificij jaciendum esse, quod in amoris divini sublimitatem assurgit, seriò monet S. Bernardus, *Bonus fundus est humilitas, in qua omne ædificium spirituale crescit in templum sanctum Domino.* & dum suos cum Christo in cœlum conscendente ad pares ad excelsa virtutum capessenda conatus hortatur; *per humilitatem*, inquit, *ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via, & non alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit.* & rationem huius egregiâ similitudine explicat Cæsarius: *Sicut de terreno fonte, & de corporali fluvio*

Serm. 1. Exercit.

De consid. 2.

Serm. 2. de ascens.

Hom. 30.

non potest quis bibere, nisi voluerit se inclinare, ita de vivo fonte Christi, & Sancti spiritus fluvio, nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit; propter illud quod scriptum est: Deus superbis resistit: scilicet humilitas est, quæ nobis apud Deum gratiam, pretiumque conciliat: *tantò enim anima quæque fit pretiosior ante oculos Dei,* ait S. Gregorius, *quantò præ amore despectior fuerit ante oculos suos.* Hoc ipsum duabus rationibus stabilire nititur S. Bonaventura; primò, quia quò aliquis humilior est, eà ab omni vento superbiæ inanior est & ad excipiendas charitatis opes capacior: deinde quia Christo Domino, qui summè gratiosus apud Patrem fuit, similior est. Verumenimverò, ut jam dictis aliquid lucis accedat, videamus, quid sit humilitas, atque ex eius majori notitia, quantum ad amoris divini opes comparandas momenti adferat, discutiamus. Huius virtutis proprium esse docet Angelicus Doctor hominem in suo, gradu continere, illumq; Deo subijcere, & homini propter Deũ. Bernardo verò Humilitas est virtus, qua homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit. Bonaventura sui vilipensionem esse existimat, ex suæ fragilitatis conditionisque humanæ consideratione manantem. Climacus verò, ubi à SS. Patribus varias congessit descriptiones, quorum alius humilitatem dicebat esse intentissimam rectè factorum oblivionem, alius imbecillitatis, infirmitatisque propriæ cognitionem; alius contriti animi sensum, & voluntatis propriæ abnegationem; tandem suam addit dicens: Humilitas est animæ gratia sine nomine, apud solos illos nomen habens, qui illius experimentum ceperunt. Huius verò temporis Theologos si audimus, Humilitas est virtus inclinans ad nostram vilitatem signis vel factis profitendam, sive signis id exterioribus & interioribus coram Deo, & hominibus, sive verbis & actionibus id agat, sive contemptus & opprobriorum tranquillâ susceptione id profiteatur, omniaque ut suæ vilitati convenientia æquabili animi vultuque compositione intueatur & amplectatur: semper enim hæc vilitatem, quam ex se habet, & omne quod illi congruit, habet ante oculos, atque in illud undequaque proveniat, fertur propensissimè: ex quibus efficitur, ut Deus summæ veritatis amator, ubi animam pari ardore veritatis succensum intuetur, atque in illo demissionis gradu firmiter subsistentem, eam amplexetur amantissimè, suisque donis locupletet: Sol res omnes sibi expositas pro suis quasque dispositionibus luce & calore perfundit astraque pariter virtutes suas sub-

Lib 28. cap. 20.

In 9. Luc. cap. 2.

2.2.q. 161. a. 1. ad 5.

De gradibus Humilit.

Lib. 2. de Prof. c. 29.

Gradus 3.

4. Ita Scholastici docent.

5. Simile

luna-

lunaribus pro ſitu, gradu, ordine diverſimodè impertiunt. Ita Deus optimus in animam humilem ſe expandit: unus obex eſt munificentiæ divinæ ſuperbia, quem humilitas diſſipat: proprium eſt Dei, creare de nihilo, nihil in natura vacuum permittere, amare veritatem: cumque hæc omnia in homine verè humili reperiat, quid miramur ſi illum impensè diligat, gratijſque ſuis copiosè exornet?

5. Simile. Quod hac comparatione illuſtrare & explicare ſolebat S. Ægidius: Quemadmodum Rex aliquis ſapiens & potens, filiam primogenitam, quam unicè diligit, dum ſolemni pompâ in urbem aliquam ingreſſum adornat, non imponit equo ferocienti, ſed manſueto & tractabili; ita Deus Gratiam primogenitam in virtutibus, dum in animam ingredi & pro dignitate coli ac haberi vult, illam Humilitati velut manſueti jumenti dorſo inſidere vult, ac perpetuò ſibi comitem retinere.

Hinc eſt quòd de Sanctorum numero neminem gratijs doniſq; prędituũ cęleſtibus reperies, in qua profunda humilitas domicilium non fixerit. Et quamvis in veteri teſtamento rariora ſint huius virtutis veſtigia, cùm tamen propiùs inſpicimus, eos videmus qui maximè apud Deum gratiâ & beneficijs floruerunt, egregia etiam humilitatis exempla poſteritati reliquiſſe. Quàm egregiæ iſtæ voces Davidis, dum contumelioſis verbis à Michol impetitur: *Vilior fiam pluſquam factus ſum.* quàm ejuſdem generoſa humilitas inter Semei lapidationem & opprobria! His ſcilicet gradibus amoris divini ſupremos honores egregius Propheta ſternebat viam; Chriſto verò incarnationem ſuam adornante ecce præcurrit humilitatis prodigium Baptiſta, quem mox ſubſecutus Chriſtus ita virtutem illam coluit, ita in ſe alijſque adamavit, ut Paulinus audeat dicere, Humilem corde, cor Chriſti eſſe: & meritò: Chriſtus enim ita virtutem illam extulit, ut illam natalitia ſua prævertere, ac deinde ſubſequi totumque vitæ decurſum comitari & deinde tragico exitu concludere voluerit admirando mortalibus relicto humilitatis exemplo. Paullò antequam naſceretur parentes eius non ſine contemptu, diverſorijs excluduntur, & relegantur in ſtabulum velut à divina Providentia eius nativitati deſtinatum; ibi inter animalia præſepe pro cunis eligit; à Rege deinde ſuperbo, invidioſo & crudeli ad necem petitus, fugâ, ut impotens, clãcularià clabitur; in humili poſtea opificio florem ætatis terit; atque ubi deinde in animarum ſalutem concionando incumbit, tantam propè opprobriorum, quantam animarum meſſem colligit,

6 Humilis corde eſt cor Chriſti.

Epiſt. 2. ad Severum.

Ex virtus quantum à Chriſto deamata.

tot ferè calumnijs dehonestatus, quot miraculorum operationibus clarus: crucis ignominiam in die festo, loco celebri, maximoque hominum concursu inter latrones eligit, extinctâ propemodum, quam mirandis operibus peperérat, gloriâ, & solo patibulari hominis nomine sibi relicto, & per nationes propagato. Non erat ad amoris divini consecutionem tanta illi opprobriorum congeries, tamque admiranda humilitas necessaria, cùm ipse à primo cum natura humana vinculo tantis arsisset charitatis ignibus, quantos humanum pectus capere potest: sed nobis ostendere voluit, nullam esse humilitate ad amorem divinum compendiosiorem viam.

7. Et à B.V. Intuere jam mecum Matris Dei humilitatem, quæ ad supremam dignitatem evecta, ancillæ nomen & munus eligit, quæ dum apud conjugem de repudio periclitatur, & violatæ fidei maritalis suspicionem incurrit, quod in illo statu probrosissimum est, cùm verbo innocentiam tueri potest, silet, nec se defendit; quæ Filij publicis suffragijs ad crucem damnati & omni ignominiâ cooperti, in monte Calvariæ, in hominum luce Matrem se esse profitetur: quis honoris eius conservandi cupidus non illi diceret: Quid agis ô Mater? cur in publicum prodis? cur dum tanta tamque ignominiosa tempestas in Filium tuum detonat, intra parietes domesticos non delitescis? quin imò eam ob causam, ait, publicum amo, ut talis Filij mater agnoscar, & ludibriorũ accontumeliarum particeps fiam. O Matrem generosam, & humilẽ atque in utroque supra omnes mulieres omnium gentium præconijs celebrandam!

8. Et ab Apostolis S. Petro. Quid de Apostolorũ principe loquar? an non ipse se sponte dehonestare videtur, dum in Marci Euangelio, quod dictasse dicitur, triplicem suam negationem infamiæ plenissimam ad posteros transmittit? dum quotidianis lachrymis ijsque genas excavantibus reum se, perpetuâque ignominiæ notâ dignissimum profitetur; dum à Paulo publicè reprehensus tacet, silentioque suo culpam videtur agnoscere; dum Romæ crucem sibi præparatam Romanis exosam ac detestabilẽ, & servorum dumtaxat ultimum supplicium in frequentis populi concursu amplexatur tenerrimè, & capite deorsum pendente, & pedibus sursum erectis; quòd se Magistri sui situ indignum judicaret, crucifigi petijt & impetravit, ut qui à constantia amoris erga Dominum suum primò tumidus, deinde timidus, miserè defecerat, ad eandem humilitate, & animi magnitudine rediret.

9. S. Paulo Jam verò quantum hanc virtutem adamavit S. Paulus, videamus.

mus. Voluit S. Lucam comitem suum, simulque rerum à se gestarum historicum, suum in Christum, Christique sequaces odium, & conjurationem literis tradere: ipsemet coram Judæis in publicis confessibus non semel, sed sæpiùs eam confessus est: ipse se à Satana colaphis malè tractatum, & impuris agitatũ fuisse suggestionibus, & velut egentem auxilij, nec impetrantem, cùm res inter ipsum & Deum silentio ageretur, omnibus manifestare, & ut inde aliquid contemptus & humilitatis colligeret, chartisque ad finem mundi duraturis mandare voluit: quid, quòd infimo inter peccatores loco contentus non fuit; sed novum verbum finxit, quo minimorum se minimum esse proclamaret.

10. A Confessoribus.

Jam si ab Apostolis ad Confessores transire velimus, & ex illis seligere, qui scientiâ maximè & sanctimoniâ floruerunt: occurret nobis continuò S. Augustinus suorum temporum lumen, qui ita animi demissione cæteris præcelluisse videtur, eorum maximè judicio, qui in eius scriptis evoluendis ætatem triverunt, ut non minus ingenij doctrinæq; præstantiâ, quàm humilitate reliquis palmam præripuisse censeant: idque non tantùm quia gratiæ divinæ necessitatem egregiè probat, hominisque abjectionem & imbecillitatem, uti par est, depingit: sed etiam quia varijs

S. Augustinus.

eventibus, ubi de existimatione propria agebatur, ita omnes animi demissi ac humilis partes implet, ut nihil in eo genere perfectius requiri posse videatur; Primò laudari se ab alijs vel in minimo fert ægerrimè; & ad amicum rescribens, nihil tristius in eius epistola se legisse respondet, quàm verbum, quo de eius eminenti scientia magnam se concepisse opinionem ostendebat.

Alteri verò Episcopo, qui se eius literis offensum dicebat, dum satisfacere nititur, mirum est quãtâ humilitate id faciat, quantâ çulpæ deprecatione amicos suos moneat, ne suorum scriptorum reprehensoribus irascantur, ne famæ suæ patrocinium sumant, cùm ipsemet suorum scriptorum correctionem vulgandam susceperit, & plura ipse emendanda, quàm aliorum censura, recognoscat; sæpiùs verò apud populum agens, ait, se sub pedibus eorum, quorum salutem Episcopus procurabat, jacere velle & consecrationis anniversario die omnium oratorum, quæ in Episcopali cura admiserat, veniam à concione postulabat: sed meo judicio parva sunt hæc, si cum Confessionum & Retractationum libris conferantur. Nos cùm in Sacramento pœnitentiæ universæ vitæ peccata ad unius hominis pedes prostrati deponere volumus, quãto pudore suffundimur, quantam

Ep. 7.

Psal.

nobis vim facimus; si verò chartula, in qua peccata illa descripsimus, in alicujus deveniat manus, quantùm animo perturbamur, & conquerimur, sortemque nostram deflemus: hic verò toti mundo, omnibus sæculis, ad diem usque supremum judicij suæ vitæ conscientiæque arcana legenda volens communem mortalium omnium excipiendam de se sententiam exponit: prætereà apud homines eruditos, & scientiæ nomen assecutos usu receptum videmus, ut errata sua vel excusent, vel supprimant, vel alijs imponant, Augustinus ea ipsa quæ nullus forassis notasset, ipse in lucem profert, & corrigit, ac adultâ jam ætate, hominem se erroribus obnoxium publicè profitetur. Ne miremur modò amoris in eo divini eminentiam, qui tantam animi demissionē inter tot ingenij doctrinæque ornamenta contuemur.

II. S. Gregorio.

Inter Summos Pontifices unicum S. Gregorium, ut prodigium humilitatis proponendum censeo; non tantum quia summum illum Pontificatus apicem, quâ potuit contentione, declinavit, sed quia abjectissimam, quam sub Dei oculis de se conceperat abjectionem scriptis consignavit, & publico legendam dedit. Audi illum in illa prima Ecclesiæ sede collocatum, ad instar tyronis de aberrationibus animi conquerentem. *Stultis*, inquit, *pressus cogitationibus solummodo exclamare compellor: Cor meum dereliquit me.* & de sua ad Pontificatum promotione sororiImperatoris scribens: *Ecce*, inquit, *Serenissimus Dominus Imperator, fieri simiam Leonem jussit: & quidem provisione illius Leo vocari potest, fieri autem Leo non potest.* Sed & Narsi Patricio, qui per nominum similitudinem declamatorio more aliquid in suis literis dixerat: *Certè*, inquit, *frater charissime, Simiam Leonem vocas: quod eo modo vos agere conspicimus, quo scabiosos sæpe catulos, pardos vel tygrides vocamus.* Mauricio verò Imperatori, à quo lacessitus probris, & violatus injurijs non semel fuit, scripsit; mirum non esse si perpetuò tribulationibus vexetur, cùm ipse supremū Numen offendere non cesset.

Epist. 5.

Epist. 6.

Epist.

Quid Martinos, Nicolaos, Bonifacios, viros animi demissione clarissimos commemorem, qui humilitate potissimùm ad divini culmen amoris viam sibi munierunt? unum tamen Paulinum humillimum, & mansuetissimum præterire non possum; qui dum Amandi Episcopi precibus se commendat, simul rogat ne inter orandum nomen suum pronuntiet; ob suorum peccatorum multitudinē, & magnitudinem indignum se esse cuius nomen auribus Dei insonet, & pronuntiantis labia tam sordidi nominis appellatione coinqui-

12. Alijs Pontificibus.

inquinentur: *Indigni*, inquit, *sumus, quorum nomina Domini auribus ingerantur, ne fortè & labia tua immunda fiant, cùm nos nominaveris & necesse sit tos tuum igneo carbone perstringi.* Nullius de se existimationem cum laude conjunctam, audire vel legere solitus est, quin auctorem ipsum, ut deceptum verbis castiget. Contra S. Severum, Epist. 2. qui oris eius effigiem postularat, seriò stomachatur, rogatque an sanâ mente dejectus sit qui id petere in animum induxerit. Denique ut humilitatis exercendæ materiam nanciscereturr, se charitate stimulante in mancipium pro filio viduæ vendi voluit; in quo nescias an plus se demiserit, quàm Dei & proximi amorem ardentissimum sit testatus.

13. Franciſco. Jam ad viros sanctissimos accedamus, qui ut in amore divino primas tenerent, intra cœnobij muros velut humilitatis palæstram palmam etiam humilitatis referre voluerunt. Quid humilius Francisco, qui sui æstimatione non tantum ad inferos & nihilum descendit, sed indignum se de quo cogitet Deus reputat, & mortalium nequissimum se dicit, ac cum fratre Leone de sui profundissima abjectione disputans sempiternis se damnatorum supplicijs addicit, qui calculo divino ad Seraphinorum ardentissimam charitatem evehitur, & amoris divini flammis exardescens, Christum ad sui similitudinem in eius corpore per stigmata imprimendam adducit.

14. Bonaventura. S. Bonaventura, qui se cloacam & sentinam nominat, quam mille annorum lachrymæ non expurgent, qui horis singulis contra vel minimum gloriæ & æstimationis sensum fulminat, & quid quid in se residere potest superbiæ, ut rem omni abominatione dignissimam, quâ præ cæteris se infectum existimat, detestatur, quas ista via supremæ charitatis flammas concepit, atque scribendo, & cum alijs agendo in eorum animos dispersit; qui propterea *Doctor Seraphicus, Doctor ardens, Doctor igneus* est appellatus, & cuius cor ut domicilium amoris, & lingua ut charitatis tuba, centum & nonaginta annis post obitum integra & incorrupta Deo ita volente permansêre.

15. Dominico. Sancti Dominici quanta charitas, qui divini amoris facibus totum propè terrarum orbem incendit? sed quanta etiam humilitas, qui antequam in urbem aliquam ingrederetur, genu flexo Deum rogabat, ne urbem illam castigaret ideò, quòd ipse mortalium sceleſtissimus in eam pedem inferret. Sancti verò Vincentij eius sequacis quanta demissio, qui se fœtidum & omnibus exosum cadaver haberi volebat, quem omnes fugerent, & abominarentur, &

& tamen quantis ignibus corde eius & ore prorumpentibus urbes & provincias inflammavit, peccatorumque altissimam glaciem passim dissoluit?

16. S. Ignatio. S. Pater Ignatius postremissimum mortalium se ducebat, omnes si paribus à Deo gratijs donati fuissent longè meliùs usuros, & divinæ gloriæ propagandæ majorem daturos operam arbitrabatur: quemlibet sibi pro stimulo esse, etiam è tyronibus postremum ajebat; mereriqué se, ut post mortem cadaver suum in cloacam abijceretur; contemptus verò ut sibi debitos amicè recepit, & contemptoribus habuit gratiam; atque hâc tantâ abiectione, amori divino domicilium præparans, ita flammis cælestibus incenditur, ut illas ore vultuque in intuentes diffundat, & ægrotantis tenebrosum cubiculum radijs suis illuminet.

17. S. Franciscus Xaverius. S. Franciscus Xaverius se inter captos oculis, lutoque defectuum suorum excæcatos, qui proinde se non agnoscunt, numerat, nostrisque de Societate in Europâ degentibus literis gratias agit, quòd precibus suis impetrarint, ut innumerabilium peccatorum suorum multitudinem cognosceret; hic tamen ille est, qui ob tantam submissionem in Orientis solem, qui hominum myriades illuminet, cum totius orbis admiratione à Deo eligitur. Alphonsus Rodriguez, cuius virtutes, & amoris divini ignes ardentissimos suprà in medium attulimus, ad tantam eminentiam humilitate sibi gradū fecit: sua enim peccata quotidianis deplorabat lachrymis, mirabaturque esse aliquem, qui cum homine tam fœtido, & abominabili sermonem aut commercium habere vellet.

18. S. Philippus Neri. S. Philippus Nerius diebus singulis ita se miserum & in lapsum facilem & proclivem existimabat, ut Deo diceret: Nisi me Deus meus prohibueris, & corruentem sustinueris, hodie te ut alter Judas vendam nihilo, totiusq; mundi mala perpetrabo. Dicere etiam solitum ferunt: Vulnus lateris Christi latum est, sed nisi Deus compescceret manus meas, illud ego malitiâ meâ dilatarem. Bis in anno morbo decumbebat, actum temporis vitæ præteritæ pœnitentiam doloremque concipiebat maximum, & serjam, si convalescceret, emendationem proponebat. Nihil se vitâ æternâ dignum fecisse ajebat, hominumque se esse ingratissimum, omnes sibi bono exemplo esse; tenellas virgines, & pauperes rusticos præcessuros: quin imò, cùm rogaretur ut illud S. Martini pronuntiaret: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius: negavit se hoc dicturum, cùm nunquam sibi venisset in mentem ulli se ad salutem necessarium; imò

imò nec proficuũ unquam fuisse. Quis modò non videt ex tantæ humilitatis fundamento, assurrexisse quod miratur posteritas, sublimissimę in eo charitatis ædificiũ, ut ex amoris excessu collãsibi fregerit, & mediâ hyeme nimio amoris calore æstuans ad fenestram apertam, ut aliquod hauriret refrigerium, constituere se sit coactus; ut meritò de illo dicere possimus: Qui ascendit, quis est, nisi qui & descendit?

19. S. Theresia.

Quid jam de Sancta Theresia in utroque, charitate, inquam, & humilitate verè mirabili dicemus? scimus illam à Seraphino amoris divini jaculo confixam, scimus à sponso inter sponsas charitatis ardoribus incensas, & honorem sponsi studio indefatigabili procurantes adlectam: scimus denique non tam morbi doloribus, quàm amoris divini æstu, ut ipsa Sanctimoniali post mortem aperuit, diem extremum obijsse, & quomodo tandem ad tantam charitatis excelsitatem paucis hominibus concessam evecta est? humilitate, & animi demissione profundissimâ: primò se adeò donis cælestibus indignam existimabat, ut Deo diceret, ne tam citò peccatorum suorum oblivisceretur, ne gratiarum suarum pretiosum balsamum in vas tam fœdum, & rimarum plenum effunderet; ne gemmas tam pretiosas manibus tam infirmis & parum tutis committeret; hinc dari occasionem minuendæ earum æstimationis apud homines, qui earum pretium ignorant, easque intuentur tam vilibus personis, qualis ipsa erat, consignatas & concreditas: nullam inesse sibi virtutem, nisi quam Deus in tempore largiretur; aliquando se ab omni rerum fugientium cupiditate absolutam & expeditam sibi videri, confirmarique experientiâ; aliquando verò teneri se ijs reculis implicatam, quas paullò antè habebat despicatui; adeò ut seipsã non agnosceret: nunc tantâ animi fortitudine præditam, & ad omnia, quæ Dei spectabant obsequiũ, aggredienda magnanimam, ut nunquam ob quoscumque eosque potentissimos oppositus pedem referret: altero verò die, inquit, tam me imbecillem sentiebam, ut ne formicæ quidem conculcandæ vires habere me crederem, si illa cœptis meis obstitisset. Nonnunquam nullis contumelijs vel minimum commovebatur, imò voluptatem ex illis capiebat: verùm, inquit, interdum contingit ut vel verbulum me affligat, vellemque è vita decedere, quia omnium me tædet. Hæc & plura, ut in prologo vitæ suæ insinuat, publico dare voluisset enucleatiùs, si majorum permisisset authoritas; sibi enim persuasum esse neminem unquam tot à Deo cumulatum beneficijs,

ita in pristinos defectus relapsum esse, & divinis gratijs tantum obicem posuisse, sicut ipsa hactenus fecerat. Nimirum hos in animo illius sensus, hæc judicia pariebat profundissima humilitas, qua nec minimam sui laudationem ferre poterat, & ab omni vanæ gloriæ titillatione erat alienissima, qua exultabat gaudio cùm impeteretur opprobrijs, & bonum semper pro injuria rependebat, ut abiret in proverbium, qui à Theresia amari vellet & beneficijs affici, illam verbis & factis tractaret, quàm posset, pessimè. Hæc est via qua ad Seraphicos divini amoris æstus ascendit Theresia.

20. Humilitas non in verbis hæreat. Ad fratres ex monte Dei.

Duo intereà de Sanctis istis, quos ita de se abjectè sensisse videmus nobis persuadeamus oportet. Primum, quod de S. Paulo dicit S. Bernardus, ita illos locutos *non mentiendi præcipitatione; sed æstimandi affectione*, qualem prima Veritas illis imprimebat: ut enim rectè ait S. Gregorius? *boni sua bona multa & magna non vident, pauca mala semper intuentur*: cumque, ut notat Abbas Theonas apud Cassianum & idem S. Gregorius de Jobo inter tot virtutes humillimo, viri illi summis virtutibus præstantes, purgatioribus etiam mentis oculis sint præditi, & luci increatæ viciniores, minutissimos nævos clariùs deprehendunt, eosque magis æstimant, & copiosiùs deplorant.

21. Procedat ex sincera sui nihili apprehensione.

Alterum, viros illos etsi humilitatis essent virtute ornatissimi, nûquam tamen hoc illis in mentem venisse; sed putasse ab illius possessione abesse se quàm longissimè, & viles se esse, sed non humiles, & illud esse veritatis, hoc virtutis: cognoscere se misèrijs & sordibus onustum, & talem velle ab hominibus haberi, hoc solummodò esse consentire veritati, & fucum non amare, nec facere. Stultum aliquando imitatus est Simeon Salus, & post illum Jacoponus, an putamus larvam tantum stultitiæ illos gessisse, & cùm sapientes se existimarent, populò imponere voluisse? minimè gentium: existimo enim cùm altè in sui cognitionem descendissent, & complures intellectu suo errores, ac in voluntate defectus deprehendissent, viles se, abjectos, ac parum sensatos, & mortalium contemptu dignissimos judicasse, idque modis suis agendi persuadere alijs voluisse: hac scilicet extra viam communem saliente orbitâ Spiritus sanctus ad magnam illos sanctimoniam evehere voluit. Abbas enim Joannes cœlo revelante didicit Simeonis Sali precibus Dei dexteram orbem terram perdere minitantis retentam ac suspensam fuisse: quâtis verò amoris divini incendijs arserit Jacoponus, istorum temporũ Annales prodidêre, qui cursu conci-

10.

to ad ſilvas abreptus, & arbores velut ſponſum amplexans, exclamabat: O mi JESU! mi JESU! atque, ſi fieri poſſet, ut damnaticum Deo redirent in gratiam, ad omnium ſupplicia perferenda ſeſe offerebat, nullam ab illis beneficij memoriam deſiderans.

22. Parit humilitas charitatem in B. Maria de Victoria.

Hæc eadem humilitas B. Mariæ de Victoria charitatẽ flagrantiſſimam in eius animum induxit, cùm ab alia fœmina multis præſentibus impactam alapam unà cum verbis exprobrantibus patienter tulit, & ad columnam ligata, & omni injuriarum ac vocum contumelioſarum genere laceſſita nullum perturbati commotivè animi ſignum dedit: ut meritò in illo locum habeat illud Cypriani pronuntiatum: *Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas.*

De Natiuit. Lib. 2. de Conſ.

23. S. Catharina Bononienſis.

S. Catharina Bononienſis domicilium fuit Charitatis, ſed & humilitatis. Ita de ſe demiſsè ſentiebat, ut ſi Angelus aliquis de cœlo delapſus perſuadere voluiſſet in ea aliquid ineſſe boni, fidem dicenti non adhibuiſſet: non reperiebat in mundo, imò nec apud inferos parem ſuis fœtoribus & ſordibus locum; apud inferos enim eſt aliquid boni, cùm juſtitia divina ibi ſuas partes agat; in ſe verò meram malorum colluviem omnis boni expertem intuebatur, adeóque congruum ſuis abominationibus locum in ſe reperiri, & non alibi: omnes deſpectus & contemptus nihil eſſe dicebat: micis de communi ſororum menſa cadentibus victitabat, viliſſima obibat munia, cumque inde avocare illam vellent: Sinite, ajebat, caniculam ſuis defungi partibus; multum eſt quod ſponſis Chriſti aliquid obſequij præſtare poſſum. Tam vilem & abjectam benignis oculis intuitus Chriſtus, eam ad ſupremos honores evexit; & matre ac Angelis comitantibus eam morbo decumbentem inviſens, unum ex beatis illis ſpiritibus canere juſſit: *Gloria eius in te videbitur*, quibus ſignificari dixit; egere ſe adhuc eius operâ ad gloriæ ſuæ amplificationem, proinde monere hortarique ut ſanitati reddita majoribus animis in illud incumberet, ſe cæleſtibus auxilijs conatus eius promoturum: atque ita diſparuit. O humilitas! quantum gratiarum apud Deum exaggeras! quàm de te verè dictum eſt: *Qui ſibi vilis eſt, apud Deum magnus eſt!* ô nos felices ſi vel multis lachrymis à Deo illam impetremus.

CAPUT XIX.

Ad humilitatem non sufficit suæ vilitatis cognitio, & affectus, sed præterea opus est assiduâ exercitatione.

1. Humilis sentit se pejorem dæmone.

SE infectissimum sordibus cognoscere, & dæmonibus pejorem, qui semel dumtaxat offenderunt Deum, perspicuè profiteri multum est; ad hæc ex quodam veritatis affectu in vilia mundi hominumque abjectam de nobis existimationem propendere, ad humilitatem consequendam facit plurimum: sed ulteriùs velim te progredi, quicumque tam utilis ad amorem divinũ virtutis desiderio teneris. Usu hîc & exercitatione opus est; si hunc non adhibes, in postremis hæreas necesse est.

Ecce te nihil esse, nihil scire, nihil posse profiteris; ergo & ad cognoscendum lumen, & ad agendum vires à Deo dum res incidit, emendica: quorsum in actionem, tanquam omnibus ad agendum bene instructus nullo è cælis petito auxilio ita proruis? aliud sentis, & aliter inter operandum te geris. Non ita viri illi sancti deserta & solitudinem incolentes, qui animam humilem ad singulos ferè passus in ore habere dicebant hunc versiculum; *Deus in adjutorium meum intende.* S. Ludovicus in Palæstina cum Saracenis bellum gerens, dum in publico Principum consessu de negotijs occurrentibus consiliũ caperet, ante omnia signo crucis se muniebat, & elevatis in cœlũ oculis lumẽ à Spiritu sancto postulabat; ita se à matre ad omnis actionis exordium institutum dicens. Ita & tu facito, qui vitem te, quæ sine adminiculo assurgere non potest, & infantem, qui manu nutricis egeat, ut gradum formare possit, assiduè profiteris. 2. S. Ludovicus quid inter consultandum faceret.

Prætereà te infirmum, & imbecillum, imò te cloacam, & vomicam sordibus diffluentem esse clamitas; cur ergò dum contra propositum in aliquem defectum laberis, hæres attonitus? cur tibi succenses? cur animo concidis? quid mirum si vomica pure & fœtore abundet, & illud interdum egerat, & vomat? quin potiùs audis monitum à Christo S. Gertrudi datum; ut non mireris te in defectum aliquem cadere; sed quod sæpiùs & in plures & graviores non labaris. Neque mihi dixeris viros sanctissimos minimos lapsus longissimis, & diuturnis lachrymis defleviſse: longè erant à tuis diversæ eorum lachrymæ; fluebant illæ imperturbatè, eliciente illas pio & suavi in Deum amoris sensu: tuæ verò indignationem, anxietatem, & animi abjectionem secum trahunt; doles te- 3. Quid de se quisque sentire debeat.

te plura non præstare, doleas verò quia coram Deo, & nonnunquam coram hominibus imbecillitas, inconstantiaq; tua te pudore afficiunt.

4. Non attollitur adulationibus.

Quid quod versipellem & duplicem animo te conspicio, qui cùm te in æternæ veritatis luce omnibus opprobrijs dignum judices; ubi aliquis fucatus adulator, aut deceptus amicus te laudibus ornat, continuò quasi verum dicat, intus inflaris & attolleris, eiusque sententiæ subscribis. Aliter se gessêre magna illa Ecclesiæ lumina Augustinus, Paulinus, Gregorius, Bernardus, qui veros laudatores ferre non potuerunt, reprehenderunt, & si moniti pergerent, omnem cum illis amicitiam & commercium abruperunt; quinimo eorum aliqui suos errores, & defectus illis aperiunt, ut bonam de se opinionem minuerent, & infuscarent. Magdalenam de Pazzi lego, cùm apud aliquam è suis Novitijs in magna esset opinione sanctitatis, ut eam illi adimeret, suos defectus & tentationes multis cum lachrymis & singultibus apud eam deposuisse, quasi fœminarum omnium esset verè nocentissima, addens pro epilogo: Hæc tibi dixi, filia, ut noris qualem magistram nacta sis, & nisi me Deus claustro religionis inclusisset, vitam meam aut in perpetui carceris tenebris, aut carnificis manu finijssem: ora ergo pro me, ut Dei beneficio salutem æternam aliquando consequar.

5. Quid de se sentiret Magdalena de Pazzi.

Ad hæc si verum est, quod coram Deo tam sæpè profiteris, te nihil scire, & mentis oculis velut captum & in multis cæcutientem continuo cælesti lumine indigere, quid est, quod de alijs tam facilè sententiam profers? cur cum illo sene Monacho te non increpas, & dicis: *Quis sum ego, ut alios judicem*? cur tibi non occinis alterius Senis pronuntiatum: Verus humilis oculos non habet, ut aliorum errata videat; linguam, ut de illis loquatur; aures, ut alios de illis sermocinantes audiat: ipse enim satis habet negotij cum peccatis suis?

6. Alios ne judica.

Quid jam dicam de tot excusationibus, defensionibusque tuarum actionum, dum reprehenderis? an non vides te similem esse fimeto, qui moveri non potest, quin fœtorem exhalet? cùm nihil de te dicitur, tu te ut mortalium nequissimum accusas, & depingis; dum alius hoc ipsum tibi obtrudit, indignaris & Gersonis Recluſam contra ancillulā stomachantē imitaris, similisq; es illi vagabundo Monacho, qui in communibus colloquijs sedile non admittebat, sed humi jacebat, ut omni alio loco indignus, & cùm discedens à Serapione moneretur ut cellæ solitudinem magis amaret, nec per aliorum cellulas vagaretur, hoc ab

7. Ne excusa.

8. Ne quidem in criminationibus.

amico Senis pectore profectum monitum æquo animo ferre non potuit. Vera Humilitas non solùm justas reprehensiones fert patientissimè; sed eas etiam quæ à falsa delatione, aut ab invidiâ proficiscuntur, forti & humili stomacho digerit, S. Justinianum imitandum sibi proponens, qui à fratre malevolo publicè in Capitulo compellatus, quasi reus se prostravit, & inflictam pœnam innocens lubenter excepit: aut B. Franciscum, qui à puero Iesu nuncupatur, qui dum eleëmosynam flagitat, alapamque ab iracundo & perturbato homine accipit, se in genua provoluens, veniam postulat, quod rusticitate suâ illi bilem moverit; aut S. Franciscum de Paula, qui à Concionatore Religioso publicè & privatim lacessitus injurijs, & à Pontificis Camerario contemptui habitus, & à Regis medico magnæ authoritatis viro calũnijs, & dictis mordacibus appetitus, ore sereno, & ad omnem humilitatem composito in his omnibus se habuit; hac animi æquanimitate confirmans, quam olim allegarat Pontifici, abjectissimam de se existimationem, quamque altè imbiberat, & persuadere conabatur, dum ad admittendum sacerdotium ab illo urgeretur; nempe se ne dignum quidem esse, qui inter homines viveret.

Exemplo S. Francisci Assisij.

De Paula.

P. Caroli de Condren.

R. P. Condren Oratorij Jesu Secundus Generalis, qui se non tantùm sub Judæ aut Antichristi pedibus substernebat; sed dæmone etiam inferiorem ducebat, dum à primario Regni Galliæ Ministro reprehenditur, & in ordinem etiam suum falsas delationes ut justas & veras verbis exaggerantem audit, pacato silentio omnia excipit; dicens æquè communes toti Ordini, ac uni sibi factas contemptiones & humiliationes æquo animo suscipiendas: cùm verò ab impudica fœmina quasi de parum casto cum illa commercio accusaretur, resque jam manasset ad plures, & amici contra calumniatricem judicio agere vellent; vetuit, dicens, virtutem humilitatis, quam adeò deperibat fortè se hac taciturnitate consecuturum.

9. Fucata humilitatis typus.

Atque hisce occasionibus, velut ad Lydium lapidem germana probatur humilitas, quæ in plerisque, ut in Ægyptijs fanis contingere suo tempore ajebat Clemens Alexandrinus, externam dumtaxat speciem ostentat, intus fucata sunt omnia: in illis enim fanis augustum vestibulum, columnæ marmoreæ, & magnifica structura oculos intuentium rapiebant: in eius verò adytis intimisque recessibus, ubi præcipua sacrificia offerebantur, glis, aut ibis, aut serpens aliquis, visebatur. Oportet ut cordis nostri intima possideat, & regat

gat Humilitas, quæ non tantùm contra improvisos injuriarũ assultus suâ nos in concussa æquanimitate & taciturnitate defendat; sed etiam eò deducat, ut pro malo, & injurijs bonum magnanimiter rependamus: in quo nobis egregio responso prælucet S. Bernardus; qui Monachis, à quibus injustè accusatus, & verbis etiam calumniosis violatus fuerat, ita respondet: *Adhærebo vobis, etsi nolitis; adhærebo, etsi nolim ipse: invitis præstabo, ingratis adijciam, honorabo & contemnentos me.* Quibus verbis facta consensêre. Unus aliquis alterius Ordinis Monachus ad illum venit, rogans, ut in cœnobium Clarevallense admitteretur: negat vir sanctus auctorque est illi, ut in suo Ordine perseveret: ille stomachari, & cum bile rogare, cur ergo verbis & scriptis omnes ad perfectionem virtutum accenderet, si volenti consilium sequi manum præbere nollet; se eius hàc de re scripta laceraturum in eius conspectu, si in promptu essent. Respondit pacatè Sanctus; se perfectionem suasisse, non loci mutationem. Hic irâ commotior alapam viro sancto luculentam impingit: qui præsentes aderant, involare in collum impudentis volebant, sed vetuit Bernardus, & pacatè jussit hominem è cœnobio deduci. Quis jam miretur Sanctum Bernardum, qui tam altè humilitatis radices jecerat, cæterarum etiam virtutum, & præsertim charitatis ramos in altum extulisse?

10. Bernardi patientia post alapam.

O si pari passu procederemus; & dum nobis similes injuriæ aliorum machinationibus inferuntur, essemus ex illis viris, quos Quadratos appellat Plato, qui firmiter hærent in vestigio, nec ullis fortunæ adversæ insultibus commoventur: hos scilicet in humilitatis centro constitutos amor divinus cõsectatur, & suis donis magnificè locupletat. Talẽ reperit S. Adelardũ vel Alardum, Corbiensem Abbatem, qui in aula Imperatoris Ludovici filij Carolomanni omnium virtutum gloriâ floruit, quem cùm invidia calumnijs dehonestatum, in exilium ejecisset, continuò ad humilitatis asylum confugit, & peccatis suis, non aliorum æmulationi, neque nimiæ Imperatoris credulitati hoc totum imputari voluit; suos monens, ne alium quàm Deum hoc exilio peccata sua punientem intuerentur. Ita scilicet loqui & sentire solent viri Sancti, ac in opprobriorum aquis, quas suis peccatis velut balneum eluendis præparavit Justitia divina, non sine voluptate volutantur, ut alacriores, & puriores, levioresque ad divini amoris conscendendum apicem inde emergant.

11. Et Adelardi in calumnijs.

Quàm diversâ incedunt viâ, qui 12.

veram

Concionatoris parum humilis confusio.

veram humilitatem in suis latibulis absconditam non investigant, sed eius umbrâ damtaxat contenti sunt. Ubi casus aliquis adversus incidit, in quo fama, & quam studiosè apud homines collegerunt, nominis existimatio aut minuitur, aut periclitatur, quàm solicitè declinant, & si fortè evenerit, quàm difficulter concoquunt. Concionator aliquis inter Ordinis sui homines non ignobilis coram B. Francisco Salez & universo Clero, magnaque populi frequentiâ in Ecclesia Cathedrali verba facturus, cùm vix concionem esset exorsus, labi memoriâ cœpit, hærere, hiare, verba dimidiata proferre, denique concionem abrumpere, deque suggestu descendere. Quid hîc aget homo ab humilitate parum instructus? perturbari sic animo, & suo nomini vulnus infligtum oculosque hominum & verba non ferre, denique urbem & domicilium, imò & Provinciam annuentibus superioribus mutare. Quàm aliter se gessisset unus aliquis sub humilitatis signis stipendia faciens! quàm generosè hanc victoriæ de vanis applausibus reportandæ ansam ambabus, ut ajunt, manibus arripuisset! quantis accessionibus amoris divini gazas auxisset? & quantas Deo pro tam singulari beneficio gratias egisset! qui in unum Deum continuò oculos conijcit, ut eius gratiæ conciliandæ, gloriæque amplificandæ studet unicè in omni eventu sibi similis; inconcussâ pace fruitur, cujus fundamentum jacit humilitas & fastigium imponit charitas: faxit Deus, ut utramque virtutem hujus vitæ decursu ita complectamur, ut æternâ deinde earum possessione perfectè potiamur in cœlis.

DE

DE PRAXI AMORIS SANCTI.

PARS TERTIA,

CAP. PRIMUM.

In quo consistat hæc Praxis.

1. Usus præceptis addendus.

PRimâ parte huius operis naturam & proprietates Amoris sancti; in secunda modum eius acquirendi, Deo dante, ostendere sum conatus: restat, ut de praxi & usu agamus, quod nunc cum eodem Deo, tanquam ad institutum nostrum & amoris consecutionem in primis utilem aggredior. *Vsus* enim, ait Romanus Orator, *frequens omnium Magistrorum præcepta superat*: nam, ut idem alibi ostendit, nec Medicus, nec Belli Dux, nec Orator, etsi Medicinæ, belliqúe gerendi, & eloquentiæ præcepta calleant, nisi tamen accedat usus, & exercitatio, multum promovebunt. Doce puerum artem pingendi, & canendi; hærebit, si se non exerceat. Hinc rectè apud Laërtium, Philosophus ad eminentẽ in varijs scientiam tria requirit; naturam ad id idoneam, studium, exercitationẽ. Atque hæc in amore divino consectando locum habent quàm maximè, ut mirum non sit in eis sponsum à sponsâ tam interiores amoris actus, quàm exteriores velle frequentari, ut usu ipso amorem augeat, dum dicit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signa-*

Lib. 1. de orat.

Lib. 1. de off.

Lib. 5. c. 1.

Cant.

Cap. 7.

culum super brachium tuum.

De inter. domo. c. 62 Sed cùm S. Bernardum audiam de corde suo dicentem: *Facilius atomos mundi dinumerare possem, quàm motus cordis mei*: operæ pretium est ut eas cum S. Ambrosio vitandę confusionis gratiâ ad quatuor principales affectus restringamus; qui animam junctam corpori quatuor affectionibus velut quatuor equis trahi pronuntiat, *Lib. 3. de Virgin. In cap. jejunij. c. 2.* *irâ, cupiditate, voluptate, timore.* Cui consentire videtur S. Bernardus, dum suos monens ut toto corde ferantur in Deum, & quo judicio id possint dignoscere: *Attende*, inquit, *solerter quid diligas, quid metuas, unde gaudeas, aut contristeris: totum enim cor in his quatuor affectionibus est.* Imò verò dum Eugenio Pontifici suadet ut totis animi viribus evolet in Deum, atque in eum finem affectus suos in libertatem asserat, eos captivos detineri ait, *Lib. 5. de consi.* *timendo quæ non oportet, amando quæ non decet, dolendo vanè, gaudendo vaniùs*: additque hominem, si dum se aliquâ animi perturbatione agitari sentit, ad hoc oculos reflecteret, continuò à divina Majestate auxilio nõ vulgari juvandum. Cui assentitur S. Thomas, dum in huius sententiæ confirmationẽ adfert cantatos Boëtij versiculos, *Gaudia pelle, pelle timorem, spemq; fugato, nec dolor adsit.* Lubet tamen quæramus compendia, & omnes affectus animi ad duos velut cæterorum fontes, cum S. Ambrosio, & Augustino revocemus: Prior luculentè lib. de Jacob id edisserit: *Passionum* *Cap. 2.* inquit, *velut duces, naturalis delectatio, & dolor, quas sequuntur reliquæ; illæ enim complectuntur universas, quarũ utraq; non solùm corporis, sed etiã secundùm animam passiones sunt.* Augustinus verò non tantùm motum omnem animi, sed etiam universa opera bona, maláve ab his duobus affectibus originem ducere arbitratur: *Sicut omnia justa* *In Psal. 73* *opera, bono timore, & amore fiunt; sic malo amore, & malo timore omnia peccata committuntur.* Testem hujusrei appellat uniuscujusque conscientiam: *Cogitate*, inquit, *discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias, videte utrum possint esse peccata, nisi cupiendo, aut timendo.*

2. Quot cordis affectus.

3. Charitas est frænũ passionum.

Porrò earum virtutum norma, quæ frænandis moderandisque passionibus tum ab Aristotele in Ethicis, tum post illum ab Angelico Doctore assignantur, nobilius multò præstantiusque ab una obiri charitate non est qui inficietur. Hinc viros sanctimoniâ celebres, etsi virtutum chorum agerent, omnes tamen sub charitatis imperio ejusque ductu in scenam prodire voluerunt. Perusiam Cardinalis Hugolinus SS. Dominicum & Franciscum ad colloquium evocavit atq; ambobus

bus simul quæstionem proposuit; an non ad majus Ecclesiæ bonũ facere videretur, si ex utriusque ordine religiosi virtute præstantes ad primarias infulas assumerentur? nemine primas in respondendo partes admittente, quas alter alteri non ex urbanitate, sed ex vera animi submissione deferebat; cùm protraheretur sancta altercatio, tandẽ dixit Franciſco Dominicus: *Tu vincis humilitate, ego vincam obedientia.* In tam exigua materia plurium virtutum occasionem reperêre: sed ambos vicisse arbitror, dum hic humilitate, ille obedientiâ, Deo quàm maximè ex charitate placere studuerunt, S. Paulum imitati, qui hoc potissimùm habebat præ oculis, dum dixit: *placere Deo in omni loco*: quod est munus Charitatis Dei benevolentiam in omni re spectantis. Inspice mecum duo illa Ecclesiæ lumina SS. Martinum, & Philippum Nerium: ille ad preces discipulorum se accommodans dicit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. hic in eodem mortis articulo, rogatus ut idem diceret: Non sum Martinus, exclamat, ac si simile quid dicere præsumerem, meque æstimarem posse esse alicui necessarium, inter æternorum suppliciorum reos me numerandum censerem: nunquam alicui me utilem reputavi. Videntur diversis & oppositis vijs hi ingredi: sed non ita res se habet; ambo amori divino obsequi volunt, & simul in eundem scopum collineant. Videre mihi videor Angelos in scala Jacob ascendentes, & descendentes, quibus amor alas ministrat, & in diversos motus intendit, & quò major Dei gloria & beneplacitum vocat, eas dirigit.

4. Duarum virtutum certamen.

Wadingus anno 1226

Non saperet Alchimista, qui cùm posset arte suâ aurum ex aliqua metalli massa exprimere, argento vel etiam cupro contentus esset: nec ille vinitor apud dominum gratiosus esset, qui cùm culturæ suæ diligentia vinum pretiosum & elegans de vite suppeditare posset, non nisi vile & insipidum ministraret: ita prorsus evenit dum quis inferiorum virtutum exercitationis inhærens operibus, à charitate virtutum regina pretium & splendorem non accersit.

5. Sectare charitatem præ cæteris virtutibus.

Novitium ægrotantem volebat aliquando Abbas vir sanctus, die abstinentiæ à carnibus ex Ordinis instituto, ad carnis comestionem inducere; cumque id impetrare ab ægro non posset, nisi eius petitioni de simul edendo acquiesceret; tandem post tyronis pertinacem resistentiam ut id ab illo, quod morbus exigebat, obtineret, primus ipse carnem gustavit: poterat ad hoc variarum virtutum amore incitari; poterat ægri salus,

commiseratio, poterat ejus animum humilitas & voluntatis submissio commovere, sed in unam Dei, proximique charitatem oculos conjecit, ut continuò probavit eventus: egressus enim è cœnobio negotij alicuius causâ, & in sacellum, in quo à Sacerdote exorcismis ad migrandum ex obsessi corpore dæmon compellebatur, ingressus; qui aderant, visa Prælato, de cuius sanctimoniâ magna erat inter illos opinio, dixerunt: Ecce adest vir sanctus, qui facilè te expellet. O, dixit dæmon, illum jam non timeo, qui hodie contra institutum carnes comedit. Quod intelligens Abbas: Imò verò, inquit, ob charitatem, quam in hoc opere exercui, jam jam hinc migrabis. præcepitque ut in nomine Domini, & propter opus illud ab amore divino profectum se continuò ex obsesso corpore proriperet. quod & factum est.

6. Eius merito dæmon pellitur.

CAPUT II.

Quomodo ad aliquod desiderium, timorem, tristitiam, iram amor divinus concurrere possit, eisque pretium addere.

FAcilis est ad hanc quæstionem responsio: si enim amori proprio, & oblectationi, quæstuique inde mananti oculos clauseris, eosque in unius Dei voluntatem ac beneplacitum, gloriæque divinæ amplificationem conjeceris, atque in illa velut scopum unicum collimaris, rem totam continuò confecisti: sed quia non desunt, qui cognitionis, & exercitationis defectu in hoc negotio non parum interdum laborant, & hullucinantur; illis adferre subsidium & lampadem accendere, Deo propitio, in hoc capite conabor, pauciſque quomodo ex amoris divini instinctu cœli gaudia, & mortem ipsam expetere, ac inferorum supplicia exhorrescere, quomodo de peccatis, deque amicorum fortunarúmve jacturâ ingemiscere, ac denique interdum quî cum laude possimus irasci, Deo auxiliante, demonstrabo.

1. Ad quim varia extendatur charitas.

In primis posse cum laude desiderari vitam æternam in confesso

2. Ad vitæ æternæ desiderium.

fesso est, atque ad hoc desiderium continuò fovendum hortatur nos S. Augustinus, aitque hoc modo monitum illud Pauli, *semper orate*, à nobis, implendum. *Sine intermissione orare*, inquit, *quid est aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? semper ergo hanc à Domino desideremus, & oramus semper.* S. Bernardus hoc desiderium ita extollit, ut sponsam illius ardore desiccatam, & denigratam arbitretur, dum nimium differri tanti boni possessionem vehementer dolet: ab hoc prætereà desiderio hoc boni accipit anima, ut prætervolet locum illum, quem Cardinalis Bellarminus *mitissimum Purgatorium*, & *quasi carcerem senatorium, & honoratum* appellat, in quo animæ hujus desiderij expertes aliquâ morâ detinentur, ut ab hoc defectu purgentur, quem etiam Beda, & S. Gertrudis, & post illos Blosius agnoscunt. Inter plurima arcana, quæ Dei mater S. Birgittæ aperuit, legimus virum Sanctum post solitariam vitam omni virtutum laude exactam, quod non votis satis ardentibus ante mortem Deum in cœlo videre desiderasset, aliquot horis in hoc Purgatorio desiderij non sine mœrore detentum fuisse, à quo tamen antequam corpus sepulturæ mandaretur, liber ad superos evolarat; & nostrâ tempestate legitimis testibus intelleximus Sanctimonialem magnæ integritatis, in illo Senatorio carcere duabus horis hæsisse, quod hac videndi Dei cupiditate, ut par est, non arsisset. Ex ordine S. Bernardi Guilielmum quendam insignis probitatis virum, familiari amico post mortem dixisse legimus, unicam se pœnam persentiscere, divinæ visionis dilationem; & simul exclamasse, O quàm excellenti lumine beabor brevi, ex divinæ Majestatis præsentiâ! Prælatum roga, ut & ipse pro me orare, & suis preces dignetur indicere. Quod factum, jussique sunt omnes septem diebus recitare Psalmum, *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum*: quibus peractis visus est à Priore in cœlo, sub pedibus B. Virginis, & se jam in perfectam libertatem assertum esse dixit: quod & alteri, cui primò apparuerat, indicavit, multáque alia in illis ignibus purgantibus detentos concernentia simul aperuit: quæ omnia desiderium hoc Deo esse acceptissimum, possèque nos hac in parte amori divino non parum velificari evidenter ostendunt. Duobus modis solent homines cælestis beatitatis cupiditate commoveri. Vulgus hoc desiderat, tanquam votorum suorum complementum, exilijque & malorum finem, tanquam dubiæ navigationis portum, &

Epist. 121. ad Probam.

Serm. 28. in Cant.

Lib. 1. de Purg. cap. 6

Lib. 5. c. 13. in monili.

3. Cuius defectu subitur purgatorium.

4. Idque ob Dei majorem gloriam.

Dei bonorumque omnium securam æternamque possessionem: atque hoc desiderium bonum est, & à spe, quæ inter virtutes locum tenet non infimum, profectum: sed longè nobilius prestantiusque existet, si homo ad suum commodum voluptatemque parum attentus Dei gloriam spectet unicè, & quia videt se hisce corporeis vinculis impeditum ad illos præstantissimos amoris actus rariùs assurgere, ardet & anhelat ad illam patriam ubi Deus amatur puriùs, & vehementiùs, & perseverantiùs: si verò de eorum sit numero qui amorem viæ & patriæ specie inter se differre arbitrantur, ita ut amoris cælestis, ut sic loquar, fructulum, myriades actuum, qui hîc exercentur, nobilitate superet, nemo non videt, quàm meritò id illam patriam, ubi Deus tam intensè & excellenter amatur, possit amoris divini candidatus aspirare, atque hoc solo ardentiùs amandi desiderio ad id optandum incitari.

5. Ad mortē optandam.

Jam verò quis hunc reprehendere audeat, si mortem, quæ ad tam felicem locum januam aperit, & in tam nobilis amoris possessionem quodammodo immittit, votis ardentibus exoptet, & advenientem ambabus, ut ajunt, ulnis amplectatur. Puerulus aliquis, qui multa de Patris opibus, multa de singulari erga se affectu à viris fide dignus intellexit, quomodo ad eius, quem nunquam vidit, conspectum anhelat; & cùm audit adstare præ foribus rhedam à Patre missam, quæ illum ad paternos amplexus, perpetuamque cum illo conjunctionem bonorumque cōmunionem deducat, quàm exultat, & quàm promptè, & alacriter currum ascendit! Idem accidere solet Deum amantibus, dum mortis recordantur, vel eam appropinquantem intuentur.

6. Quod Deo probatur.

B. Thomas de Villa-nova Valentiæ Archiepiscopus amoris flammis incensus, Deique videndi ardens desiderio, mortem à Deo petijt; quam petitionem ita Deus gratam habuit, ut imago Crucifixi, ante quam orabat, ore aperto verba, Deo id agente, articulata efformans, illam implendam promiserit, quæ etiamnum os apertum retinet, dentesque tam affabrè factos ostendit, ut peritissimi sculptores nihil à se simile formari posse asseverent.

Eodē mortis desiderio exarsit amore divno flāmas subministrante S. Carolus Borromæus eadēq; votacoram Deo ingeminavit, etsi annū dumtaxat quadragesimū sextū attigisset, de quo agens cum Patre Francisco Adorno, quo Confessario utebatur: O pater, inquit, ergóne diutiùs in hac vita manendum nobis est! libenter ea de causa mortuorum assistebat exequijs; quia

quia in illis mortis memoria refricabatur, de qua libenter & diu sermones cum familiaribus miscebat: etsi enim ingens in pectore faciendi patiendique multa pro Dei gloria desiderium aleret; moriendi tamen cupiditas altiùs insederat urgebatque vehementiùs: non enim erat ex illis, de quibus Cyprianus, quibus mori pœna est, & durare tormentum; sed ex eorum numero, quos à desiderio lucis istius cupiditas æternæ vitæ deduxit, & à præsentibus futurorum vota divellerint.

Cardinalis Bellarminus cùm à Medicis desperatum de sua salute intellexisset, exclamavit: O fausta nuntia! octogenarius hic erat: at Puer in Paraquaria recèns ad fidem conversus, cùm in templo funebres exequias fieri vidisset, & quid inde defuncto boni æternùm duraturi accideret, Deo intus docente, intellexisset; domum reversus, ipse se in sepulchrali feretro extendit parentemque rogavit ut faceret sibi moriendi potestatem. Negat Pater; sed urgente instantiùs puero, dixit: Si Deus annuat, fili mi, ut moriaris, morere; volo quod ille vult, nec ego unquam eius me opponam voluntati. Hac à parente obtentâ facultate, lætitiâ gestiens puellus, se ad moriendum composuit, & statim obijt. Quis neget hoc in puero mortis desiderium ab altiori principio, Deo scilicet, esse profectum, & ab eodē quasi amoris munusculum esse concessum?

Rebus omnibus nuntium remittere, parentes & amicos, deserere, & arctissimum illud, quod corpus inter & animam intercedit consuetudinis & amoris vinculum, quasi per jocum abrumpere, idque supremi, æternique boni obtinendi gratiâ, charitatis in Deum nobile est argumentum: Peccatum veniale, minimamque Dei offensam ita perhorrescere, ut illius continuum periculum morte velis redimere, amori, Deoque placendi singulari desiderio tribuendum est. Vitam, sanitatemque amare, ut Dei gloriam procures atque promoveas, affectus est Deum amantis; neque dubitem, si optionem alterutrum eligendi faceret Deus, animas cupiditate Deo placendi incensas, eumque singulariter amantes in diversas partes abituras, uti in S. Theresia, & Maria Dias fœminis virtute præstantibus contigisse legimus: imò Magdalenam de Pazzi Deum orasse memorant, ne tam citò mortem immitteret, nec cœli gaudia maturaret, quia pro eius gloria aliquid tolerandi omnis inde deperiret occasio. Paulum etiam Apostolum laudat S. Chrysostomus, quòd oblatâ corporis dissolutione & Christi longè amantissimi fruitione jucundissimâ, vel medios inter labores pro ejusdem gloria vitam afflictissi-

7. In quo voto vanj actus esse possunt.

ctissimam protrahendi facultate, hoc postremum elegerit, cui S. Pater Ignatius eodem Dei proximique amore succensus, suffragari visus est. Hæc omnia etsi vera sint, desiderium tamen moriendi, ut citiùs Deo potiaris eúmque ames puriùs, & vehementiùs, ab incensa charitate proficiscí negare non possumus. Omnia tempus habent, post patiendi pro Christo desideria, solet animum subire eiusdem fruendi cupiditas. S. Xaverius ita animo incenso ferebatur ad cruces, ut illas diebus singulis optaret excrescere, & clamaret: *Amplius Domine, amplius*: ubi tamen in Sanceano portu cum extremo morbo luctatur, cœlum solum Deique possessionem respirat, terrarum, & quidquid in illis geritur, fastidiosè S. Bernardus, uti Dei amantissimus, ita laborum pro Dei honore sitientissimus nihilominus cùm suam ad cœlum migrationem suorum precibus & suspirijs retardari videret: *Quid me*, inquit, *tenetis miserum hominem? fortiores estis, & invaluistis; parcite, quæso, parcite, finite me abire.* Ecce quomodo Sanctorum exemplo, quos in amando Deo primas tulisse in confesso est, mortem ambire, & in vota vocare fas sit, & amori divino hac in parte studere quàm maximè.

8. Ad virtutes acquirendas.

Jam verò quomodo ipsum virtutis acquirendæ desiderium charitas moderetur & regat, videamus: non desunt enim qui hac in parte non parum hallucinentur, & à recta deflectant orbita, dum sibi potiùs proprioque quæstui quàm amori divino in hoc negotio velificantur: testantur id nimia in illis consectandis anxietas, & si res pro voto non succedat, animi perturbatio, dejectio, & in bene cœptis inconstantia. Quærendo ergo virtus est, & omni studio, diligentiaque persequenda, quia Deo placet, quia magis inde eius honestantur obsequia, & ad eius similitudinem propiùs accedimus, eiusque hostibus magis incommodamus, qui virtutum debilitantur incursu, & paulatim earum incrementis profligantur. Honor Regis est, aulicorum splendor; & qui ex eius assecla vestium ornamenta sectantur hoc solum fine, ut regis gloriam augeant, Regem suum, non se ipsos amare probantur.

9. Simile.

An non censemus puerum illum Patris amore sinceríssimo flagrare, qui hoc solo nomine formandis pingendisque literis dat operam, atque in id dies integros sedulò incumbit, ut Patrem in conscribendis epistolis adjuvet, meliusque eius negotia tractet ac promoveat, & si res pro voto non succedat, dolet equidem, non quia sibi, sed Patri plurimum incommodat. Ita filius, qui in musica perdiscenda sese diligenter exercet,

ercet, ut parentis, qui eâ delectatur, aures permulceat, animumque recreet atque reficiat; amore certè Patris ferri se ostendit; quòd si raucedine præpediatur, aut instrumẽta musica vel defectu chordarum, vel aliquo manuum stupore impeditus tangere non possit, tristitiâ afficitur, doletque non suum dolorem, sed quòd parens expetitâ voluptate privetur. Ita nos in virtutibus consectandis, vitijsque earum congressu debellandis, non quæstum nostrum aut voluptatem spectemus, sed divinis oculis solùm studeamus, si perfectorum amantium partes implere velimus.

10. Ad inferni horrorem.

Ad hoc perpendiculum timoris affectum conformabo; si amoris divini regulam, & moderamina, ut par est, sequi desidero; si inferorum supplicia & caveam illam terribilem perhorresco, id fiet, non quia ibi mihi erit pessimè: sed quia in isto loco, odio habemus Deum, & odio habemur à Deo; quia totus iste locus diris & execrationibus in Deum circumsonat, quas audire æternùm cogar: si enim alicubi daretur locus pluribus quàm inferior ille carcer infamis supplicijs, in quo Deus amaretur, & alibi alius pluribus quam paradisus circumfluens delicijs, in quo tamen Deus esset exosus, illum huic anteferrem.

S. Coleta Virgo sanctissima cùm inspectâ tormentorum apud inferos atrocitate inde colligeret, quanto odio Deus ferretur adversus peccatum, ita inhorruit, ut sui quodammodo impos ne daretur in præceps, tam tenaciter clathros propinquos apprehenderit, ut inde non posset digitos avellere.

B. Magdalena de Pazzi tantum de peccati mortalis turpitudine horrorem conceperat, ut ad illius nomen propemodum mortua cõcideret, quòd tale monstrum Deo tam exosum inter mortales locum reperiret. Cùm aliquando B. Mariæ de Victoria, gravia ab aliqua perpetrata narrarentur: Abrumpe quæso sermonem istum, inquit, quia dolore conficior; addiditque se nosse non-neminem, cui si Deus multitudinem peccatorum, quæ in ipsum committuntur, ostenderet, præ doloris magnitudine mortua concideret.

11. Et dolorem ex fortunarum aut amicorum jactura.

Atque hæc de tristitia, odioque eorum, quæ divinum numen violant & ob amorem quo in illum ferimur, animos nostros perturbãt, dicta sint. Sed inquies cùm varijs alijs, qui incidere solent, casibus, ut fortunarum jactura & amicorum morte nos mœrore commoveri contingit, quid ibi aliud ab amore divino submini-

agnoscunt, consuetudinem scilicet, humanamque amicitiam, & intra naturæ limites consistentem affectum. Ita communiter se res habet: cùm tamen & Christus super Lazarum fleverit, & S. Bernardi in patris sui Gerardi funere lachrymas legamus, has ad amoris divini moderamen, qui in eius corde sedebat ad clavum, profectas non dubito, qui illos mœroris naturalis sensus non suffocat, multò minus extinguit; sed ita regit ijsque eum colorem imprimit, qui divinæ arrideat Majestati.

fratris

12. Christi lachrymantis exemplo.

Primò itaque his suspirijs & lachrymis peccatum, ut omnium malorum causam, possum impetere, & ab illo profectam jacturam lamentari, & Christi super Lazarum lachrymas quidpiam simile spectasse arbitror, dum infremuit, mortemque de amici sui quodammodo spolijs triumphantem supplantare voluit, & à peccato inductam, ipse peccati mortisque victor futurus in cruce, hac priùs occasione superare. B. Jumperus, viri ex suo Ordine virtute præstantis intellectâ morte, in suspiria lachrymasque abijt, domumque lamentando obiens exclamavit: Nihil amplius restat in hoc mundo, quandoquidem in virum tam eximiæ sanctitatis mors tantum potuit; & culinam ingressus obvia quæque confregit, dicens: Abeat, & ruat mundus,

13. Et B. Iuniperi.

quando illi tale fulcrum mors eripuit? quid nunc operæ pretium est aut necessitas edendi & vivendi? moriamur potiùs omnes post tanti viri jacturam, & nos illi comites demus.

Hos in illo exuberantis tristitiæ sensus duplex amor excitarat, Dei scilicet, & proximi; quia & Dei gloriam tam singularis operarij amissione imminutam, & mundum tali præsidio destitutum lamentatione dignissimum arbitrabatur. Jam verò si teste S. Hieronymo in morte S. Antonij cœlo, terræque Deus luctum indixit, & trium annorum siccitate testatum voluit: si in S. Simeonis Stylitæ occasu avibus circum columnam volitantibus silentium, arboribus & pratis adjacentibus ariditatem, & circumfusis populis altissimum mœrorem immisit; cur Deo lachrymæ nostræ non placeant, cùm in similibus casibus, nullâ cum eius voluntate dissensione eas ubertim effundimus?

14. Iram concitandam laudabiliter.

Jam ad iram eiusque commotiones veniamus, periculosum in manu pueri gladium; sed si Amori sancto regendus tradatur, egregium ad Dei gloriam promovendam instrumentum, quo contra peccatum & ad injurias Deo illatas ulciscendas viri sanctissimi prudenter & fortiter non semel usi sunt. Ipse Christus Judæorum cæcitatem, & pervicaciam aliaque vitia,

vitia, non ferens, *erat illos circumspiciens cum ira.* Sanctus Franciscus mortalium humillimus,& mitissimus, quem ipsa mansuetudo, & pietas sinu suo effudisse, & fovisse videbantur,in fratrem tamen inobedientem & contumarem ita exarsit, ut in illum involans caputum illi violenter eripuerit, & in ignem jactarit. S. Bernardus zeli fervorem, qui irarum plenus est, suis impensè commendat.*Ferveat,* inquit,*in nobis zelus iste,fratres charissimi, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis; nemo vitia palpet,peccata dissimulet nemo.* S.Brigittam arguit Christus Dominus,quòd in vitioà se deprehensa in loco juris non sui, acriter invecta non esset: dixerat enim illa intra se: Si Deus me & illos patiêter tolerat,cur ego idem non faciam? Minimè,inquit Christus, id tibi agendum fuit; sponsa mea es,quam decet injurijs mihi illatis commoveri, eaque reprehendere; ac si propterea convicijs opprobrijsque impetatur, ea sibi honori ducere, ut solet miles aliquis regio honori studens, illiusque tuendi percupidus, qui vulnera, quæ eâ occasione accipit, inter gloriæ insignia numerat. Hoc argumento S. Gertrudem consolatus est aliquando Christus, dum in animo sentiret aliquid amaritudinis, quòd sanctimonialem acerbiùs quàm par erat, reprehendisse sibi videretur. Utebatur Virgo

Serm. de S. Ioan. Bapt.

15. Quod ut binde Deus vult quam subinde Deus exigit.

Deipara R.P.F.Henrico à Calstris ex ordine S.Dominici familiariter, eumque pro opportunitate cælestibus monitis instruebat: dixit ergo illi aliquando: Tu in Sacramẽto pœnitentiæ accusare te proponis, quòd fratrem verbis acrioribus castigaris; in quo tamen non peccasti, sed in duobus alijs; nempe quòd sine caussa longiùs colloquium in porta protraxeris, & quòd tepidè Sacramentum confessionis obieris, & Missæ sacrificium peregeris.

Choquetius.

S.Bernardus amorem sanctum contra amati injurias irâ efferuescere & zelum ad ultionem subsidio evocare pluribus ostendit.

Serm. 2. de Resurrect. Serm. 44. in Cant.

At verò S.Ioannes Chrysostomus nimis lentam mansuetudinem verbis acrioribus excitat, & quousque iratus amor progredi possit, luculentè demonstrat. *Si quempiam*, inquit, *Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, non recuses, ipsius faciem alapâ percute, contere os illius, & percussione manum sanctifica.* Si qui maledictis Regem audet impetere, continuò luit,cur potiori jure jactæ contra Deum injuriosæ voces aliquo supplicio non castigentur? Audivit aliquando P. Ioannes Hurtado vir sanctus è Dominici familia,qui oblatos à Carolo Quinto Archiepiscopatus Granatensem & Toletanum respuit; audivit inquam in

Hom. 1. ad Pop. Antioch.

16. Blasphemum castigantis libertas.

similes blasphemas voces erumpentem è militibus aliquem, ad quem propiùs accedens: Mentiris, air, bipedum nequissime; non est talis Deus, qualem ineptè compellas, sed bonns est, justus est, misericors est: cumque alter in furorem actus evaginato pugione manum ad feriendum attolleret, diceretque: Abjectissime cucullate, tuúmne est me reprehendere, qui porco & qualibet bestiâ vilior es? Tum vir sanctus in genua provolutus, & ad mortem excipiendam paratissimus, vultu sereno: Verum dicis, inquit, & plura longè, quàm obtrudis, sum promeritus: sed ea quæ contra Deum vomuisti, falsissima sunt, & injuriosissima: longè abest ab illis, qui ipsamet bonitas, & sanctitas est.

17. Nihil dolendum præter peccatum.

Itaque si nec irâ, nec tristitiâ, nec aliâ animi perturbatione contra divini amoris leges commoveri velimus, oportet, ut inducamus in animũ nihil esse in rebus humanis mali, præter peccatum, quod Theologi *malum Dei* appellant, quia Majestatem eius offendit, & violat; atque in hoc viros sanctissimos Basilium, Ambrosiũ, Chrysostomum, Hilarium nobis imitandos proponamus, qui eorum etiam Imperatorum, cum quibus negotia habuêre, testimonijs, nihil pertimescebant, nisi peccatum, quod cum Dei honore & amore pugnaret; hinc contra illud solum aut dolore, aut irâ commovebantur, cætera ut res ludicras, & puerorum crepundia despiciebant. Quod si aliquo ex illis aut alijs affectibus, quas passiones vocamus, nimis agitari perturbarique te sentis, eiusque occasione in nonnulla interdum vitia prolabi, optasque ex me modum illum edomandi intelligere, paucis aperiam.

18. Ad passiones domandas juvat charitas.

Primò uni Deo placendi desiderio excitatus ante illum te prosterne, & ubi tuam in eo vitio domando imbecillitatem, & gratiæ divinæ necessitatem humili confessione professus fuerit, lumen à Deo, omnis luminis fonte suppliciter efflagita, quo in illius passionis, quam debellare proponis, naturam & primam eius radicem ac scaturiginem penetrare possis; v. g. facilè in iram erumpis; unde illa originem ducat, ex anima; ab alia enim principali passione dubio procul profluit, quàm velut satelles comitatur, & defendit: vide quibus potissimùm occasionibus ira te apprehendat: an forte dũ tuis mandatis aut verbis tam celeriter, ut velles, mos non geritur, aut tibi contradicitur, aut violatur auctoritas, gratia contemnitur, exiguaque amicitiæ ratio habetur: si rem ita se habere advertis, ergò occultâ superbiâ laboras, & excellentiam propriam, existimationemque tuam amas impensiùs; hìc modus

Ut superbia.

modus est, hîc cuneum adhibe: coram Deo te nihil esse agnosce, imò te vitiorum sentinam reputa, & mortalium omnium potiùs odium te & despicientiam, quàm amorem & reverentiam esse promeritum profitere: quas in te sordes non vides, illas ab alijs conspici existima: ipse quam tibi de alijs opinandi libertatem assumis, alijs de te judicandi permitte: atque his & similibus rationibus excitatus omnes animi nervos ad hanc tui immoderatam existimationem penitus debellandam intende, & facilè crebris illis iracundiæ motibus aditum præcluseris.

19. Commodorum amorem.

Si verò illa à nimio commodorum tuorum amore promanet, si quia tuis voluptatibus, lusibus, venationi, delicijs, obex opponitur, in iram concitaris, tu affectibus illis, nimiæque in res similes propensioni frænum impone.

20. Iram.

Cotys Rex Thraciæ vasa crystallina sibi data deperibat, suumque erga illa nimium amorem attentiùs considerans, omnia simul frangi jussit; dicens se iracundiæ suæ materiam subtrahere, satiusque à se pacato & sedato animo illa confringi, quàm ubi ab aliquo famulorum unum aut alterũ frangeretur, frustra & sine remedio irâ excandescere.

Atque in hunc modum ad tristitiæ passionem edomandam progredere, amori tuo erga res, quæ tibi auferri possunt, teque suâ orbitate mœrore afficere, priùs tu legem impone; ama illas ut repentinis casibus tibi eripiendas, & victor evades. Sed in his omnibus sensim & gradatim incede: primò in petendo à supremo moderatore subsidio diligens esto; eique plurimum fide, ut auxiliatori qui tibi adjumento esse vehementer desideret, si modò tu eius fretus auxilio generosè cum hoste confligas; nec propter unum aut alterum lapsum animo concidas, ad nova semper auxilia, novosque congressus comparatus assurge; preces inflammatas, eleëmosynarum largitiones, Sacramentorum frequentationes, librorumque piorum ad id spectantium lectiones ad hunc finem adhibe, constanter rem urge, certus de victoria, tempore à Deo præfinito, seriùs ocyùs obtinenda: unum Dei amorem, eique in his omnibus singulariter placendi desiderium continuò ale. Quod de ira tristitiaq; à me dictum est, hoc de pusillanimitate, timiditate, & cæteris affectibus dictum puta.

CAPUT III.

Quomodo divini Amoris legibus cogitationes regi, contineríque possint.

1. Magna cogitationum levitas.

NOn satis definitum invenio, quæ in nobis cogitationum sedes sit, an cor hominis, ut Aristoteles & Stoici volunt, & cum illis Tertullianus, & S. Hieronymus, quibus favere videtur sacræ paginæ; an verò caput, ex Medicorum communiori sententia. Quidquid verò sit de alterutrius opinionis veritate, apud omnes in confesso est, cogitationum naturam inconstantem, volatilem ac desultoriam esse, & propemodum fræni incapacem; ad hæc tam variæ sunt, & molestæ, ut jure de illis conquestus videatur Propheta: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum*: meritóque, cor nostrum prægnanti & parturienti comparet Spiritus sanctus, dum dicit: *Cor tuum quasi parturientis phantasias patitur.* Quemadmodum qui è terra ad mediam aëris regionem vapores elevantur, mirabiles fortuito inter se concursu efformant in nubibus figuras, evanidas, ventorumque ludibria: ita in corde humano ex speciebus hinc inde sese permiscentibus variæ nascuntur cogitationes & imagines nullo ordine, nullâ disciplinâ inter se pugnantes, quibus miser homo illuditur, ijsque observandis temporis jacturam facit. *Cor meum dereliquit me*, inquit non sine gemitu Regius vates; & quorsum quæso, aut quò ibijt? vagatur scilicet huc illuc, & revocantem non audit. Tandem alio in loco gaudet, Deoque gratias agit, quòd illud invenerit, & compedes quodāmodo Deo auxiliante illi injecerit: *Invenit*, inquit, *servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.*

Iob 17.

Eccli. 34.

2. Ex temperamento nascentium.

Verùm ut hunc errorem Amori sancto in disciplinam tradamus, inspiciamus huius instabilitatis fontes præcipuos. Primus inter omnes est corporis humorumque in hominibus constitutio, ac temperamentum. Inter elementa ignis ob innatam agilitatem ferè semper est in motu, aër verò cedere facilis agentium qualitates facilè recipit, aqua verò ad vasorum formam continuò se accommodat: ita hominis ignea indoles in suis motibus prompta & expedita, similibus cogitationibus agitur: sanguinea, biliosa, humida, quæ aëris plurimum, & ignis, & aquæ aliquid permistum secum vehunt, subtilibus, levibus, & dissolutis ludificantur, quæ omnia in pueris, experimus.

3. Et consuetudine.

Fons alter est mala consuetudo, quâ imaginandi vim sine lege vagari

gari ab infantia permisimus, quæ huic libertati assueta frænum pati non vult; ut pueris accidere videmus, quorum solutiores mores nullius pædagogi disciplina domuit; ita etiam pullum fræni insuetum, quem in campis hactenus libertas aluit, ad quemlibet sessoris ictum recalcitrantem sentimus.

4. Et sensibus vagis. De fuga sæculi.

Tertium fontem nobis aperit S. Ambrosius, nempe sensus corporis vagos, & solutos. *Respexit*, inquit, *oculus, & sensum mentis avertit; audivit auris, & intentionem inflexit; exhalauit odor, & cogitationem impedivit.* Pergit illos comparare fenestræ Arcæ Noë, è qua emissi sunt corvus, & columba, è quibus emissionibus prima corvi, mala fuit, qui cadaveribus insidens non redijt; altera columbæ, quæ inutilis extitit: nam secundò demum emissa olivæ ramum detulit. Hinc Abbas Pimenius de fratrum visitationibus interdum querebatur, quòd duas portas aperirent, oris & aurium; per quas ingens deinde cogitationum parum utilium exercitus sese in animum inferebat.

5. Et affectibus parum domitis.

Quartus fons in affectibus animi parum castigatis consistit; cùm enim unus ex illis in nobis vehementiùs exsurgit, quocumque feratur, eò secum animam rapit. *Ratio*, inquit Seneca, *tamdiu potens est, quamdiu deducta est ab affectibus; commota semel ei servit, à quo impellitur.* Rem hanc facit experientia testatissimam; neque enim tantùm passio aliqua concitatior, cogitationes ad instar torrentis secum rapit; sed omnibus vitæ functionibus, ut comestioni, & ciborum concoctioni, ac nutritioni, somno, & similibus multum incommodat, & morbis, mortique januam interdum aperit: ita tristitia Aristotelem, pudor & vehemens dejectio Homerum, Stilbonemque, ira & furor Valentinianum extinxit. *Iustinus part. Greg. Nazianz. 1. Herodotus. 1. Plin l. 7. Baron. ad annum 374.*

Et curis.

Quintum fontem efficiunt curæ, & solicitudines, quæ mentem hominis varijs cogitationibus in omnem partem irrequietam agunt. Augustinum coram Theodosio habenda panegyris, torquet & exagitat; lis de capite, reo incarcerato canitiem inducit: quin & sanctis occupationibus velut muscæ se ingerunt easque deformant & fœdant; concionatori qui ad fores templi caballum alligarat, metus ne furto surriperetur, dum facit ad aram, importunis cogitationibus mentem obnubilat; & Pastorem apparatus prandij sacris mysterijs occupatum, cogitationum importunitas mente ad culinam suam rapit, & Deo ita permittente, jocosam hominis irridendi & ludificandi dæmoni materiam præbet: allato enim ante oculos vasculo, quod coquendis pisci-

piscibus igni impositum erat, dixit: O coce, & non Sacerdos, en vas, & pisces, & sal; injice, quantum vis: urebat tum illum de saliendis piscibus cura, & injuriosa divino Numini cogitatio.

6. Et dæmonis artibus.

Sextum dæmonis artificijs locum tribuendum arbitror, qui ad perturbandos homines cogitationum præsertim ministerio utitur, nullumque ferè habet in officina sua armorum genus aut potentius, aut fraudulentius. Visus est aliquando ante Monachum cellulæ ædificandæ cupidum, orationis tempore lapides congerere: visus est tempore Sacrificij, capiti puellæ, quæ ad choreas agitandas invitata fuerat, insistere, & saltatorijs instrumentis ludere: ostensus est aliquando S. Birgittæ à B. Virgine carbones operoso flatu accendere, quo emblemate docebatur, in eius pectore dæmonis artibus ardentiorem erga filios amorem excitari, ut eam à suscipiendis pro Dei gloria peregrinationibus averteret: ostensus est eidem vepres, & carduos super eius vestimenta proijcere, ut ijs excutiendis continuâ illam molestiâ afficeret: quo schemate instruere voluit nos B. Virgo, quibus fraudibus timidas & scrupulosas mentes impostor ille Tartareus exagitet, dum cogitationes continenter immittit, jam contra Deum, mox contra fidem, tum adversus castimoniam, atque unâ excussâ ac depulsâ alteram substituit, ut miseros perturbet, orationis fastidium ingeneret, & virtutum cursu non tantùm retardet currentes, sed conatus omnes infringat.

7. Ab amore coercetur.

Iam videamus quomodo Amor sanctus, cùm eius curæ custodiæque cordis familia commissa est, tam multiplicem cogitationum turbam regat, quomodo otiosas arceat, impuras ab ingressu prohibeat, vanæ gloriæ fumo infectas dissipet, odij & invidiæ ac vindictæ aversetur, & fugat blasphemas aut contra fidem, spemque insurgentes non audiat, & contemptu, vel oppositis actibus enervet, & conterat.

In primis ergo, quod strenuis ducibus in more positum est, ad urbis portas, alioque aditus excubias ipse collocat, qui intrantes, & exeuntes examinent Timorem Dei, & Circumspectionem; in prælta verò turri velut specula Providentiam, ipsemet Amor cum cogitationum Discussore vigilias obit, ad omnia intentus: & quemadmodum S. Gregorio teste longè aliter se res habent in ea familia, ubi Domina domi se continet, ancillisque suis pensa distribuit, earumque occupationibus sedulò invigilat, quàm in alterâ, ubi hera domo ferè semper abest, & domesticorum moribus & actionibus parum attendit: in illa enim pax

pax & diligentia, ac profectus; in hac verò dissensiones, querimoniæ, clamores, & dispendia jacturæque temporis & rerum: Idem accidit in corde, in quo amor judicit, primò enim Memoriam bonis cogitationibus occupat, ab otiosis & vanis ad utiles & æternas elevat, & signis quibusdam, aut sacri codicis selecta sententia eam nutrit, instruit, ac recreat; Imaginativam memoriæ ostiariam utilibus repræsentationibus mortis, Judicij, cælestis patriæ, & supplicium æternorum detinet, & ad varias Christi tam nascentis, quàm concionantis, & præsertim patientis efformandas imagines compellit, linguam & aures sub arctissimæ disciplinæ legibus coërcet, jubetque parum utilibus fabulis ne attendant, ut B. Stephano inter Eremi incolas contigisse legimus, qui rogatus cur nihil diceret, respondit se nihil eorum quæ dixissent audisse, quia die ac nocte in Christi de cruce pendentis contemplatione occupabatur. Odit jacturam temporis amor divinus, efficitque ut minimâ eius particulam cum S. Augustino plurimi æstimet, dicatque cum illo: *Carò mihi valent stillæ temporum*: & de malo eius usu exigendam aliquando rationem seriò cum S. Anselmo apprehendit, quem occinere sibi solitum legimus: *Exigetur usque ad ictum oculi, quidquid expensum temporis.*

8. Memoriæ bonas cogitationes obijciente.

Lib. 11. Conf. c. 1.

In medit.

Ponit homini ante oculos, quantis lachrymis præteritorum annorum dispendia, & malos usus deflere soleat animus sibi. Deoque redditus, & cum Sancto Augustino coram divina Majestate suam in ea re cæcitatem quam deploret, dicens cum illo: Mecum eras, & ego tecum non eram. Si mendico promitteret aliquid, modò oculis attentis singulos passus observet, aureum munus certò in via ab illo repertum iri, quantâ ille vigilantiâ in id incumberet. Nos verò, qui in nobis Deum cordium nostrorum non tantùm inspectorem, sed habitatorem agnoscimus, quomodo cogitationibus sanctis ad illum continuò non accedimus, & de eius thesauris singulis vicibus immensas divitias non colligimus? Multum Deo sibique defuisse existimabat B. Maria Victoria, si vel unius horæ quartâ parte cogitationem Dei præsentis, & amantis non renovasset, quod alio divertendo non nisi fumos, & ventos hauriret, experireturque illud monitum S. Paulini verissimum, alendas idcirco de Deo assiduè cogitationes, *ne nihil simus, cùm ab illo excidimus.* *Ep. ad S. August.*

9. Divinæ gloriæ contra cogitationes superbiæ.

Quod ad cogitationes vanæ gloriæ, hominisque sibi applaudentis attinet, illas Sanctus hic Amor ut venenatas muscas, & latrunculorum instar quæ Dei sunt, surripientes, aspicit, qui dicit: *Gloriam*

meam alteri non dabo: docetque cum sancto Bernardo hoc versiculo illas abigere: *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* vel cum Guilielmo Parisiensi ad Deum illas mittere, dicendo: *Vade, ô gloria, ad eum, cujus es:* caveréq; ne sit de corũ numero, cõtra quos ut latrones S. Bonavẽtura declamitat. Si continuò non abeant, eas ut obstrepentes vespas cõtemnit, & ad Dei optimi maximi laudem & gloriam cœlo terraque propagandam desideria sua votaque convertit.

De Humil.

Speculop. 3. c. 10.

10. Obscœnis occupãdo animum.

Plus negotii est Amori sancto cum impuris fœdisque cogitationibus, ad quas arcendas, vel declinandas non una industria utitur. Primò ad primos illarum accessus cum B. Iunipero, & Ægidio S. Francisci asseclis diligenter excubat, & adventantibus fores obserat, dicens; aliò ut abeant, locum à meliore possessore occupatum; Deo scilicet, ad quem continuò mentem elevant. Probat etiam Macarii consilium, quo Theopompum fœdis imaginibus à dæmone vexatum monuit, ad ejus importunas suggestiones non attendere; sed erectis in cœlum oculis humili precatione auxilium inde acceseret; utque viatorem hac in parte imitaretur, qui ad ursi, lupivè in silvâ conspectũ arborem proximam celeriter ascendit, ut eorum morsus, & ungues declinet. Quòd si importunius urgeant, tum pœnitentiis corporisque castigationibus utendum monet, probans id quod aliquando similibus cogitationibus dehonestato suggessit B. Ægidius, hominem interrogans, quid ageret si canis ipsum morsu impeteret. Baculo & fustibus, inquit, illum abigerẽ: Fac, inquit, in hac pugnâ similiter; & quandoquidem dæmoni verbera infligere non potes, corpus, quo ille velut preditore utitur, ut par est, plagis onera. Quòd si nihilominus Deo ita permittente, cogitationes illæ, velut plagarum contemptrices, in statione permaneant, eas tu contemne, & quam tibi creant molestiam, animo ad Dei nutus se conformante humiliter, & patienter tolera; abibunt illæ, vel potiùs earum auctor dæmon, qui contemptum ferre non potest, atque ut mendicus ad fores occlusas pro eleemosyna impetranda vocem contendens; si sine responso ibi relinquatur, post aliquam moram tandem abscedit, nullum domi esse arbitratus; ita hîc fieri experientiâ ipsâ doceberis.

11. Illas excludens.

12. Blasphemiis orãdo & gemendo.

Restant bella cum cogitationibus Deum, Sanctos, Sacramenta ipsa impetentibus ac fidem extinguere, & spem omnem evertere conantibus: hic clientem suum Amor ille divinus silentio & oratione

13.

tione pugnare vult, & clamoribus & suspiriis cæleste subsidium implorare, illisque contrà pertinaciter tumultuantibus, non perturbari animo, non propiùs earum ingressum, & recessum excutere nullo fructu: sed in gradu constanter stare, orationes augere potiùs, quàm minuere. Non enim semper hoc agit dæmon ut harum cogitationum venenatis jaculis animum lethaliter confodiat, cùm satis advertat talem tamque sibi desideratum pugnæ exitum à se cum homine sub Amoris divini vexillis militante, sperari omnino non posse: hoc ergo solum spectat, ut animam perturbet tristitiæ nubibus, & continui belli fastidio de constantiæ gradu dejiciat: cui malo, spem proximi de cœlo venturi auxilii nutriendo, occurrit sanctus Amor, melioraque spondet, victoriam in propinquo adurfantem demonstrat fortiterque facienti paratam in cœlesti palatio ostendit coronam immortalem. Interea duo tantùm à cliente suo efflagitat. 1. Altissimam cum Dei voluntate, tum in sustinendis repetitis hostium assultibus, tum in toleranda in frenandis cogitationibus infirmitate & impotentia consensionem; quandoquidem ad illas penitus profligandas vires
13. suppeditare nolit divina Bonitas. 2. Firmissimum de Deo nunquam offendendo propositum, cum B. Alexiæ Lotharingæ generosa protestatione, Deum invocando: O Deus, me, quæso, ad æterna potiùs inferorum damna supplicia, quàm ut vel in re minimâ contra tuum honorem dæmoni me tentanti ac solicitanti consentiam. Atque ut jam dictorum confirmationem in medium proferam, Rem non minùs mirandam, quàm jucundam, quam suppeditant revelationes factæ S. Brigittæ. Sacerdos vir bonus, & virtutis studiosus, dum ad aras facit vel in honorem B. V. rosarium aut alias preces recitat, à dæmone tetris & impuris cogitationibus infestabatur, irrito semper conatus: numquam enim ab istis sanctis exercitationibus avocare illum potuit. Duravit hic conflictus totos annos duodecim. Quibus exactis affulsit tãdem de cœlo serenitas, factumq; tum sacrificii tempore, tum precationum ad B. Virginem, ut ingenti semper dulcedine & gaudio perfunderetur: intereaque (ut Angelus S. Brigittæ ostendit) cogeretur dæmon ante hominem manibus post terga revinctis, oculisque in terram demissis victus consistere, & pudore confusus se debellatum fateri. S. Catharinam Bononiensem tot prodigiis à Deo honestatam periculosis & tenebricosis contra V. Sacramentum cogitationi-

Peccati fugam proponẽdo.

Revel. 15.

14. Exemplũ solerdotis duodecim annis tentati.

bus Dæmon ita obnubilarat, ut cùm ad Sacram Synaxim accedendum esset, nunc hæreret, modò surgeret, jam abiturirет, ut adstantium Sanctimonalium manibus contineri eam oporteret: ut tamen Superioribus morem gereret, medias inter tenebras non sine anxietate Sacramentum accipiebat: donec post aliquem temporis lapsum divina lux affulsit, in qua vidit, quî Christus sub speciebus lateret, quomodo se animæ densa caligine obrutę communicaret, & tantum abest, ut illis tenebris & mentis angoribus offenderetur, ut etiam majorem illis gratiam, propter adhibitos in oppositum conatus, rependeret: quod ipsa intelligens, novis circumfluens gaudiis, & cælesti perfusa dulcedine ob tam insignem, tamque reconditam Dei erga se providentiam, gratias egit immortales.

15. Viriliter resistendo.

Tyroni Eremi apud Senem Solitarium de cogitationum instabilitate, & mētis evagationibus cōquerēti dedit ille in mādutis, ut in apertum campum procederet, & ventum pallio inclusum sibi deferret. Ivit ille simplici obedientiâ judicium submittens, & cùm frustra conatus esset, ad Senem reversus dixit; ventum nullo modo pallio suo includi potuisse. Ita, inquit Senex, nec frænare, & ad libitum continere cogitationes in nostra est potestate, sed ad id dumtaxat conniti, & cum divino auxilio perseveranter puganre possumus; potest tamen multa hac in parte divinus Amor; atque ut in vertice montis Olympi ita omnia pacata esse feruntur, ut quod in arena suo genio levi & volatili grādioribus notis exaraveris, post annum intactum, inviolatum, imperturbatis characteribus invenias: ita in illis mentibus, quas sanctus Amor ad sublimem cum Deo conjunctionem evexit, sublata videtur illa cogitationum inconstantia, & in unius summi boni intuitu simul omnēs defixæ quodammodo sunt & contemperatæ, ut in Barlaamo, Aloysio Gonzaga, Maria Victoria, aliisque contigisse legimus. Tunc Deū amans Anima sentit, quod in simili occasione S. Bonaventuram dixisse legimus. *Non possum, Domine, intendere mihi & tibi, & ideò permutatim tu intende mihi, & mea infirmitati, ut eam subleves, & ego intendam tua bonitati, ut in ea delecter.*

16. Se humiliando.

Quando verò, Deo ita permittente, hostis prima septa perfringit, & in interiora imaginatiuè ingressus, variis cogitationum tumultibus, & formis eam infestat, memoriamque obnubilat, totamque intellectus familiam in diversa raptam seditiosè permiscet; tum Amor sanctus in Voluntā-

luntatis munitionem ingressus, hinc patientiâ & humilitate, inde Fide & Spe, velut auxiliatibus copiis succurrentibus plures exiguo tempore de adversario victorias reportat, quam dum longâ pace perfruitur: tum enim in terram prostratus velut succidaneam victimam se Deo offert, ac dein spe erectus hostem vltrò lacessit, & ultima cum illo experiri paratus, in Deo, qui omnia potest, eamque confortat, omnia se posse ostendit. Non amat Amor ille ea, quæ infestant: sed lubenter & fortiter patitur. *Quis enim*, inquit S. Augustinus, *dedit molestias, & difficultates pati? Tolerari eas jubes* (Deus) *non amari; nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat.* Felix ergo anima, quam Amor sanctus possidet, & regit, quæ & Pacis tempore cælestibus deliciis fruitur & bello furente, omniaque turbante, coronas immarcescibiles pugnando nancisciturr.

CAPUT IV.

Quomodo Amor sanctus in bonum usum temporis incumbit.

1. Temporis pretium ex scripturis.

NIl tempore pretiosius esse in confesso est apud omnes, & tamen tanquam rem exigui momenti, & curâ aliquâ indignam, videmus passim prodigi, & quasi ad arbitriũ primò occupãtis exponi. Beatis in cœlo degentibus, & nos suo pondere metientibus hæc socordia, & oscitantia videtur intolerabilis, qui cum sancta Mechtilde agentes familiaritater, inter cætera dixerunt: Si homines pretium temporis, & quot uno die bono ejus usu meritorum cumulos exaggerare possent bene apprehenderent continuò ubi mane evigilarunt, in labores pro Deo incumberent, nec momentum infructuosè præterlabi sinerent. Interrogati etiam apud inferos damnati, cujus pœnitentiâ potissimùm tangerentur, responderunt non semel, amissi temporis. Angelus in Apocalypsi hominibus prætium temporis persuadere volens, Deique in eo hominibus ad promerendam beatitatem concedẽdo insignem munificentiam, levatis in cœlum manibus jurat per Deum viventem in sæcula: *Quia tempus amplius non erit*: hoc est, tanto tamque singulari hominibus concesso beneficio Deus finem imponet.

2. De SS. Patribus.

Spiritus sanctus in sacris paginis, & ex illo sancti Patres velut tubæ personantes, passim, verbisque gravibus diligentiam in tempore benè collocando instanter commendant: S. Basilius ad instar

torrentis præcipitanter labi demonstrat, ex quo nisi actionum tuarum viridantia prata sedulò irriges, frustrà id facere voles, cùm effluxerit. Beatus Ephrem in idem conspirat. Sanctus verò Ambrosius tam palpabilem Christianorum socordiam deplorat, qui tempus, quo sibi domicilium pulcherrimum in cœlis ædificare possunt, vitæ præsentis nugis & bullis consectandis impendunt. Sed audiamus fusiùs contra hanc væcordiam declamantem S. Bernardum: Volat, inquit, tempus irremeabile & non advertit insipiens, quid amittat; tempus nimirum, quod ad agendam pœnitentiam, ab obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio conditoris elargitur. Sanctus verò Augustinus seriò monet, ut fortunarum potiùs jacturam faciat, quàm temporis. Quando, inquit, aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus, id enim quod perdis, pretium temporis est: sicut enim das numos & panem emis & ita aliquid amittis, & aliquid acquiris, sic perde numos, ut emas tibi quietè, id est tempus vacandi Deo; hoc est enim tempus redimere.

Serm de triplici custodia.

Serm. 29. de verb. Domini.

3. De Philosophorũ judicio.

Philosophi aliique ex gentibus prudẽtioribus, etsi fide nõ fuerint illustrati, solo naturæ lumine pretium temporis plurimum appenderunt. Theophrastus nullam meliorem parcimoniam, quàm temporis; nullam etiam lamentabiliorem jacturam esse dicebat. Plinius cùm nepotem otiosè ambulantem videret, severè illum reprehendit, quòd rem pretii inæstimabilis quasi per lusum perderet. Alter interrogatus cur fleret, amissionem temporis inter præcipua se deflere respondit; ait enim:

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Diu se fuisse, sed parum vixisse, ajebat Simonides, quòd tempus amissum pro vitæ parte deperditâ numerat. Sed qui supra cæteros temporis naturam, & pretium melius pervidit, & luculentiùs commendavit, est Seneca, qui cùm in Epistolis, tum in libro de brevitate vitæ summam temporis avaritiam, & in ejus usu singularem vigilantiam inculcat; quia, inquit, *multa etiam diligentißimis pereunt*; & sicut habere videtur alas ut avolet, vellet nos etiam pennas assumere ut illud assequamur, & nostrum velut captivum compedibus injectis abducamus. Illos verò severa castigatione dignos existimat, qui tam facilè ab aliis temporis partem postulant, & pariter eos qui concedunt; *Tempus*, inquit, *quasi nihil petitur*,

&

& quasi nihil datur. Si bursam numis gravem aliquis à te peteret, negares,& tempus rem pretiosiorem pecuniâ postulanti liberaliter donas,& lusu ac otio inutiliter absumis.

Ejus usus ab amore regitur.

Amor sanctus, qui suis clientibus lampadem prælucet, longè aliam eorum animis temporis æstimationem injicit, ac primò de præteritorum dierum malo usu pœnitentiam & dolorem exprimit, & ad remedium in ipso vestigio adhibendum excitat: ne sit de illorum numero, qui damna sua deplorant,nec emendant. *Multis*, inquit Petrarcha, *fletur amissio temporis; sed culpa tacetur.* Itaque pro conditione personarum remedia consignat: aliqui enim negotia omnia seriasque occupationes fugiunt, & dies totos pro libertate comburunt: alij muneribus publicis occupati, non tam sibi, quàm Reipublicæ serviunt: alij, ut famuli & ancillæ, alieno viuunt arbitrio; aliorum verò promiscua est temporis elocatio. Quomodo hos omnes in tẽpore bene collocando Amor instruat, videamus. Ac primorum quidem morbo mederi, res magnæ est operæ, & difficultatis. Videbis hominem libertati assuetum & dies integras uni, quam adorat, voluptati immolantem, qui manè dum surgit incertus quî diem istum sit transacturus, in varia ludicra oculos conjicit, venationem, sphæristerium comessationes, visitationes, familiarium, & quid sit electurus, deliberat; diceres belli ducem de rebus magni momenti solicitum: sæpè re nullâ constitutâ domo egreditur, amico primùm obuio aut spectaculo in plateis occurrenti aures & oculos commodat, & ut scopulo adhæresci. Miser sanè & miserabilis, & periculorum incautus, dũ dæmonis vigilantis retibus se ultrò exponit,quæ palabũdo nullo negotio solet præstruere,remq; pretiosissimam, tempus scilicet, transeuntium pedibus velut proterendam & conculcandam præbet. Longè meliùs cum hoc hominum genere ageretur si vel tantillum in Amoris sancti disciplinam se traderẽt, doceret ille temporis pretium, & fugam, deque illo ejusque usu ad momentum reddendâm exactissimam rationem, tum ad ejus per horas singulas & actionum vicissitudines distributionem accuratè conficiendam vrgeret, quæ exacta & prudens esset, & constans simulque varietate suâ voluptati deserviret, & utilitati.

De Remedio utriusque fort.

Primò exactam esse juberet, quandoquidem Spiritus sanctus Eccles. 14. ita velit: *Ne defrauderis à die bono, & pericula boni doni non te prætereat.* Quæ verba licet ad avaritię deditos dirigi potissimùm viden-

videantur, ad temporis tamen prodigos etiam pertinet Sanctorum Patrum judicio, qui alia etiam à Christo Apostolis dicta accommodant: *Colligite fragmenta ne pereant:* quod minimarum temporis partium & quasi tragmentorum, non minus quàm panum habendar, atio videatur. Non negligit auri vel argenti segmenta aurifaber, quia ex eorum neglectu damnum posset emergere: hinc hominis socordiam, qui parva lucra non curat, hac comparatione suggillat S. Anselmus: Negligentes, inquit, imitantur pauperes insipientes: si quidem pauper insipiens, cùm obolum acquirit, aut aliud quid parvi munusculi, dicit: Ad quid illud tantillum servarem? non propter hoc dives ero; expendam itaque hoc in pomis, aut nucibus, aut qualibet alia re mihi delectabili: non enim illud custodiendo solicitus haberi volo. Sic stolidus dum parvipendit minora, nunquam proficit ad majora: sapiens autem pauper, parva quæ nanciscitur, custodit, & quo minus se habere considerat, eò magis retinere desiderat, quatenus ex parvulorum congerie, ad majora queat quãdoq; pertingere. Et quidem utcumq; tolerabilis videri posset tã supina negligẽtia, si in tribunali divino ad examen vocanda non esset, & severè castiganda. At nõ abibit sine discussione momentum, sicut nec verbum otiosum, & cùm peccata omissionum alia longè superent, & virorum sanctitate doctrinaque præstantium opinione crescant in immensum, videtur meritò homini prudenti eorum pertimescenda inquisitio, atque discussio. *Propter malitiam tuam, & propter infinitas iniquitates tuas,* ajebat Jobo Eliphas Themanites; ubi S. Thomas de peccatis omissionis infinitatẽ illam interpretatur; hinc cùm Episcopum virũ probum in extremis agentẽ adijssit Cardinalis doctus simul & sanctus, rogasset-que quî animo valeret; respondisset-que ille: Bene; nullius enim inquit, peccati, quod sanguine Christi abluere non sim conatus, me remordet conscientia. Bene habet, inquit Cardinalis, & verum te loqui arbitror, si de peccatis commissionis agitur; sed si de peccatis omissionis examen Deus instituat, quid respondebis? Heu me! intulit ille, cum alto suspirio, & lacrymis: si omissiones meas appendere voluerit Deus, quò ibo? Ut ergò hoc tanti momenti periculũ præcaveamus; accuratè tẽporis etiam particulas suis officiis virtutumque exercitationibus alligemus, ut per bonarũ actionũ sibi mutuò succedentium catenam dies totus abeat, nulliscq; criminosis omissionibus vacet locus.

In similit. c. 155.

Iob 22.

Verùm cùm animo constemus

& cor-

Moderatâ contentione animi.

& corpore, quod naturâ contentione frangi delibitariq́ue poteſt, moderamen prudentiæ accedat oportet, quæ viribus corporis labores mentis attemperet. Religioſum ex ordine Ciſtercienſi Robertum nomine, quem nimia animi applicatio de rationis uſu deiecerat, apud S. Brigittam pro ejus valetudine deprecantem condemnat Deus, hâc in medium allatâ ſimilitudine: Unus aliquis ad excolendam vineam conductus fuit, quæ cùm plurium dierum laborem exigeret, ille lucri captus cupiditate, totam culturam uno die voluit abſolvere; ac nimiâ laboris contentione in morbum incidens, & vineam majori ex parte incultam reliquit, & mercede fraudatus eſt: hoc ſcilicet damni intulit indiſcreta cupiditas: ego tamen tuis precibus inclinatus hominem priſtinæ ſanitati reſtituam.

In vita S. Brigittæ.

Aures hîc præbendæ monenti Senecæ: *Inter ſe iſta ſcilicet, quies & actio miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum, & agenti quieſcendum; cum rerum natura delibera illa dicet tibi, ſe diem feciſſe, & noctem.*

Epiſt. 3.

6. Studiorũ partitione.

Ubi Deo conſultò tempus tuum prudenter & exactè in partes ſecueris, eaſq́; rebus agendis aſſignaveris, tum ordinem iſtum Deo repræſenta, & ad illum conſtanter obſervandum gratiam efflagita, ac cave ne ſis ex eorum numero, quos depingit Gregorius Nazianzenus, comparatque ſtatuæ ſe ad omnes tranſeuntes obvertenti, cothurno utrique pedi communi, cribrationi ad omnem ventum accommodatæ: qui, ut ait S. Bernardus, nunc hoc volunt, nunc illud; nũc uno modo ſe exercent, nunc alio, *ſemper quod non habent cupientes, & quod habent faſtidientes, & propterea in neutro proficientes.* Quod ex uno è tribus inconſtantiæ fontibus oritur: vel ex impatientia laboris, quem ſupra vires aſſumimus, vel ex levitate naturæ, ut enim rectè notat idẽ ſanctus; *puſillanimitas facit propoſitum relinquere, levitas, mutare* vel denique ex naturæ noſtræ ad viciſſitudinem propenſione: *omnium enim rerum*, inquit Ariſtoteles, *viciſſitudo eſt jucunda, quia quod ſemper eſt idem, in exuberentiam tranſit, & præſentem habitum corrumpit.* Hac animi noſtri ad mutationem inclinatione ad labefactandam in rebus bene conſtitutis conſtantiã utitur Dæmon, ac meliorum ſpecie præſentia corrumpit, ordineq́ue perturbato, pacem etiam animi & res agendas perturbat, & evertit: frænãdi omnes impetus, & naturæ mutabilitas coërcenda, imitanduſq́ue inſignis, & à ſancto Ephrem laudatus Eremi Athleta, Abrahamus, qui eundem temporis ordinem, actionumq́ue cano-

Orat. de S. Athanaſio.

In octo puncta ad per. 6. Non deſultoria mutatione.

Serm. 44. in parvis.

l. 1. Rhetoric. 38.

nem totis quinquaginta annis, quibus in eremo vixit, constanter tenuit.

7. Ex divino beneplacito,

Hîc tamen aliud extremum vitandum, ne scilicet dum nullâ nostrâ culpâ actionum nostrarum series interrumpitur, continuò commoveamur animo; sed in Deum ipsum conjiciamus oculos, quem temporum & actionum nostrarum dispensatorem, moderatorem, & arbitrum agnoscimus, sequamurq; raptum hujus primi mobilis, & ejus motum non tantùm vitæ, sed cujuslibet dici, imò & horæ cum tranquillitate cursum peragamus; sit nobis voluntas quovis ordine potior, illúmque sancti Leonis ore dicentem audiamus: *Facite quod amo, amate quod facio*: ita fiet ut impedimenta vertantur in lucra, materiamque præbeant sacrificandæ Deo propriæ voluntatis.

8. Ex publicæ utilitatis ratione.

Accedamus nunc ad homines publicis Reip. muneribus mancipatos, qui sui juris non sunt, & accommodare se negotiis coguntur, non illa sibi, qui rerum agendarum importunitas dies non tam consumit, quàm lacerat: utque fontes publicos, quò ex illis plures hauriunt, eò magis commoveri, turbarique videmus; ita hujusmodi homines à mortalium concursu, fluxuq; ac refluxu agitari, & in diversa nolentes volentesq; rapi necesse est, quã illis temporis ratione ex amoris divini præscriptione assignabimus? nullam aliam, quàm eam ipsam, quam Reip. negotia exigunt, modo duo ad illam adferant, pacem mentis, & rectam intentionem: ad quæ comparanda duo alia multum conferent; si sanctorum virorum exemplo inter occupationum molem frequenter ad Deum mentem elevent, ut inde hauriant subsidium, unde totius boni manat principium: alterum, si considerationi tempus aliquod segregent atque in eo Scipionem Africanũ imitẽtur, qui in matutino crepusculo se Capitolio includebat, ut de rebus agendis cum Jove tractaret; seu potiùs Carolum Quintum, qui manè duas horas integras in cubili secreto Deo precando consumebat, & cum illo totius imperij animique sui negotia communicabat. Rectè monet in sua Principis institutione S. Thomas, ut Princeps, & alius quivis publico serviens, considerationi quotidie tẽpus aliquod assignet, ne gravissimis damnis improvisò emergentibus imparatus occurrat. In minori mundo, ait, homine scilicet, id est defectus considerationis, quod in majori mũdo est defectus illuminationis: Tria sunt in majori mundo ab illuminatione, *decor*, *directio*, & *securitas*: deficiente illuminatione deficit decor, quia non videtur,

9. Exemplo sanctorũ.

l. 5. 44. Respectu ad cœlestia.

tur, & est confusio & inordinatio, & nulla securitas; sic est in homine, si desit consideratio. Atque hæc mala in maximis reponenda mihi videntur. Neque mihi nimiam occupationum congeriem aliquis objiciat: potissima etenim hominum occupatio in propriæ salutis procuratione consistit: *Quid enim prodest homini*, ait Judicum Judex Christus Dominus, *si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimẽtum patiatur*? Quæ amentia, itaterrenis affigi, ut ad cælestia aliquantulum non respires? Ducem Albanum in conflictu Caroli Quinti cum Principibus Germanis Lutheranis, in quo Dux Saxoniæ, & Lantgravius Hessiæ victi, captique fuêre, cùm à Rege Frãciæ interrogaretur, an verè duo Soles tum in cœlo paruissent, respondisse ferunt, ita se tum occupatum in prælio, cujus primos ordines ducebat in terris, ut ad ea quæ in cœlo parebant, non attenderit. quàm vereor ne plerique eorum, quos res publicæ ita captivos tenent, idem fateri aliquando & Christo rerum gestarum rationes reposcenti idem, sed serò, respondere cogantur, nempe se pro accessorio principale, pro mundi applausu animi culturam, pro terrâ cœlum neglexisse. Non ita Moyses, qui populi numerosissimi gubernatione implicatus, habebat tamen selecta tempora, quo Deo utebatur familiariter, amore scilicet divino facem illi prælucente; quod tibi etiam accidet, si consiliis illius locum dederis.

10. Scitum Albani respõsum.

Quod ad servos & ancillas ac mancipia, attinet quorum non tantùm dies & horæ, sed & vita ad Dominorum decurrit arbitrium, felices illos vel eo nomine existimo, quòd à solicitudine bene collocandi temporis, deque ejus usu reddenda aliquando supremo Judici ratione superiorum auctoritas eos liberet, nec tamen curandũ illis sit quid agant, quàm quomodo; an scilicet ex consilio Pauli, Dominis serviant ut Christo, & operibus suis amoris divini characterem imprimant. Ita fecisse magnos illos viros S. Paulinum, & Serapionem, quorum prior Episcopale pedum cum hortulani rastro, posterior vitæ solitariæ trãquillitatem cum dura apud paganismo infectos Dominos servitute commutavit, habuerũt illud Apostoli monitum ante oculos: *Servite dominis, non tantum modestis, sed etiam dyscolis*. & S. Paulinus quidem pretium servitutis obtinuit captivorum redemptionem: Serapion verò dominos suos ad Christi fidem & Christianam libertatem traduxit, & cùm secundò homini Manichæi erroribus excæcato Lacædemone in mãcipium se vendidisset, eum etiam

11. Servorum commoditas pro usu temporis. Ex

iam ab hæresi liberum sanæ fidei reddidit. Ita sancti viri in infirma hominum sorte constituti, sancti amoris ductu, sibi & aliis ad æterna lucra facienda non parum commodant.

12. Prorsus ipsis commoda. Quicumque ad hanc abjectam conditionem à divinâ Providentiâ relegatus es, ne tu sublimis aliquando evades in cœlo, si Amorem sanctum hæc tibi monita suggerentem audis: primo laborem tuum Deo, ejusque gloriæ consecra, & quam exhibiturus es dominis obedientiam, ejus nomini & honori inscribe: interdiu verò dum manus operi applicas, frequenter cœlo corinfere, quod expeditè facies, si in opificio tuo, aut mandatis exequendis tranquillè processeris. Legimus tuæ sortis homines media inter opera vel solis horis antemeridianis centies animam ad Deum elevasse: erant quidem eorum manus astrictæ alligatæque operi; sed animus amoris divini alas induerat, & velut sanctâ libertate donatus volitabat ad cœlum: non eadem sunt vincula corporis, & animi. *Si te*, ajebat de sanctis Patribus unus aliquis, *hostis in vinculis habeat, si mors instet, possunt hæc actum bonos impedire, sed non sanctos piosque cogitatus.*

13. Putando extremam esse horã qua vivis. Velim, ut apud animam reputes, si missio de cœlis ad te nuntio tibi Deus significaret te post unum diem moriturum, velle tamen ut diem crastinum, qui vitæ tuæ ultimus futurus est, quotidianis opificij tui laboribus sedulò totum impendas, id opinor faceres, ut Deo morem gereres; quid tamen toto illo die agitares animo, quàm sæpè ad Deum, & cœlites Patronos tuos mentem attolleres, quos fidei, spei, charitatis & contritionis de totâ vitâ malè, negligenterque transactâ actus congeminares? fac modò, quod tum faceres, & *omnem crede diem tibi diluxisse supremum.* Horatius. Hoc agebat sancta Marcella, teste S. Hieronymo, & hâc industriâ ad Christianæ perfectionis culmen evasit. Hoc suo Lucilio commendatum voluit Seneca, dum ait: *Sic ordinandus dies omnis, tanquam cogat agmen, & consumat atque expleat vitam.* Epist. 14. quin & Musonius è Philosophis Græcis non ignobilis id ad diem ex virtute agendum necessarium esse prædicabat. *Non est*, inquit, *præsentem diẽ bene trãsigere, nisi qui proponit ut ultimam vitæ diem transigere.* Mirũ est animos sola rationis & Philosophiæ luce collustratos tanti fecisse hoc arcanum, & quantum boni, & ad virtutem incitamenti in eo lateret, & pervidisse, & tam graviter mortalibus denuntiasse: unde ex Latinis sapientibus unus aliquis pro amussi hoc elogium sibi sumpsit, & ut alij imitarentur,

suo

ſuo Epitaphio inſcribi voluit: *Id ago ut mihi inſtar totius vitæ ſit dies:* ut moriens vivam, vivo ut moriturus. Adjungamus his pro temporis uſu, nunquam pœnitendi S. Caroli Borromæi cõſilium, quod homini ſibi à cubiculis, (qui ad hoc è lõginquo venerat & familiæ illius nomen dederat, ut ejus monitis ad vitam beatam niteretur) de compendioſiori viâ ad ſalutem poſtulanti vir ſanctus tripartitâ monitione ſuggeſſit. 1. diebus ſingulis Deo ſervire ferventer inciperet, tanquam hactenus nihil ab ipſo actum eſſet. 2. conaretur ſemper Deum habere præſentem. 3. nihil aliud in omnibus ſpectaret, nihil prætenderet, præter Deum.

CAPUT V.

Quas leges Amor ſanctus ſomno, corporis refectioni, labori manuum, & recreationi imponat.

1. Lib. 1. de Iacob. Amor regit corporis commoda.

DE Amore ſancto dicere poſſum, quod de Virtute dixit S. Ambroſius: *Quid deeſt illi, qui illud bonum poſſidet, & habet ſibi ſemper comitem, ſociamq; virtutem, quem etiam quieſcentem virtus propria non reliquit, non minus dormiens, quàm vigilans glorioſus:* cùm enim Amor dominus eſt cordis, non minùs actionibus naturæ, ut ſunt ſomnus, comeſtio, & ſimiles, ſuas leges imponit, quàm nobilioribus mẽtis functionibus: ab his quàm illis formam & characterem ſuum imprimens, tantumque ſingulis attribuens temporis, quantum Dei voluntas, & divinæ gloriæ ratio exigere videantur.

2. Somniũ.

Primò ſomnum ad ſolius neceſſitatis legem reſtringit, illumque tamquam actionum ſanctarum hoſtem habet & duriter, ut pleroſque Sanctorum hac in parte admirandos potiùs, quàm imitandos videamus. Magnus Arſenius, licet anteà deliciis aulæ aſſuetus, graviſſimam tamen cum ſomno bellum geſſit, adeò ut poſt diem noctemq; pervigilatas, tandem neceſſitate cõpulſus unicam horulam ſomno concederet, dicens: Veni male ſerve. ſolituſque erat profiteri, quicumque inter veros, & germanos Eremi athletas accenſeri vellet, illi ad quieſcendum unius horulæ ſomnum ſufficere oportere. S. Bernardi contra hunc adverſarium frequentes ſunt querelæ, quem bonarum actionum, & meritorum mortem eſſe deprædicabat. S. Dominicus, & S. Franciſcus Xaverius in templo coram Venerabili cum illo luctaturi prodibant in arenam, & vigilando ac orando tam diu dimicabant, donec incli-

nante se corpore dormiturirent potiùs, quàm obdormiscerent, ut paullò pòst velut collectis novis viribus evigilantes, de illo quotidianam victoriam reportarent. B. Petrus Alcantara, ille corporis, sensuumque impugnator acerrimus, nulla difficiliora quàm cum somno certamina expertum se esse affirmat, qui cùm omnino debellari non potuisset, tandem velut fœdere inito tribus horis contentã fuisse ait. Inter Philosophos verò à Christi fide extorres, qui magna contentione in litteras & graviora studia incubuerunt, nulli acriores constantioresque quàm cum hoc scientiarum hoste congressus fuisse legimus. Testis est globus ferreus, quem manu prehensũ gestabat Aristoteles, ut si somnus evinceret, in suppositum pelvim delapsus suo strepitu illum excitaret. Quod Præceptoris commentum etiam ab Alexandro Magno usurpatum ferunt: alij verò capillorum verticem filo ad tabulati clavum affigebant, ut dum somno ingravescente caput inclinarent, doloris aliquo sensu ad evigilandum compellerentur. Plinius secundus in studiis noctes plerumque pervigilabat, habens hoc Varronis effatum frequenter in ore: Vitam hominis vigiliam esse. unde S. Ambrosius ad Christianorum mẽtes ad lectionem orationemque exhortandas ab ista Gentilium assiduitate egregium ducit argumentum: *Si studentes*, inquit, *doctrinis sæcularibus perparum somno indulgent, quanto magis, qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantum naturæ satis est: non dormiamus totis noctibus; sed maximam partem earum Lectioni & Orationi deputemus.*

Discretioni primariæ familiæ gubernatrici somni moderationem committit divinus Amor, quæ si necesse sit, consilium à Confessario efflagitat, ne fortè dũ somnum tanquam furem acerbè persequitur, melioribus mentis actionibus non parum incommodet nervosque succidat: *Ideo enim*, inquit Augustinus, *Deus donavit somnum corpori, ut reparentur membra corporis, quo possint animam vigilantem sustinere: bonus est somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis.* Sed totius rei cardo in hoc potissimùm vertitur, ut reparationis hujus necessitas nõ excedatur. 1. enim cũ carne fallaci res agitur, quæ secundùm Gregor. Nazianz. est *Lutea pedica, plumbum deorsum trahens, pugnantis materiæ proles, & heræ suæ vinculum.* quæque sub involucro necessitatis ob diei præcedentis ex itinere ortam defatigationem, longiorem somnum B. P. Henrico à Calstris viro sanctissimo ex ordine S. Dominici persuasit, ob quem à B.V.

3. In dome. sticis. In Psal. 61.

B.V. ut alibi dixi, reprehēsus fuit; & F. Joannes Carrera è Societate noſtra corpuſculi fallaciis in ſimilem fraudem inductus, Angeli, à quo quotidie excitabatur, abſentiâ multatus eſt; & B. Anna Vrſulina voce Angelicâ ad ſurgendum diebus ſingulis commoneri ſolita, qua articulatè illi dicebatur, *Anna ſurge*, cùm tam promptè ſe lectulo non proripuiſſet; ſed relapſa eſſet in ſomnum, mordacem hanc ironiam ab Angelo paulò pòſt audivit: *O Domina, placetnè tibi modò è lectulo ſurgere*: ſcilicet hæc carnis vulpecula etiam virtute præditis illudit. 2. Subſidio venit huic deceptrici Dæmon, qui viros etiā præclaros vano in invaletudinis metu adoritur, & ad longiorem ſomnum ſolicitat. Ita Pachomium immiſsâ febriculâ ſtrato affigere conatus eſt, cujus dolum vir ſanctus ſentiens, nihil morbo detertitus, ad communem cum cæteris orationem ſe contulit, & morbum diſpulit. Ita S. Lutgardi, dum ad matutinas preces ſurgendum eſt, ſudorem immiſit, eique perſuaſit legitimè poſſe ipſam iſto tempore à choro abeſſe: ſed ecce vox cœleſtis reſtitantem monet: Cur in lectulo moras trahis? cuntinuò ſurge; incumbit pro peccatoribus in peccatorum ſuorum fœcibus torpeſcentibus pœnas de te ſumere: ne igitur ſudorem iſtum morare. Monenti aures præbuit, & dum ad Chorum properat, in ipſo templi ingreſſu Chriſtum offendit, qui latus apertum illi oſtendens, juſſit ut inde ſanguinem ſugeret; quo hauſto vires inde mirabiles ad Dei obſequium corporiſque caſtigationes accepit.

4. S. Lutgardem caſtigat tarditatem in ſurgendo.

Jam verò ſi ex gravi timorum virorum ſententia Militiæ Duci quinque horas, Mercatori ſex, homini otioſo ſeptem; pigro verò ac deſidi octo horæ ad ſomnum ſufficiāt; diùtius verò ſtertere hominis eſt beſtiarū more viventis: facilè noſtrûm quiſq; ſibi perſuadebit, Amoris ſancti Clientem ſex horarū ſomno contētum fore; aut ſi nimia debilitas exigat, unā dumtaxat horulam ad ſenarium additurum; quod in nonnullis Religioſorum cœtibus, ne ullus excuſationi ſit locus, ab ipſa communitate uſurpari videmus: ſi invaletudo de medicorum conſilio amplius aliquid exigat, tum illæ tam diuturnas ſomni compedes tormenti loco reponit, quo diei pars magna velut morti conceditur, omnibus animi functionibus impeditis, atque ſopitis.

5. Somnus quot horarum.

Sed potiſſimùm dirigendæ in captando ſomno intentioni Amor ſanctus invigilat, ne ſerviat voluptati, quod indulgetur neceſſitati: itaq; quem Chriſtus & Beata Virgo in hac ſervitute ſcopum ſibi præfixêre, ut ſcilicet hoc modo vi-

6. Qua intentione incundus.

do vires ad functiones animi corporisque necessarias repararent, atque in ea re voluntati divinæ obsequerentur, eum etiam ille suis indicit, jubetque ut sanctæ cogitationes diem claudãt & aperiant, somnumque venientem præveniant, & abeuntem continuò subsequantur: docet ut cum Berckmanno ad caput lecti cogitatione collocetur JESUS, & ad pedes Maria, & ad latus Angelus Custos: aut ut animo concipiant Deum immensitate suâ omnia implentem, in cujus velut sinu, ut infantulus in sinu matris, aut avicula in nidulo suaviter conquiescunt, neque tamen propterea desinit persuadere, ut stragulorum mollitiem cum humo aut duriori assere commutent.

7. Cibum etiam moderatur.

Jam de cibi potusque moderatione pauca dicamus, in qua eodem ferè passu quo in somni directione divinus amor procedit; qui ejus institutis vitam conformant, omnem in cibo voluptatem, ut rem vilem, & homine Deum amante indignam fugiant. Hinc Jsidoros, Bernardos, Claras aliosque ut ad tormentũ ad cibi sumptionem accedere solitos legimus, & hanc postremò nominatam, cùm alternis tantum diebus cibum sumeret, ad unciam cum dimidia quotidie accipiendam obedientiæ præcepto compellendam fuisse. Quas verò artes in sapore, gustuque tollendo excogitarint, quis dicat? dum hi cineres, illi arenulas, alij fel & absynthium cibis aspergunt, ut corpus torqueant comedendo potiùs, quàm sustentent aut corroborent: sed in intentionem cibi capiendi potissimùm invigilant, cùm extra tempus comestionis vel minimam de cibo potuque cogitationem viro Dei amore prędito indignam S. Basilius existimet. Edunt ergo, ut de somno diximus, ut Dei ordinationi hac in parte obsequantur, ut calorem nativum reparent, ut corpus Dei famulitio consecratum nutriant, ut S. Gertrudis à Deo edocta factitabat: cui tamen etiam significavit sibi acceptissimam esse omnium in cibo voluptatum contemptionem: quem prætereà S. Brigittæ dixisse legimus (cùm pro viro sibi commendato preces funderet) nescio quam inter se, & illum membranam intercedere, quæ divinis consolationibus impedimentum adferret, quòd scilicet nonnullam extra Deum delectationem vir ille interdum venaretur. Felix ergo, qui hac etiam in parte Christum, qui factus est nobis via, veritas, & vita, ducẽ sequitur, ideoque orationem, quam Christus docuit Episcopum, non tam ore quàm corde ante comestionem pronuntiat. *Domine Iesu Christe, Salvator, & Redemptor meus, qui vis*

ut

ut hoc miserum corpus sustentem, da ut illi quantum ad tibi serviendum est necesse, tribuam, ne si quid amplius illi largiar, animæ bono officiam; si minus, quàm par sit, tuis obsequiis inutile & inidoneum efficiam; da ut te imiter, qui nobis via, veritas, & vita factus es.

8. Ut sumatur rectâ intētione. Lib. 4. cap. 26.

Insidias multiplices, quas nobis in hoc negotio struit dæmon, ut aliquando S. Dominico fateri coactus est, hoc modo declinabimus, præsertim si ad hæc obedientiæ nutus accesserit. Multa esse opera, ait aliquando B. Virgo sanctæ Brigittæ, quæ virtutis speciem præ se ferunt, quæ tamen nisi humilitatem & discretionem comites habeant, ad æternitatem beatam non provehunt: unus aliquis suo vivit arbitrio, alter sub obediētia: ille jejunat, hic optaret idem præstare, sed à Superiore prohibetur; unicam ille mercedem jejunii scilicet accipiet, hic verò duplicem, unam obedientiæ, aliam propter frustrationem desiderii, & non impletionem voluntatis suæ, qua ad jejunandum ferebatur. Accidit etiam ut propter arescētem præ siti linguam S. Brigitta difficulter cum proximo à meridie loqui posset; jussit Dominus Mathias ejus confessarius, potum ut illa sumeret: difficulter assentiebatur; quod id esset contra morem suum & propositum; fecit tamen quod jubebatur, & tūc audivit in spiritu: Quid times mutare consuetudinem? numquid bonorum tuorum egeo? aut meritis tuis cælum intrabis? etsi decies comederis, & biberis in die ex obedientia, non imputabitur tibi ad peccatum.

9. Laborem corporis.

Jam verò quomodo Amor sanctus laborem corporis, quo pars mortalium maxima occupatur, ad Dei gloriam animiq́ue salutē elevet, inspiciamus. Prima illa mundi lumina etsi in solitudinum recessus abscondita, Antonius, Pachomius, Paulus, Silvanus, Macharius, eminentissimæ orationis donum à Deo consecuti, laborem tamen manuum adamarunt, & cōficiendis ex palmarum foliis sportulis, & nattis, aliquot per diem horas insumpserunt: quibus divenditis, de eorum pretio aliqui victitabāt, & quod supererat, pauperibus largiebantur; alii verò ab urbibus longiùs semoti, cùm illas eò deferre esset perdifficile, annuum laborem igni tradebant, adeò illa Mariam inter & Marthā vicissitudo, & temporum ratio orationem inter & laborem manuum dispertita, ut hausta de cælo, & ab Angelis in terras delata inter ipsos solemnis erat: quid mirum, eam inter solitarios viguisse, cùm S. Paulus instantissimis Ecclesiæ gubernandæ, gentiumq́ue ad fidem convertendarum curis oppressus, se suosq́ue comites suarum ma-

nuum labore sustentarit? & ipse Christus ad annum trigesimum in opere fabrili exercitam vitam duxerit, ut maximè hominum multitudini, quæ similibus occupatur, esset exemplo?

10. Erigendo animos ad cœlum.

Hic ergo suam adferat industriam Amor sanctus oportet; & laborantium animos, oculosque ad divinæ voluntatis regulam erigat, ut Deum spectent velut quotidianum pensum sibi distribuentem, & suam cum Christo laborante intentionem conjungant, à levi precatiuncula laborem auspicétur, in ejus progressu brevibus aspirationibus Deo illum offerant, & non sine gratiarum actione finiant: quàm Deo cælitibusque grati sint ad hunc modum suscepti opificum labores, ostensum est aliquàdo S. Antonino Florentinorum Archiepiscopo, qui die solemni per urbis Florentiæ plateas incedés vidit supra cujusdâ tugurioli tectum Angelos quasi excubantes, attonitusque hoc spectaculo, & tuguriolum ingressus, tres ibi puellas cum matre vidua reperit operi manuum die solemni, quod aliter vitam tolerare non possent, incumbentes: hanc ille extremam egestatem admiratus, & à vicinis intelligens, omnes probis honestisque esse moribus, ne diebus festis deinceps laborare cogerétur, largâ illas eleëmosynâ donavit; aliquo deinde tempore eâdem procedens viâ, vidit in ejusdem tugurioli tecto dæmones lætitiâ gestientes, uti antè bonos Angelos conspexerat. Quo ostento majori quàm anteà admiratione perculsus, quid de illis puellis actum esset, inquisivit, reperitque eleëmosynarum frequentiam otii occasionem, corporisque & formæ excolendæ materiam dedisse, non sine temporis salutisque jacturâ; ita Angelos, quos Amore sancto institutovè labor cõciliarat, amor deinde profanus, otiumque fugavit. Audivi ego aliquando dæmonem, dum in Energumenâ sacris carminibus adjuraretur, dicentem se puellæ muliebribus ornamentis concinnandis occupatæ adfuisse, & in sufflandis carbonibus, quibus ferrum ad id paratum calefiebat, opem operamque suam attulisse: tantum interest quo fine labores istos suscipias; an ut numos dumtaxat aliquos compares, aut mundi hominumque gratiam aucuperis; an verò ut Deo in primis placeas, & ejus hac in parte obsecundes voluntati.

11. Fugiendo otiũ quod est pulvinar diaboli.

Beatam Alenam è Campania Gallica Virginem sanctissimam, albam Sacerdotalem nendo & suendo confeciisse legimus, tam purâ Deo placendi intentione, ut nescio quam cælestem virtutem frequenti lineæ istius vestis contrectatione digitis suis illi impressisse

12. Laborantes cælestibus delitiis mulcendo.

fisse diceres; qui enim albâ illâ induti ad altare faciebant, in lacrymas suavissimæ compũctionis nolentes volentesque solvebantur.

Sancta Aldegondis Hannoniæ nostræ sidus, postulante Sancto Humberto Abbate, virgineis suis manibus sudariũ involuendo post mortem illius corpori apparat, & ecce centum, & quinquaginta annis postea, dum sancti Abbatis corpus è terra levatur, tam illud, quàm sudarium integra & suavissimum odorem exhalantia reperiuntur; sive sanctissimi corporis depositum hanc integritatem & odorem sudario afflarit, sive sudarium sanctissimæ Aldegondis contrectatum manibus inde hauserit & incorruptionem & suave olentiam.

13. Recreationes corporis. Difficiliùs fortassis Amor Sanctus recreationes ad suas leges conformabit, quia vagus in illis solutusque animus cogitationum, sensuum, verborumque sibi concessa, libertatem arbitratur, ut nihil in illis Amor divinus vindicare sibi posse videatur. Ubi dæmon per præcipua Cœnobii loca à S. Dominico perductus ad recreationis locum deveniſſet, ausus est cum jactantia, & sarcasmo dicere: *Hic locus totus est meus.* Si id profari ausus est mendacissimus hostis de Religiosis, qui sub tali duce, qualis erat Dominicus, primos inter Ordinis S. ferventissimos milites stipẽdia faciebãt, quid de sæcularium recreationibus Amor noster sperare potest? Florentiæ in quodam loco ad alearum chartarumque lusus nobilitas convenire solebat: non tulit hoc Sanctus Antoninus Archiepiscopus; sed cruce præeunte ad locum se contulit, & acri oratione in ludentes invectus, mensas aleatorias evertit, totumque conventum disturbavit, & abegit, Deo zelum Præsulis, viri nobilis, qui injuriis eum impetierat, præsenti interitu comprobãte. Similia quidem agere potest Amor sanctus, sed suum characterem hujusmodi dissolutionibus imprimere quî potest?

Ne tamen tàm citò damnemus, quod aliquãdo de cælo faventem calculũ habuit, recreationes, quas profusa licentia, & lucri cupiditas excogitavit, numquam approbavit Amor sanctus; sed honestas, & innocentes, quæ spiritus contentionem leniant, & sublevent, semper admisit. Audiamus B. Virginis hac de re judicium, atque sententiam, quam aliquando claris verbis S. Brigittæ aperuit. Possunt, inquit, amici Dei de ludo, de verbis ædificatoriis, & similibus operibus, in quibus nihil detractorium sit aut inhonestum, consolationem aut levamen aliquod accipere; sicut enim si pugnus semper teneretur clausus,

14. Honestas. *Lib. 4 c. 12.*

aut contraherêtur nervi, aut manus debilitaretur : sic etiam se res habet in spiritualibus.

15. In S. Joanne Euangelistâ.

S. Joannem Euangelistam perdicis aspectu, & supra pugnum gestatione aliquam curarum levationem captasse legimus. S. Antonius ambulatione & camporum aspectu cum discipulis animum relaxabat, cumque offensum propterea venatorem videret; jussit arcum, quem humeris ferebat, intendere, & sagittas jacere, cumque id ille fecisset aliquoties, desistit, dicens, si pergeret, arcum nimis diuturnâ contentione corrumpendum. Tum Antonius: Nisi eo modo, inquit, aliquando exercitationes animi remittantur, animum debilitari necesse est.

In vitis PP.

S. Remigio in ejus vita.

Atque hasce bonâ intentione susceptas recreatiunculas Deus non semel calculo suo approbasse legitur. Ad Sanctum Remigium post prandium, cùm essent jam mensæ sublatæ, advolabant per fenestram passeres non mansueti ex ejus manibus micas familiariter facti, & captabant, neque præsentium convivarum terrebantur aspectu, quia boni senis recreationi Deo ita jubente serviebant.

16. S Francisco. Annales ad annum 1216.

Longè mirabiliores sunt Franciſci turtures, quas juvenis ad forum venales Senas deferebat; has vir sanctus commiseratione motus ab illo petiit, & impetravit; quas ut accepit gremio fovens vitamque illis donatam congratulans; ubi ad Ravacciani cœnobiolum prope Senas eas detulisset, baculum, quem manu gestabat, solo defixit, qui nocte unâ in quercum proceram excrevit; in hanc ille turtures emisit, jussitque ut illam incolerent & suis temporibus nidum construerent, ac propagando generi vacarent. quod in annos complures fecêre, advolantes ad fratrum vocem, & ex eorum manibus cibum captantes: adolescêti verò pro illarum mercede prædixit vir sanctus, suo sodalitio nomen daturum, & inde migraturum in cælum; quod rei totius eventus, & vita à juvene cum virtute in Ordine transacta probasse videtur.

17. S. Zenone.

S. Zeno Veronensis Episcopus piscatu animum relaxare solitus erat, cumque quodam die ad fluminis ripam obambulans, domesticos Imperatoris Gallieni, qui ad eum evocandum à Principe missi fuerant, offendisset, tres è magnis piscibus, quos ceperat, dono eis dedit; illi verò, ut sunt istius generis hominum ingenia, quartũ furto sustulêre. Cùm domum reversi illos in prandium apparare vellent, omnes quatuor in bullientem aquam conjecêre, & tres quidem, quos dono acceperant, è voto parabantur, quartus

tus verò furtivus & in aqua bulliente vivus subsultabat, quasi in flumine innoxius luderet. Quod illi admirati, ad Episcopum accesserunt, & furtum ac prodigii novitatem, veniam postulantes, manifestarunt. Ita Deus servorum suorum recreationibus, quia à divino amore reguntur, prodigiosè subscribit.

18 Circumstantiæ recreationis honestæ. 11.9.160.

Videamus nunc è sancto Thoma, quâ potissimùm ratione illæ nitantur, & quibus adjunctis excoli ornariq́ue debeant, ut Dei gratiam & approbationem mereãtur: 1. ut corpus labore exhaustum, quiete reparandum est, & qui in oppositum declinat, à recta ratione, Deiq́ue voluntate exorbitat; ita animus nimiâ contentione fatigatus & debilitatus aliquâ delectatione, quæ illi instar quietis sit, instaurandus est; quales sunt confabulatio, deambulatio, & lusus alicujus diverticulum. Ut ergo divina majestas nos hujusmodi mentis defatigationibus fecit obnoxios (ut nos intra humilitatis cancellos contineret) ita ad animi vigorem recuperandum & ministeria ad ejus gloriam meliùs, diutiusq́ue obeũda remediis concessis ut uteremur voluit: ad quæ tria requiruntur, ex ejusdem Doctoris sententia. 1. Ut nihil in illis contra honestatẽ admittatur. 2. Ut animus nimium se non effundat, sed modestiæ finibus se contineat. 3. Ut tempore & loco, & pro personarum dignitate tales usurpentur, quales prudentia Deoq́ue placendi studium approbant: atque hæc à suis clientibus Amor sanctus dubio procul servari jubet.

19 Quæ Deo gratas faciunt.

Ita agebat S. Antonius, qui in hisce relaxationibus, Dei voluntatem potissimùm spectabat: quia si plus à mẽsura, ajebat, tendimus, fratres citò deficiunt, ideoq́ue expedit una & una eorum relaxare rigorem. Hac de caussa S. Ludovicus, cùm à mensa cum Sacerdotibus aut Religiosis confabulationibus animum reficeret, si quis subtiliora in mediũ adferret, suaviter monebat ne talia allegaret: quia, inquiebat, post cibum sumptum honestis quodlibetis locus dandus est. Ita ab ejus aulico familiari Domino de Jonville memoriæ proditum est.

Aliam nos industriam docuit priùs ab amore sancto edocta S. Gertrudis, quam cùm nimiæ mentis exercitationes exhausissent, in comedendis uvis levamentũ quæsivit, hoc sibi persuadens se Christum, qui quod uni ex minimis suis fit, sibi factum deputat, in seipsa reficere atque recreare. quod ita Christo acceptum fuit, ut diceret amaritudinem fellis, quod in cruce gustarat, hâc tam benevolâ intẽtione aliqua ex parte detersam fuisse, & quò priùs ad

ſuam laudem corpus refecerat, eò etiam amplius ſe intẽtionis bonitate delectatum: cumque racemorum, quos exſuxerat, pelliculas & acinos in cubiculi pavimentum abjeciſſet, continuò adfuit, ut illas quaſi ſui juris colligeret dæmon, accuſans illam de comeſtione ante preces matutinas, quod in cœnobii regulis vetitum erat; ſed cùm ex illis unam apprehenderet, continuò reſiliit, & abjecit, quaſi carbonem ardentem attigiſſet, & confeſtim cum ejulatu cubiculo ſe proripiens, cavit pede aliquem ex illis pellicatis contingere, ne ut manus antea, ita pedum plantas uſtularet: nimirum ignis amoris divini, qui in pectore Gertrudis ardebat, hunc pelliculis, & acinis uvarum reliquiis calorem dæmoni exoſum impreſſerat.

20 Extra neceſſitatem ab iis abſtinẽdum.

Extra neceſſitatis leges ab hiſce recreatiunculis abſtinere docet Amor ſanctus, ut à pleriſque Sanctorum uſurpatum legimus. P. Thomas Sailly, vir ſanctimonię laude celebris, (quem numquam lethalem culpam admiſiſſe, nec venialem deliberatè, imò nec minimam Inſtituti noſtri legem conſultò violaſſe ex propria morientis confeſſione cognitum eſt) inter cætera virtutis ſingularia exempla hoc in more poſitum habuit, ut numquam pomeridianis horis ad novos hauriendos ſpiritus ad hortum aut ambulationem è cubiculo deſcenderit; quod & B. Victoriam Annũtiatarum fundatricem conſtanter obſervaſſe reperio. S. Carolus Borromæus abſtinentiæ prodigium, ne quidem Cubiculi feneſtram aperiebat, ut tantiſper ex ſubjacentis horti conſpectu animum reficeret. Jam non difficulter aſſequemur, quomodo Amor ſanctus ad ſuum perpendiculum efformet Magiſtratuum adminiſtrationes, litium tum inſtructiones, tum deciſiones, contractus item emptionum & venditionum, omnes denique civiles actiones, hominumque inter ſe commercia; cùm enim hominum ſocietas, atque communitas ad divinam Providentiam tamquam ad ſuum principium referenda ſit, qui in illa vt corporis publici membra ita verſantur, ut divinæ voluntati in ſuo munere faciant ſatis, hi ad divini Amoris regulã vitam conformare cenſendi ſunt, Deique gratiam & cœleſte præmium promereri. Demus aliquẽ è cœli incolis Dei imperio in terras deſcendere, ut aliquot annis civilibus negotiis occupetur, quomodo in iis ſe geret? quid ſpectabit? quò omnia ſua negotia laboreſque referet? quàm ut illis Deo placeat, ejuſque ſibi gratiam conciliet? in hoc ipſe ſua gaudia, ſuamque beatitudinem collocabit.

CAP.

CAPUT VI.

Quomodo Amor sanctus hominem in castigatione corporis dirigat.

1. Mortificationes in omni statu ab amore suadentur.

VUlgus fortassis hominum, imò Nobiles, & Litterati, qui communem vitam sequuntur, has corporis castigationes ad claustra relegabunt, & sine illis in sæculo sub amoris divini signis militare posse & solere affirmabunt: possem tamen illis respondere has carnis afflictationes etiam apud plerosque, qui in vitâ civili versantur sub veste bombycinâ, & melioribus indumentis non rarò repertas, hominum oculos animosque fefellisse: possem in medium adducere nobilem juvenculam sanctam Cæciliam aspero cilicio corpus tenellum edomantem; possem proferre B. Franciscum Borgiam in aula Regis Hispaniæ visitandis Nobilibus fœminis non sine cilicina veste occupatum, & B. Petrum Tarantasiæ Archiepiscopum, cùm priùs in matrimonio viveret, eadem cilicina arma sæpè corpori circumdantem. Quid quòd Jacoponum, cùm conjugem suam cilicio indutam reperisset, eo conspecto ad meliorem vitam inchoandam, & pares corporis castigationes usurpãdas esse compulsum; memorant imò & rusticanũ famulum colẽdo agro, ducendoque aratro, cum cilicio in dorso totos dies incumbentẽ.

Conjugibus.

Taceo Carolos Magnos, Ludovicos, prima mundi capita, Principes fœminas Paulam Romanam, Elizabetham Hungaram, juvenes ephebos Aloysium Gonzagam, tenellas tam virgines, quàm conjuges, hinc Margaretas, illinc Mariam Ogniacensem inter matrimonij voluptates his corporis per cilicinas vestes, & catenulas ferreas castigationibus impensè deditos. Vix è Sanctorum Sanctarumque numero reperies aliquem, qui animante eos divino Spiritu, in carnem propriam ferè usque ad moderationis excessum non sævierint, ut admirãda potiùs, quàm imitanda posteris hac in parte exempla reliquerint. Nolo hoc loco commemorare sanctos Bernardum & Franciscum, qui nimiã severitatis veniam à corpore suo postularunt: nolo Catharinam Senensem, quæ ter in die ita se catenulis dilacerabat, ut sanguineis rivulis pavimentum rubesceret, ejusque parens viciniam lacrymis suis & querelis impleret, quòd filia diverberationibus sibi mortem conscisceret: Sanctos Dominicos, SS. Loyolas Ordinum fundatores non profero, qui

2. Principibus.

3. Aliis propè ultra modum.

qui repetitis sæpiùs similibus cruentis flagellationibus, quotidie sese velut victimas pro peccatoribus Deo immolabant. Nolo solitudines & deserta loca peragrare ubi in jejuniis, & corporis tractatione severissima sanctissimi Eremitæ Paulus, Antonius, Romualdus annos supra centum vitam produxêre, ut ostenderet Deus eis, qui in seipsos severi florente ætate devixerunt, ut Gertrudis, Aldegondis, Catharina Senensis, Margareta Hungarica, Maria Ogniacensis, & inter nostros, Gonzaga, Koska, Berckmannus, id malæ corporis tractationi pœnitentiisque, quas generosè obierunt, non esse tribuendum; sed Dei beneplacito, qui eos maturiùs cœlestibus deliciis reficere, & secum gaudere voluit.

Videamus nunc quid in istis castigationibus spectarint nobiles illæ animæ, & quâ intentione Amor sanctus tam innocentes pugiles ad tam acerba de se sumenda supplicia compulerit. Aliquos video id egisse, ut Christus, qui proposito gaudio carnis austeritates, & cruciatus elegit, vestigiis insisterent. Id in animo habuisse Catharinam Senensem video, dum sanguinem pro sanguine, & corpus dilaceratum pro sponsi sui corpore tormentis discruciato vult rependere. Alii carnem, ut animæ insidiatricem, castigationibus deterere, & debilitare voluerunt, quod potissimùm plerosque Eremitarum in suis austeritatibus spectasse adverto: & verò si beatam Virginem, quæ à carne innocentissima nihil hostile pertimescebat, ciliciis usam, ut posteà dicemus, produnt historiæ; cur illum insolescentem, & tam aperto marte, quàm clandestinis fraudibus contra animam insurgentem omni pœnitentiarum genere non persequemur? Alii non tam ejus motus sentiunt, quàm præveniunt, & castigationibus velut fræno in officio continent, ut S. Paulum Eremitam, & Hilarionem feciſſe existimo. Alii cum Macario dicunt: *Vexantem me vexo.* Alii ut peccatis faciant satis, respondent cum S. Augustino: *Punio, ne puniar.* quasi diceret: Ut effugiam ponderosas manus Dei, peccata mea severissimè punituri, armo in meipsum manus meas eadem peccata moderatâ castigatione persequens, & acerbiores pœnas prævenio.

Non desunt, qui ad lumen aliquod de cælo impetrandum has pœnas orationi comites adhibent: quod dum Gasparis Barzei consilio unus ex Indicis Philosophis, quos *Ioques* vocant, apud suos sanctimoniæ opinione celebris seriò usurpat, & in honorem Chri-

4. Ad Christum imitandum.

5. Vt carnem domet.

6. Vt satisfaciant pro peccatis.

7. Ad impetrandum à cœlo lumen in vita P. Gasparis Barzei.

Christi patientis paucos ictus sibi infligit, ex tenebris densissimis paganismi, quibus erat obseptus, feliciter emersit. Nec exiguus est eorum numerus, qui cùm molestos hostium tam visibilium, quàm invisibilium conflictus experiuntur, has pœnitentias ut arma contra illos fortissima, & saluberrima assumunt, dicuntque cùm Rege Psalmista: *Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.* Plures etiam sunt qui cum S. Lutgarde pro peccatoribus ad meliorem frugem convertendis, alii pro animabus ab igne purgante liberandis eas Deo offerunt. Denique dum se pœnis discrutiant, hæc omnia simul habent ante oculos, & cum Augustino dicunt: *Excrucio me, ut Deus parcat; do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus; nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur.*

8. Ad vincendum dæmonem.

9. Ad convertendos peccatores.

De intentione, quam in pœnitentiis castigationibusque corporis præscribit Amor sanctus, jam diximus, quam verò in illis usurpandis moderationem adferat, excutiamus: periculosus enim est in illis excessus; hinc à viro multæ in rebus spiritus prudentiæ, & lectionis, qui doctores hac de re agentes accuratè perlegerat, dictum audivi, ex triginta duobus auctoribus, qui de hac materia præcepta tradunt, omninò triginta monere, plus in excessu subesse periculi, quàm in defectu, aut remissione: ægroto alicui si potionem vehementiorem, & viribus ejus imparem dederis, noces potiùs, quàm prodes: si lentiorem & minus efficacem, augere illam potes, vel repetere: ita in hoc nostro negotio.

10. Excessus moderatur.

11. Maximè in excessu, in quo plus periculi.

Parisiensis Cancellarius Joannes Gerson experientiam hac in parte testem appellat, quâ videmus culpam in excessu commissam, viresque nimiâ corporis castigatione prostratas ægrè reparari posse; cùm è contra nimiæ hac in parte remissioni atque socordiæ variis considerationibus calcar admoveri, prudensque ad eas assumendas ardor excitari possit. Verùm si aliquando, hoc potissimùm in negotio, locum habere debet sapientis monitum, *Ne innitaris prudentiæ tuæ*; adeoque audiendus est ille, cui conscientiæ nostræ arcana commisimus, ejusque monitis atque consiliis prorsus acquiescendum, quia *melior est obedientia, quàm victima*; ne quæso, qui ad has castigationes usurpandas à Spiritu sancto compelli te putas, tuo sensui judicioque præfide, suspecta tibi sit tua discretio, ad obedientiæ tribunal illam evoca; quæ juxta Climacum est *discretionis depositio inter divitias discretionis.*

12. Directoris prudentiâ.

gradu 4.

13. Quam loquendo virtutes duas exercet.

Geminam virtutem hoc modo ejus castigationibus comitem accersis; humilitatem, quâ alteri judicium tuum submittis, & erga Deum charitatem, quâ ejus beneplacitum cognoscere, eique te conformare in animum induxisti; hoc verò obedientiâ duce, quam velut voluntatis divinæ interpretem, sine qua ne martyrium quidem Deo placere potest, agnoscis, hæc etiam te à periculo furti liberat; quid enim? an non ille, qui pauperi numulum ad vitam necessarium surripit, ut inde ad aram votivum lumen accendat, furti reus est? & quid aliud agis, dum nimiâ corporis afflictatione vires illi ad Dei famulitium necessarias suffuraris, eo titulo quòd carnem tuam velut victimam supremo Numini sacrificare decrevisti: fallaciæ sunt istæ, arteque subdolæ dæmonis, qui sub voluntatis propriæ integumentis delitescens sagittatin occulto, tibique perniciem machinatur, quam solâ obedientiâ duce securus effugies.

14. Exemplũ religiosi decepti in hoc genere. Wadingus in Annal.

Religiosus ex ordine S. Franciſci, ab omni cibo potuque dies plures continenter abstinebat, & quidem, quòd maximæ erat admirationi, sine ulla virium diminutione. Provincialis hic aliquid fraudis à dæmone subesse arbitratus, noluit hunc abstinentiæ rigorem impedire; sed è contrà præcepit in virtute obedientiæ, ut illam prosequeretur: res mira, qui anteà dies aliquot jejunus agebat, jam ad meridiem usque sine cibi sumptione perdurare non poterat: nimirum voluit ostendere Deus priorem abstinentiam commentum fuisse dæmonis, quod obedientiam, quam ferre non potest, dissipavit.

Vita c. 40.

15. Christi doctrina ad S. Theresiam.

S. Teresiam super his à Christo edoctam audiamus: Cùm, inquit, personam aliquam magnæ virtutis, magnis animis in corpus suum sævire adverterem, meque juxta pristina desideria, posse duriùs & acerbiùs in istis effervescere crederem, nisi confessariorum mandatis impedirer; subjit animum cogitatio; an non satius esset in hoc negotio animi propensionem sequi, quàm eorum jussis adhærescere: tum verò Jesum Christum hæc mihi dicentem, intellexi: Non, filia mea, non; bonum & securum iter ingressa es, in illo persiste. Vidésne omnes illius pœnitentias & afflictationes? pluris ego tuam obedientiam facio.

16. Amor secretas esse jubet pœnitentias.

Duo ad hæc documenta adjungit S. Amor. 1. Ut castigationes tuas tibi secretas habeas, neque cum Pharizæo Euangelico in publicum proferas, qui dicebat: *Ieiuno bis in Sabbatho.* cur, quæso, vis, ut illæ ad aliorum emanent notitiam? an non, ut vulgus

17. Internas externis præfert.

gus hominum, qui has tanquam sanctimoniæ argumenta suspicit, te pariter admiretur, & laudibus efferat? Ut hunc scopulum devitemus, monet Christus, ut opera nostra fiant in abscondito, ut Pater cælestis, qui videt in abscondito, reddat nobis.

Hinc S. Bernardus, cùm cilicium quod sub vestibus occulueraat, per nescio quas vestimenti laceri rimas à suis conspectum intellexisset, continuò illud deposuit. Sed & Franciscus de Sales, cùm sermo de aliquo Episcopo incidisset, qui cum aliis iter faciens, jejunium, quod sibi diebus Veneris indixerat, cæteris cænantibus solus ipse observare voluerat; modestè insinuavit hospitalitatem, & communem cum aliis istâ occasione vivendi orationem meliorem jejunio futuram fuisse, ut illa velut mantellum, alienis oculis jejunium obtegeret: plærumque in istis propositi constantiam nos obtendere, cùm in affectatam potiùs singularitatem & judicij proprij tenacitatem res tota degeneret: major virtutibus ipsis virtus sæpè est, virtutes abscondere, & curiosorum oculis suffurari. Deus invisibilis est, & ab aspectibus nostris remotissimus, qui etiam à nobis amat in abscondito coli, & honorari.

17. Internas externis præfert.

Alterum Amoris monitum est, ne ita in exteriores castigationes animo feramur, ut interioris hominis cultui potiores partes non demus: aliter enim facere est ordinem pervertere, & equos post currum adjungere, ac mulierem insulsam imitari, de quâ S. Epiphanius, quæ mitram pedibus, & sandalia capiti imponebat. In antiquis sacrificiis, non pellis victimæ, sed adeps, & alia interiora in pretio erant. Si exterior castigatio interiori homini officiat, omittenda est aliquo tempore, ut hujus vires augeantur; cujus unciam plus valere, quàm alterius libras plurimas, idem S. Franciscus Sales solitus erat dicere.

Anno 1417. 18. Quid cautelæ adhibitū in flagellationibus publicis.

Cum S. Vincentius Ferrariensis judicii imminentis terrore populos commoveret, ingentem sceleratorum hominum multitudinem, quos criminum infamia vulgò notos fecerat, ad publicas flagellationes supplicantium in morem subeundas concitavit: spectabantur aliquot se flagris dissecantium agmina, & sanguinis rivis è tergo fluentibus intuentes in admirationem simul & commiserationem rapiebant. Celebrabatur tum universale concilium Constantiæ, atque à Prælatis ibi congregatis res diversimodè excepta: Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis primi inter illos nominis, cum Generali Dominicanorum, qui illic aderat, contulit, an modus aliquis

novitati isti adhiberi non posset, simulque libellum ad Curatorum instructionem vulgavit, in quo inter alia hæc tria puncta continebantur. Primò similes flagellationes auctoritate propriâ absque eorum approbatione, quibus animarum cura commissa est, non esse assumendas, cùm varii abusus inde possint emergere, meritoque timeri possit ne diabolus sese illis occultè & fraudalenter immisceat, quem in Scriptura sacra legimus Prophetas, & sacrificulos Baal ad carnem suam cultris conscidendam compulisse. Secundò hortandos mortales, ut quæ sunt obligationis, sedulò, & integrè priùs exequantur, quàm ad ea, quæ supererogationis appellantur, temerè convolent; ita enim à superbia nobis indita comparati sumus, ut ad hæc extraordinaria feramur ardentiùs, inveniantúrque, teste S. Bernardo, complures, qui abstinentiam, quam suopte arbitrio delegerunt, observent accuratiùs, quàm aliam, quæ totius Cœnobij communi lege sancita est. Tertiò persuadendum est iis, qui virtutum acquirendarum amore feruntur, laudabilius esse, ea quæ frequenter accidunt, ut sunt morbi, fortunarum jactura, injuriæ, calumniæ, parentum, liberorum, & amicorum mortes, afflictiones animi, ariditates, interiores tenebræ, & diuturni cogitationum conflictus, & divini quodammodo auxilij substractiones, æquanimiter tolerentur; quàm si caro ad sanguinem dilaceretur, animo interim ad minimum verbum, minimamque contrarietatem impatiente, & sibi aliisque non parum oneroso.

Denique non contentus hoc tractatu, publicaque munitione dictus Cancellarius, ad ipsum etiam sanctum Vincentium litteras dedit, quibus rogabat, ut Constantiam se conferret, de hoc puncto cum Concilij Patribus acturus: & quamquam de publicis flagellationibus instituta erat quæstio, facile tamen est inde colligere, quantum etiam prudentiæ ad particulares bene, & utiliter obeundas sit adhibendum, & quàm habeat hîc locum istud monitum, *Honor Regis judicium delegit.*

Sed ne ex his quæ diximus delicatiores aliqui, & erga semetipsos plus æquo molles, & blandi, occasionem sumant sibi parcendi, sciant velim aliud esse rem ipsam, aliud imprudentem & immoderatum rei usum damnare: intelligant odium sui commendari à Christo, & à S. Apostolo laudari eos, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, ipsumque præire exemplo dum corpus suum castigat,

gat, & in servitutem redigit: sciant corpus nostrum asinum esse, qui flagris urgendus est, & plus oneris ferre posse, quàm primâ fronte appareat, atque ad experientiam veniendum; non solere de rupe aquas cælestis consolationis elici, nisi illa semel, iterumque percutiatur, & audiendam vocem illam velut è cælo delapsam: *Da mihi carnem, & ego dabo tibi Spiritum.* quod duobus exemplis, quæ subjiciam, dilucidiùs evadet.

CAPUT VII.

Duo exempla raræ in castigatione corporis, aliisq; pœnitentiis mortificationis.

19. Henrici Suso mortificatio. *Bolland. 25. Ian.*

PRimum locum dabo B. Henrico Suso ex Dominicana familia, cui Beati nomen singulares virtutum exercitationes suiique victoria apud plerosque peperêre, quod etiam ejus imagini inscriptum legitur. Surius eum virum sanctissimum appellat; ejusque corpus 252. annis post mortẽ, anno scilicet 1613. Ulmæ, ubi è vivis decessit, integrum repertum est, atque ab hæreticis clam subreptum & absconditum.

Exordium suæ mortificationis à sensuum castigatione sumpsit: & quod ab illo in iis, quæ sensum tactus concernunt, actum est, prorsus est admirabile: cilicio vestiebatur, ad quod ferream catenam adjunxit: femoralibus acus acutissimas centum & quinquaginta inseruit: cumque ad hæc vermiculis arroderetur, ne illos posset abigere, noctu chirothecas aculeis armatas induebat, quibus seipsum etiam dilacerabat, ut à bestiæ carnivoræ unguibus sectus ac dilaniatus videretur: atque in hoc martyrij genere sedecim annos perseveravit. Præterea habebat in humeris admotam ad nudam carnem cruciculam triginta clavis acutis horridam, quos ut altiùs in corpus penetrarent, impactis pugnis adigebat. Hanc crucem integris annis octo sine intermissione gestavit: interea humi cubans somnum talem qualem capiebat, sacculo culmis avenæ pleno, pro pulvinari capiti supposito. Per hyemem numquam ignem, aut hypocaustum adibat, etsi frigore obrigesceret, sacrisque illum operari necesse foret. Alias carnis afflictationes omitto, ut flagellationes rivulos sanguinis proliicientes, ducentas ad terram prostrationes, & deosculationes die simul cum nocte magnâ constantiâ obitas, somnum parcissimum

Sensuum.

Tactus.

eumque plærumque in sedili arctissimo, aliaque præterea cruciamenta, quæ divinus Amor suique odium illi suggesserat.

20. Gustus. Simile bellum gustatui indixit; semel tantùm per diem cibum sumpsit: carne, piscibus, ovis abstinuit; vinum semel tantùm in anno, idque die Paschatis sibi permisit, aliàs aquâ, aut cerevisiolâ paris cum aqua substantiæ utebatur, & quidem tam exiguâ quantitate ex vasculo ad id destinato, ut irrorare potiùs linguam, & fauces, quàm sitim pellere videretur; sed neque hunc potum extra prandij tempora, quamvis siti admodum vexatus, admisit. Unde cùm sitis ingravesceret; à Christo suæ sitis in cruce tormentum suggerente, ad eam fortiter tolerandam animatus est; à beata etiam Virgine cœlestem potionem subministrante levamentum accepit: pomis, quòd illis lubenter vesceretur, duobus annis abstinuit.

21. Vocis. Silentium servavit exactissimè; totos triginta annos (si unicam occasionem excipias, cùm à capitulo redux, cum aliis navigio veheretur) dum ad mensam cibum sumeret, ab omni colloquio se continuit: alio tempore, cùm sermocinandum erat, cogitatione ad S. Dominicum, S. Arsenium, S. Bernardum vertebatur, petebatque gratiam id cum omni perfectione peragendi: sermo illi parcus, & brevis, & ad rationis trutinam expensus.

22. Visus. Oculos severè coërcuit; & ne vagarentur, ipse ferè semper, aut in cubiculo, aut templo, aut claustro se tenuit: de nemine temerè judicabat, multò minùs loquebatur, omnia in bonam partem interpretabatur, erga omnes officiosus, & erga afflictos misericors, ut eorum lacrymis suas ex commiseratione conjungeret, imò cùm in bestias sæviretur, nescio quo doloris sensu tangebatur: injurias sibi illatas remittebat, facile, utque ejus, à quo injuriam acceperat, benevolentiam reconciliaret, obsequiis illum demereri conabatur.

23. Interna. Existimaret fortassis aliquis, se in magnum Athletam evasisse, si eundem cum hoc nostro pugile mortificationis gradum attigisset: sed alia longè de istis fertur in Dei tribunali sententia: qui in tirones adhuc versari, in quodam mentis excessu nominato ostendit, Angeloque imperavit ut illum ad perfectæ abnegationis scholam deduceret, in qua homo seipso exuitur, & Christum induit: ex quo ipse cælesti radio collustratus, intellexit quas à se pugnas, & victorias Christus deinceps exigeret: vidit enim se nimis facilè commoveri, dum sine fundamento, & innocens duriter habe-

haberetur; vidit se eorum fugere conspectum, quos sibi parum æquos, & benevolos arbitrabatur; vidit omnem se pudoris, & confusionis materiam perhorrescere, & ad laudes proprias aliquo voluptatis sensu affici, ad vituperia animo dejici; hæc & alia, ut veteris hominis reliquias, debellanda ostendit illi Deus: simulque præcepit ut corporis jam fatiscentis afflictationes, etsi bonas, in meliores, & difficiliores, quales sunt illæ, quas interiorem hominem concernunt, commutaret; quod duplici præterea spectaculo illi ostendit. Adfuit enim illi Angelus, qui hominem aggressus, dixit: Huc usque inter pedites stipendia meruisti; nunc inter equites accensendus es: adesdum, ego te equestribus armis accingam, ut inter loricatos equites nobiliora, quàm huc usque, edas facinora: hactenus dum castigando corpori te exercuisti, aliquam tibi apud homines gratiam, & virtutis opinionem collegisti; post hac verò contemptus & despectus, linguisque maledicis prosciissus dignus habeberis, quem mortales omnes pedibus conculcent, & proterant: hactenus amicis ascisendis studuisti, & offensiones hominum, atque inimicitias sedulò declinasti, pacemque cum omnibus, quantum poteras, coluisti: post hac

24. A Deo immissa gravior.

infidos & instabiles amicos experieris, qui nullâ occasione lacessiti terga vertent, teq; persequentur, aliosque tibi conjunctos iisdem calamitatibus involvent. Denique cælestibus consolationibus sæpè recreatus, vires interiores reparabas: nunc & deinceps omnibus istis privaberis, & quidquid in ariditatibus mentis, & derelictionibus à Deo & hominibus molèstum in primis est & lamentabile, in earum locum succedet. Denique plures restant cruces tibi tolerandæ, quàm sint stellæ in cælo. Alterâ die interiùs vocem monentis audivit, ut è fenestra prospectaret; prospexit, viditque canem detritum pannum ore gestantem illoque ludentem, & tandem dentibus dilacerantem: dictumque est illi: Eodem tu modo fratrum tuorum ore jactaberis.

Dumque alicujus crucis, quâ premebatur, levamen finemque spectaret, & ad illud aspiraret; reprehensus est à puero Christo, monituque ad alias succedentes cruces animum præpararet, exemplo Virginis rosas carpentis, quæ, una decerpta, ad alias colligendas progreditur.

25. Solitudinis sponte initæ.

Ut ergo ad illa toleranda animo firmato accederet, solitudinem sibi indixit, cœnobioque totos decem annos pedem non extulit; ab omni hominum colloquio

loquio abstinuit, ideoque à mensâ ad sacellum quoddam, velut ad spontaneum carcerē se contulit; oculos ita continuit ut ad quinque pedum spatium, aspectum dumtaxat possent extendere. Intereà novem annorum decursu caliginosis contra fidem tentationibus exagitatus est: atque inde ingens animi ægritudo, atque tristitia suborta ita cor oppressit, ut montis ingentis pōdere obrui, ac suffocari sibi videretur: quod tormentum octo annos tenuit. Succesſit illis cum desperatione conflictus, interiorque cogitatio perpetuò suggerens; quidquid ageret, nunquam salutem æternam consecuturum, quâ decennio toto vexatus est, seque despexit, uti hominem Dei judicio æternis pœnis addictum, à quo tormento viri insignis Ekardi, in Theologiâ Doctoris, tandem liberatus est: atque hæc decennium solitudinis tenuere. Quo exacto demum alterius generis crucibus,

26. Calumnias tolerat.

quæ secum ingentem apud homines trahebant infamiam, mirum in modum divexari cœpit: diverterat ad aliquod sacellum orandi gratiâ, in quo nocte appetente ab occulto fure non parvi momenti latrocinium commissum fuit, in cujus ipse suspicionem venit; uti & alterius impostura, quasi falso miraculo à rusticanis hominibus pecuniam emungere voluisset; unde tantâ apud illos laboravit infamiâ, ut non tantùm vincula, & carcerem, sed mortem etiam commeruisse dicerent.

27. Hæreseos objecta.

In quodam ordinis cœnobio, dum Patrum ex variis locis instituteretur Conventus, quod Capitulum vocant, à duobus è gravioribus Patribus accusatus est, quòd libros hæreticis propositionibus refertos publico dedisset. Quam criminationem, licet nullius sibi conscius, ægrè tamen à se depulit; gravis interea febris illum invasit, & apostema circa cor obduruit, ut actum de ejus vita crederent: à quibus tamen Dei beneficio convaluit.

28. Et luxuriæ.

Ingenti deinde laboravit infamiæ notâ ob sororem, quæ sanctimonialis, & castitatis voto illigata, pudicitiæ suæ labem intulerat, atque insuper ignominiæ vitandæ gratiâ è monasterio clàm aufugerat. Redundavit in fratrem facti dedecus, qui cùm illam vestigaret ubique, ut ad suum claustrum reduceret, mirum quot opprobria, & maledicentias, dum huc, illucque discurrit, devorare sit coactus.

29. Et impōsturæ.

Nam socium oblatrantem sibi adversarium nactus, atque ab illo ut impostor, & puteorū, veneno in illos conjecto, infector apud rusticorum multitudinē accusatus, mirū quantum omnium odiū incur-

incurrerit, dum alij dejiciendum in Rhenum, alij atroçiori supplicio conficiendum dicerent, unus etiam ex illis bipenni eum transfodere, transfossumque arboris trunco alligare voluit. Sed Deus, qui famuli nolebat necem; sed exercendæ dumtaxat virtuti suppeditat materiam, illum his periculis, ut ad alia reservaret, exemit.

30. Periculorum.

Nolo hîc commemorare, quæ pericula vitæ adierit à latronibus, & lapsu in profluentem, dum iter faceret: neque in medium adferre Nobilium virorum in eum capitale odium, quod eorum sorores à liberioris sub mundi signis vitæ licentia, ad Christi militiam sub virginitatis vexillis traduxisset: unum in transcursu delibare volo; Christum Dominum monuisse, non sibi sufficere patientiam in calumniis; sed velle etiam ut illarum authoribus singularis benevolentiæ signa ostenderet, illos adiret, salutaret, & verbis mollioribus officiisque delinire conaretur: cujus rei paullò pòst sese obtulit occasio: à quodam enim Fratre verbo arrogante, & iracundo appetitus patienter quidem tulit, sed intus moneri se sensit, aliquid amplius perfectiusque à se exigi: adiit ergo fratrem, & ad ejus genua prostratus, si qua in re offendisset, veniam petiit: ille verò ad tantam Patris demissionem attonitus, ipsum innocentem, se verò petulantissimæ mordacitatis reum pronuntiavit, atque sibi ut ignosceret, oravit.

31. Persecutionum à falsis fratribus.

Alter è fratribus illum in valetudinario sedentem procacibus verbis adorsus est: ad quem ore sereno conversus Pater, subrisit, quasi beneficio affectus esset: quod fratris animum ita immutavit, ut & ipse vultus amœnitate benevolentiam testaretur, ac deinde apud alios, Patris modestiam & facti sui indignitatem prædicaret, atque in futuram ætatem profuturam sibi tantæ humilitatis & benignitatis memoriam diceret.

Ex illo tempore cœperunt dies illi tranquilliùs fluere, ut apud Deum coqueretur, se velut oblivioni ab illo traditum, quòd unius mensis spatio nec in corpore, nec in fama molestiæ, aut dedecoris aliquid pertulisset.

32. Impudentiæ imputatæ.

Sed non diu tranquillitas tenuit: graviora parabat Deus, ad quæ præmunire illum visione per somnum voluit: cùm enim sacrum faciendum ipsi incumberet, nullum aliud in toto Missali reperire potuit præterquam de Martyribus, cujus initium: *Multæ tribulationes justorum*: ac paulò pòst ingès à muliere impudica oborta in illum tempestas, quæ ita hominem vexant, ut propè oppresserit.

Hæc cùm illum ad juvandas animas valdè propensum animadverteret, adivit hominem sacræ confessionis gratiâ, vitæ melioris propositum præferens; juvit illam vir sanctus in utroque homine; animumque piis monitis, corpus subsidio pecuniario sublevavit: cùm verò postea mulierculam flagitiis solitis clàm addictam, externâ specie fucum facere, & imponere deprehendisset, illam paulatim deserere & ablegare statuit. Olfecit id impudens fœmina; & subsidii temporalis subtractionem reformidans, minata est, si se dimitteret, se ipsum impudicæ secum consuetudinis accusaturam; imò infantem, quem utero gravida gestabat, ipsi ut genitori assignaturam. Quid faceret homo sanctus in has conjectus angustias? stetit pro Deo, & virtute, fœminam amisit, nec ultrà audire, multò minus juvare voluit: quæ in rabiem acta vix credi potest, quid in illum commenta non sit; mendaciis, fictisque criminibus ita illum dehonestavit, ut familiares ejus colloquium fugerent; & volentem se purgare cum convicio repellerent: compulsus item est alimenta procurare supposititio infantulo, & prope abfuit à majori calamitate, nisi Deus subitâ morte impudentissimæ fœminæ, & unius Prælati interitu, aliorumq; qui præcipiti credulitate abrepti, innocentem fuerant persequuti, occurrisset in tempore, & depulsâ mendaciorum nocte serenam veritatis lucem attulisset. Ita suos exercet Deus, & primò per voluntarias corporis castigationes, deinde per molestiores ab aliis, aut malitiosè, aut ignoranter illatas ad supremos virtutum gradus elevat, donec sibi, amorique proprio mortui, immortales laureas consequantur.

33. Mortificatio inter fœminas Thebaidis. *In vita S. Euphrasiæ.*

Expediamus nunc breviter alterum mortificationis exemplum, quod nobis debilior sexus submistrat. Imperante Theodosio florebat in Thebaide Sanctimonialium ascæterium centum & triginta virgines complectens, quas undequaque illustrium virtutum fama celebrabat: omnem illæ sibi vini potum, omnem fructuum, ut sunt ficus, racemi, & similes, esu interdixerant: aliquæ illarum oleo abstinebant, plurimæ earum semel in die, idque vesperi cibum tenuem sumebant; erant etiam, quæ biduum, triduúmve jejunarent: pro lectulo cilicium unius cubiti latitudine, & trium longitudine humi sternebant, ubi brevem somnum captabant: cilicinâ veste ad pedes usque protensâ utebantur: unaquæque pro mensura virium laborí insistebant: si quæpiam in morbum incideret, illud ut beneficium

ficium ingens de manu Dei recipiebat; nullis medicamentis utebatur; sed uni Deo morbi gravitatem, durationemque committebat. Clauſtri rigorem maximum obſervabant, nullos habebant reditus, labor manuum vitæ neceſſaria ſuppeditabat, quæ exigua erant, cùm aquâ & leguminibus victitarent, & dies complures iis etiam abſtinerent. Fateor admiranda potiùs hæc eſſe quàm imitanda; duo tamen inde elicimus: Primò, ſæpè nos poſſe perferre plura, quàm nobis ex opinione debilitatis, aut potiùs puſillanimitate effingimus, cùm gratia ſemper ſit in promptu, ſi aut obedientia, aut prudentiæ cœleſtis lumen acceſſerit. Secundò valent hæc ad elationem animorum in nobis confundendam, qui tantos ad aſperam corporis tractationem in delicatis virginibus animos intuemur, cùm tam pauca nos in hoc genere, & tam ſegniter aggrediamur.

CAPUT VIII.

Quomodo ſe gerat Amor Sanctus morbi tempore.

QUandoquidem ea documenta, quæ ſanitatem, morboſque juxta Sancti Amoris leges dirigunt, multa ſint, illis ego quinque quæſtionum deciſione lucem aliquam adferre conabor.

Quærimus ergò primò, an ad morbos optandos, & adeò deposcendos Amor ſanctus clientes ſuos impellat? Ut hunc nodum evolvam, morbum duobus modis conſiderari poſſe exiſtimo; uno, ut eſt ſanitatis privatio; altero, ut eſt palæſtra virtutis, qua & animus coronas ſibi & Deo gloriæ augmentum elaborat. Ac primo quidem modo nullas habet excitando deſiderio illecebras, cùm ſanitatis bonum deſtruat, & corporis animique functionibus tum publicis, tum privatis non parum incommodet, Dominamque, ut ancillæ famuletur, quibuſdam quaſi compedibus aſtringat, aliiſque, quorum cura indigemus, impedimentum adferat: cumque Chriſtus, ejuſque mater Maria omni morbo caruerint, id indicio eſt, in illis nihil per ſe boni deliteſcere. 1. Morbus quomodo optari poſſit.

Hæc tamen nō obſtant, ſi morbi, aliis nominibus, & titulis honeſtentur, quin expeti poſſint, & rogari: v. g. ut carni ferocienti, aut per vitia palabundæ frænum injiciatur; ut homini cum detrimento ſalutis negotiorum multitudine occupato, detur aliqua vacandi ſibi occaſio; ut virtutum plurimarum ſuppeditetur materies, ut malum aliquod impendens avertatur, ut præcedentium

peccatorum debitis fiat satis: quæ ferè omnia paucis hisce verbis complexus est Angelicus Doctor, dum rationem adfert, cur divina Providentia pœnas à peccato Adami in posteros derivatas, in diversis diversas reperiri voluerit: inter cætera, inquit,

2.2.q.164. a.1.ad 4. *propter remedium salutis ejus, qui hujusmodi pœnalitatibus subditur, ut scilicet per hoc à peccatis arceatur; aut etiam de virtutibus non superbiat, & per patientiam coronetur.*

2. Virgines optarunt ad servandam virginitatem.

Jam verò quàm multas Virgines legimus, ne perdendæ virginitatis periculum incurrerent, aut invitæ à parentibus maritali jugo implicarentur, morbum deformantem à Deo petiisse, & impetrasse? an non Virginem illam laude dignam censebimus, quæ orba oculis, dono contemplationis cùm frueretur, ac deinde S. Brigittæ precibus lumini restituta cùm se animo distrahi persentiscceret, ejusdem sanctæ meritis pristinam cæcitatem sibi restitui postulavit, & obtinuit?

Ut S. Aldegundis.

Quis Aldegundis sanctissimæ & Deo dilectissimæ Virginis factum improbare audeat, quæ duobus ante obitum annis à sponso molestissimum cancrum, ut purior ex hac vita decederet, efflagitavit, sibique concessum beneficii loco habuit? Quis damnat boni illius senis querelas, quasi sui Deum cepisset oblivio, quòd illo anno, uti præcedentibus, morbo tentatus non fuisset? scilicet morbum ille ut margaritam de cælo demissam amoris in se divini argumentum adamabat.

3. B. Joachimus Senensis.

Omni admiratione dignum in hoc genere esse judico (quod etiam suo calculo cæleste Numen approbasse videtur) facinus B. Joachimi Senensis, ex ordine Servitarum. Consolabatur hîc ægrotum in nosocomio epilepsiâ laborantem; qui mali acerbitate abreptus, O pater, inquit, facile est cùm sani sumus, alios ad patientiam adhortari; si paribus mecum doloribus agitareris, aliter loquereris. Hîc insolito charitatis æstu concitatus B. Joachimus: Quid ais, inquit, mi frater? ego te hoc tuo morbo tam beatum existimo, ut Deum ex intimo corde deprecer, ut te liberet, illumque in me transferat. Utrobique exauditus fuit; nam & æger continuò sanus lectulo exiliit, & vir sanctus se epilepsiâ contactum sensit, quam admo tem usque magno animo, Deo gratias agens pertulit, hoc velut charitatis suæ præmio donatus, ut die Veneris sancto, cùm in Euangelio legeretur de Christo; *Et inclinato capite tradidit spiritum*: ipse etiam animam efflarit.

4. B. Borgia.

Rogabat beatum Borgiam socius ejus, & itinerum comes P. Bustamantius, id sibi à Deo impetraret,

traret, ut potissimùm pro se Franciscus afflagitabat. Annuit hic, & ut votis Bustamantij Deus annueret, prostratus rogat & obtinet: ecce tibi dolor capitis ardentissimus Bustamantium occupat, vehementerque exagitat: hæc scilicet erant B. Borgiæ vota, ad has cruces totis medullis aspirabat, cælumque, ut sibi illæ concederentur, crebris precibus pulsabat: sed non erat ea mens Bustamantij, qui continuò temeritatis culpam agnovit, partes nani cum gigante vires non esse confessus est, Franciscumque rogavit, ut quem evocarat dolorem expelleret. Subrisit Pater, hominemque solatus, iteratò Deo supplicans malum omne est amolitus. Videbat altiori supra vulgus hominum lumine perfusus B. Borgia, in illis quæ vulgò habentur mala, bonum ingens delitescere, ac proinde res omnes, quæ corpori erant permolestæ, suos amicos nominabat, quod contra hostem infestissimum, carnem scilicet, subsidio venirent, Deique causam & partes agerent.

5. Quatuor è Societate Jesv.

Nec de similium desideriorum bonitate, atque præstantia dubitare possumus, cùm bono fine nitantur, & ad Deum, qui vitæ & sanitatis Dominus est, ac de utrisque pro arbitrio disponit, vota ista precesque dirigantur, cùm & viri in Theologia præcellentes cum laude fieri posse asserunt, ut quis pro alterius vita conservanda, quam bono publico Ecclesiæque utiliorem arbitratur, suam Deo offerat; quod quatuor è Societate nostra fecisse, & à supremo Numine exauditos fuisse legimus: nimirum alios illi, ut arbores in Ecclesiæ plantario perquàm fructuosas, se verò ut culmos aut aristas inutiles intuebantur, atque ut illis mors parceret, atque in se falcem immitteret, Deum orabant, inque humilitatis & charitatis præmium impetrabant: quis enim neget convenire illis illud Christi elogium: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis?*

6. Aliqui etiam mortem probrosam.

Si honestum, laudeq; dignum arbitramur, Christi imitandi, aut pro peccatis satisfaciendi desiderio, optare funestæ mortis subire ignominiam, & manu carnificis pubicè supplicio affici, idque B. Angelã Foligniam, quòd se martyrij laureâ indignam existimaret, exoptasse, & nostris temporibus V. Patrem Condrem Oratorij Jesu in Galliis Præpositum Generalem, virum consummatæ scientiæ & virtutis ambisse legimus; quod etiam non ita pridem experiit, & à Deo impetravit Madriti mercator vir integer & cælestibus carus, qui falsorum testium depositione ex alle-

In ejus vita.

Nierembergius de provid.

garis & approbatis à Judice condemnatus, & carnifici publicè necandus non sine suo gaudio traditus est: si, inquam, hæc honestè & generosè fieri censemus, cur morbum aliquem majoris boni gratiâ desiderare, & expoſcere à ratione alienum existimabimus?

7. Alteri morbum pachomius.

Viros sanctos, dum ex amicorum suorum bono morbos esse judicarunt, illos precibus à Deo impetrasse produnt memoriæ. Pachomius, ut discipuli sui nimiam evagandi licentiam, atq; ad mimicas fabulas risusque propensionem castigaret, morbi pedicas à Deo impetravit, vir inter anachoretas sanctissimus; & post illũ S. Dominicus, illos, quos viam virtutis edocebant, maluerunt à dæmone possideri, quàm in virtutis exercitatione obtorpescere, atque ut ita fieret, à supremo Numine precibus suis obtinuerunt. Quid si in medium proferã virorum sanctorum mutua pro virtute, Deique gloria certamina, in quibus ut alter alterum sisteret, morbum velut satellitem à Deo extorsit, & cùm alterius patientia voti sui compos evasit. Poletrus faber, primus ex S. Jgnatij sociis, præstãtis virtutis operarius Lovanii in Belgio, à Cornelio Vishaveo Sacerdote viro vitæ integerrimæ, & simplicitatis Deo gratissimæ hospitio exceptus fuit, qui cùm propter tanti hospitis adventum diem festum agere videretur, eumque apud se diutiùs habere speraret, à Fabro compellatur: Age Corneli, satis habeo, jam te de facie nosse, quem etsi meis oculis huc usque non vidi, te tamen novi: nihil est cur pro nobis ita sis solicitus, postridie hinc in Lusitaniam obedientia nos auferet. Cui Cornelius: Adversari, inquit, imperio isti & obedientię, nec ausim, Pater, nec debeo: cæterùm illum ipsum, qui & obedientibus, cùm usus est, frænum injicit, Christum invoco, ne te hinc abire, & avolare permittat, sed quamdiu huic populo usui fueris, remoretur. Subrisit Faber, & tamen postero die ad inspicienda navigia Lusitana, quæ ad oppidum Veras appulisse ferebantur, Antverpiam properat, quæ ut ad navigandum expedita vidit, Lovanium socios confestim deducturus revertitur: sed ecce Cornelij preces Deus exaudit, febrimque immittit, quæ Fabrum lectulo affixum trimestre Lovanij remanere coëgit, illius pertinaciam admirantibus medicis, & aliquid divinæ in illa providentiæ subesse judicantibus: donec memor precum Cornelij, eum accersitum rogavit, ut morbum, quem precibus impetrarat, oratione etiam suâ discuteret, quod & factum.

Orlandinus Hist. soc. lib. 4. n. 8. Cornelius Vishavæus P. Fabro.

Tan-

9. Stephana P. Balthazari Alvarez.

Tantumdem evenit P. Balthazari Alvarez, quem, cùm Vallisoleto transiret, rogavit Dei famula Stephana nomine, ruri nata, & magni candoris, ac virtutis fœmina, ut suâ auctoritate apud Carmelitanas locum habitumque illi impetraret. Negavit Pater, quod negotia festinatè aliò avocarent. Illa ad Deum recurrit, oratque ut indigenti succurrere dignetur : & ecce febris Patrem occupat, eique compedes injicit. Vidit hic unde ille morbus advolaret, & non ignarus quantum incommodi negotiis adferret, fœminam rogatum misit, ut morbum moramque precibus suis abrumperet, facturum se quod petebat. Orat illa ; febris abscedit; surgit è lectulo Pater, efficitque ut à Carmelitanis admittatur Stephana, & sequenti die iter suum prosequitur.

Atque ex his primæ quæstioni arbitror factum satis, amorem sanctum ad morbos bono fine postulandos aliquando impellere, non tamen ad similes petitiones præcipiti impetu convolandum. *Omnia mihi licent*, inquit Apostolus, *sed non omnia expediunt*. Non omnes, sunt pari cum Timotheo animi firmitate atque constantiâ, quem S. Paulus, qui non tantùm morbos pellere, sed mortuas etiam ad vitam revocare poterat, sanare idcircò noluit, ut notat S. Chrysostomus, ne majoris in cælo præmij materiam auferret ; non omnibus virginibus inest ea animi generositas, qualem in filia sua Petronilla advertit S. Petrus, quem, etsi precibus aliorum sæpè lacessitus, à morbo tamen levare noluit, quòd ex illo magni multiplicesque in virginem fructus redundarent.

Quis probet hominem in cæteris vecordem, & infirmi ad patiendum animi, subitaneo quodam inter orandum amoris æstu correptum in paria cum Maria Ogniacensi vota prorumpere, quæ, ut alibi diximus, quos in ægrotis acerbissimos cruciatus intuebatur, à Deo immitti sibi postulabat? quis non præsumptionis argueret tyronem, qui Alphonsi Rodrigues imitandi desiderio stimulatus in primo tyrocinij sui limine, dolores, morborumque carnificinam à Deo flagitaret : nõ omnibus pares sunt ad ferendum humeri : plerosque videmus occasione morbi in virtutum cursu refrigescere, & non parum de primâ contentione remittere. Si tu, dum vales, tanto conservandæ valetudinis studio teneris, ut ventus concitatior, & humorum fluxum commovens te inter orandum distrahat, & ad nimiam tantilli incommodi vitandi curam solicitet, quid, quæso, in te agerent longa morborum incommoda,

Non expedit cuivis id votum.

10. Non infirmis.

da, ac tædia? Satis tibi sit voluntatis tuæ in manus Domini humilis, & robusta consignatio, qua quidquid Deo placuerit, patienter feras; ne si amplius audeas, fortè te præsumptionis tuæ pœniteat, ut viro ex ordine S. Franciſci, te fortiori & in religionis palæstrâ diutiùs exercitato contigisse legimus, qui cùm Deum rogasset, ut in hac vita potiùs, quàm in altera à pœnis peccato debitis purgaretur, tantis continuò morbi doloribus exagitari discruciarique cœpit, ut sibi paullò ante mortem redditus (nam propemodum dolorum magnitudine de sana mente dejectus fuerat) astantibus diceret, nemini se auctorem futurum ut ad similia petenda procederet.

Wading. Annal.

II. Non alienæ saluti studentibus.

Verumenimverò, quis homini ad salutem animarum procurandam instituti sui legibus astricto suadere audeat, ut tanquam virtutis exercendæ palæstram morbos à Deo postulet, qui procurationem illam impediant, & alios, qui ægrotanti deserviunt, ab similibus occupationibus avocent? Quod si omnes in postulandis morbis conspirarent, & à Deo (qui etiam indiscreta postulantes vota exaudit) omnes lectulo ægri affigerentur; quid, quæso, istis hominibus fieret? quid ab exercitu contra Turcas collecto expectari posset, si milites omnes Xenodochium potiùs, quàm militiam; si medicorum auxilium quàm conflictum; si lectulum, quàm militares vigilias adamarent? An non opificem illum condemnares, qui cùm quotidiano labore familiam sustentare debeat, Deo supplicat, ut morbo immisso vires eripiantur, quibus ad opus erga suos charitatis potissimùm indiget? Sufficit istis omnibus animus ad Dei nutum factus atque compositus: paratus confestim sequi, quò cælestis Imperator jusserit: quo tamen casu ad certi generis morbos rogandos impelli te senseris, qui nec tui instituti occupationibus efficiant, nec in aliorum oculos, auresvè incurrant, ejusmodi desiderium precationemque impedire, vel improbare non ausim, cùm in illis multarum virtutum thesaurus recõditus lateat, Deusque multarum palmarum magnæque patientiæ, & charitatis materiam subministrare valeat. Omnis supplicatio ab amore Dei, prudentiâque profecta, & suis honestata adjunctis Deo displacere neutiquam potest.

12. Nisi sic ut non impediatur fructus, & ordo regularis.

Aggrediamur secundam quæstionem paullò difficiliorem, an castigationibus corporis sanitatem lædere, & vitæ spatium decurtare non tantùm licitè, sed ex virtute possim. Antequam hoc decidam, velim ab unoquoque con-

13. Non licet graviter lædere sanitatem pœnitentiis.

considerari, nos vitæ nostræ dominos non esse, ejus dumtaxat nobis usumfructum à Deo concessum, cujus aliquando ratio à nobis sit exigenda : unde istud inter Theologos receptum est, posse nimio pœnitentiarum excessu lethale crimen admitti. Non possum licentiùs de vita mea corrumpere, aut demere aliquid quàm de vita proximi; imò ad meæ conservationem magis, quàm ad alterius, bene constituta ordinataque charitas obligare me censetur: hinc nimia in se suumque corpus sævitia, qua illud fractum quassatumque muniis suis obeundis impar, & ineptum redditur, aut in mortis periculũ apertè deducitur, à S. Hieronymo, & post illum ab Angelico Doctore tanquam aliquid à ratione exorbitans obeliscо configitur. Potest aliqua in corpus velut perduelle, & fraudulentum, excandescentia, & damni ab illo emanantis severa quædam ultio excusari, præsertim si à viro prudente, cui conscientiæ nostræ arcana commisimus, permittatur; nec ego si hoc modo decem annos de vitæ meæ decursu adimã, religioni duxero, cùm de vitæ conservatione non tam scrupulosè solicitum me esse oporteat, quàm de virtutum, meritorumque incrementis, & animi sempiterna salute : non tenor mediis omnibus possibilibus vitæ producendæ anxius studere, nec Medico alicui morem gerere, qui, si aquæ potu non abstineam, vinoque non utar, decennio toto citiùs me moriturum pronuntiat; neque medicamentis uti, quibus ad decem annos prorogaturum me vitam cognoscerem ; neque similibus de causis cælum mutare, aut domicilium : mihi enim doctissimorum virorum hac in parte pronuntiata, omnem in hisce dubitandi materiam, omnemque scrupulum adimunt.

Victoria de homic. n. 14. Sayrus l. 7. p. 7 c. 9. n. 18. Granado 12. & alij.

14. Ex judicio SS. Patrum

Non me tantis Theologiæ luminibus injuriam facturum arbitror, si ad hanc quæstionem illustrandam unam ex S. Teresia facem accendam, cujus doctrinæ pabulo nutriri in ejus solemnitate postulamus ; ita ergo in illo libro, quam de sua vita jussu superiorum reliquit, de materia, quam agitamus, disserit. Ubi distinxit quid Sanctorum res gestæ admirandum, quid imitandum proponant, tria notanda suggerit. Primò, non paucos esse ex iis qui perfectionis vitæ studium profitentur, tam abjecti pusillique animi, ut sibi maximas impendere miserias arbitrentur, si, ut animo excolendo liberiùs vacent, de cura corporis nonnihil remittant. Quin potiùs ubi omnia corpori necessaria suppetunt, tum animũ curis expeditum liberiùs ad cæ-

15. In quo tria notanda ex S. Teresa.

leſtia tendere, ſecumque habitare, perſuaſum habent; unde fit, ut res nihili æquè illos perturbent, ac alios res magni momenti: ſibi tamen blandiuntur, ac ſe de illorum eſſe numero apinantur, qui ſeriò virtutem conſectantur: volunt animi negotia ita cum corporis accuratione componere, ut cum utroque pacem habeant, Deoque ſimul intereà tranquillè fruantur. Qui ita ingreditur, ait ipſa, gallinæ paſſu procedit, nec unquam veram ſpiritus libertatem aſſequetur.

Secundò ait, pleroſque eorum, qui conſcientias regunt, immoderata hac in parte diſcretione laborare, ac per ipſos ſtare, quò minus incipientium plerique tam citò ad perfectionis culmen evadant; dum illis nimium parcunt; nunquam enim divinæ gratiæ nobis deeſſe ſubſidium.

Tertiò monet, ne in hoc negotio nobis à dæmone patiamur illudi; illum enim, ubi meticuloſos nos eſſe advertit, continuò accurrere, timoremque augere, ne minima quæque ſanitatem lædant, brevique tumulo inferant. Ubi ego, inquit illa, has dæmonis artes fraudemque deprehendi, meque perdendę ſanitatis & quietis metu velle perturbant; ejus machinas hac reſponſione disjeci: Parum intereſt, dixi, ſi ſanitate excidam, quia parum etiam refert, ſi brevi è vivis decedam: quod attinet ad quietem, illa non egeo, cùm cruces dumtaxat ambiam, caſque ſectari proponam: docuit me tum ac deinceps experientia, ubi ſanitatis, & corporis curam abjeci, me meliori, quàm antea valitudine frui. Hactenus virgo illa ſanctiſſima.

16. Suaſer amor in morbis orandum Deum ad patientiã impetrandam.

Moveamus nunc tertiam quæſtionem, an dum aliquis morbo detinetur, Amor ſanctus ad ſolicitandum cælum, ſuperoſque pro liberatione invocandos compellat, an verò ad unicam eamque tranquillam cum Dei voluntate ſectandam conformationem, excitet. Ac primò quidem negari non poteſt, ſupplicationes iſto tempore Deo eſſe acceptiſſimas homineſque generoſos, & patiendi avidos, ad preces ingeminandas etiam iſto tempore ab Amore ſancto incitari, non ut morbo liberentur, ſed ut gratiam impetrent, qua ad Dei gloriam bene utantur, divinæque Providentiæ placita adorent, dicantque cum Propheta: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Si amici pro ejus incolumitate preces fundant, ſi novendialia vota multiplicent, & pro reſtituenda ſanitate ſacrificia, & eleëmoſynas offerant, ille in interiori & recõdito animi ſacrario ea omnia ad ejus gloriæ amplificationem divinæq; voluntatis beneplacitum tranquillè & humiliter

militer repræsentat : non quod honestum non sit, Deoque gratum, sanitatē ad Dei obsequium, animoque ad divina placita excipienda comparato instanter flagitare ; verùm divinus Amor ad altiora semper volatum intendit, & ab omni eo, quod quomodocumque amori proprio blanditur, quàm maximè potest, recedit, mavultque in Dei beneplacito se quodammodo omnium commodorum oblitus perdere, quàm vel tantillum naturæ propensioni deservire.

17. Quid in illis à Sanctis factum.

Rogarunt aliquando fœminam non vulgaris virtutis, quam morbus depascebatur, futuram in propinquo mortis victimam, in quo potissimùm inter acutissimos dolores animus ejus conquiesceret : In uno, inquit, verbo orationis Dominicæ, nempe *fiat* : nec malè, quia in illo sita est suprema holocausti nostri perfectio.

Bellar. p. 17. c. 12.

Gravi capitis dolore laborabat non nemo, quo cùm se ad muneris sui functiones parum habilem persentisceret, Deum rogavit, malo ut levaretur ; mordente deinde animum conscientiâ, an non id postulando à perfectionis semita deflexisset, dubitare cœpit, & hac de re ad B. Franciscum Salez scribere, qui in hunc modum respondit : Supplicatio, quam pro dolore capitis amoliendo Deo feciſti, non est ex prohibitis ; sed tamen, mi Deus ! non possem ad tale quid postulandum animum meum inducere : innuens amoris sancti præscripta aliquid perfectius exigere : quod ipse morbi sui tempore constanter observavit ; hæc ore sæpè ingeminans : Novit Deus, quid mihi utilius sit : Dominus est, quod in oculis suis placitum est, faciat. O Deus, ô tua, non mea voluntas fiat : ita, Pater cælestis, ita volo, quando tibi ita collibitum est. Ita Domine, ita apud me firmiter constitui, ut lex tua & voluntas tua impressa, insculptaque, regnet in medio cordis mei. Addebat insuper morbos diuturnos palæstram esse, scholamq; misericordiæ illis, qui ægrotis assistunt, & patientiæ, his, qui cum doloribus cōflictantur ; illos Beatam Virginem & S. Joannem adstantes cruci imitari ; hos verò Christum cruci affixum cum cruciatibus colluctantem : à qua cum refigi & deponi non rogarit ; qui exemplo ejus perfectè vult insistere, morbi levamentum, aut remissionem petere non debere.

18. Quidnam tutum facere.

Nolo, ut cum Maria Ogniacensi morbi incrementum postules, aut alios pro te deprecantes, uti illa Sacerdotem, ab orando impedias : potes cum Augustino Deum rogare. Quod Gothis Hippone à Gothis obsessâ cum aliis Episcopis inclusus, petiit ;

nempe aut obsidionis solutionem, si ita ferret Dei gloria, aut ad majora mala perferenda gratiam, aut ex hac vita migrationem, quorum ultimũ concessit Deus: vel cum S. Fulgentio inter morbi dolores, dicere: *Hîc patientiam, posteà indulgentiam*; aut cum Pio V. *Auge dolorem, auge & patientiam.* Puto tamen etiam aliquando ab Amore sancto injici quibusdam viris, qui nihil aliud respirant, quàm Dei gloriam, mentem petendæ sanitatis, uti à S. Bernardo factum legimus. Laborabat ille morbo gravissimo, quem peracuti, & propemodum intolerabiles capitis dolores comitabantur: jussit unum ex Monachis adstantibus, ire ad templum, & Deum pro restituenda sanitate deprecari; cumque alter se excusaret diceretque se indignum, qui alicui incolumitatem impetrarer, jussit iret, in virtute obedientiæ: ivit, & ante tres aras, unum B. Virgini, alteram S. Laurentio, tertiam S. Benedicto consecratas prostratus preces fudit, qui continuò tres simul ore sereno se Bernardo videndos dederunt, & partes magis affectas tangendo, confestim illum persanarunt. Credo S. Bernardum in hoc facto solam Dei gloriam spectasse, & non tam sibi quàm alterius profectui preces imperando, cum magna animi tranquillitate, studuisse.

19. S. Bern. petiit sanitatem.

Quarta dubitatio in obligatione evocandi medicum, dum quis ægrotat, & remedia morbo discutiendo opportuna usurpandi sita est: quam tamen nisi in gravi mortis periculo, nullum video, & quidem tum temporis non tantam, ut ad remedia accersenda ingentis pretij me compellat. Audio S. Ambrosium dicentem: *Non pavisti, occidisti*: quasi is, qui in extrema necessitate pauperi non succurrit, reus mortis in Dei tribunali agendus, & condemnandus sit: cùm ergo ego mihi occasione morbi de vita periclitanti eamdem charitatem debeam, quomodo parem capitalis criminis sententiam evasurus sum, si Medicum & remedia vitæ conservandæ necessaria averser, atque repudio? Verùm de hac obligatione sub peccato, non disputo, cùm varia sint quæ illam elidant. Sed hoc tantum hîc inquiro, quomodo perfecti amoris studioso hac in re sit incedendum? quod ut clariùs cognoscatur, ad sanctorum virorum, qui in castris Amoris sanctioris fortiter fecêre, exempla, & judicia est provocandum.

20. An vocandus medicus.

Sanctam Agatham nobilissimam Martyrem Apostolo Petro ad ejus sananda vulnera accedenti dixisse lego: Medicinam carnalem corpori meo nunquam adhibui. & verò etiam tum pro-

20. Quid Sancti fecerint. S. Agatha.

propoſuerat nullam admittere.

Pachomius.

Ad S. Pachomii Monaſterium nec Medicis, nec eorum medicamentis patebat ingreſſus, quin imò venerabilem Senem & magnæ virtutis virum Zacchæum nomine reprehendit ipſe Pachomius, quòd ſanādis manuum ſciſſuris à palmarum foliis, quibus nattas conficiebant provenientibus oleum adhibuiſſet.

Moniales S. Euphraſiæ.

Centum & triginta Moniales in S. Euphraſiæ cœnobio eundem rigorem ſervabunt. Palemon Pachomii frater, quòd aliorum precibus inductus ſtomacho debilitato refocillando aliquid præter conſuetum ſumpſiſſet, continuò velut inſtituti anachoretici violator, nimiæ erga ſe remiſſionis, ac indulgentiæ à Deo veniam petiit.

S. Greg. Nazianzenus.

S. Gregorius Nazianzenus in oratione, quam in funere ſorōris ſuæ Gorgoniæ habuit, eam in eo laudibus extollit, quod curru delapſa, & nonnullis fractis, aliis loco emotis oſſibus, non ad medicorum artes, ſed ad Deum ſolum recurrerit, à quo etiam ſupra naturæ leges ſanitatem recepit.

S. Bernardus Ep. 321. ad Monachos S. Anaſtaſij.

S. Bernardus dubiis quibuſdam hanc materiam concernentibus à Monachis S. Anaſtaſij reſpondet; ſcire ſe locum, in quo degerent, inſalubrem eſſe, earumque non paucos variis inde morbis tentari, ideoque meminiſſent ejus qui dixit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut habitet in me virtus Chriſti.* Compati ſe corporis ægritudinibus, ſed animorum morbos magis pertimeſcendos; quapropter neque pro bono monaſterii, neque pro animæ ſalute expedire, ut pharmacis & medicamentis utantur: permitti quidem poſſe ut vilibus herbis, ſicut pauperes decet, interdum utantur: *At verò*, inquit, *quærere Medicos, accipere potiones Religioni indecens eſt, & contrarium puritati, maximeq; Ordinis noſtri: hæc enim omnia gentes inquirunt: ſcimus autem, quia qui in carne vivunt, Deo placere non poſſunt. Spiritualia proinde ſpiritualibus comparanda, & quærenda potio humilitatis, & clamandum in toto corde: Sana animam, Domine, quia peccavi tibi. Huic ſanitati FF. dilectiſſimi operam date, hanc ſectamini, hanc ſervate, quia vana ſalus hominum.* Quæ omnia fuſiùs idcirco retuli, ut quid vir ſanctiſſimus, & expertiſſimus rerum ad amoris divini perfectionem ſpectantium de propoſita quæſtione ſentiret, omnes intelligerent; atque hanc ſe ſententiam à Dei lumine hauſiſſe audacter pronuntiat: ait enim: *Credo autem ego, quod Spiritum Dei habeam, & conſilium Dei in hoc.*

S. Carolus Borromæus.

S. Carolus Borromæus cùm in publicis ſupplicationibus nudis pedibus incederet, ita illos offen-

derat, ut è pluribus locis sanguis copiosè manaret, ea tamen vulnera non nisi post triduum obligari permisit, toto illo tempore ex sanguinis defluentis aspectu voluptatem capiens, diutiùs remedium protracturus, nisi aliorum hac in parte judiciis & precibus aliquid dandũ existimasset. Idem primis febris tentamentis, nec castigationes corporis, nec Episcopi functiones omittebat, nec de morbo quidpiam apud suos aperiebat, dicens; Eum, cui animarum cura demandata est, dum febri tentatur, priùs lecto quàm se committat, tres febris accessus sustinere oportere.

21. Consulendus medicus.

Verùm etsi hæc apud viros illos sanctissimos, & severissimos ita se habeant, sentio nihilominus ab Amoris perfecti præscriptionibus illum non recedere, qui dum morbus præter solitum aggreditur, Medicum accersit, & Dei Spiritum velut monentem audit: *Honora Medicum propter necessitatem.*

Ut fecerat S. Bernard.

Hoc è sacris paginis depromptum consilium secutus S. Joannes Chrysostomus Olympiadem morbis & tristitia oppressam ad Medicorum quærenda subsidia amandat: *Quamobrem, inquit, oro te, ut & varios peritosq; medicos adhibeas, & iis medicamentis utaris, quæ hujusmodi morbos expellere queant.*

Hanc orbitam omnes ferè Sanctos (si paucos illos, quos suprà nominavi cum quibusdam aliis excipias) communiter tenuisse reperies, quam etiam S. Bernardus aliorum jussu insistere coactus est, dum à capitulo Generali Clarævallis habito, Episcopi cujusdam ejus perstudiosi obedientiæ commissus, atque concreditus (qui ad eum persanandum miro desiderio ferebatur) atque ab hoc rusticani cujusdam Medici disciplinæ & curationi traditus, annum integrum medicè vivere, & potionibus, remediisque ab illo præscriptis uti jussus est, magno fastidio, nullo emolumento.

Franciscus de Sales.

B. Franciscus Salesius nostris temporibus, dum ex morbo decumberet, rogareturque, an hoc, vel illud expeteret, an libenter venæ sectionem, aut scarificationem admitteret; nihil aliud respondebat, quàm: Facite de me quod lubet, quandoquidem me Deus in vestrâ Medicorumque posuerit potestate.

22. Quomodo ipsi parendum.

Sed restat hîc ultima & difficilior quæstio, quantum Medico, aliisque, qui ejus curam gerunt, ægrotus obsequi teneatur: an in illis tantùm quæ Medicorum artem concernunt, an etiam in cæteris exemptionibus, atque indulgentiis, ut dum infringenda jejunia Ecclesiastica, horas Canonicas omittendas, similesque remissiones suadent, vel etiam suo more im-

re imperant. Ut huic difficultati lucem aliquam adferam, priùs aliquorum hac in parte Sanctorum exempla proferam. Dixi suprà de S. Bernardo rusticani Medici curæ tradito; cujus præceptis, & legibus ita vir ille sanctus obediens fuit, ut solet Magistro suo tyro Novitius.

Exactissimè S. Ignatius.

S. Pater N. Ignatius à Medico non adeò experto contra morbi rationem tractari se permisit, præ nimio æstu ad extrema redactus, cùm morbus frigidioris auræ aspirationem, secundùm Medici peritioris, qui evocatus fuerat, judicium reposceret. Idem verò ultimis magni jejunii diebus ad Medici præscriptum carnem in cibum admisit, ad tam cæcam obedientiam Medico non parum attonito.

Abbas aliquis.

Legimus sanctum Abbatem ad carnes die vetito ex regulis cœnobii Novitium ægrotum mandato & exemplo suo induxisse, idque Deum acceptum habuisse & dæmonis ex energumenæ corpusculo ejectione testatum esse. Opposita via incessêre sanctorum aliqui non minori sanctimoniâ illustres.

23. Carnes resquit S. Francisc. de Paula.

S. Franciscus de Paula, etsi fratrum suorum precibus fatigatus, induci nunquam potuit ut morbi tempore aliis, quàm cibis quadragesimalibus vesceretur, etsi aliis dum ægrotarent oppositum imperaret. Cùm S. Justiniano Patriarchæ, ut carnibus æger uteretur exemplo viri sancti persuadere vellent, respondit: Unusquisque in suo sensu abundet: de cætero malle se antiquorum rigidis abstinentiis atque vestigiis insistere.

S. Nicol. Tolent.

S. Nicolaum Tolentinatem ex gravi decumbentem morbo ad carnium esum solicitabant adstantes; abnuit ille constantissimè; & cùm nihilominus ad ejus conspectum allatæ essent; Amovete, inquit, istas illecebras, quas tam sæpè corpori meo admodum similia concupiscenti huc usque denegavi. Cùm tamen Ordinis Generalis Prior superveniens, in virtute obedientiæ mandasset, ut aliquid acciperet, bolum dumtaxat sumpsit & continuò sanitati est restitutus.

Utrique diversâ via ad eundem scopum tendebant.

Videbuntur fortassis alicui hæc inter se pugnare, & horum in recusando constantiam, aliorum in admittendo facilitatem condemnare; sed longè aliter se res habet; utriq; in eundem divini beneplaciti scopũ collimant, & alij abstinentiâ, & alii verò humilitate, & propriæ voluntatis abdicatione eò nitũtur. Si quæris ex me, quos imitari debeas, suadeo obedientiæ ductum sequaris: non ad eam tu cum Francisco de Paula, Justiniano, & Nicolao virtutis præstantiam, & cum Deo familiaritatem pro-

provectus es, ut quid à te hîc & nunc exigat Deus, perfectè cognoscas, aliorumque sententiis, & monitionibus tuum ipse judicium anteponas; te potiùs ad infantilem infantiam redactum existima, qui alieno regi debeas arbitrio, præsertim ubi ad illud Medicorum consensus accedit.

24. Potes etiã ipse suggerere quod sapiat, sed cum animi demissione.

Inquires fortassis, an tu ipse, quę tibi profutura judicas, suggerere possis, & ab curatore infirmorum postulare. Non improbabit hoc divinus Amor, si cum perfecta animi submissione id facias. S. Chrysostomum in exilio stomachi doloribus laborantem ab Olympiade medicamẽtum, quod aliàs utile expertus fuerat, per literas postulasse legimus: *Des operam*, inquit, *ut idem rursum medicamentum ad nos mittatur.*

Fecit S. Franciscus Assisius.

S. Franciscus Assisias abstinentiæ prodigium morbo conflictatus ad nobilem Matronam Romanam Jacobam de Septifoliis literas dedit, ut veniret, si videre se vellet in vivis, addiditque: *Porta tecum pannum, & cilicium, in quo corpus meum involvas, & cerampro sepultura: rogo, etiam quod portes de illis comestionibus, quas mihi consuevisti dare, quando infirmabar Romæ.* Erat autem ex saccaro, & amygdalis, aliisque similibus confectum edulium. En duos viros sanctimoniæ laude facilè principes, qui morborum solatiola e-

Vi'adingus ad annum 1126, *n.* 28

Cælum proponit.

mendicant, cælo votis illorum suffragante: antequam enim Franciſci literæ matronæ isti redderentur, illa noctu ab Angelo monita citò pergeret ad sanctum virum, nec quidquam eorum, quæ petebantur prætermitteret: nec est quod suspicari quis audeat, eos ad similia postulanda ex animi mollitie descendisse. Nimis amabat Chrysostomus corporis cruciamenta, quæ Imperatorum coronis præferebat. Nimis S. Franciscus; cui gravius solito laboranti, cùm frater assistens, diceret: Ora Dominum, ut mitius tecum agat; manum enim suam super te plus solito gravare videtur. continuò ad illum cum clamore conversus: Nisi, inquit, noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem consortium. & in terram prostratus exhausto corpusculo eam deosculans, ait: Gratias tibi Domine ago pro his omnibus doloribus meis, & rogo ut centuplum, si tibi placuerit, adjicias, quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas. Poteris igitur & tu tantorum virorum imitatione, ea quæ ad mortis levamentum facere videbuntur, modestè postulare, & si negentur, placidè acquiescere; si verò repulsam ægrè feras, si animum exulceratum querelis ostendas, si similia aliis procurari, te verò

25. S. Francisci patientia in morbo.

verò negligi declamites, scias te ab amoris perfecti legibus longè aberrantem, ad amoris proprij sordida delicamenta prolapsum esse, misereque deludi; tecumque melius omnia processura, si hoc S. Bonaventuræ monitum dictum tibi existimes: *Indulgentia proprio judicio non sunt admittenda; non tamen sunt recusandæ alieno, à seipso in seipsum rigida debet esse censura.* Legimus Deum etiam præter naturæ cursum favisse ægrorum de sideriis. P. Petro Canisio submisit per fenestram aviculam, quæ illi in edulium pararetur; ad S. Goaris intercessionem Abbati ægroto Lucium piscem; alteri media hyeme ex arbore gelu perusta cerasa rubentia, Cardinali Bellarmino post ingentem ab igne fortuito arborum vastationem, & nominatim ficulneâ, natas ex eâ repentè ficus pulcherrimas; quis hanc Dei indulgentiam recusandam judicat? Quæ si Deo miracula faciente admittenda videatur, cur non etiam Prælato imperante?

26. Solatia ægris missa divinitus.

Ægrotabat Clarevallis Guilielmus, ex disciplina S. Bernardi ad aliud pedum assumptus, qui ex occasione Clarevallem diverterat, cumque jam utcumque morbo se remittente convalesceret, voluit abstinere à carnibus & communem ordinis rigorem sequi, obsistebat S. Bernardus monebatque, differret ad aliquot dies, & dispensationis beneficio frueretur: sed frustra pertinaciam æger constantiæ velo obductam sancti monitis opposuit, separantur ambo, & alter ad Completorium, ad lectulum alter secedit. & ecce continuò febris hominem, ut satelles Numinis invadit, & tam crudeliter exercet, ut se à morte propiùs abesse crederet, optaretque citò dilucescere ut S. Bernardum evocare posset, & contumaciæ suæ veniam petere; qui ubi venit, hominem severiùs solitò intuitus: Quid tandem ait, hodiè comedes? Heu! inquit æger, quidquid præceperis: Bene, inquit Bernardus, quiesce modò, non morieris; & continuò febris abscessit, suo nimirum perfuncta officio, quæ ut hominis pervicaciam castigaret, à Deo immissa fuerat. Non tam benignè cum altero æquè contumaci egit divina Majestas, qui Prælato carnium esum præcipienti morem gerere noluerat: is enim paullò pòst tam ardenti & præposterâ carnium appetitione insaniit, ut è valetudinario furtim se surripiens ad instar lupi, canis cadaveri dentes infigeret, ut inde carnium frusta convelleret. Myogenen quidem laudant aliqui virum inter solitarios sanctitatis opinione non ultimum, qui medicamenta, edulia-

27. Imperata necum tumacia rejicias in vita S. Bernardi

Cæsarius in l. mirac.

28. Optimè tria observa, nihil flagita, nihil recusa ne conquerere.

levandi morbi gratiâ submissa repudiavit; videtur tamen amabilior esse, & secundum sancti Amoris leges communior illa ægrotantis moderatio, quæ inter morbi molestias tria hæc constanter observat: Nihil flagitare, nihil recusare, de nullo conqueri, probatque illud sapientis dictum, *Sæpè est inopia spiritus, quod tam facile conqueritur miserum corpus*: Sed & probat illud senis responsum, qui discipulo de insulsè parato jusculo veniam postulanti, dixit: Noli turbari, fili, si Deus me aliter tractari voluisset, ut aliter faceres inspirasset.

In vitis PP.

Æger corpus Christi censendus commodare in quo patiatur.

Est ergò ad eam mentis æquitatem deducendus animus, ut morbum velut fornacē, in quam à Deo probationis causâ conjectus sit, aspiciat, atq; ut in camino Babilonico se tribus ille pueris comitem Deus adjunxit, ita toto morbi tempore ab ejus, ut sic loquar, latere, aspectuque ac protectione non divelli existimet, juxta illud: *Cum ipso sum in tribulatione.*

29. Amor patiendi in Christo.

Imò altiùs videtur ægri mens attollenda, ut in seipso tanquam ex Christi membris uno Christum ipsum patientem intueatur, Deum Patrem glorificare dolorum istorū patientiâ cupientem; uti sanctimonialem Brigittinam aliquando docuit. Dixit enim se dum viveret, magna patiendi cupiditate incensum fuisse, & si ita Patris voluntas tulisset, optasse dolorum tempus ad judicij supremi diem sibi prorogari; sed cum Patri aliter visum fuerit, & omnem patiendi occasionem intra triginta trium annorum spatium concluserit, quærere nunc se animas, quæ corpora sua ad patiendum sibi commodent, & in quibus ipse velut in membris suis aliquid patiatur; velletnè ipsa suum corpus in hunc sibi finem consignare: lubentissimè, ait illa; imò hoc ipsum gloriæ mihi ducam, & in singularis beneficij loco reponam; quod continuò factum: totisque qui superfuerunt vitæ annis sex & ampliùs, doloribus in corpore, & variis in animo ariditatibus exercita, Christi votis & suo fecit satis, sibique patiendi constantia & cæterarum virtutum indefesso studio, coronam peperit immortalem, ut mira, quæ mortem secuta sunt, prodigia ostenderūt. Dic ergo & tu Christo: Fierinè potest, amantissime Jesu, ut in hoc corpore meo misero, & fœtido, ad gloriæ paternæ amplificationem digneris patientiæ exercitationem quærere? O utinam myriadem corporū hunc in finem offerre tibi possem, & cum S. Paulo dicere; non tam me vivere, & pati, quàm Christum in me: meque in corpore meo, aliquo modo adimplere, ea quæ desunt passionum Christi.

O ho-

O hominem beatum, qui tam ingens beneficium in hac vita mortali ab amantissimo Jesu est consecutus!

CAPUT IX.

Quomodo Amor Sanctus tristitiam ex morbis aut aliis rebus adversis provenientem eliminet, aut sublevet.

MAlum, quod ut hostem capitalem aversatur voluntas, si velut è specula de longinquo prospiciatur, simplicem displicentiam parit; si verò imminens & de propinquo minitans, timorem, & fugam: si verò præsens est, & homini, velut victor incumbens, eum exagitat, & cruciat, tristitiam & nisi patientia & longanimitas subsidio veniant, desperationem: sed præcipuum ab Amore sacro auxilium suggeritur *Orationis* & *Considerationis* ministerio. De priore meminit S. Jacobus, dum dicit: *Tristatur aliquis vestrûm, oret*: inde scilicet, ab Oratione arma quærat, quibus tristitiæ mortifera jacula excipiat, & retundat. Hoc à Regio Vate tristibus eventis circumfuso ferè semper usurpatum videmus: id à Sarâ Raguelis filia atroci convicio ab ancilla verberata factitatum, quæ triduo in cubiculi latebras abdita, ac jejunio & oratione de cælo præsidium emendicans, tristitiæ fluctus, quibus propemodum obruebatur disjecit, ac rupe constantior, & leænâ animosior evasit. Ipse Christus Dominus lethali ex tormentorum imminentium apprehensione oppressus tristitiâ, ad orationem confugit, & pro mæroris, & angustiarum incrementis, orationi instabat constantiùs, ac factus in agonia prolixiùs orabat, donec viribus auctus ac velut in hac pugna victor discipulos compellans, *Surgite*, inquit, *eamus*, hostibusque obviàm progressus, ad cruces cudendas & multiplicandas illos lacessit, & qui modò calicem deprecabatur, in maximo tormentorum æstu, quasi nova expeteret exclamat *Sitio*.

1. Tristitia & effectus mali præsentis.

In Sara.

In Christo.

Hoc ad orationem perfugium nebuloso tristitiæ tempore suos omnes docet Amor sanctus, nec excusationem à mæroris magnitudine petitâ admittit, qua homo ineptum se ad orandum declamitat, mentemq; tristitiæ nocte obrutam & in sola mali cogitatione defixam ad superos appellandos assurgere nõ posse, prætexit. Non operosas supplicationes à te postulat Amor divinus, non ut violentè mærorem excutias; hoc unum rogat, ut cum Jesv Christo,

2. Amor suadet pelli orando.

velut amico malum tuum communices, & cordis tui gravamen aperias, & si nec hoc potes, ut saltem ad illum jam jam decumanis tristitiæ fluctibus submergendus oculos leves, & aliquid auræ cælestis excipias: dum fumus ingens cubiculum implet, & lacrymas oculis exprimit, ac respirandi facultatem tollit, ostium aut fenestra aperitur, ut novus aër subintret; tu Christo cor tuum suaviter aperi, ut ab illo diviniorem spiritus afflatum haurias. Davidem aspice, quomodo malorum turbinibus jactatus, ac prope oppressus exclamet: *Renuit consolari anima mea.* David æstuat, inquit Nazianzenus, oratione ad cives Nazianzenos metu perculsos; neque habet, quò se vertat, & quis salvus esse poterit? quæ res mihi laboranti vel subsidio vel solatio futura est? non hîc armis, non amicis; auxiliares copias in teipso habes, quæ & tibi, & mihi, & cuivis in promptu sunt; velle tantùm oportet animique impetum adferre; in propinquo est consolatio, in ore tuo, & corde tuo: *Memor fui Dei*, inquit, *& consolatus sum.* O facilem & paratam medicinam! ô celerem curandi rationem! ô ingentem beneficij magnitudinem! quid memoriâ paratius? Memor ergo esto tu quoque, & delectaberis: non modò animi imbecillitatem, mæstitiamque sedat Dei recordatio, sed etiam delectationem parit. Vis alia insuper divinæ erga genus humanum benevolentiæ testimonia producam? *Si*, inquit, *ad Dominum ingemueris, tunc salvus eris.* Videte, quomodo gemitum salus continuò subsequitur: & adhuc te loquente dicet: Ecce adsum, & loquetur animæ tuæ: Salus tua ego sum: Nihil inter petitionem & rei petitæ obtentionem intercedit. Hactenus S. Nazianzenus, ubi fusiùs idem prosequitur. *Ps. 34.*

3. Exemplo Davidis. *Orat. 1.*

Anno 1585. in Hispaniis vir nobilis alicujus criminis reus mandato Regis conjectus est in carcerem; ubi in mortis cogitatione, timoreque defixus, dum septem menses differtur sententia, ita mærore contabuit, ut qui ejus curam gerebant, præ tristitiæ magnitudine moriturum crederent: ubi tandem intellexit se ad mortem condemnatum, sibique in carcere carnificis manu gulam esse frangendam, toto corpore inhorruit, & voce interceptâ, suique præ angustia vix compos, post aliquod silentium, tandem in suspiria & singultus erumpens exclamavit: Ergóne mihi carnificis manu moriendum? ergo laqueo fauces frangendæ? ô laqueum! ô cordam! ô quæ nuntia aures mentemque percellunt! ô inferi, & sempiterna tormenta! Tresilli con- *P. Arias in imitat. Christ.*

concessi erant dies, quibus se pararet ad mortem; hic sanctiori consilio & cælestis gratiæ subsidio ad orationem velut ultimum azylum confugit; purgat se sacramento pœnitentiæ, & cælesti pane se corroborat: res mira; in hominem alterum prorsus mutatur, timor mortis, horror carnificis & laquei evanescunt; mille vitas optat, ut eas omnes Deo in sacrificium offerat, omnia Martyrum supplicia omnibus corporis membris excipere ardenter in votis habet: quin & manibus oculisque erectis in cælum à Deo postulat, ut beneficij loco supplicium suum proroget, tortoris manum præturbatione aberrare permittat, ac sæpiùs intercidere, ac prolabi, ut vel annum integrum imperfectis strangulationibus discrutietur, mortemque non inveniat; & qui paullò antè tortorem & laqueum exhorruerat, nunc à centum lictoribus ligari, & per urbem cum ignominiosis proclamationibus circumduci impensè desiderat: nocte integrâ ante diem supplicio destinatam voluit sibi manus & gulam laqueo vinciri, ut tanto diutiùs, hoc Dei ut ajebat, beneficio frueretur: Denique qui priùs ad solum inferorũ nomen contremiscebat, jam tantâ fiduciâ in Deum & pace fruitur, ut dicat, videri sibi à divina misericordia calce & cæmento inferorũ portas occlusas, & quem tristitiæ magnitudine moriturum credebat, tantâ nunc exundat lætitiâ, ut dicat: Si cùm peccata mea defleo, tantis incessu gaudiis, quantis brevi ubi Dei cõspectu frui dabitur, perfundar? ejus verba, & voces ita in Dei laudes & gratiarum actiones abeunt, ut admirabiles in adstantibus excitet motus animorum: exauditus fuit à Deo in eo quod tortorem attingebat: ille enim dum gulam frangere conatur, animo perturbatus, dum vix advertit quid agat, quartam ferè horæ partem in eo ultimo, funestoque actu posuit; reo interim tam sereno vultu, & constantiâ omnem hanc carnificinam excipiente, ut nec pedem, aut manum, aut aliam partem corporis moveret, nec verbo querelam proferret, astantibus ad tantam patientiam & tranquillitatem stupore defixis, & nominatim Patre Ariâ qui spectabat, & morientem in hoc ultimo certamine juvabat, quique hæc omnia literis ad posteritatis memoriam consignavit; ut, quantum habeant mortales in humili & perseverante, ac fideli oratione subsidium, agnoscerent.

5. S. Franciscum densa tristitiæ caligo duos annos obnubilârat, ut inter agendum cum proximo præter morem nulla comitas, nulla oris serenitas affulgeret; cùm S Francisci.

tandem inter orandum, quod etsi tristis non omittebat, audiit in aurem cordis sibi insusurrari; si haberes fidem sicut granum synapi, diceres huic monti, tollere, & mitte te in mare, & obediret: rogavit ille, quis esset iste mons; & responsum est, esse gravem illam tentationem, qua velut ingenti pondere oppressus gemebat: tum ad Deum conversus humillimè dixit: Fiat mihi, Domine, secundùm verbum tuum, & continuò tentatio evanuit.

6. Godefridi Peronensis

Godefridus Peronensis nobili stirpe oriundus, se socium cum aliis sancto Bernardo dederat, ut ab illo habitum Religionis acciperet, ejusque institutis ad virtutem formaretur; sed ecce atrâ mœroris nube involvitur, & ad comites conversus; deinceps, inquit, ad mortem usque jucundus non ero: quod continuò relatum ad sanctum Bernardum, qui sacellum apertum offendens illud intrat, & pro Godefrido Deo supplicat, qui tristitiâ obrutus super saxum ibi vicinum resederat; atque dum sanctus ab oratione consurgeret, simul & ipse evigilans exclamavit. Abite mœrores & tristitiæ, ex hoc momento ad mortem usque lætus, & hilaris vitam meam transigam: scilicet Deus, qui cordium habenas moderatur, aquas amaras in vinum optimum & nuptiale commutarat: ad quem dum tristis es si similem metamorphosim desideras suppliciter & fidenter accede.

Adjungenda est Orationi consideratio, quam ad componendos animi motus, eumque in pace & tranquillitate conservandum plurimum habere momenti clamat S. Chrysostomus ad Olympiadem tristitiæ fluctibus immersam scribens, & Gregorius Nazianzenus cives suos consolans post primum ab oratione petitum medicamentum, secundum à consideratione accersit: Suscipite, inquit, sermonem prudentiæ, ut monet divinus Salomon, ne in profundum malorum prolapsi despectui illam habeatis, & propriâ potiùs stoliditate, atque imperitiâ, quàm eâ, in qua nunc estis molestiâ, ac difficultate absorbeamini: neque enim tam à malis incursantibus, quàm ab apprehensione, & voluntatis inconstantia tristitia suboritur; qui enim nihil aliud vult, quàm quod ad manum est, nec aliud desiderat, quàm quod in ejus est potestate, & nemo illi auferre potest; ab omni tristitiæ morsu immunis est. Ep. 1. ibid. supra.

7. Tristitiæ malignitatem proponit.

Primum itaque quod divinus Amor considerandum proponit, est ipsius tristitiæ malignitas, quæ secundùm S. Spiritus oraculum ingentem animo, & corpori hominis labem infligit. *Omnis plaga*, inquit, *tristitia cordis*, quia ab illo in- Eccl. 25.

incipiens in reliquas animi, corporisque facultates se diffundit, voluntatem primo exedit & cruciat, intellectum atque memoriam obnubilat, sanguinem inficit & corrumpit, ossa emedullat, nervos debilitat, totumque corpus torpore quodam opprimit, & nisi remedium adhibeatur, ita hominem exsiccat, omnemque vitæ calorem depascitur, ut sensim ad mortem deducat, & sepulcro inferat: sed damna, quæ animo nobiliori hominis parti infert, longè majora sunt, dum illum ad instar vermis corrodit, & in modum carnificis excruciat, & ad instar pestilentis febris exagitat, tenebrisque & spectris involvit, & ad desperationem viam sternit. Diabolicum malum vocat S. Chrysostomus in quo retia sua explicat, animumque implicitum in mala inexplicabilia præcipitem agit: piscatur ille in aqua turbida, ut ait S. Bonaventura, & ad instar araneæ cælo nubilo & caliginoso prædam aucupatur: umbris, & spectris ac tenebrosis cogitationibus mentem infestat, accidit que homini illud Prophetæ: *Soloccidet illis in meridie*: jam fides eclipsim patitur, jam spes concidit, nulla amplius apud Deum cælitesque commiseratio, nullum cælum, nulla rerum in melius mutandarum expectatio, omnium bonorum desperatio.

Epist. 7. ad Olymp.

Amos 8.

Atque his tam atrocibus malis mederi conatur Amor sanctus rationibus primò humanis, tum è superioribus principiis promanantibus.

8. Et rationibus conatur vincere.

Primò itaque cum S. Gregorio Nazianzeno ante oculos ponit rerum omnium mutabilitatem atque inconstantiam, & quomodo in hoc orbe omnia volvantur in orbem, nihil hic firmum fixumque, nihil æquabile; hominem hodie bene, cras verò malè affici; hodie cum rerum prosperitate exhilarescere, cras cum earum fluxu, & lapsu ingemiscere; nunc virtuti ac potentiæ infirmitatem, & humiliationem succedere, nec magis aliquid æquale rebus humanis esse, quàm inæqualitatem, & mutationem, ut ventis tutius ac literis in aqua scriptis fides haberi possit, quàm hominum fœlicitati, atque tam facilem esse à malo in bonum, quàm à bono in malum conversionem: rerum secundarum cursum Livore, adversarum misericordiâ sæpe sisti, & interverti: illum qui fluere res permittit, & æternis animum applicat, prudentem esse; fatuum verò, qui quasi ad clavum sederet, cursum mundi arbitrio suo, quod Numinis proprium est, moderari vult, & ut lubet sistere aut inflectere, non absimilis illi, qui in torrentem magno impetu aquas

9. Prima à rerum vicissitudine.

suas

ſuas convolventem manu injectâ eum retrô ferri aut immobilem quærere vult, aut muſcarum multitudini, quæ quadrigas præcipiti motu proruentes conſertis aliis aliò conantur inflectere : quid enim aliud cogitationes noſtræ, quàm aliquid muſcis non diſſimile, quæ ſtrepitum edunt, & nihil promovent ? ſatius eſſe, ſi dum res mutari non potes, teipſum mutes, & alia mutari ultra non cupias ; ſed de malo bonum elicias, & virtutis exercendæ materiam occaſionemque tibi ſubminiſtratum exiſtimes: ex detrimentis lucra colligere ſapientis eſt, & lacrymis virtus ſemper utilior eſt & melior : quid eveniſſe non vis quod jam accidit ? quid querelis & triſtitiâ animum corpuſque corrumpis ? & novum tibi ac ſupervacaneum malum accerſis ? quid tempus perdis & operam ludis ? inde potiùs fœlicis æternitatis jace ſemina, & ad virtutem gloriamque gradum fac, unde apud homines te depreſſum ac dehoneſtatum exiſtimas.

10. Secunda à Dei providentia.

Sed quod potiſſimum tunc ſuis librandum ponderibus Amor oſtentat, eſt paterna Dei providentia, qui uti capillos noſtros in numerato habet, ita minimam calamitatis ſtillulam, antequam illam tibi propinet, ad inſtar peritiſſimi amiciſſimique Medici in ſtaterâ appendit, & viribus tuis gratiæque ſuppetias adferenti contemperat ; tuumque in omnibus bonum quærit : licet, ut notat Nazianzenus, vetus ejus, fixumq; decretum ſit, tenebras undique oculis noſtris offuſas ipſius latibulum eſſe, ſive ut hoc modo faſtum noſtrum arrogantiamque coërceat, intelligamuſque nos nihil eſſe ſi cum ejus ſapientia conferamur, ac proinde ejus radiis colluſtrari poſtulemus: ſive ut per rerum fluxarum inconſtantiam, ad ſtabilium æternorumque ſtudium revocemur.

His & ſimilibus à divina Providentia petitis rationibus pulcherrimis hac de re tractatibus conſolatur Stagirium Monachum à dæmone vexatũ S. Chryſoſtomus, quem tantus mœror oppreſſerat, ut vel laqueo, vel cultro in pectus, gutturvé impacto miſerabilem vitam finire peroptaret ; qui tamen ubi rationes à ſancto Doctore propoſitas maturius expendit, in alium virum mutatus pacis & tranquillitatis portum invenit, & morum integritate modeſtiaque reliquis præluxit. 11. Ut Chryſ. Stagirium.

Philagrum virum dignitate muneribuſque geſtis, & eruditione in Cappadocia facilè principem, iiſdē argumentis inter morbi triſtiſſimos angores mirabiliter erexit Gregorius & ipſe Cappadox: ſed præſtat illum audire epiſtolâ 60. id 11. Gregorius Cappad. Philagrū.

60. id persequentem : Ego quidem, inquit, tum tibi 72. Psalmum enarrabam, in quo David æstuat, & mærore conficitur, contra perversos immeritò fælices : Deinde verò ad alterius vitæ tribunalia, præmiaque utrique vitæ recondita mentis oculos convertens, perturbari desinit, animique molestis ulceribus medicinam invenit : atque ego tum sensim expositionem ad dolorem tuum trahebam, ex prophanis nostrisque auctoribus ea in medium adferens quæ viro erudito, & tali convenire videbantur; hinc spiritu ita ferente, inde dolore exacuente (nihil enim dolore ingeniosius.) Tu verò interea tanquam stimulo aliquo excitatus, manuque ad cælum tollens, & ad orientem, quò patebat aspectus, oculos convertens, Gratias tibi ago, exclamas, ô Pater, hominumque conditor ! qui nos invitos & reluctantes beneficio afficis, ac per exteriorem hominem, interiorem purgas, & ad beatum finem iis, quas nosti, rationibus deducis: quid omnia commemorem, quæ tu ante me, & mecum tunc philosophobaris, tanquam morbo gestiens, meque ex præceptore tuum discipulum adeptus: quorsum hæc à me proferuntur nisi ut omnibus prædicem, magis lugendos nobis malos interioribus morbis laborantes quàm nos, dum in externo homine cum doloribus conflictamur ; & morbum cum Philosophia conjunctum, præstabiliorem esse effrænatâ prosperitate.

Et sci-psum. 25. Ipsemet Gregorius ab hujusce providentiæ consideratione in acerbissimis morbi sui doloribus lenimentum petiit : morbo, inquit, cruciar, & hoc lucri ex illo capio, quod ut in lætis, ita in acerbis gratias agam ; illudque persuasum habeam nihil rerum nostrarum à suprema Ratione sine ratione proficisci, etsi aliter nobis appareat. Atque hanc ob caussam examinari ista à nobis non vult Chrysostomus; sed magna animi submissione, ut nobis utiliora suscipi, cùm ab optimo Patre, suorumque filiorum amantissimo proficiscantur ; quod etsi clarissimum, pauculis tamen sequentibus exemplis confirmatur. Saltantes puellas offendit S. Simon Salus, & brevi ad Deum factâ supplicatione eas luscas fecit, quæ de tam subita deformitate plurimum anxiæ Sanctum rogant, ut tantum malum novis ad Deum precibus amoliatur ; acquiescit ille, & earum aliquæ continuò sanantur, aliæ non. Rogatus cur sanitatis beneficium ad omnes non permanasset, respondit: nonnullas earum, nisi hoc humilitatis fræno compescerentur, futuras fuisse fæminarum, quæ in Syria

degunt, scelestissimas. Ad S. Vincentium Ferrariensem Valentiæ ad populum verba facientem adducta est mulier inops & muta, quæ interrogata ab illo, quid peteret; panem, respondit, & loquelam: panem habebis, ait Sanctus, loquelam non item: si enim loquendi facultatem ab infantia accepisses, animi corporisque ruinam malo ejus usu incurrisses: abi ergò & Deum lauda. Respondit illa, faciam Pater, quod mones; & deinceps muta permansit: cur ergo abjectâ omni mœstitudine Deo totos nos non committimus? cur arcana tam paternæ & salutaris providentiæ non adoramus, & exosculamur?

14. Tertia cæli & terræ considerationc.

Si animi ægritudo tantis rationum momentis non cedit, tum Amor Sanctus hominem ad cæli terrarumque spatia totumque universum cogitatione percurrendum circumducit, in cælo mercedem malorum forti tolerantiæ repositam ostendit, & hunc versum memoriæ infigit: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*; & illud Tertulliani effatum suggerit, *Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cælo est.* ac proinde cùm cælestia gaudia post hanc vitam perennatura Christi sequaces expectent, verè dictum esse ab Oratore præstantissimo Minutio Fælice: *Christianus miser videri potest, inveniri non potest*: sua enim bona secum portat, quæ eripi non possunt; omnesque res adversæ ad instar grandinis tectum feriunt, & insultant, interiora ejus non attingunt: Cæteros, qui amoris proprij castra sequuntur, etiam affligi demonstrat, sed sine fœnore: Dolent, inquit Gregorius, etiam ij qui sæculo se mancipiarunt, & quidem amplius, quàm alij, qui Deo serviunt; sed sine mercede, nostra verò nobis merces constat, si pro Deo patimur; quam si cum molestiis nostris conferamus, longè exsuperare inveniemus. Epist. 101.

15. Et inferni.

Post cælestium bonorum repræsentationem ad subterraneas specus, ac inferorum igniſque purgantis caveas Amor Sanctus clientis sui cogitationes deflectit, ostenditque quàm salutare, ac jucundum sit hîc fructuosis morbi doloribus expiare culpas, & nomina illarum occasione contracta expungere potius, quàm in istis ignibus nihil ad augendam gloriæ coronam conferentibus, diutiùs ingemiscere; beneque monere S. Bernardum: *Sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum conterentem.* Super Cant. Sermone Vigesimo. Jacebat gravi morbo laborans vir magnæ virtutis ex S. Bernardi disciplinâ, cui apparens S. Agata monuit inter cætera, ut morbi molestias etsi graves

16. Et morbi pretio. Casarius l.4.c.3.

graves, ferret tamen constanter; sexaginta enim dies pro sexaginta annis apud Deum computandos: manè evigilans cum non satis caperet, quid sibi vellet ista sententia, ejus explicationem ab aliis Religiosis petiit, quorum aliqui sexaginta dies morbi pro sexaginta annis purgatorij numerandos, alij pro sexaginta annis in religiosæ disciplinæ functionibus obeundis transactis aut transigendis apud Deum habendos opinati sunt: quidquid sit, obiit æger post dies sexaginta in ipsius S. Agathæ die festo; ac obscurum Patronæ suæ enigma in cælo, ut arbitror, dilucidè intellexit. Quis

Hom. 44. hæc cogitans cum Bernardo non dicat: *Ego in flagella paratus sum, sciens me recipere longè adhùc imparia meritis; vapulem sanè, vapulem ut malè operans, si fortè verbera in merita reputentur: fortassè miserebitur flagellato, qui bonum non invenit in me, quod remuneret.* Aut etiam eandem cum S. Gregorio mentem induet, qui ad Mauritium, à quo vexabatur, scribens,

l.4. Ep.55. ita loquitur: *Quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum ejus examen remedium esse suspicor, si incessantibus quotidie plagis feror.*

17. A pudore Ignaviæ.

Sed non hîc hæret Sanctus Amor, sed cum cliente suo tristitiâ consternato pudores stimulo agere vult, ut cum Christianis Tertullianus, & Gregorius, & cum suis Seneca, quos operæpretium est audire. Tertullianus Martyres Laconum puerorum exemplo ad constantiam provocat. Quæ, inquit, apud lacedæmonios solemnitas est maxima, non latet, in quo sacro, ante aram nobiles quique adolescentes flagellis afficiûtur, adstantibus parentibus & propinquis, & ut perseverent adhortantibus: ornamentum enim, & gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potiùs cesserit, quàm corpus; Igitur si tantùm terrenæ gloriæ licet de corporis, & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ; possum dicere, modicæ sunt istæ passiones (scilicet Martyrum quos alloquitur) ad consecutionem gloriæ cælestis, & divinæ mercedis. Tanti vitrum? quanti verum margaritũ. quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat exigere, quantum alij pro falso?

Ad Mart. c.4.

18. Exemplo Stoicorum. *Ep.64.*

Gregorius verò Philagrio suo ex similium exemplo animos addere dum conatur. Stoicorum, inquit, animi magnitudinem & præstantiam lauda, qui res externas nullum ad beatitudinem impedimentum adferre dicunt: sed virum bonum beatum esse, etiamsi in Phalacidis tauro cremetur: ac propterea non nostros tantùm

laudo, qui calamitates fortiter tulerunt : sed externos quoque, v.g. Anaxarchum Epictetum, Socratem : quorum primus cùm ejus manus tyranno imperante in mortario contunderetur, carnifices jubebat Anaxarchi culeum tundere (ita hanc ærumnosam caruncatum appellans) quasi Anaxarchus ipse, hoc est Philosophi anima, minimè tunderetur ; quæ apud nos externus homo, & internus appellantur. Alter verò cùm crus ei frangeretur, velut in alieno corpore philosophatur, citiusque crus perfractum visum est, quàm ipse vim doloris persensisse. Socrates Denique ad mortem ab Athenienſibus condemnatus, & in carcerem conjectus priùs de corpore tanquam de alio carcere cum discipulis disserebat ; cumque fugam inire liceret, noluit, cicutamque oblatam libenter accepit, eamque propinando, amicos ad potandum invitavit, absurdum ac præposterum est, ut ij, qui Christianam Philosophiam profitentur, ea quæ illi à fide alieni tam fortiter pertulerunt, paribus aut majoribus etiam animis non ferant. Similibus ad constantiam argumentis, ut calcaribus urget suum lucilium Seneca. *Ep. 76.* Inventus est, inquit, qui flammis imponeret manum, cujus risum non interrumperet tortor, qui in funere liberorum lacrymas non mitteret, qui morti intrepidus occurreret : amor, ira, cupiditas, pericula depoposcerunt : quod si hoc potest brevis obstinatio animi, aliquo stimulo excitata, quantò magis virtus, quæ non est ex impetu, nec subitò, sed æqualiter valet, cui perpetuum robur est.

19. Majorum malorum comparatione. *In vitia PP.*

Minora etiam mala cum majoribus composita malorum vultum exuunt & quodammodo nomen amittunt : ita solitarius Monachus ad templi fores nocte perfrigidâ rigescens dicebat sibi : Pedes & tibias saltem extendo, ut lubet, nec ita malè habeo, ut qui in ergastulis ad cippum carenis & pedicis affixo movere se non possunt.

Ita minoribus malis redimi posse majora docet natura, confirmant scholæ, & ad particularia descendunt : ita captivum, qui ad mortem damnatus, nisi sibi manum amputet, ut vincula exuat, fugarique capessat, evadere non potest, id licitè facere posse definiunt ; idem mihi permittitur si carcerem ignis invasit, & vim ejus aliter declinare non possim ; si vipera digitum veneno infecit, si fera membrum aliquod dentibus apprehendit, ac in discrimen adducitur, & digitum, & aliud membrum sine offensa Numinis abscindam : cur ergo Deo gratias non agam, si ab inferorum ergastulo

ſtulo quod ſceleribus meis promerui, fortunarum immiſsâ jacturâ, aut corpore morbi vi in lectulum conjecto me clementer expediat, & ſempiterna mala, in momentanea, ut ſic loquar, commuter. Hinc illæ voces S. Auguſtini: *Hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas.* hinc de fugientibus malis ſolitum dicere S. Chryſoſtomum legimus ῥείμαλα, ῥείμαλα, nomina potiùs malorum eſſe, quàm mala: adeoque dum illa agminatim irruerent, non aliud habebat in ore, quàm Deo gratias, quod ipſum S. Cyprianus auditâ mortis ſententiâ, cum animi tranquillitate pronuntiavit. Eò conſtantiæ dubio procul in malis tuis evades, ſi orationi conſiderationem adjungas, illæ ſibi ſubminiſtrabunt alas columbæ, quas in calamitatibus ſuis optabat David, quibus, ut monet apud Clementem in Prognitionibus S. Petrus, in ſinum divinæ Providentiæ evoles, ibique conquieſcas, ſciens te illi curæ eſſe, & ab eo per omnia te dirigi, ut omnia tibi cedant in bonum: fies ad inſtar inſtrumenti muſici, quod bene attemperatis fidibus ad omnem tactum ſuaviter reſonat; eris ſimilis arbori, quæ ſecuri percuſſa balſamum ſtillat; ſimilis illi flumini, quod amarum fretum pertranſiens aquarum ſuarum dulcedinem retinet; ſimilis Salamandræ, quæ in igne deliciatur; denique ſimilis adamanti, qui à malleorum congeminatis ictibus plus lucis & ſplendoris acquirit, & intelliges admirabile pronuntiatum, quo cæleſtis genius ſancti Franciſci in morbo acutiſſimo dolores lenire voluit; nempe ſi montes omnes univerſi in aurum mutarentur, ſi lapides & ſaxa in gemmas, ſi Maria in exquiſitiſſimum balſamum, tantas opes, & bona ita exaggerata, cum doloribus in morbo patienter toleratis comparari non poſſe: adeoque pœniteret te quærelarum, quas in calamitatibus tuis tàm ſæpe infructuosè perfudiſti, aperires potius cum Janipero ſinum tuum, ut ſimiles gemmæ copioſius à cælo depluerent, dicereſque cum Jobo: *Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam, &c.*

19. Majorum malorum comparatione. In vitâ PP.

20. Quis affectus harum rationum.

CAPUT X.

Quomodo Amor Sanctus ſtudia moderetur.

1. Pravorum librorum damnum.

NOn hîc ago de librorum inutilium aut impurorum lectitatione, quorum primi fures temporis, cujus exactiſſima Deo reddenda eſt ratio, alij peſtiferis flammis excitandis deſerviunt, qui ſalubrius igne luculento ar-

derent, quàm ſub florido verborum cortice nocentiſſimum abirent: neque etiam illos hîc nominandos cenſeo, quos aut livor, aut aliqua alia animi perturbatio, aut etiam adulandi prurigo publice dedit, hos omnes condemnat Amor Sanctus, & ſuorum de manibus excutit. De iis igitur tractationem inſtituo, qui hominem perficiunt.

2. Non ſpernenda eruditio prophan.

Hominiq; ſcientiam & eruditionem adferunt, de qua Nazianzenus in panegyri quam in funere S. Baſilii edidit, ita loquitur: illud inter omnes homines ſanæ mentis conſtare arbitror, *Eruditionem inter humana primarium locum* tenere exiſtiment, non de hac noſtrate tantùm, & nobiliore loquor, quæ contempto omnis ſermonis lepore, atque ornatu, ſalutem unam, earumque rerum, quæ rationem & animum concernunt, pulchritudinem arctiſſimè complectitur: *Sed etiam de externâ, quam plerique Chriſtiani pravo quodam judicio, ut inſidioſam, & periculoſam, & procul à Deo avertentem repudiant.* Quemodmodum enim cælum, terram, aërem, quæque eorum complexu continentur, non ideo aſpernari debemus, quia nonnulli ea ſceleratè acceperunt,

3. Quia ſervire poteſt virtuti comparãda.

Dei opera pro Deo colentes, quin potiùs collecto ex iis, quod ad vitam, vitæque commoda facit, quidquid in iis periculoſum eſt fugamus: ac ſicut nec ignis, nec cibus, nec ferrum ſuapte naturâ, ſed pro utentium judicio commodum aut perniciem afferunt, quin & ex reptilibus beſtiis quaſdam interdum ſalutiferis medicamentis admiſcemus; ita nos admiſsâ eâ prophanæ diſciplinæ parte, quæ in inquirenda rerum natura & contemplatione verſatur eam quæ ad dæmones, & errores exitiique Barathrum ducit, abjecimus: imò etiam ab ea ad pietatis cultum adducti ſumus; quippe qui ex deteriori, id quod erat præſtantius cognoverimus, eorumque imbecillitatem doctrinæ noſtræ fideique robur eſſe cenſuerimus. Quamobrem non ideo contemnenda eſt eruditio, quod ita quibuſdam videatur, quin potius infuſi atque præpoſteri habendi ſunt illi, qui hoc exiſtimant, omneſq; ſui ſimiles eſſe vellent, ut privata eorũ ignorantia communis ignorantiæ tenebris obtegatur, nec quiſquam ſit, qui eorum inſcitiã prodat, & arguat: ita gravis ille Doctor, quæ libẽter attuli, contra hujuſmodi conviciatores, ideoque ut ex ore duarum fit res conteſtatior Auguſtinum, Gregorio, Latinum Græco adjungã.

Auguſtinus ergo in Pſalmum 130. Sunt quidam, inquit, homines, qui cum audierunt quod humiles eſſe debent, dimittunt ſe, nihil volunt diſcere, putantes quia *Auguſtin. in Pſalm.*

quia si aliquid didicerint, superbi erunt: quos vbi reprehendit, concludit tandem dicens: Deus nos voluit esse humiles, & altos; humiles propter cavendam superbiam; altos propter capiendam sapientiam: atque etsi de cognitione rerum ad fidem pertinentium ita loquatur: possunt tamen & scientiæ ad ea conducenti commodè applicari.

4. Scientia est auris & oculus animi.

Demus & pro auctario Philonem Iudæum authorem gravissimum, qui pro scientiarum patrocinio hæc in medium adfert: Scientia animo pro oculis & auribus est; quippe quæ intendit in ea quæ dicuntur, nec unquam vel videndo, vel audiendo falli sustinet, sine qua anima offusis ignorantiæ profundissimis tenebris à formosissima sua specie velut delapsa surdum saxùm redditur. Et ut qui oculis auribusque orbati sunt, facilè corruunt, & ægrè resurgunt, ita qui scientiâ, oculo mentis sunt destituti.

Hinc rectè monet vnumquẽque nostrum S. Hieronymus: *Sic stude quasi semper victurus; sic vive quasi semper morituras.*

Vti suprà.

Imitandum tamen S. Basilium scientiarum omnium columen proponit nobis sanctus Amor; qui, ut ait familiaris ejus, & admirator Gregorius, in artibus & disciplinis secundariam dumtaxat curã, operamque ponebat, hunc nimirùm fructum ex iis colligens, ut earum adjumento ad nostram Philosophiam vteretur; quandoquidem earum facultas ad explicanda animis sensa necessariò cõparanda est: Mens enim infans, hominum torpedine infertorum incessui nequaquam absimilis est.

5. Sed ejus cura sit tãtum secunda.

Primò in ea eruditione consertandâ obliquam intentionem amovet, rectam accersit, ac tres equidem obliquas ex S. Bernardo velut ejus penicillo eleganter depictas proponit. Prima est curiosorum, qui scire volunt, ut scientiam vendant V. G. pro pecunia pro honoribus, turpi scilicet quæstui inhiantes.

In qua tria cavenda. *Serm. 37. in Cant.*

6. Curiositas *Ephes.* 5.1.

Curiosos sugillat S. Augustinus, in Dioscoro, qui hoc morbo laborabat, vocatque *imperitissimam scientiam* dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pytagoras, quid Democritus senserit: sugillat & Seneca, quod illis studeant, quæ nec ignoranti nocent, nec scientem juvant, & in quibus sine periculo erratur.

Vanitas in 15. Sap. in Reg. Monach.

Vanos & ex scientiâ laudem captantes carpit S. Bonaventura, tanquam in obliviam sui, Deique proclives, & infami præcipitio proximos, ut rectè dixerit de similibus S. Hieronymus: *Melius est aliquid nescire, quam cum periculo discere.* Qui eodem laborant morbo, quo antiqui Philosophi quos

Negatio-

Negotiores Famæ, vocat Tertullianus in Apologia, & vnumquemque istius generis appellat S. Hieronymus *Gloriæ animas, & popularis aurę, atq; rumorum venale mancipium*: atque utinam hæc tabes in Christi imitationem professos non serperet; & altiorum sanctiorumque rerum cognitio vnumquemque nostrum non tam tumidum, quàm timidum, ut Richardus de S. Victore loquitur, reddere, tanquam rationem exactissimam de istius talenti usu apud Supremum Iudicem reddituros.

Quæstus.

Prætereo tertium hominum genus, qui ex scientiâ quæstum faciunt: aliud tantum non exigui nocumenti caput ac fontem digito monstrare volo; ardorem scilicet nimium, & cum impetu in studia proruentem animum quo, intellectus quidem excolitur; sed voluntas in Dei amore tepescit, & languet; quod aliquando reprehendit in uno ex nostris, jam tum cælo receptus S. P. N. Ignatius, Iacobus Tirius is erat, qui tyricinio absoluto ad Collegium Romanum studiorum causâ translatus, ita scientiarum cupiditate exarcit ut cætera spiritus exercitia perfunctoriè obiret, imò negligeret, unde gravi tétatione pulsatus propè abfuit, quin abiret in præceps: sed occurrit tempori S. Pater, qui jam à Decennio è vivis excesserat illiq́ue gravi ac severo vultu se videndum præbens insuper addidit; male illum facere, quod scientiâ potiùs, quam virtute eminere vellet, non esse illum finem, ob quem Deus illum è mundi turbido ad tranquillum Religionis portum deduxisset: concluſitque his verbis: *Minus literarum, & plus spiritus*; ac disparuit, hominemq́ue à tentatione liberum, & ad primas partes deinceps virtuti tribuendas animatum reliquit, unde in magnum Dei servum evasit, & postea Assistens Germaniæ creatus, in eo officio decessit è vivis anno 1597. cùm paullò ante mortem P. Antonio Menageo hanc S. Patris apparitionem narrasset.

7. Temperâdus ardor. *P. Bari in vita S. Ignatij. fol. 640.*

Lepidâ aliquando similitudine perstrinxit hoc hominum genus frater noster Coadjutor Ioannes Ximenius, cùm à Provinciali jussus esset aliquid ad virtutem promovendam eloqui. His diebus, inquit: in urbem rediens offendi currum hordeo onustũ luto immersum, ibi hærere, nec à mulis quibus trahebatur etsi clamore heribi & verberibus urgerentur, expediri & educi posse, donec alij mecum manibus ad rotas admotis suppetias tulimus: petij tum ab aurigâ, qui fieret, ut tam egregiæ & fortes mulæ satis viriũ ad currum extrahendum non habuissent? Respondit ille, Quia debiles

8. Simile de iis quæ sciunt & non faciunt.

debiles sunt, nec ut oportet illis pabulum subministratur: cumq; ulterius rogarem, cur hoc illis non datur? Non est, inquit, hordei penuria, currus enim illo onustus est, sed fit non illis copia de illo comedendi.

Tum, inquit Ximenes, magni illi Doctores, & Concionatores venêre mihi in mentẽ, quos in via perfecti amoris hærere, & parum promovere plerumque conspicimus, quia spiritu debiles sunt & infirmi; non defectu alimenti, abundavit enim rerum æternarum cognitione, quas aliis docendo distribuunt; sed quia illas sibi non applicant, & ad animi vires augendas, & corroborandas, vitæque ac morum emendationem non utuntur.

8. Simile de iis qui sciunt & non faciunt.

9. Scientia fit Sapida.

Scientiam sapidam amat & laudat S. Bernardus, quæ sapore suo voluntatem reficit & impinguat, amorisque divini Deliciis recreatam ad perfectionis culmen continuis incrementis promovet.

Baldeano in lib. 3. de virtutem.

Hanc nudę scientiæ, quantumcumque eminenti Præferebat Joannes Picus Comes Mirandulanus, & ad ejus amorem & studium, quos poterat, accendebat, hoc nisus argumento: Amare, inquit, dum sumus in hac vita, Deum plus possumus, quam cognoscere vel eloqui; amando minus laboramus, & nobis majus proficimus: malumus tamen per scientiam illum quærere, quem sine amore nunquam consequemur, & quem amando æternum possidebimus, & perfectè assequemur.

10. Vtere incertis pet scientiam.

Quid, quæso, tibi prodesset si aurifodinam nactus in tuo prædio inde erueres auri, quantum velles; atque inde mortales inter ditissimas atque alter Crœsus evaderes; si inde tibi sustinendæ vitæ alimenta comparare non posset, adeoque inedia paulatim contabescerres, brevi mortis spolium futurus: Pythis sapientissima Conjux temporibus Xerxis maritum suum simili insaniâ laborantem, inventione egregiâ, industriâque plusquam fæmineâ persanavit: inciderati ille in aurifodinam, & fortunæ suæ applaudens, omnes continuò tam cives, quàm rusticanos homines auro eruendo jusserat, insudarem multis quotidie pereuntibus aliisque animum despondentibus. Mulieris itaque domore ad januam Pythis libellum supplicem, quo ut apud maritum intercederet, deprecabantur posuerunt. Illa comiter auditas bonam spem habere jussit, tum aurifabros, quibus maximè fidebat, clam domi sua panes aureos, & cætera bellaria aurea conficere jussit; marito, deinde qui tum foris aberat, domum reduci, & cœnam poscenti, uxor omnia aurea apposuit; delectari primum arti-

ficio maritus, sed cum satur videndo jam esset, alia petiit: mulier verò iterum alia fercula aureis bellariis plena inferri jubet: indignanti tandem, & esurire se dictitanti; atqui, inquit illa, horum copiam, & nullius alteriùs procurasti, artificia, & agricultura jacent, colonis in auri effossione occupatis: sapuit tum maritus, & quintam tantum subditorum suorum partem aurifodinis applicuit: ita mirum non est si dum colendo, intellectui continuò incumbitur, jejuna voluntas alimentis, quæ ex tranquilla cum Deo consuetudine hauriuntur, destituta infirmitatem contrahat, languo réque casibus humanis, qui sæpe & inexpectatè irruunt sustinendis imparem, exitioque proximum incurrat.

II. *In Cant. lerem. 36.* Hinc est quod S. Bernardus homini scientiis insudanti amoris sancti calorem necessarium esse judicet, qui malignitatem inde canalibus occultus se diffundentem excoquat. Cibus indigestus, inquit, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit; ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam actus animæ, mores scilicet, atq; actus trãsfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ noverit, vitâ attestante, & moribus bona efficiatur, nunquid scientia illa reputabitur in peccatum, tanquã cibus, conversus in pranos noxiosque humores?

Si quæras quinam sint hi mali humores respondeo esse superbiam, vanitatem contemptum aliorum, & cordis duritiem: *Scientia inflat*, inquit Apostolus, unde ibidem S. Thomas, unam ex plagis Ægyptiorum hoc est sapientium hujus sæculi: ait esse vesicas turgentes, quibus superbia designatur: ejusque contemperaneus alterum cum illo istius sæculi lumen S. Bonaventura scientiarum torrentem, si charitas obirem non ponat, cælestium gratiarum fluenta desetare, obnubilare mentis radios, affectus amoris divini propemodum extinguere, aliaque procreare damna existimat: cò maxime, quòd homo in illum effusus, & hominum de se existimationibus ebrius, ab interiorũ curâ vacuus solâ inquit Richardus a S. Victore, contentus famâ nullum studium adhibet in emũdanda conscientia sitque captator famæ, neglector conscientiæ. 12. 1. Corinth. 8. Cujus typus vesicæ Ægyptiorum.

Hoc ergò primum, ac potissimum persuadet suis clientibus divinus Amor, ut à malis hisce humoribus sibi caveat, quod facilè faciet, si pretium scientiæ inter bona animæ infimum ponat audiatque hac in parte Aristotelem, qui

qui rectè monet in Ethicis suis, à scientiâ hominem meliorem non fieri sed à virtute, ac licet inter membra Ecclesiæ oculus minimo digito videntur præstantior, Doctoresque ac Concionatores oculorum, plebs verò & opifices manuum, aut pedum, ac digitorum locum subeant; rectè tamen monere S. Augustinum, sæpe digitum apud Deum supremum rerum æstimatorem oculo præstare tum bonitate, tum securitate: Digitus, inquit, exigua quædam res est, oculus magnifica, multum potest, & tamen melius est digitum esse, & sanum esse, quàm oculum esse, & perturbari, lippire, & excreari: Et quod ad securitatem attinet. Tutior, inquit, est digitus sanus, quàm oculus lippiens: unde rectè concludat: non ergo quærat quisque in corpore Christi, nisi sanitatem: hinc est quod B. Virgo agens cum S. Brigitta de Concionatore docto & magni nominis, ait illum apud Deum esse ad instar cadaveris; hominis, quod paleâ tantùm, & non solido cibo vesceretur, senè verò hominem simplicè & idiotam, qui Deo magnâ animi simplicitate famulabatur, divino calculo longè illi præstare.

13. Præstat probus ignarus docto improbo. 2. Ethic. 14

In Psal. 130

Secundò monet clientem suum Amor sanctus, ut sepositis studiis ac literarum exercitatione sibi ac virtuti ad aliquod tempus vacet impensiùs, quod non tantum magna illa Ecclesiæ lumina, Basilius, Gregorius, Hieronymus, aliique præstitêre; sed etiam, ut ab alumno suo Joanne Damasceno id observaretur procuravit Dei Mater amantissima, dum illum ad solitudinem, & virtutis singulare studium consertandum impulit. Erat is in encyclopædia absolutissimus orator excellens, Mathematicus, Astrologus, Philosophiâ ac Theologiâ instructissimus; egebat hic in tanta scientiarum magnitudine, & copia humilitate, & amoris divini colore intensissimo, quo illam concoqueret, atque digeretur; igitur instigante Mariâ in solitudinem Laura dictam secedit, & senem aliquem, cujus se disciplinæ formandum traderet, quærit; sed nec primus, nec secundus, nec tertius, quem hac de caussa convenit, hominem tanti nominis aç eruditionis admittere voluit, quartus assensus est, sed conditionibus tam severis, ut earum minima haberetur, ne proprio consilio aut arbitrio quidquam faceret, omnium quæ didicerat memoriam deponeret, nec verbum de iis faceret: multo minus aliquid versu, vel prosâ conderet, aut ad aliquem literas daret: cumque has leges aliquo tempore servasset accuratè, contigit ut importunis alicujus amici precibus fatigatus,

14. Dandum tempus virtuti missâ interdum scientiâ.

15. Ioannis Damasceni exemplum.

gatus, ad levandum ex morte fratris dolorem poëma pertexeret, cujus initium: Vanitas omnia humana: id cùm senex resciisset, continuo frustra deprecantem cellula ejecit, nec aliorum supplicationibus hoc dare voluit, ut illum iterum admitteret; donec fractus tandem, seneraque castigatione, ac pœnis Ioanni injunctis, eâ conditione accepit pœnitentem, ut rursus quasi novellus tyro prima virtutũ fundamenta jaceret: quod ab illo factum perquam studiosè, donec B. Virgo Seni apparens, monuit ut Joannem dimitteret, & libertate domaret, quâ jam humilitate subnixus, & amoris divini flammis accensus, scriptis suis orbem illustraret vniversum. Vocat Joannem Senex, & rusticitatis suæ petitâ veniâ, superis bene precatus, illum publico reddidit, & dimisit.

Hujusmodi homines, qui virtutem cum eruditione maritant & utraque velut manu faces accensas prætendentes divinæ gloriæ promovendæ studeant. *Ambidextros* Gregorius Nazianzenus, virosque omnibus numeris absolutos, ac velut cælestis vitæ homines, qui, uti posteà fiet in cælo, virtute & scientiâ consummatâ perfruuntur.

16. Præfigenda recta intentio.

Tertium, quod à cliente suo scientiarum candidato impetrare conatur Sanctus Amor, est recta intentio, atque inter ipsas studij horas, si non continuata, certè sæpè repetita ad Deum præsentem mentis elevatio: quod egregiè factum à Bartholomæo de Paxia Ordinis S. Dominici, ut in vita B. Ludovici Bertrandi literis proditur. Primò, si quæstio aliqua examinanda erat, V. G. de Ævo, tempore, Æternitate, ante omnia ad Deum conversus, dicebat: Amor mi, & Domine Jesv Christe, Servus tuus S. Thomas in hoc articulo, quærit, num differant Tempus, Ævum, Æternitas, concludit autem ipse sic: Obsecro igitur Domine Jesv, ut me a tempore liberes, & perducas in æternitatem, Amen. Objiciebat deinde his verbis: in conclusione tui Servi S. Thomæ, cui tantam lucem infudisti, oboritur mihi dubitatio, quia nescio quid respondeam, ô Magister animæ; quare peto à te per merita Benedictæ Matris tuæ, ut aliquid mihi spiritus tui impertias, quo id assequi incipiam, quod te miserante spero aliquando me consecuturum; Amen; Responsionem postea à Cajetano suæ dubitationi sibi proponebat, quâ expensâ dicebat: Domine esto tu benedictus, qui hoc ingenij acumen illi præbuisti: Equidem credo illum apud te esse in Paradiso: at si fortè adhuc est in Purgatorio, quæso libera eum in laborũ suo-

Fol. 261

rum

rum præmium, ut veniat ad fruendum æternitate tuâ, de qua adeò doctè scripsit: Amen, Amen. Deniqúe quod expenderat in hunc modum pronuntiabat; responderem ipse ita, vel tali ratione &c. tum vero subdebat: At quid est hoc quod ego inutilis tua creatura cogito, præ illo, quod tuos servos Ecclesiæ Doctores edocuisti? Ignosce arrogantiæ meæ gloriæ Angelorum, propter ipsorum Angelorum amorem, qui Ævo mensurantur, & ex tua gratia æternitate perfruuntur, qua ego item ex eadem gratia, licet sum peccator, perfruar. Amen, Amen. Idem à quibusdam de Societate nostra Theologiæ studiosis usurpatum scribit P. Alvarez de Paz.

17. Quod Socios monuit Petrus Faber

P. Petrus Faber Primus è S. Ignatij sociis dum juniores de Societate nostra alloqueretur, sæpè beatos illos deprædicabat, quod scopum in quem studendo collimarent, ante oculos propositum haberent, majorem scilicet Dei gloriam, cum plerisque mortalium literis insudantium hoc beneficium à Deo concessum non esset: beatiores tamen meo judicio evaderent si sibi Valentiâ oriundum illum Patrem imitandum aliquo modo existimarent, & utroque animæ brachio inter studia ad perfectum Dei amorem, & cum Deo intimam conjunctionem enitérentur: inde magis saperent studiorum labores, & voluntas ab amoris igne vix recedens assiduitate & contentione in percipiendis scientiis, de sancto & divino ardore nihil, aut parum remitteret.

CAPUT XI.

Quomodo Amor Sanctus lectione spirituali nutriatur.

1. Liber pius affectus monet in legente quos continet.

ZEnonem Stoicum dicere solitum accepimus, eum qui doctus vellet evadere, cum mortuis consuetudinem habere, hoc est in eorum legendis monumentis frequentem esse oportere: pari modo dicendum puto cum, qui Amore sancto vult incalescere, in iis libris perlegendis, quos amor divinus flammis suis inspersit, operam, studiúmq; ponere debere: si enim ex obscœnis voluminibus erumpunt impuri igniculi, qui adolescentum animos miserè incendunt, si ex lectione Homeri Alexandrum bellicus ardor invasit; cur non elaboratæ ope Spiritus sancti paginæ ad inflammandos sancto igne mortales tantumdem possint? Tantum virium hujusmodi lectioni quantum meditationi tribuunt sancti Patres: S. Ephrem duo esse ubera dixit, quibus lac devotionis in hominum mentes, hujus vitæ de-

2. Lectio & meditatio duo ubera

cursu Spiritus sanctus infundit: B. Jordanus Ordinis S. Dominici Generalis cibo & potioni comparat, quæ socianda sunt, ut congruum animæ alimentum submini-strent. In eandem sententiam abit S. Isidorus, dum dicit; nos orando Deum alloqui, legendo verò nos à Deo compellari. Hinc est quòd sicut in ea commendanda sancti Patres & viri sanctimoniâ celebres, plurimum operæ posuêre, ita in illa usurpanda atque frequentanda fuerunt assidui. S. Dominicus & S. Thomas de Aquino, Collationes SS. Patrum à Cassiano scriptis mandatas legebant diligenter: S. P. Ignatius libellum de imitatione Christi, ut libellorum florem versabat perstudiosè: B. Franciscus Salez totos annos duo de viginti libellum, qui pugna spiritualis inscribitur, secum tulit in sacculo: Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis duos S. Bonaventuræ tractatus, compendium scilicet Theologiæ & itinerarium totis triginta annis legit, ac relegit, veritatum, quæ in illis continentur sapore velut semper renascente delectatus. Joannes Ximenes è societate nostra frater Coadjutor Catharinæ Senensis Epistolas & librum alterum vitam Christi continentem annos complures volvit, ac revoluit magnâ animi voluptate simul, & fructu: alterum ego è fratribus nostris familiariter dum viveret, novi singularis probitatis virum, qui annos triginta & plures in legendo Stella de contemptu mundi transegit, eumque cum ad calcem pervenisset, semper repetiit, rogatusque, cur alium non sumeret, respondit, quia semper sapit.

3. Scripturæ sacræ pro-ma sit lectio, Ep. ad Ves-tinum.

Sed omnium librorum apex est scriptura sacra, ex qua viri Apostolici, & Doctores sanctimoniâ illustres, & quibus animum pascerent alimenta cælestia, & quos in vulgus spargerent Amoris sancti & cæterarum virtutum igniculos, assiduè hausêre; hunc in finem Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus in solitudine se prius abdidere: hunc à conversione sua S. Augustinus trivit, & excussit diligentissimè, atque in illis esse, quæ mille annos præstantissima ingenia exercerent & alerent existimavit: hunc Theologiæ Mysticæ fontem appellant S. Dionysius: Sanctus verò Gregorius Theodoro scribens: Quid est, inquit, sacra Scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam? S. Bernardus eam in loca solitaria secedens evolvebat, & ruminans sibi & aliis pabula congerebat: S. Bonifacius Germaniæ Apostolus secum in peregrinationibus suis, quæ multæ fuerunt, eam deferebat, quæque quidem ad martyrium

rium procedens dimittere voluit: illa erat S. Dominici, & S. Vincentij in missionibus Apostolicis primaria sarcina: at verò S. Edmundus noctes integras in ea pervolvenda transigebat, & cum semel oppressus somno ardentis candelæ curam agere non posset, câque ferè consumptâ extremo lumine in librum decidisset, innoxia permansit, & ne literulam quidem corrupit. S. Carolus Borromæus eam paradisum suum appellavit, ajebatque alio se horto ad spatiandum præter sacram Scripturam non egere: neque solum hoc cæleste volumen apud Ecclesiæ Doctores, aut viros dignitate aut sanctitate præclaros in pretio fuit. Alphonso Aragoni ita in deliciis fuisse dicitur, ut illud decies quater cum interpretibus evolverit, & S. Chrysostomus populares suos ad S. Pauli Epistolas legendas excitarit, ac inter fæmineum sexum S. Cæcilia Euangelium secum tulerit: plerasque etiam nobiles fæminas utrumque testamentum familiare habuisse ex S. Hieronymi Epistolis discimus. Ut meritò S. Gregorius præfatione in libros morales de sacra Scripturâ dixerit: *Divinus sermo sacræ Scripturæ est fluvius plane, & altus, in quo & agnus ambulet, & Elephas natet.*

Ergo ad leges Amoris sancti lectionem si velis instituere, ne temere aut fortuitò librum aliquem arripias, sed supplex ad Deum accede, & instanter roga, ut eum ille tibi assignet, inspiretque quem tibi maximè profuturum novit, eumque quocum animæ suæ negotia communicas, in consilium adhibe: ne sis ex illis, qui librum, quem offendunt legunt, & ubi curiositati alimentum inveniunt, ibi hærent, ac tempore parum utiliter consumpto, non Deo, sed amori proprio in collegendis aliquot novæ scientiæ paleis fecerunt satis: non promovet, inquit Damianus spiritum, hujusmodi lectio; & periculosè laborat, qui hoc morbo vitiatus est.

4. Aliorum librorum sit delectus consulto Deo.

In Speculo Monachorum.

Secundò ne lectionem ordiaris, nisi priùs lumen de cælo evocaris, atque indignum te qui in arcanorum cælestium cognitionem admittaris, humiliter sis professus; memor prolatæ à Christo sententiæ, *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti ea à sapientibus, & prudentibus, & revelasti parvulis; ita Pater, quoniam sic placitum est ante te.*

5. Lectionis pete lumen à Deo.

S. Antonius hanc puritatem animæ, & integritatem, quæ præsertim in hac animi demissione, rectaque intentione consistit mirabilem vim habere, ad regum sublimium futurarumque cognitionem acquirendam ajebat, ut etiam hac in parte qui id observat, dæmo-

3. *Athanasius in ejus vita.*

dæmones intelligentiâ sit superaturus: quin etiam, si Philoni credimus, in animo solem quendam intelligibilem consequetur, vel potiùs, quod magis optandum, amorem quendam omni expectationi superiorem, si B. Rogerio assentimur.

Is aliquando coram aliquot è fratibus de transformatione in Deum tam ardenter verba fecit, atque unum ex illis ita succendit, ut jamjam præ nimio æstu animam exspiraturus videretur, sudoreque madens Rogerium inclamaret, disputationem abrumperet, si se salvum vellet, ac tertiò quidem id rogavit, antequam vir sanctus attenderet: rogavit deinde illum, is qui tantos animi motus ex ejus verbis hauserat, unde sermones ejus tantam vim acciperent. Frater mi, inquit Rogerius, cum in principio cujuslibet operis homo cor ad Deum levat, atque ejus gloriam spectat unicè, nihil de suo quærens, Deum semper adjutorem experietur, & cum alter quæreret; quomodo ista cordis elevatio esset facienda: respondit: Quando v.g. vis librum aliquem aperire, animo sursum erecto cum humilitate debes dicere: Hic vilis homuncio, Domine Deus, & tuæ majestatis servus indignus, ecce vult hunc librum evolvere, ut de thesauris tuis aliquid cognoscat; digneris fores illi recludere, ut ex hac lectione per cognitionem gradum faciat ad tui amorem: da illi tantum amoris, quantum intelligentiæ; imò etiam amplius; non enim Domine Deus, te cognoscere desidero, nisi ut te amem; qui hoc modo, fili mi, se ad legendum accinxerit, continuò Deum inveniet.

Tertio, ubi in vestibulo ita constitisti, & tam bonũ fructuosæ lectionis fundamentum jecisti, tum fausto pede in adiita ingredere, & tertium sancti Amoris monitum observa: quod vel Ethnici observarunt. Ajunt, inquit in Epistolis Plinius, multum legendum esse non multa: & Quintilianus: Optimis, inquit, est acquiescendum, & multâ magis, quàm multorum lectione firmanda mens, & ducendus est color: hinc Isidorus eandem sententiam secundò in animo retractari jubet, memoriæ stabiliendæ gratiâ: quin & sanctus Ephrem tertiò repetendam dicit: & Paladius Silvanum laudibus effert; quod septies eundem versum iteraret, non tam memoriæ, quàm gustus excitandi gratiâ: quod studiosè factitabat è nostris Joannes Ximenius Conductor, qui cùm è familiari libello tres aut quatuor versus perlegisset, dicebat sibi: Expendamus quod legimus, & ruminemur; ovis enim, si non rumi-

6. Multum lege non multa.

L. 7. L. 10, c. 1.

ruminaret, non pingueſceret. Imitandus etiam nobis hac in parte Irenæus Abbas, qui cùm ad aliquod Monaſterium diſcendi cauſsâ divertiſſet, ab ejus Prælato ductus ad cellulam, ab eodem librum, in quo præclaræ à ſenibus ſolitariis res geſtæ, eorumque ſingulares ſententiæ continebantur: aperto libro capitulum offendit, quod ad ejus palatum guſtumque faciebat; ibi hæſit, & libro complicato ſibi dixit: Eò, Irenæe, miſeriarum deveniſti, in quas demerſus fuit is de quo jam legiſti; Abbatique librum reſtituens adjunxit; ſe ſatis habere, quod in mores traduceret, ubi illud executioni mandaſſet, tum ad novum è lectione lumen hauriendum, rediturum.

Monebat propterea ſuum Euſtochium S. Hieronymus, ut magni faceret atque expenderet, quod legendo ad virtutis incrementum conferre exiſtimabat, ac perſuaderet ſibi ſponſum ſuum verborum iſtorum, & luminis inde exorientis auctorem eſſe.

Sanctum Ambroſium, dum ad menſam ſuam in Epiſcopio loco patente, quo faciliùs aditi poſſet, conſideret, librum ante ſe apertum habuiſſe legimus, in quem per intervalla oculos conjiceret, hauſtamque ex illo ſententiam ruminando mente pertractaret, alios monens, ut idem facerent, quo ſibi & aliis inſtruendis documenta congererent: cujus veſtigiis inſtitiſſe S. Hugonem Lincolnienſem Epiſcopum ferunt; ante cujus oculos, cùm in cellula ſederet, liber continuò expanſus erat: ajebat enim lectionem eſſe homini tempore tranquillo pro deliciis, & divitiis, bellico verò pro telis, & armis; in famè pro alimonia; in languore pro medela: quomodo verò hæc fient, ſi lecta non retractentur, & ruminentur: Remedia non proſunt, aiebat Seneca, niſi immoreris. *Ejus vita.*

7. Etiam inter meditandum aliqua lege ad levandum tædium.

Atque ex hac attentâ & conſiderationibus intermiſtâ lectione, paulatim ad meditandi facilitatem aſſurges, & plus interdum ex illa hauries voluptatis & utilitatis, quàm ex arida, aut vaga, & deſultoria ob cogitationum inſtabilitatem meditatione colligeres. Hinc cùm animus moleſtâ cum animi evagationibus pugnâ fatigatus in aliquo puncto intelligentiam figere non poteſt ſuadebat B. Franciſcus Sales, librum accipere, & ab ejus tranquilla lectione ſolatium ſimul, & remedium petere, atque hoc modo tempus meditationis tranſigere; ſuadet & B. Tereſia, addens ſe in principio converſionis, cùm meditandi exercitationibus incumberet, id ſe cum fructu expertam eſſe. Atque hoc plurimorum, qui teneras mentes ad orationem vir- *L. 5. Epiſt. 44.*

turesque informant, consilium est, ut dum meditatio male successit, reparent Lectione detrimentum; imiteturque hac in parte pupules, qui dum in aliqua mamillarum lacut vellent, non inveniunt, alterum accipiunt, ut damnum resarciant.

8. Ex Lectione aliqua decerpenda morũ correctionẽ.

Quartum denique Amoris monitum est, ut ex lectione aliquis fructus in mores derivetur: Hinc S. Bernardus: de quotidiana lectione, inquit, aliquid quotidie in ventrem memoriæ demittendum est quod fidelius digeratur, & sursum revocatum crebriùs ruminetur: atque ut quorumdam hominum ventri, deditorum ait occupationem potissimum tribus hisce verbis comprehendi, *ingerere*, *digerere*, & *egerere*, ita meritò dixerim, omnis lectionis fructum in illis tribus etiam versari, postremumq; quod actionis fructum ex lectione manantem significat, inter primas utilitates meritò ponendum. Quis enim nesciat, ait, idem tãto citiùs aliquem, cum bona legit, quãto citiùs facit, quod legit? proficere & sub hac cõditione lectionẽ suo Lucilio cõmẽdat Seneca, dùm ait: Quo minus legas, non te deterreo, dummodo quidquid legeris, statim ad mores referas. *Ep.* 1.

9. Ceu flore ex areola.

Quidni etiam adolescentulas imitemur; illa in pratum violis respersum ingressæ, aut in alicujus familiaris amici hortulũ magnâ florum varietate, & amenitate distinctum admissæ, eos ex omnibus floscŭlos colligunt, qui magis arridẽt, inde fertum conspiciunt, & in brachio sinuve affixum, diem totum deferunt, sæpiusque ad nares admovent, ut repitirâ voluptate perfruãtur. Ita selectas sententias in memoriæ sinum recondere ex Fabri nostri hortulo nos oportet, quæ non diem, sed non rarò menses & annos mentes nostras odore suo & occulta virtute ad studium perfectionis excitabunt; quas etiam interdum Angelus Custos iteratò suggeret; ut igniculos experientiâ perquàm utiles resuscitent: Adagium vetus est, non omnes moventur: similter à similibus, nec omnes sententiæ eosdem in diversis facient motus animorum nec uno tempore sic accedent, uti aliàs; pro varia mentium ad cœlestia capessenda dispositione: ut probari in dirigendis ad virtutem mortalibus eorum, consuetudo non possit, qui eâdem omnes semitâ ducere voluit, & quam sibi utilẽ libri lectionem, aut meditandi rationem sunt experti, eã omnes alios tenere voluerit, cùm in vitis Patrum legamus duodecim viros sanctissimos, cum quâ quisque viâ à Deo duceretur, candidè contulissent in medium, nullum eorum eundem ad virtutes

tes tramitē insistere compertum: quam etiam in sanctorum aliorū rebus gestis varietatem Deus à nobis spectari voluit, ut gratiarum ejus distinctionem ac multitudinem suspiceremus, & illi priùs tum aliis, qui gratiarum ornamentis ita variegati ut stellæ in firmamento Ecclesiæ refulgent, gratularemur. Movet S. Eucherium & ad fugam sæculi lecta ista Pauli sententia: *Præterit figura hujus mundi*; alium ad idem compellit illud S. Stephani effatum concionatoris voce, atque ardore animatum: *Video Cælos apertos*: S. Teresiam dies aliquot sanctis affectibus aluit ille versiculus: *Beatus Vir, qui timet Dominum*. Aliam ex ejus sanctimonialibus mirabiliter quatuor diebus afficit illud S. Joannis ad Judæos dictum: *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis*: Non neminem ad moras omnes, & mundi vincula disrumpenda concitavit, illud S. Pauli Hebræos adhortantis: *Festinate ingredi*; ut hinc discamus ex ejusdē codicis lectione, velut ex Pharetra Spiritus Sancti, quàm variæ Sagittæ ad mortalium corda feriēda depromantur.

CAPUT XII.

Quomodo Amor Sanctus per orationis semitam clientem deducat.

CUm in prima, & secunda hujus Isagoges parte de oratione ex instituto multa dixerim, hîc tria potissimum persequar: nimirum Amorem Sanctum frequentis & sinceræ, & simul incensæ orationis parentem existere, nullam disertiorem ad orandum linguam esse, quàm amoris; fructuosiorem eam orationem esse, quæ parum discursus habet & plus habet affectus, præstantissimum verò quæ tota, Amor est. 1. Amor est parens orationis.

Apud sanctos Patres Eremi invaluerat ea opinio, ut crederent propriæ infirmitatis cognitionē, ac indigentiam, & labendi timorem ad diligentem, assiduamque & indefatigabilem orationem ab homine impetrandam supra cætera plurimum habere momēti; humilem, cum sine Deo nihil possit, frequenter ad illum recurrens & cum nec bonum ex se ipso cogitationem formare valent, eam orando ut consequatur eniti; hinc in ore continuo habere versiculum illum: *Deus in adjutorium meum intende*: indigentem verò etiam ad orationem subsidij causâ 2. Oratio sit humilis.

confugere, adeoq; mendicos dies dimidios in alicujus tẽpli vestibula oratores, ut potiùs eleëmosyna rogatores consistere: eos verò quos ob alicujus periculi imminẽtis magnitudinem metus invasit, supplices continuò ad cælum manus tẽdere, & opem subsidiumq; implorare, ut propterea communi proverbio feratur, cum qui orare nescit, maris pericula experiri oportere quando urbis ob hostibus obsessæ in procinctu est oppugnatio quantum ardoris ad orandum, in matronis, & reliqua imbelli turba gladij impendentis timor excitat? Et cum reus ad furcam damnatus, aliquem clemẽtiæ locum superesse existimat, si judicem orando flectere valeat, quot verbis, quot lacrymis, quãtâ importunitate id impetrare nititur: ut meritò Guilielmus Parisiensis in divina sua Rhetorica se accuset vecordia, quod fortè proximus inferorum patibulo non inveniat Lacrymis, quibus à supremo Iudice eorum exemplo misericordiam exoret.

Cap. 20.

Atque etsi hæc omnia vera sint Amori nihilominus ad orationis magisteriũ primas partes deferendas censeo: si enim oratio est amabilis cum amico sermocinatio, quis hanc aut excogitabit faciliùs, aut producet lubentiùs, aut frequentabit studiosiùs, aut pertexet ardentiùs quam Amor? Hic cordaligat, & vinculo imperstrectibili cæteros animi sensus, linguasque connectit: Avarum auri cupiditate insanientem videmus de auro, ejusque incremento libenter cogitare, & cum suis similibus de modis illud augendi cupidè audire, & loqui, & indefatigatè negotiosis commerciis incumbere: *Cupiditate pecuniæ*, inquit Chrysostomus, *velut amens agitur, nihil laboris sentit.* Qui puellam deperit, semper illam aut corpore, aut cogitatione præsentem contemplatur, eisque circumfert imaginem quam in illâ repræsentatam nonnunquam etiam sermone compellat: ut proinde mirum non sit, si amans Deũ anima orationem habeat in deliciis, eamque omni loco, omni tempore cum amato per immensitatem ubique presente sine fatigatione, imò cum voluptate frequenter: ut meritò dicere possis: Qui non libenter orat, parum amat.

Lib. 1. de Compunct.

3. Sincerus.

Jam sinceritatẽ, & fidelitatem, quæ potissima laus est orationis, ab Amore etiam existere ostendamus: fidelis & sincera est oratio, quæ proprio gustui aut sapori nõ studet, sed ad instar balsami non mixti tota in Dei cultum, honoremque consumitur. Non est similis Petro terga vertenti inter tenebras, terroresque nocturnos, ad vocem loquacis ancillulæ, & inter

inter delicias montis Thabor manſiones figere cupienti. Non deſiſtit ab orando ob involuntarias mentis aberrationes; non illam ariditates debilitant, ſed ad conſtantiam potiùs animam, non dæmonum terriculamenta infringunt; ſed ut in Xaverio legimus, in incepto obfirmant: facit quod ſolet Statarius miles; omnes hoſtiles impetus immobilis excipit: aç tum temporis ad longiora ſpatia ſe extendit: impletque illud præceptum Eccleſiæ: *Si Spiritus poteſtatem habentis ſuper te aſcenderit, locum tuum ne dimiſeris.*

4. Deo adſcribant quod acceperunt.

Aliam præterea fidelitatem docet Amor ſanctus, ut quidquid in oratione delicioſum, quidquid cæleſte, & humanæ imbecillitatis vires excedit, id totum Deo referat acceptum: *Amor* ſecundùm S. Gregorium *quædam notitia eſt*: quia ſuo lumine duo oſtendit; optimum Dei, & peſſimum noſtri: ac quidquid boni in animam orationi immerſam illabitur, ab illo primo fonte profluere, quidquid verò færuleranti aut turbulenti, aut tenebricoſi offunditur, à nobis proficiſci demonſtrat. Atque ab ejus luce procedunt, profundæ illæ in principio orationis demiſſiones: hinc aliquæ cum Abrahamo dicunt: *Loquar ad Dominum cùm ſim pulvis & cinis.* Alii cum Auguſtino: *Memento Domine, quia pulvis ſumus: ſed cito exaudi, complue mi, ne ſim pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Alii cum S. Tereſia, ſe ut egentiſſimi mortalium ad Imperatoris opulentiſſimi, benigniſſimi, & munificentiſſimi pedes ſe abjiciunt: Alij cum S. Gertruda, ut implûmes aviculæ genuit è nidulo, & ad volarum pennas expectant, aut cum ſolitario inter Eremiculas, ad inſtar caniculæ micas de menſa cæleſti delabentes præſtolantur: alij cum S. Bernardo ſe ranas de palude limoſâ coaxantes reputant: Alij Jobi hiſtoriam animo recolentes, ſe demunculum inter filios Dei comparentem exiſtimant: alij vermiculo ſuper terram reptanti, aut bufanide terra vitam ſuſtentanti ſe ſimiles putant, & cùm à Deo ad colloquium admittuntur, idem evenire ſibi perſuadent, ac ſi Monarcha aliquis tam fœdum animal in conſpectum admitteret; aut ſi de ſolio deſcenderet ut aciculam è terra tolleret, eamque ſuo paludamendo affigeret. Major certè Deum inter & Seraphinorum præſtantiſſimum, quàm inter hunc & vermiculum eſt perfectionis diſtantia, quia iſta infinita eſt, hæc verò certis limitibus coërcetur.

5. Maximè raptus & extaſes.

Cùm verò anima per hos anguſtos tantæ demiſſionis aditus in Dei progreſſu conſpectum ad altiſſimam contemplationem ad raptus & exſtaſes, & cæleſtis am-

plexus, inexplicabilesque delicias admittitur, putásne aliquam fidelitati suæ labem asperget, sibique de tantis muneribus & gratiis aliquid tribuet? minimè verò: potiùs cum S. Teresia exclamabit: O quàm bonus es Domine? quî fieri potest, ut erga tam vilem animulam tam humaniter te geras? an meorum tam cito enormium criminum excidit tibi memoria? An honoris tui cura te non tangit? an non metuis, ne apud homines tua dona vilescant, quæ in tam fœtida vascula prodigus effundis? Interim etiam attonitæ similis cum S. Petro prostrata ad Christi pedes, seque vel ejus conspectu indignam sentiens dicet: Exi à me Domine, quia homo peccator sum.

6. Et orationis ardorem.

Jam ardorem orationis ab amoris igne progigni clarius est quàm ut pluribus probetur, non de flammis illis visibilibus & conspicuis, quæ viros Sanctos dum orationi insisterent cinxerunt fermo mihi est. Non de illis quæ flammas ore profundere, ut S. Lutgardis, & duo fratres solitudinem incolentes visi sunt: non de Stanislao Koska, quem orantem ita vehemens ardor urebat, ut linteis madefactis pectori appositis temperandus esset: Nihil de S. Filano Abbate Scoto, de S. Ida, B. Angela, S. Ignatio, Vincentio, quorum vultus inter orandum ad instar solis collustrati, radiosque ejaculantes eorum cellulas splendore meridiano illuminabant, ad hunc etiam Amoris ardorem pertinere arbitror, ea vis cereos, lampades, & carbones accendendi, quàm in S. Audomari, S. Aldegundis, S. Aldevinæ, S. Severini & Theodosij aliorumque rebus gestis accidisse legimus: sed & illam à B. Elisabetha orante in pectore juvenis una precibus insistentis excitatam caloris vehementiam ut illum cogeret exclamare, deprecaríque ne porrò pergeret, se tantis ardoribus tolerandis parem non esse. Verùm, ut dixi, de his & similibus mihi sermo non est, quæ admirationis sibi plurimum conciliant, imitationis verò perparum: de iis ergo flammis ago, quæ orationis tempore animos accendunt, ac supra res caducas in cælum ferunt, Deoque uniunt, amore suavi, sed ardentissimo, & efficacissimo: has ab Amore, de quo agimus, proficisci, & illum ipsum augere certum est.

Amans anima, ajebat B. Petrus Alcantara, homo ab amore divino igneus, inter orandum celeriter ignescit, ac discursibus intellectus, & reflexionibus valere jussis cælesti flammâ correpta cum amato citò conjungitur, illumque admiratur, laudat, benedicit, de bonorum magnitudine & copiâ, quam

quam in illo invenit, gratulatur, mille modis se illi dedicat, & in ejus amplexibus conquiescit: Verùm cùm illam Deus in cellam vinariam amoris admittit ibi velut ebria, & extra se abiens suique oblita, ad eam orandi excellentiam evehitur, ut quod sentit, non oratio vocanda sit, sed Amor; amat enim tum anima, & hoc solum novit, quod amet. Si quæris, quomodo & quid amet? nihil aliud tibi dicet cum Bernardo: *Amo, quia amo*: addetque cum Hugone de S. Victore: hunc amorem omnis quodammodo notitiæ expertem: *quia plus diligitur, quàm intelligitur: intrat dilectio, & Deo appropinquat, ubi scientia foris stat.* Accidit tum intellectui, quod homini altissimum montem, qui supra nubes cacumen attollit, ascendenti; ubi enim nubes bene madidus, & aspersus penetravit, atque ex iis emersit; si deorsum despiciat, nihil amplius eorum, quæ in terrâ sunt aut in eage runtur, intueri potest, nubibus conspectum intercipientibus; si sursum verò oculos efferat, radios aliquot & claritatem vaporibus illuminatis permistam, & nihil præterea videt: ita fit cum intellectu hominis ad sublimem orationem Dei beneficio provecti: hîc assurgit quantum potest; sed cùm lumen supernaturale non ultra radios suos proferat, subsistere cogitur voluntate intereà Amoris impetum sequente, unde contingit quod Dionysius annotat; ut ignotè quodammodo accedatur ad Deum, & amans in unum cum Deo amato transformetur.

7. Ad quem ducet Amor.

At, inquies, quę tandem oratio alas subministrabit, ut ad hunc amoris gradum mens humana pertingat: Oratio, ut alibi dixi, cujus principium & finis amor est, quàm scilicet amor excitat, & quæ in solo amore conquiescit. Ad hanc assequendam tria ex consilio S. Bernardi observabis; conscientiæ puritatem, solitudinem animi potiùs quàm corporis, tertiò perseverantiam. Si Patrum, virorumque doctrinâ & sanctitate præstantium doctrinam audis à meditatione incipies, vitæ præsertim, & Passionis Christi Domini; quandoquidem ille sit Via, Veritas & Vita, per quem in arcana divinitatis ingredimur: sed cùm aliquos magis concitatione affectuum, quàm ratiocinatione proficere, & ad Amorem concipiendum præparari experientia doceat, hic meritò locum habere debet, illud sapientis pronuntiatum; *Gloria magna est, sequi Dominum.* Sunt qui hac in parte in diversa prorsus abire quibusdam videntur, cùm tamen in eundem scopum prorsus collineant: hi enim volunt materiam disponas, puncta

Sic à meditatione incipias.

puncta meditanda dividas, super illa ratiocinando discurras & aliquem amoris ignem inde elicias, ac amico cum Amato colloquio finias, qui modus à fructu copioso & experientia cõprobatus nullius calculo cum ratione rejici ac improbari potest. Alij verò compendiosiorem viam, ut sibi videntur nacti, animam à præsentia Dei ordiri volunt, & omnibus facultatibus in ejus conspectũ cum silentio venerabundis, expectare subsidium, de cælo, lumenque ad amorem, quibus in Deum ferantur suavius, eique ardentiùs copulentur, habent utrique eundem scopum; & simul in primo orationis accessu conveniunt; volunt enim à præsentia Dei, profundaque animo demissione, suique diffidentia fundamentum jaci: assentiuntur præterea, ubi Deus animam occupat, & detinet ibi illam gradum figere ac consistere debere, nec de progressu, materiaque antea præparata solicitum esse oportere; nec operationem Dei tuâ longè nobiliorem ac præstantiorem inutili solicitudine impedias.

8. Aut à præsentia Dei,

Præterea eos, qui in secunda sunt opinione, nolle permittere arbitror, ut cum orandis animus à Deo illabente & gratia sua illam excitante non attollitur otiosus torpescat cælestis auxilij expectatione suspensus: nam dum ventus deficit, solent nautæ remis admovere manus, & navim impellere, & dum hortus cælestibus imbribus non irrigatur, ad aquam à cisterna hauriendam Hortulanus insuadat: tempus alioquin infructuosè labitur, & affectatur miraculum simile Eliæ, cujus hostiam ignis de cælo delapsus absumpsit: hinc meritò ad manum debet esse disposita materia, circa quam animus, etsi cum difficultate, se exerceat: neque existimo aliquem esse tam insulsum, qui meditationem mysteriorum humanitatis Christi, ad tirones amandet, cum altissimæ contemplationis materiam suppeditatem, quam regustasse Deiparam post Christi Ascensionem constantissimè memor, quâ plerosque ad exstaticas transformationes gradum fecisse experientia testatur, cum ad divinarum perfectionum contemplationem mentem attollere nunquam possent.

9. Si animus flammas non concipit meditando, excitandus ignis.

Persuadeo mihi præterea, neminem astringere velle meditantem ad ratiocinationes atque discursus ac indagationes adjunctorum rei ad contemplandum propositæ; ubi eam jam longa exercitatione ita exploratam, excussamque habent, ut novi aliquid intellectus, quod voluntati proponat, non inveniat: hoc enim est operam ludere, & nullo profectu fatigare intellectum, qui cùm

10. Excussa sufficienter circumstantia loci mutandi affectus.

cùm alimenta non reperiat, evagatur, & ad instar apiculæ, ad alios flores disparatos convolat. Voluntas verò ad objectum amabile sibi clarè propositum, amore confestim inflammatur, frigusque suum incusat, & quò diutius adhæresci, eò ardentiùs afficitur, & in varios actus erumpit, subministrante novas semper flammulas objecti propositi bonitate. Hinc est quod S. P. Ignatius magnus orandi magister, tali tempore vult orantem de transitu ad alia puncta solicitum non esse. Malum ergo otium, inertiamque fugiendam censent omnes, præsentiam Dei in intellectu, ut orationis fundamentum, & evagationum frænum atque obicem, omnes etiam curandam volunt, discursum verò minui, dum affectibus voluntas ad amorem excitandum alendumque inflammatur, & planè tollendum dum sanctis hisce ardoribus officit potiùs, quàm juvat, omnes sentiunt: Gerson, qui totos quadraginta annos in oratione mentali se diligenter exercuit, quique de Theologia mystica, altissimæque contemplationis arcanis pulcherrima monumenta posteritati reliquit, arbitratur plerosque simplices idiotas, solius præsentiæ divinæ exercitatione, & actum fidei de Dei bonitate, & amabilitate frequentatione, ad altissimum contemplationis gradum esse provectos, adjuncta vitæ puritate; atque inter cæteros, ait se ostendisse fæminam magnæ simplicitatis, & integritatis, quam cùm interrogasset, quomodo intus in animo se haberet, respondisse: Deo laus, animum expedivi ab omni rerum creatarum cupiditate, atque in Deo solo defixi: seque tum dixisse: Ibi siste; sufficit, si res se habet ut dicis. *Sup. Magnificat.*

11. Ne otio torpeat.

Tria tamen hîc observanda existimo: Primò, an is, qui huic orandi modo insistit, aliquâ vanitatis aurâ afflatur, idque consectetur quia hujusmodi orationis genus efferri laudibus, & qui eam sunt assecuti, in aliqua apud homines æstimatione esse inaudiit: 2. An id agat fugâ laboris, quia puncta disponere, & quasi quibusdam compedibus illigari, vim intelligendi, perquam laboriosum esse judicat. 3. An inde fructus solitus enascatur, v.g. perturbationum animi moderatio, rerumque caducarum despicientia cum sui victoria convincta; an verò solus gustus quæratur, qui amori proprio nutriendo potiùs quàm Amoris sancti incremento deserviat. 12. Notanda pro cavenda superbia.

Atque etsi similibus miseræ deceptis plenæ sint historiæ, unicam tamen ex Gersone producendam censui, de fœmina quadam, quam appellat Mariam de Valentianis, *Ibi supra.*

quæ de præeminentia & prærogativis Amoris sancti magnâ ingenij subtilitate librum conscripsit, in quo dicebat inter alia, hominem ad eum amoris gradum evehi posse; ut divinis, humanisq; legibus solutus solius amoris imperio regatur, qui error illuminatorum fuit.

13. Meditetur is de vitæ Christi mysteriis ob varios fines.

Operæ pretium meo judicio, faceret, qui ad hos superbiæ motus in istis infringendos, eos ad solius vitæ Christi meditanda per aliquod tempus mysteria etiam renitentes allegaret: 1. humilitatis exercendæ gratiâ, quâ non parum indigere videntur. 2. Ut sanentur ab errore intolerabili, quò Verbi Incarnati divinas actiones, passionesque inter imagines corporeas, quibus mentem exuere conantur, reponant. 3. Ut ingrati animi turpissimâ notam fugiant, quò tantorum beneficiorum, quæ nobis Incarnatio Christi contulit, memoriam spontaneâ oblivione sepeliant. 4. Quia illi ut cæteri hominum humanæ vitæ casibus, & calamitatibus expositi, egent Christi exemplo, quo animentur; præsentiâ, quâ confirmentur, & subsidio, quo vincant, & coronentur. 5. Quia à sanctissimis viris, fœminisque, qui altissimæ contemplationis dono floruerunt, quales fuere S. Augustinus, Bernardus, Franciscus, Catharina Senensis, Theresia & complures alij, hæc fuit usurpata, ac frequentata exercitatio: quas inter postremo nominata, vult ut non semel, sed sæpius ad ejusmodi meditationes obeundas adigantur ij, de quibus suprà egimus; neque admittendam esse eorum excusationem, quasi id facere non possint; contrarium enim suo se experimento didicisse.

14. Qui crudus est ne se putet amore vacuum.

Ultimam hîc monitionem subjicio, ne qui continuâ siccitate, geluque in suis orationibus laborare sibi videntur, omni se ideò amore vacuos existiment, latet: ille plerumque sub istis crucibus, & plerumq; vehementior & fortior, quàm dum inter medias consolationis flammas undique spirare & ejaculari creditur. Quis credat Davidem, dum Gemebundus exclamat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* aut Sponsam in Canticis, dum querelas suas ingeminat, dicens: *Quæsivi eum, & non inveni,* aut Christum in cruce lamentantem: *Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me*; aut B. Virginem triduò amissum filium lugentem, eumque cum magna animi anxietate vestigantem; hos inquam omnes tristitiæ nubibus & caligine circumfusos, nõ intus ingentibus amoris flammis arsisse? Vellet aliquis in ea interiori siccitate pro Christi gloria, & amore in ardentes rogos insi-

insilire, vellet concidi gladiis, leonum lacerari unguibus, & mille mortes subire, ut Christo, quem absentem arbitratur, arctissimo amoris nexu copulari possit, hoc ambit, hoc suspicat, hoc integrâ orationis horâ repetit, & hunc amore carere putabimus? ego verò in hujusmodi pectoribus plus amoris sæpius delitescere arbitror, quàm in aliis, qui oratione, quàm vocant quietis & silentij, dies & annos perfruuntur: facile est cum Elia, dum Deus offert & invitat, currum igneum conscendere; facile cum muliere in Apocalypsi, dum Deus alas submministrat, in desertum contemplationis evolare; quod non libenter, & cum voluptate experiatur Deum in se aurea illa promissa complentem: *Extollam te super altitudinem terræ?* Verùm cùm hæc omnia desunt, cùm homini omnes amoris vires colligendæ, ut ad Deum accedat, & cum fugient quodammodo ac se occultante uniatur, cùm dæmonum oppositus pervincendi, atque naturæ corruptæ ac fatiscentis superanda infirmitas, & inconstantia, cum adversis ventis, ac undique circumfundentibus se tenebris magnâ contentione, & longo tempore navigandum, amore tum opus esse intensissimo nemo est qui inficietur.

CAPUT XIII.

Media ab Amore divino submministrata ad horas Canonicas debitè, & cum fervore recitandas.

MEritò inter Amoris curas, hæc una maxima censeri potest, ut in Ecclesia militante ad æmulationem Triumphantis à personis ad id deputatis Deus, ut S. Augustinus loquitur, *Ametur laudando, & laudetur amando*: atque utinam hoc tam heroicum imò Angelicum munus à plerisque diligentiùs obiretur! Vidit aliquando B. Hermannus, dum canendis Psalmis diurnum Officium haberetur Angelos è cælo in Chorum descendere, thuribula fumãtia gestantes, & aliquos quidem odorato incenso perfundere, qui fervidè corde simul & ore canebant, atque insuper incensatione absolutâ, eis inclinato capite exhibere reverentiam; alios verò ad alia animo distracto vagabundos præterire ne conspectu quidem dignatos, nonnullos etiam, quod graviori culpâ infecti essẽt, perhorrescere.

1. Officium Canonicũ est quædã cœlestis curiæ imitatio.

Similia fere sancto Bernardo ostensa sunt: vidit enim ille Beatos

Spiritus, dum in choro caneretur, aliquorum fervidiùs canentum verba auro in libello discribere, aliorum argento, quorumdam etiam atramento, imò & nonnullorum aquâ; aliquorum verò, quorum mens aut distracta erat, aut somno oppressa, curam non habere, quod similium negligentiarum annotatio ad Dæmones spectabat. Non absimilia in plerisque cantantium Choris etiam hoc tempore contingere, etsi in oculos nostros non incurrant, nemo sapiens dubitaverit.

2. Quanti precij vel unus versiculus officii.

Mortua est ante annos circiter viginti Magdalena à S. Iosepho Carmelitana, & Conventus Parisiensis Priorissa, virgo sanctimoniâ, & miraculorum frequentiâ celebris, quæ post mortem uni ex suis Sanctimonialibus, sibi dum viveret familiari, apparens, & de rebus arcanis sermones miscens, inter cætera dixit, unicum versiculum Psalmorum cum attentione & devotione veritatum præmio humana æstimatione longe superante in cælo donari: ex quo tanquam consectarium deducitur versiculum etiam unicum malè, oscitanter, & irreverenter pronuntiatum aut decantatum pœna mortalium communi opinione majore post hanc vitam castigari; ut meritò Amor Sanctus Clientes suos hac in parte bene instruendos esse censeat, ne amatus offendatur; constat enim Christi crucifixi imaginem velut indignabũdam caput aliquando avertisse, dum intolêter & latrantium more caneretur: Legitur etiam, Officij divini tempore turpiter à somnolentia victe Colaphum avulsa à cruce manu impegisse, ut quantum tam freda segnities sibi foret exosa, his prodigiis ostenderet.

3. Causa socordiæ in officio legendo

Inquirendos igitur, monet amor sanctus hujus socordiæ fontes, atque ibi remedium adhibendum: ac primus quidem esse videtur rerum Caducarum amor præposterus, atque in illas cogitationum, affectuumque profusio, quo fit ut animus aliò velut avolans, ad ea quæ canit, aut pronuntiat, non attendat: alter foris est in quærendis tanto malo remediis supina væcordia, quæ proinde hoc loco suggerenda censui.

Primum ergo remedium est, quod antiquitùs sacrificantibus dici solebat: *Age quod agis*: hoc est: munus tuum pro dignitate imple, & in eo totus esto, omnesque animi vires ad id rectè obeundum in unum collige. Considera ergo quisquis es, qui ad horas dicendas obligaris, unde manarit ista obligatio; à Deo scilicet, qui per Ecclesiam sponsam suã seligi voluit è mortalibus aliquos, qui isti muneri piè & sanctè vacarẽt; quot proinde Officium divinum appellari

Lib. 1. Off. lari voluit. *Officium* ab officio ductum existimat S. Ambrosius, *Quasi officium, quod sit illud, quod quemq; pro conditione personæ facere deceat:* tu ab aliis officiis ferias agere juberis, ut te totũ officio divino impendas: vitæ ergo quàm divinè illud impleas. Qui apud veros Principes officiis nobilioribus funguntur, quàm attentè, quã sedulò, quàm reverenter, & ad Principum prometendam gratiã, id exequi conantur.

4. Officium opus Dei.

S. Benedictus hoc, de quo agimus, officium in Regulis suis *Opus Dei* appellat, quasi unicè Deo consecratum: Si vasa Domini, quia ad honorem Dei solius deputata, tam religiosè tractantur, ut calices sacri, & similia; quanto cum honore in opere Dei tibi demandato, ut decet implendo versari te oportet, cùm Seraphini ipsi in minimo sibi injũcto à divina Majestate munerẽ, quidquid habent amoris, & reverentiæ, certatim adferant, Antu, dum aliter facis, non tibi videris probrosum illud, S. Bonaventurâ auctore, nomen promereri, ut *non orator bonus, sed verborum latrator* appelleris; qui à Deo non mereatis exaudiri? Cùm enim ita se habet homo, ait, *Vt dimidium cor dirigatur in cælum, & dimidium cor maneat in terra, talis homo nunquam exauditur à Deo.* Hinc ut rectè monet S. Ambrosius, dum ad divinum istud Officium te disponis. *In recessum pectoris tui totus ingredere*, teque ita gere, ut ad id quod agis solũ attendas, & (quod Cyprianus in aliis severè reprehendit) non sis isto tempore tam væcors, & tui Deique oblitus. *Quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod Deo loqueris.*

In Regul. Novit. cap. 2.

De Orat. Dominica.

Juvabit præterea, si id munus, ad quod Ecclesia te delegat, & obligat, Angelicum esse arbitreris. S. Ignatius Martyr ad Psalmos alternis versibus in choro dicendos compulsus dicitur Angelorum imitatione, quos spiritu ad cælestia raptos alternatim canere conspexerat.

Aliquid simile Davidi ostensũ fuisse non immeritò persuadebit sibi, qui illum dicentem audit: *In conspectu Angelorum Psallam tibi.* Non modò in conspectu, sed una cum illis nos canere velle videtur mater Ecclesia, quæ quotidie nos cum Angelis, & Archangelis, cũque omni militiâ cælestis exercitus, conjunctis, conspirantibusque vocibus, & cordibus trisagion illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, velut hymnum gloriæ concinere præcepit: Cur non in cæteris Psalmorum versibus ad unius Dei gloriam extollendam cõpositis idem illam velle arbitrabimur, cùm ab Angelo de cælo delapso numerum Psalmorum canendorum videatur aliqua ex parte

te didiciſſe ? Narrat enim Caſſianus conveniſſe aliquãdo Sanctos Eremi Patres, ut de numero Pſalmorum mane & veſperi in cætibus ſuis dicendorum aliquid decernerent : & cùm in varias ſententias abirent, aliis eas pro fervore ad quinquaginta, aut ſexaginta multiplicantibus, & pia eorum diſceptatio produceretur in veſperum, ecce tibi unus in medium proſilit, qui duodecim dũtaxat legit fininitque cum uno Alleluja, atque ex omnium conſpectu evanuit ; quem ideò Angelum fuiſſe ſunt opinati. *Lib. 1. c. 5.*

Si Angeli tam libenter ad nos commeant, ut velut præcentores noſtris cantibus aſſiſtant, cur non iidem nos in cæleſtes ſuos conſeſſus libenter admittant, ut illis permixti Davidicos verſus cũ illis antecanamus aut recitemus, ô ſi cum S. Bernardo te, dum horas alterius decantes ad cœlum evehi & Angelorũ Deum laudantium cætibus intereſſe crederes, quantam inde reverentiam, quantam attentionem, quantam alacritatẽ conciperes. Quod ſi tibi minus arduũ videtur terreſtri onuſtum pondere, aliiſque deſtitutũ tam altè efferri ; fac tamẽ dum in cubiculo officium tuũ recitas, tibi perſuadeas, in comitatu tui Angeli illud te percurrere, ut olim B. Veronicæ de Binaſco conceſſum legimus cum qua genibus flexis Angelus tutelaris horas legere ſolitus fuiſſe dicitur ; Quid tibi tum animi foret? Quos conatus parem cum illo attentionem & reverentiam ad illas afferendum? Viſi ſunt aliquando beati illi ſpiritus, Monachorum ſubſellia, dum *Te Deum laudamus*, canerent circumire, & voce, geſtuq; addere animos, & devotionis igniculos excitare. Idem agere cuſtodem tuum Angelum qui uti ſemper ; ita maximè dum officio illo Angelico Deum laudãdi perfungeris, tibi aſſiſtere, in animum inducas.

Imò verò te in Angelum quodammodo transformari tibi perſuadeas, ita ſentiente S. Chryſoſtomo, cujus extat hoc pronuntiatum. *Homo, qui cum Deo loqui didicerit, uti decet, eum, qui cum Deo loquitur, erit deinceps Angelus.* *Pſalm. 4.*

Præterea multum adjumenti ad horas Canonicas debite percurrendas hauries ; ſi te legatum eſſe, & ad quem, & qua de cauſſa legationem obeas, attentiùs expendas.

Legatus es totius Eccleſiæ, & ad Deũ Majeſtatis ſupremæ, maximis de cauſſis legatione fungeris, Vide quantum crimen incurrat, quantum detrimenti afferat alicujus Reip. Legatus, ſi oſcitanter, ſi verbis præcipitantibus, ſi oris, totiuſque corporis compoſitione Principi exoſa munus illud obeat:

Gra-

Graviſſimis malis urgetur Eccleſia, ab illa ad ſuppetias implorandas ad Supremum numen mitteris; hæc tibi verba dictavit, quibus illum compelles, & ad auxilia ſubminiſtranda ſupplex inducas, & tu omnia alia agis; eum potius tuo deſpectu, tuaque væcordia ad iram concitas: quis talem prænarratorem impunitũ ferat? Verba ipſa Pſalmorum, quibus ad legationem debitè obeundam ab Eccleſia inſtructus es, ſi, uti par eſt, à te pronuntientur, hoſtibus formidoloſa ſunt, ad eorum ſonum percelluntur, & aguntur in fugam; & tu tam ſupinè negligẽs es, ut dum illa indebitè effutis, hoſtes potiùs accerſas, quàm ferreas.

Anachoreta non infimi ob virtutes nominis Martellus dictus, cum nocturno tempore Pſalmis recitandis vacaret, ecce tibi tubarum clangore velut Claſſicum cani inaudiit, & miratus ſibi dixit; unde iſta, cùm nullus hic miles ſit, nullumque bellum? Tam cacodæmon viſu truci comparẽs, imò, inquit, bellum eſt, contra te atrociſſimum, à quo non deſiſtam, niſi tu ab oratione legendiſque tuis Pſalmis ceſſaveris: Minantem deſpexit vir ſanctus, & in recitãdo ſuo Pſalterio perrexit, ſolitus poſtea dicere nullis S. Scripturæ verbis magis perturbari, perterrerique dæmonẽ, quàm verſuum è Pſalmis depromptorũ, velut divinorum Miſſilium jactu: Hinc contra illos, & eorum emiſſitios tyrannos, ſimilibus ſagittis inſtructos, in arenam prodiiſſe Martyres, legimus, Gregorium, Pantalaneonem, Calinicum, Cucuptam alioſque complures, ac de illis inſignes victorias reportaſſe: hac etiam armatura ſe confeſſorum pleriique in ultimo mortis certamine contra hoſtes inviſibiles munire voluerunt, ut S. Nicolaus, Antonius, Franciſcus, S. Gallus aliique complures, quod illos antè hunceemodi velut ignita jacula conſiſtere non poſſe crederent, uti aliquando S. Macario monſtratum eſt, qui ex ore duorum Monachorum flexis genibus & Pſalterio Preces recatantium flammas proſilire advertit, quas appropinquantes Dæmones ferre non poterant; ſed continuò ſe dabant in fugam: cur ergò tu his armis, ut oportet, non uteris? Cur ſom nolentiâ, evagationibus mentis ea inutilia reddis, hoſtiumque tuorum exponis ludibrio? Qui ante Biallentium ſubſellia ludos agere, & neſcio quas ineptas formare imagines torpentiumq; oculos in ſomnum claudere, ac immergere viſi ſunt. O te egrẽgium Legatum; exoſum Regi, ad quem miſſus es, Eccleſiæ damnoſum, à qua delegatus es; hoſtibus ipſis Ludibrium, contra quos auxilia

auxilia postulaturus destinatus es, tibi verò ipsi inocentissimum, qui non tantum prævaricatoris, sed proditoris etiam notam incurris.

Adferet præterea non parum subsidij ad attentionem fervoremque magnum inter istas cavendi recitandive officij occupationes sequēs consideratio; nempe, si à quo profecta sit hæc præcandi ratio, & quis illam composuerit, digesteritque, ac in usum traduxerit, paullò accuratiùs discusseris. Hanc à Spiritu sancto inspiratam nullus est qui dubitet; ipse Propheta Regius hoc protestatur, dum dicit. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*: quis enim iste scriba, nisi Spiritus sanctus? qui velociter scribere dicitur, quia ignis est, & ad cor, linguamque permonendam, & ad voces literasve formandas tempore non eget: quis ergo absonum non censeat, si quis versus à Spiritu sancto qui totus ignis est, profectos, frigidè moduletur? si ab Amore infinita concinnata verba cum torpore, & quasi auctoris exprobratione pronuntiet? Fac Regem aliquem ad suiipsius laudem cantilenam dictasse, cujus modulamine impensè delectetur; an non omnes è subditis, qui amore reverentiaque feruntur in Regem numeros illos discerent, & ad Regis voluptatem, gratiamque canerent? hoc scilicet compulit tot viros sanctos Deo placendi cupiditate incensos Psalterium integrum diebus singulis cum devotione percurrere, ut à S. Gangerico, Guilielmo Episcopo, S. Simone, S. Athanasia aliisque factitatum legimus: hinc Angeli ipsi modulos istos studiosè & alacriter ceciniſse memorant qui B. Gudualdi res gestas; literis mandarunt: nempe cùm ille officium inchoasset dicendo: *Deus in adjutorium meum intende*, prosecutus fuisse Angelos, ac Psalmos reliquos alternatim mira jucunditate ceciniſse.

5. Psalmos Deum delectat.

Nec mirum beatos illos spiritus illis versibus & canticis tantum esse delectatos, cùm ipse eorum Dominus ex iis singularem voluptatem hausisse, eosque familiares habuisse videatur: nam cùm solemnioribus diebus pergeret Jerosolymam, Davidicos Psalmos, uti ferebant Judæorum instituta, inter eundum decantabat; & coenâ peracta hymnum ex iisdem desumptum, antequam in hortum vinculis suis destinatum progrederetur, ceciniſse plerique arbitrantur, & in cruce medios inter dolores Psalmū 21. totum recitasse, & versu ex 30. desumpto spiritum suum in manus Patris commendasse Euangelicus textus ostendit: quin etiam post mortem cùm Catharinam Senensem rudem, & ne prima qui-

quidem literarum elementa cognoscentem legere docuisset, unà cum ipsa deinde Psalmos Davidicos alternis recitasse dicitur, ita tum Psalmorum divinis versibus, & ipsa Virginis devotione capiebatur. O quàm illi rem gratam faceres, si in iis pronuntiandis pari tũ fervore arderes; quàm verò ingratam, cùm ad instar fœdi animalis cælestes illas margaritas velut res abjectas proteris & conculcas! non abibit, mi homo, ex tot lectis relectisque toto tui Sacerdotii tempore Psalmorum versibus literula in illo supremo tribunali indiscussa, & præmij aut castigationis expers pro diligentiæ socordiævè tuæ quantitate non eris: imitare, quæso, S. Pauli hac in parte electionem, & votum quod totidem verbis horarum lectioni applicari potest. *Volo*, inquit, id est malo, *in Ecclesia quinque verba sensu meo loqui, quàm decem millia verborum in lingua.* 1. Cor. 14.

6. Attentio quomodo paranda.

At inquies, Quomodo, quibusque præsidiis eam in officio recitando attentionem, ardoremque consequar? 1. Audi Ecclesiasticum: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum*, qui scilicet, imparatus accedens, quasi per miraculum, alacritatem, constantiamque ac mentis stabilitatem à Deo expectat, similis illi, qui cùm sementis jaciendæ laborem fugerit, messis nihilominus ubertatem sibi promittit. Qui cantu musico instrumentisque Dominum suum recreare desiderat, prius illa pertentat, & ad concordem cum vocibus harmoniam accommodat, & tu animo cogitationum inter se pugnantium affectuumq; discordiâ perturbato ad legendas horas audes accedere, & attentionem, gustumque tibi polliceri? Audi Eucherium te monentem: *Quantum apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gratiam.* & S. Bernardum dicentem: *Qualem te paraveris Deo, talis apparebit tibi Deus.*

7. Invocando Deum.

Hæc porrò præparatio in attenta ardentique Numinis invocatione, & recta intentione ac utriusque in Psalmorum decursu continuatione, meo judicio consistit: Non est visa sufficere Sanctis illa invocatio, quam ad aperienda labia, adjutoriumque Dei flagitandum Ecclesia in primo limine præscribit; addiderunt illi *Veni creator*, ut Xaverius, aut brevem aliam precatiunculam, quam in eum finem accommodatam judicabant.

8. Intentionem præmittendã.

Recta verò intentio tribus verbis ab Ecclesia ipsa comprehẽsa ad *Orate fratres* proponitur, dum minister ad preces Sacerdotis postulantis oratiunculam, ut Sacrificium Deo gratum acceptumque sit, respondet, optare se

ut suscipiatur ad laudem & gloriam Dei, ad utilitatem quoque astantium, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ: potes & tu illam ante horas præmittere, si lubet, & tribus his membris intentionem tuam concludere: si aliquid distinctius requiris, habes ex Patre Petro Fabro viro ad ista exactissimo egregiè breviterque concinnatam: hic in decem membra partitam pronuntiatis decies JESU, Mariæque nominibus ita Horarum pensum Deo offerebat: 1. Ad ejus nominis gloriam. 2. Ad Sanctorum honorem. 3. Ad impetranda gratiæ virtutumque incrementa in justis. 4. Ad ejusdem gratiæ subsidia imploranda pro existentibus in peccato. 5. Ad felicem rei Catholicæ progressionem. 6. Pro concordiâ Principum. 7. Pro morbo laborantibus. 8. Pro animo afflictis. 9. Pro agonizantibus cum morte. 10. Pro existentibus in purgatorio.

9. Interjiciendo orationem jaculatoriam.

Quòd si inter continuationem Officij tui, ad singulos Psalmos ejus imitatione sequentem ejaculatoriam precatiunculum adjunxeris: *Pater cælestis, da mihi spiritum bonum*, nec omnes numeros absolveris; suadeo nihilominus, ut particulari privatoque studio aliquam tibi Psalmorum intelligentiam compares, ut fracto velut cortice ad medullam pertingere, atque ad gustus inde suavissimos hauriendos assurgere, & pares cum Propheta pietatis virtutumque affectus induere & excitare possis. hæc intelligentia efficiet in te, quod S. Basilius in explicatione primi Psalmi scriptum reliquit: nimirũ Davidicos Psalmos etiam ex corde lapideo lachrymas elicere: facit quod ad Psalmum 107. affirmat S. Chrysostomus, ut cum Angelis choreas ducere, & quasi cum illis de Dei laudibus & amore contendere tibi videaris. Quòd si nimis operosum hoc tibi videatur, age saltem, ut argumenta Psalmorum, & quid in eorũ unoquoq; prætendat Regius vates, & quò collimet, intelligas, ut cum laudante laudare, & in eosdem cum illo affectus conspirare possis: ô quantum inde utilitatis! quantum voluptatis hauries! ad experientiam tuam provoco, & finio. Ne quæso mirare, mi lector, si multa, quæ in Gallico volumine hoc capite habentur, dum Latinè jam scribo, præterierim: feci de meo, quod volui, & auctorem hîc agere animus fuit, non interpretem, omissis nonnullis, additis aliis, & cæteris meliori ordine digestis; dum Gallicè primùm scripsi, multa congessi in eorum earumque gratiam qui Psalmos non intelligebant, nunc dum latinitatem callentibus loquar, ea selegi, quæ ad animos ad debitam reverentiam

tiam attentionemque stimulandos sufficere videbantur.

CAPUT XIV.

Quæ sigillatim in recitatione Horarum vitanda.

1. In iis legendis cavenda. Situs indecens.

PRimò situm indecentem eorũ, qui *sedentes velut ex adverso Deum orant*, quos gravibus verbis carpit Tertullianus; sed etiam nonnullos, qui Completorium dicebant in lectulo, tetro suffitu irrisit dæmon. Mirum quantam hac in parte diligentiam, constantiamque adhibuêre viri sanctissimi. S. Franciscus, etsi infirmus, toto nihilominus Psalmodiæ tempore, nec inniti cubitis, nec ad murum admotus sustineri voluit. B. Justinianus illis etiam horis ad instar erectæ statuæ in pedes consistere solitus fuit. S. Bonaventura situm Christi in cruce pendentis spinisque coronati imitandum proponit: quòd si officij prolixitas aliquam mitiorem tolerabilioremque permittit, non abeat tamen extra reverentiæ supremæ Majestati debitæ limites, ut Concilium Basilienſe admonet: quæ rigidiùs observanda videntur ab iis, qui privatim horas recitant, cùm eos nec vocis in canendo contentio, nec laboris diuturnitas defatiget. Dixi superiùs Angelum, qui cum Veronica de Binasco horas recitabat, de genibus solitum eas dicere. Stantem, aut genubus flexis qui eas percurrerit, nemo reprehendet: qui sedens, nisi debilitate præpediatur, irreverentis notam non immeritò, apud cordatos, & bene moratos incurret. Ambulatoriam horarij pensi recitationem vetant aliqui ordinum legislatores: permittunt nonnulli, modò locus non sit salutantium occursibus obnoxius, & oculorum animique evagationibus materiam non præbeat.

Cæterùm ubi Ecclesiæ ritus jubet nos flectere lapsum in peccatum, ubi surgere & stare, ab illo excitationem, & quasi resurrectionem significari Justinus martyr existimavit: tanta latent etiam in externis illis ritibus mysteria. *Quæst. 115*

2. Interruptio.

Alter nævus evitandus est interruptio, quam sine caussa oderunt viri sancti, & graviter in aliis reprehenderũt. S. Ludgerus Monasterienſis Episcopus, cùm à tribus nuntiis ab Imperatore Carolo ad palatium evocatus esset, quòd tum officio divino legendo occuparetur, donec finem imponeret, ire distulit. Hinc severo vultu tanquã mandati Regij contẽptor ab Imperatore exceptus cùm rogaretur, cur non citiùs comparuisset; magnâ libertate respondit, se cum supremo Im-

peratore occupatum ejus jussis, primas partes detulisse ejusque cultum terreni Imperatoris voluntati prætulisse, atq; hoc ipsum ut ageret, cùm in Episcopum inauguraretur, à sua Majestate sibi commendatum fuisse. Placuit libera responsio pio Imperatori, & apud illum gratiam & benevolentiam auxit. Idem S. Ludgerus cùm vesperi ad hospitium divertens, Horas ibi cum Ministris suis recitaret, & ex illis unus ignē nimio fumo molestum componeret, & insufflaret, tum quidem tacuit; sed manè insequenti hominem graviter corripuit, pœnamq; imposuit, quòd ob levē molestiā, Officij recitationē interrupisset.

Hom. 24. de Bapt.

S. Joannes Chrysostomus verbis gravioribus hujusmodi desultorios homines, qui variis rationibus, velut mantello hanc levitatem obtegere conantur, interpellat: *Quid*, inquit, *te urget? negotiorum nimirum avocat te necessitas? An verò tu illâ tibi horâ ulla negotia esse arbitraris? an tu omnino in terris te esse meministi? an te cum hominibus versari censes? Quis hoc non saxeæ mentis esse dicat, illo te tempore in terris esse arbitrari, non cum Angelis choros ducere, cum quibus mysticū illum hymnum, & triumphale canticū cecinisti?* quantùm scilicet cælū terræ præstat, & cælestis occupatio terrenis negotiis antecollit, tanto plus ponderis, attētionis, & reverentiæ ac continuationis penso horario Psalmorum supra cætera negotia est deferendum.

Theodor. l. 21. sacr. Hist.

Ð. Jacobus Anachoreta ob sanctimoniæ famam celebris adeoque consilij gratiâ, & ad vitæ in melius instituendæ capienda documenta à pluribus frequentatus, nemini unquam respondere voluit dum orationis statuta tempora decurreret, & de hujus silentij caussa interrogatus, respondit: Quemadmodum dedeceret famulum, dum hero mensæ accumbenti deservit, ad fabulas cùm alterius famulo divertere: & si aliquis apud Judicem caussam magni momenti pertractans, cum amico fortè superveniente, Judice & prosecutione caussæ dimissis, misceret colloquia, meritò Judicis iram incurreret, secundamque audientiam obtineret difficillimè: ita illi rem Deo exosam facere censendi sunt, qui in supremæ Majestatis conspectum familiaremque tractationem admissi cum ejus despicientiâ ad nescio quæ cum rebus creatis diverticula viliſſimè dilabuntur.

Unus aliquis è sancti Benedicti familia longioris Psalmodiæ tædia non ferens, interrupto cantu abibat è choro; corripuit illum aliquoties sanctus Fundator, sed emendationis fructus vix ad duos dies constabat: nec mirum: videre enim tam S. Benedictus, quàm Mau-

Maurus ejus discipulus dæmonem laciniâ vestis apprehensâ miserum hominem è choro protrahentem, qui baculo à S. Patriarcha percussus insidiari homini desiit. An non res pudenda, ita per ludibrium à dæmone ad similes interruptiones nescio cujus boni fallaci prætextu compelli, cùm nulla inde, offenso propter hujusmodi levitatem numine, spes melioris frugis aut eventus affulgere possit?

3. Præcipitatio.

Tertius defectus est, quædam aut cantus, aut recitationis præcipitatio, atque præsertim in choro inter canentes discordia atque perturbatio, quam ab humani generis hoste cudi Deus, teste Cæsario, inter alumnos S. Bernardi non semel ostendit, cùm à Religioso magnæ sanctimoniæ ex perturbatoris pectore ardens titio erumpere & ad socium complicem inflammandum prosilire visus est. Hinc S. Fulgentius distinctam & suavi cantu temperatam Psalmodiam commendabat; & venerabilis Abbas Blosius, vel in pronuntianda syllaba, vel alicujus notulæ tono observando, vel inclinatione capitis cum reverentia facienda diligentiam, attentionemque à suis exigebat: nec mirum, cùm ab Angelis tempore Psalmodiæ præsentibus horum omnium exactam haberi rationem, & in codices referri minutatim S. Bernardus viderit. Nec dubito ipsos etiam defectus à dæmonibus accuratè observari, & in membranis singulos describi, cùm aliquando nihil horum à se negligi S. Macario interroganti, contestati sint.

Cæsarius supra.

4. Somnolentia.

Somnolentiam verò, & oscitantiam isto tempore ab eodem fonte promanare quis dubitet? cùm socordi monacho oculos digitis suaviter admotis in soporem claudi à dæmone observarit Macarius, & aliquando animalium, ut felis, serpentis, porci figuras ementitus perreptare per Monachorum subsellia, & in aliquorum etiam desilire humeros, & paulatim velut eblandienti murmure, & contactu somnum conciliare sit deprehensus? Quàm verò hoc Christo ejusque Matri sanctissimæ displiceat, uterque miris declaravit argumentis: hæc in primis alumnum suum etsi infirmum severè corripuit; Christus verò, ei, qui victus succubuerat, dorsum obvertit; alium verò, cui jam inertis somnolentiæ vitium inoleverat, impactâ alapâ castigavit: muneraturus liberaliter hominem, si contra tam putidam væcordiam fortiùs, & constantiùs decertasset.

5. Fabulatio.

Verùm si somnolentia Sancti Officii tempore supremum Numen ad iram ita provocat, quid de spontaneis, & dedecorosis,

Deoque, & ejus Ministro indignissimis fabulationibus pronuntiabimus? An non hujusmodi linguas, aureseque talis contemptus instrumenta, dæmunculis obsessas, ab illis ad libitū agitari; commoverique censebimus? Scilicet hoc est implere illud Propheticū, *Servite Domino in timore & exultate ei cum tremore*: ubi est Christus flagella contorquens & hujusmodi non negotiatores, sed fabulones cum iracundiâ abigens? Tunè quod in conspectu tui Principis non auderes, coram supremo numine Angelorū reverenter astantium exercitu stipato impudētissimè attentare audes? O si sanctos Patres in similia congerronum capita fulminantes audires, fortè alia cogitares, & impudentiæ frænū imponeres! *Custodi pedē tuum, ingrediens domum Dei*, dicebat Ecclesiasticus; ego verò potiori jure dicerem tibi: Custodi linguam tuam. Non vult salutari amicum in templo, quem à longo tempore non videris, S. Chrysostomus, quia salutationum verborumque ad ista officia spectantium locus ibi non est; sed *Angelorum*, inquit, *atq; Archangelorum, regnum Dei, cælum ipsum*. Impudentiores nos canibus esse ait, si ut comœdiam audiamus, linguas continemus, & silentium observamus, & oppositum facimus, cùm Deus nobiscum agere vult. Eum qui in templo fabulari nō veretur, magnam pro se, aliisque redditurum esse apud Deum rationem existimat S. Augustinus: & verò si pro verbo, quod in loco alicubi profano effutiimus, in illo strictissimo tribunali exigetur ratio, quid fiet de confabulatione in templo in ipso Dei conspectu cum aliorum offensione impudenter usurpatâ?

Hom. 14. in Ep. ad Cor.

6. Evagans oculorum

Beata Veronica de Bilasco Sacrificij incruenti tempore in Sancti monialem sibi vicinam curiosè oculos conjecerat; paullò pòst, cùm preces fundens in raptum mentis abiisset, ab Angelo familiari verbis tam acribus castigata fuit, ut diceret, se ex dolore in ipso vestigio morituram fuisse, si raptus non impedivisset. O Deus, inquit, quàm horrendum est in tam amarulentam, severamque unius Angeli reprehensionem incidere, oculos ejus tum intueri, vocem intelligere! Ab excessu mentis ad se deinde reversa, sibique reddita, tres integros dies flevit amarissimè; sibi prætereà à Christo gravem pœnam dicebat injunctam, quam prodere noluit. Si unicus aspectus levisque oculorum aberratio tam severè ab Angelo, Angelorumque Domino reprehēsa ac mulctata fuit; quid, quæso, expectare debet à cælesti Judice longa, & Deo hominibusque eam observantibus, perquàm odiosa confabulatio? Ne dicas, officio-

officiosam, aut propemodum necessariam fuisse, & ob brevitatem excusabilem. An tu, dum officiis divinis assistis, aliorum officiorum debitorē te existimas? An tuum ad fabulas pruritum necessitatis pallio coram Deo omnia contuenti obvelare audes? Brevis solet esse necessitas, si contingat illum aliquando urgere nec longiorem illam confabulationē exigere potest, nec tegere. Si mihi credis, à similibus abstinebis imposterum, & tibi præteritorum temporum culpas à Deo ignosci postulabis. *Nolo*, inquit S. Augustinus, *tecum computare præterita; ab hodierno die te muta, craste alterum inveniat.*

CAPUT XV.

Quomodo Amor Sanctus dirigat examen conscientiæ.

1. Ignoratio sui ex amore proprio. De grad. humilitatis

DUo Amores nostrorum defectuum cognitionem nobis eripiunt; amor scilicet sui, & amor rerum fugientium. Primus ille, secundùm S. Bernardum, *ita mentis oculum obscurat, veritatem obumbrat, ita ut, si tuam occupaverit mentem, jam te qualis es sentire non possis, sed qualem te ames, talem te putes esse; amor enim veritatis judicium nescit.* Amor mundi, & rerum caducarum easdem tenebras offundit, quia animam longiùs à Deo, qui lumen est, abducit. Augustinum audiamus aliquando ante conversionem suam id expertum: *Anima*, inquit, *amando mundum oblita est se & quodammodo perdidit se, nec facta sua novit, justificat iniquitates suas.* Adferat ergo oportet facem suam Amor sanctus, quâ tenebras discutiat, ostendatque qualis sit, & quantis sordibus interiora scateant, ut horrorem odiumque sui concipiat, & ad sanguinem Christi, quo lavetur, convolet, fiatque in illa quod idem S. Augustinus declarat. *Ostenditur*, inquit, *sibi, & displicet sibi; confitetur fœditatem, desiderat pulchritudinem, & qua ibat effusa, redit confusa.* Nec persistit in hac confusione, sed ad tollendam confusionis materiam inardescit: amori enim proprium est, omne quod amato displicet, odio prosequi, & confestim viribus collectis in id incumbere, ut longiùs ab aspectu Amati citò removeatur, & nunquam amplius in ejus oculis incurrat. quò amor major est, eò vehemētius odium exsurgit: amorisque quantitatem sequitur semper aversionis magnitudo. Hortulanum vide, qui hortuli sui pulchritudinem affectat, tribulum unicum aut herbulam unicam inutilem ferre non potest; manè sub ipsum solis ortum,

Hom. 34.

tum, ipse hortum ingreditur, areolas attentis oculis examinat, quidquid superfluum, aut noxiũ evellit; si talpæ foramen offendit, continuò ad illum investigandum necandumque omne studium & operam confert. Pater qui filium ejusque in literis profectum ardenter diligit, impedimentis omnibus viam præcludere, & si quæ præter mentem irrepserint, ea confestim amovere nititur. Virgo aliqua vestium elegantiæ, ornatuique corporis plurimùm dedita, si pretiosiorem togam, & quam plurimi æstimat, alicujus negligentiâ commaculatam reperiat, in auctorem ipsum querelis invehitur, & quamuis charum, è conspectu suo ablegat. Idem agit Amor divinus, tam ille quo Deus munditiem amat, quàm alter ab illo velut fonte in hominis animum diffusus.

2. Amor divinus peccatũ persequitur.

Amor ille divinus sicut termino caret, & nullis limitibus coërcetur, ita peccatum, ut rem sibi ingratam, infestamque odio prosequitur infinito. Omnia dæmonum contra homines odia, omnes hominum alienationes aversionesque, quas unquam contra malum aliquod concepêre, si in unum conflentur, etsi cum odio, quo Deus contra minimum peccatum fertur, componantur, umbra sunt, & arenula, cum oceani vastitate comparata: persequitur illud severissimè ubicumque est, & si in filio suo amantissimo illud reperiret, pœnas de illo pro delicti gravitate repeteret.

Amor sanctus, qui in hominem velut amoris illius æterni scintillula delabitur, pro sui mensura, limitato odio in peccatum effervescit, tantumque cujuslibet culpæ horrorem ingenerat, ut homo illo accensus, omnia inferorum supplicia experiri malit quàm minimi peccati maculâ coinquinari, atque in hoc puncto ad Dei similitudinem accedit quàm proximè. *Odium peccatorum*, inquit Augustinus, *nos incipit facere similes Deo, quia hoc odimus, quod odit Deus.*

3. Quibus modis,

Primò Amor hic animam ad diligentem omnis peccati fugam impellit. Secundò, si incuriâ aliquâ, aut infirmitate, inconstantiaque prolabitur, ad lacrymas, emendationemque continuò excitat. Tertiò, quia cæcutire animam in pluribus novit, ad lucem de cælo flagitandam urget, instatque frequentissimè. Quartò, in pœnitentiæ sanguinisq; Christi balneo ut diligenter & operosè se abluat, exstimulat. Quintò, ut de minimis culpis severissimum judicium ferat, pœnasque reposcat, facit.

4. Sui custodiam cõmendando.

Primò igitur quemadmodum delicata virgo, quæ viâ spinis aspersâ aut lapillis obsitâ incedere cogitur, sedulò observat, ubi pedem

dem figat, & dum fortè aliquid pungens offendit, exclamat, & dolet: & qui lutulento itinere novis calceis pretiosisq; tibialibus ingreditur, ne buto se aspergat, & commaculet, attentis oculis, & subsaltibus crebris invigilat. Ita animus Deo placendi cupiditate inflammatus, loca, occasiones, occursus, familiaritatesq; omnes devitat, quibus vel minimam peccati auram, fumumvè insufflandum suspicatur; mavultque hominum linguis, dictisque vapulare, quàm modica peccati labe infici, Deique amantissimos oculos offendere.

5. Exemplo Sanctorũ. B. Aloysius Gonzaga inchoatam narrationem ob levioris culpæ umbram interrumpebat, nec quantumcumque rogatus sermonem prosequebatur. P. Balthazar Alvarez in publico hominum fœminarumque consessu super imaginem B. V. extractam ex breviario oculos toto tempore defixit, ne aberrantes, conjectu temerario maculam aliquam contraherent.

S. Wulstanus alicujus edulij cupiditate sacrificij tempore tentatus, ne vel ipsa tentatio, si diutiùs insisteret, aliquid labeculæ aspergeret, votum de totâ vitâ ab isto edulio abstinendo, è vestigio emisit.

6. Mariæ Ogniacensis. B. Maria Ogniacensis, ne Deum verbo offenderet, per sex & amplius menses sibi arctissimum silentium indixit, à festo die Exaltationis sanctæ Crucis ad diem Paschatis; quod ita Deo fuit acceptum, ut immunitatem à flammis post hanc vitam purgantibus, & rectà ad cælum ascensum illi promitteret.

S. Felix Nolanus versibus à S. Paulino celebratus ita oculos cõtinuit, ut viduam, à qua in latibulum, in quod ob persecutionem se receperat, cibi deferebantur, nunquam aspexerit, & persecutione finitâ, cùm omnibus bona fisco addicta restituerentur, ipse id beneficij admittere noluerit, ne fortè dum quod Christi caussâ perdiderat, iterum recipit, vel minimam inde maculam contraheret. S. Felicis.

7. Oringæ. B. Oringa virgo Christiana Lucensis in Italia, ancillula, oculos terræ defixos ita per annos constanter tenuit; ut lapidem ad domus januam apponeret, ut illam ab aliis internosceret, nec in eum finem oculos levare cogeretur, non ignara ab oculis facile lutum peccati in animam invehi. Fortè ridebit hæc omnia prudentia sæculi, & tetrica, scrupulosa, & ab humore melancholico profecta existimabit: sed fallitur: Amoris sancti effectus hi sunt; qui vel minimum nævum Numini exosum majori studio contentioneque fugit, quàm rerum ca-

ducarum sectatores, amantissimæ rei jacturam; omnesq; curas, ac solicitudines, quas in similibus malis propulsandis adhibent, hîc in unica levissimi delicti vitanda macula melius, laudabiliusque impendi existimat: quod & nos ipsi post hanc vitam lucis increatæ nobilioribus radiis aspersi (utinam non seriùs!) justum esse censebimus.

8. Amor culpas expiari suadet.

Jam tertium punctum, quod in culpâ, si quæ ex infirmitate, aut incuria, aut præcipitatione incurratur, per lachrymas expianda consistit propiùs inspiciamus. Nolo hîc S. Veronicæ triduanos gemitus, & quatriduanos B. Alphonsi ploratus pro exigua curiositate, & unico eoque transeunte oculorum conjectu in medium adferre: nolo S. Augustini, quod ex muscæ cum aranea conflictu, & ex suaviori musices harmonia, humanisque laudibus, aliquem, eumque modicum voluptatis sensum captasset, continua per aliquot dies lamenta prosequi: unicum S. Catharinæ adhuc juvenculæ mœrorem attingam: illa importunis à sorore grandiore solicitationibus incitata, aliquod temporis studiique in colenda forma, ornatuque corporis puellarum more collocarat, non ut in sui amorem juvenum animos pelliceret, sed tum ut id sororis precibus daret, tum Sodalium moribus & juvenili ad similia propensioni se accomodaret: quam levitatem deinde adeò deflevit, ut spectatoribus sui commiserationem excitaret: & confessarium lenire dolorem, & lachrymas culpâ extenuando compescere conantem ferre non posset, seq; inferorum supplicia commeritam esse diceret. Miraberis fortassis, & hunc doloris excessum condemnabis, tu in Dei amore frigidissime homuncio; qui amoris ignem hujusmodi corda depascentem, & copiosas lachrymas ex eorum oculis suavissimè distillantem non attendis. Vellent hujusmodi amantes omnium lachrymarum copiam, quas mortales à mundi incunabulis huc usque in suorum funeribus, bonorumque jacturis fudêre, in promptu habere, quò melius quotidianas culpas deflerent, & quotidianâ lamentatione Numen offensum placarent: hinc illa est celebrata S. Augustini lib. de Pœnitentia sententia: *Qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, & in omni vita sua plorant omnem vitam suam.*

9. Etiam cum dolore natas.

P. Scambatus in aureo illo de Passione libello prudenter advertit, in hac culparum sincera lachrymisque conjuncta detestatione præcipuos amoris actus in hoc vitæ decursu consistere: dolere enim te amato displicuisse, &

& tuâ culpâ apud illum aliquid deperdidisse gratiæ nobilis effectus amoris est: quod ut melius cognoscatur, scire oportet, inter hujus vitæ tenebras nos non tam semitis rectis, quàm indirectis ad Deum tendere; ut enim ad Dei notitiam faciliùs per negationes, quàm affirmationes perreptamus: ita cùm amare, sit secundùm Philosophum amico bonum velle, atque hoc duobus modis fieri possit, optando scilicet, procurandoque aut bonorum, quæ jam possidet, paratam fruitionem aut novorum accessionem, vel cavendo ne de bonis, quibus fruitur, aliquid decedat, aut imminuatur: hoc posteriori modo amori divino velificamur, dum vel minimâ culpâ honorem ejus violatum lamentamur, & nosipsos, si id negligentiâ acciderit, accusamus, condemnamusque, & lachrymis delictum persequimur, nobis insuper ignosci deprecamur, atque ad omnem satisfactionem nos offerimus. Cavendum nihilominùs est ne dolor mentem absorbeat, audienduque, est Sapiens, & quod de nimiis lachrymis in luctu mortuorum monet, in nimio de peccatis planctu fletuque servandum: *Ne dederis tristitiæ cor tuum*; scilicet plus æquo, & prudentiæ limites transiliendo; quia hoc sine fructu facies, *& teipsum pessimabis*. Hominem te memento fragilem & caducum, & qui per lubricum, viamque ad lapsum proclivem ingreditur: & si Christus Apostolos divinos illos homines, ut notat S. Augustinus, voluit in oratione Dominica lapsuum suorum quotidie veniam petere, & id quidem magno animi sensu & dolore, sed tranquillo & pacifico, quique illam pacem non eliminet, quam illis ipse donaverat, dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, meritò hanc etiam in lachrymis, quas pro peccatis nostris effundimus, hanc moderationem tenere nos oportet: ut simus ex illis, quos laudat Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gaudentes*, ut meliori jure de nostris lachrymis dici censeamus, quod de profanis cecinit quidam: *Est quædam flere voluptas.*

10. Caveat tamen ne animum absorbeat.

Tertiò, Amor sanctus, qui cæcitatem nostram intimè perspectam habet, nos ad lumen pro defectibus nostris agnoscendi à Deo continuò postulandum impellit: *Minus enim*, ait Augustinus, *novimus quid ei placeat, quia minus notus est nobis.* Unus è Senioribus eremi Patribus, de altero cum fundamento, ut putabat, sententiam tulerat; sed graviter correptus ab Angelo didicit, quàm fallacia sint hominum judicia, & totâ deinceps vitâ, quando errati sui, & castigationis Angelicæ recurrebat memoria, à lachrymis

11. Pro culpis agnoscendis docet petere lumen à Deo. *De spiritu & littera c.26.*

temperare non potuit. B. Joannes Alexandrinus Patriarcha, omnes se justitiæ numeros implesse arbitrabatur, dum Monachum vagabundam & amicam juvenculam secum deducentem virgis cædi jussit; sed noctu per visum idem Monachus se illi laceratum plagisq; deformatum ostendens, illum levitatis & injustitiæ redarguit, quòd re indiscussâ, hominem innocentem, qui ut sororem intra claustri septa volentem recluderet, comitem trahebat, tam atrociter excipi, mulctariq; jussisset: scilicet, ut ait S. Augustinus, *Plena est humana historia documentis talibus.* Hinc Job homo secundùm cor Dei: *Verebar*, inquit, *omnia opera mea.* & cur quæso? *Quia*, inquit S. Gregorius, *sæpè bona nostra latrocinanti fraude depereunt, quia rectis se nostris actibus concupiscentia terrena subjungunt; & quia culpæ subreptio vel in ipso virtutis actu vix vincitur.* Monet propterea S. Hieronymus, ut unusquisque conveniat cor suum, & ex se ipso cognoscat, quàm rarum ac difficile sit, fidelem animam inveniri: hîc enim motum præcipitem iracundiæ pro zelo accipit, quam, ubi perturbatio serenavit, intemperantiam bilis fuisse deprehendit: pertinaciam pro constantia, pusillanimitatem pro humilitate, veráque animi abjectione; periculosam cum altero consensionem pro charitate, aut urbanitate: prodigalitatem pro liberalitate reputat, & defectu luminis à Deo emendicati & obtenti virtutis larvâ obtectum vitium virtutibus accenset.

12. Ne injustè damnes.

Ibid.

Dialogo adversum Luciferianos.

Habet ergo Amor sanctus præter has, quas dixi, urgendi examinis luciſque postulandæ rationes, alias quamplurimas: ponit in primis ante oculos loca Scripturæ, quæ S. Augustinus allegat: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Et, *Non est justus in terra, qui facit bonum, & non peccabit.*

13. Proponit loca Scripturæ ad culpas agnoscendas.

Deinde ex S. Bernardo, cor nostrum habere angulos ostendit; ubi verò anguli, ibi sordes delitescere, quæ luce ad inquisitionem opus habent: nec vult quemquam sibi persuadere, unam aut alteram inquisitionem sufficere, sed repetitis opus esse: *Scrutemur*, inquit, *vias nostras & studia nostra, & in eo se judicet quisque profecisse, non cùm non invenerit, quod reprehendat: sed cùm quod invenerit, reprehendet: tunc non te fallit inquisitio tua, si rursus opus esse scrutinio advertisti.* Hinc patet quàm longè ab hoc documento exorbitarit Religiosus ille Mariæ Ogniacensis precibus in viam redactus: volebat ille eò pertingere, ut nullum prorsus veniale delictum, ne quidem per subreptionem

In cant. s.

14. Impeccabilitatem affectantis illusio.

nem incuriámve admitteret; sed cùm id assequi non posset, obnubilatus tristitiâ eò miser prolapsus est, ut de salute sua actum crederet, nec proinde ad sacram synaxim accedere, nec Prælati sui monitis vellet acquiescere; donec, B. Mariâ Ogniacensi pro eo supplicante, cùm à Sacerdote Sacris operante diceretur, *Confiteor*, nigros capillos ore vomere visus est, Deo exteriori illo indicio liberationem à periculosa tentatione commonstrante. quod clariùs deinde patuit, dum in eodem Sacro ad Eucharistiam sumendam accessit, magnam inde voluptatem animique serenitatem adeptus. Longè aliter sanctissimæ fœminæ Mariæ ab Incarnatione accidisse produnt memoriæ, quæ cùm interioris sui, ac imperfectionum notitiam instantissimè à Deo postulasset, ubi illam accepit, pudore & horrore simul perculsa; *Aufer à me, ô Domine, hanc nolitiam*, exclamavit, *alioquin dolori, mœroriq; inde mananti, diutius ferendo imparem me necesse est emori.*

15. Circa culpas ex fragilitate lapsus tria observa.

Tria nihilominus dum in culpam hujusmodi ex fragilitate lapsus es, à te observari velim. Primò, ut continuò de culpa ob offensum tam amabilem Deum ex corde doleas, nec propterea perturberis aut animo concidas; sed indueas in animum hunc lapsum à Deo permissum, ut ad ipsum pro lotione recurrens evadas purior, & ipsi gratior, ut ipsemet S. Gertrudem docuit hac similitudine; ut enim qui aliquam in manu maculam contraxit, totam continuò manum abluit eamque mundiorem accipit; ita hîc fit. 2. Post peccati tui ob Deum offensum detestationem, acceptes de manu ejus, culpæ tuæ comitem humiliationem, illamque boni consule tanquam occultæ tuæ superbiæ medicamentum. Tertiò, novos animos cum Deo resume, ejusque fretus gratiâ, meliora tibi in posterum promitte, & continuò in ipsa actione, quam tum aggrederis, perfectè implenda, omnes animi vires impende, ut hoc modo, honorem Deo, quem tuâ culpâ imminuisti, copiosè restituas, atque hac ratione ex veneno peccati, præstans antidotum conficias.

****
*****
***
*

CAPUT XVI.

Quomodo Amor sanctus confessionem peccatorum, & de illis contritionem, ac emendationis propositum dirigat.

§. I.

De Confessione.

1. Amor docet peccata sæpè confiteri.

PUellarum ea est indoles, ut munditiem, & formæ gratiam affectent, & si quid speculo judice contrà deprehendant, continuò diligenter abstergant. Ad eundem modum amans Deum anima, ubi aliquid in se, quod oculos divinæ Majestatis offendat, per examen advertit, ad balneum pœnitentiæ, & si opportunitas detur, ad confessionis lavacrum festinanter accurrit, ubi sanguine Christi abluta, oculis ejus gratiosior appareat. S. P. N. Ignatius, quod ad consilium de alterius correctione tres evocasset cùm duo sufficere potuissent, hanc delicti manifestationem pluribus quàm res exigeret, culpâ non vacare arbitratus, è vestigio pœnitentiæ Sacramento eam abluere conatus est. S. Catharinam S. Brigittæ filiam virginem simul & viduam, diebus singulis semel, aut etiam pluries hoc Sacramentum usurpare legimus, ita minimum etiam nævum, qui sponsi oculos offenderet, ferre non poterat. Idem actitabat B. Franciscus Borgia, idem complures alij: quo in genere mirabilis fuit B. Joannis de Sahagura solicitudo, qui eo momento, quo levem culpam contraxerat, si in claustro Religiosum aliquem obvium haberet, ad ejus pedes abjiciebat se, & pectus fundens veniam, absolutionemque delicti postulabat. Laudat B. Jordanis de Saxonia Augustinianorum Generalis in sua historia Henricum de Urimaria virum sanctitate & doctrinâ conspicuũ, qui quotidie antequam Sacris operaretur, confessione animum eluebat, quod, ut ait, nosset, non tantùm maculas hoc lavacro detergi; sed virtutum etiam robur accrescere, & contra iteratos in eadem peccata lapsus gratiam in tempore subministrari.

2. Etiam levia.

Addebat etiam virtutum studium professis, & in suas actiones invigilantibus quotidianæ confessionis non deesse materiam vel eam legendo Officio subrepsit aliqua mentis evagatio, & in ea cohibenda minor quàm par sit diligentia, cõsentio, vel nonnulla per oscitantium temporis jactura, vel cogitationum quarumdam vanitas & inanitas, verbum aliquod

quod otiosum, judicium aut suspicio temerè admissa, nimium hominibus placendi studium, displicendi metus, in cibum potúmve nimia effusio, & similia, quæ omnia à viris integritatem morum, vitæque innocentiam sectantibus, quamdiu in hoc corpore corruptibili detinentur, ægrè vitari simul posse vir ille sanctissimus suique instituti lumen B. Jordanis existimabat. Atque hæc etsi verissima esse videantur, & ab ipsa experientia testimoniũ accipiunt, meritò tamen in dubium vocari potest, an promiscuè suadenda sit Sacrum facturis, aut ad sacrum mensam accessuris quotidiana apud Sacerdotem sui in confessione auriculari accusatio.

3. Non tamẽ semper sacramentali confessione.

In Ecclesiæ incunabulis, cùm omnes qui sacrificio Missæ intererant, ad sacram synaxim accederent, nemo sibi persuadebit omnes antè ad pedes Sacerdotum confitendi gratiâ accidisse, præsertim in tanta Presbyterorum istis temporibus raritate.

S. Augustinus, cùm de leviorum defectuum remissione agit ad populum, non illum ad Sacerdotum remittit subsellia, sed ad sextam orationis Dominicæ petitionem, quâ nobis debita remitti, sicut aliis dimittimus, à salutis nostræ auctore postulamus: nec desunt graves Theologi, qui aquæ benedictæ, & *Confiteor*, & eleëmosynæ eandem vim à Deo concessam existiment, si cum pœnitudine & detestatione peccati ex amore Dei, aut saltem motivo supernaturali conjungantur.

S. Bernardum virum sanctissimum si audimus, & imitatione dignum arbitramur, non ille quotidianorũ lapsuum maculas quotidianâ confessione ad Sacerdotis pedes prostratus abluebat; sed ubi de suis defectibus apud suos conquestus est, modum quo illis medebatur, affert, dicens: *Iesu bone, quos fasciculos sarmentorum ex eis, in tuo quotidie Sacrificio usto cordis mei te teste absumit?* *In Cant. 30 in vita c. 42.*

4. Sed in Christi Sanguine.

Novi, inquit B. Henricus Suso, hominem, qui hunc servabat morem, ut si ex humana fragilitate culpam pœnâ dignam admisisset, lotricem sedulam imitaretur, & sicut hæc vestes lineas priùs smigmate lotas, ad mundas deinde adducit aquas, iisq; sordes omnes prorsus eluit, ita ille in sanguine Christi pro subsidio reorum ineffabili amore profusi se abluebat, perinde ut solent parvuli in calidis lavari balneis.

Jam si Joannem Gersonem Parisiensem Cancellariũ in utriusque Theologiæ placitis discutiendis diu diligenterque versatum consulendum super confessionis frequentiâ censemus, nobis ille respondebit: primò eum, qui crebrò

P. 2. de cogn. venial. & mortal. 5. Nisi tamē fructum advertas.

brò confiteatur velut ex consuetudine, adeoque exiguo cum fructu, operæ pretium facturum, si aliquo tempore consuetudinem illam abrumpat, & confessionem omittat; sin verò ex illa frequentia fructum se capere deprehendit, in instituto perseveret. Secundò, neminem de sua in examinandis defectibus iisque confitendis diligentia præsumere oportere, ut omnes prorsus abrasos, ablutos, deletosque arbitretur: cùm ad id anxiè eniti, sit sine fructu se cruciare, cùm interdum nonnulli defectus etiam inter confitendum admittantur, ac propterea ad similes pulviseulos abstergendos Deum nobis alia reliquisse subsidia, ut orationem Dominicam, pectoris tunsiones, & alia.

In nonnullis Ordinum Religiosorum institutis hebdomanæ dumtaxat confessiones præscribuntur, in aliis binæ per hebdomadam, in plerisque arbitrariæ.

6. Confes. siones quales esse oporteat.

Unum hîc Amoris sancti clientes moneo, ut confessiones breves, accuratas, dilucidas, alienis narratiunculis expertes instituāt, nec tam sibi facere satis, quàm Deo, Judici supremo, & defectuū censori veniæque largitori studeant: non se examinando discrucient, nec accusando molestis anxietatibus implicent, non verborum multiplicatione & confessario, & adstantibus molestiam creent, atque in similibus novos defectus, aliis fortè graviores admittant, qui novâ accusatione, & detestatione egeant. Beatam Angelam de Foligny imitentur, quæ clarâ defectuum confessione, brevique & continuis permista lachrymis confessarios suos dulci pietatis & compunctionis sensu perfundebat: imitentur & aliquos è Societatis nostræ Religiosis, qui brevem defectuum seriem, sed multarum lachrymarum pertexebant: priùs cum beata Veronica Bisnacensi à Christo pro cognoscendis delictis lumen, atque subsidium postulent, quæ ab illo de eorum numero circumstantiisque & modo ea declarandi instruebatur.

7. Cum pudore.

Accede quisquis es cum pudore verecundiaq; quæ reum decet, ad tribunal, in quo Christus præsidet, & non tam homini, quàm ipsi te supplicem, & pudore horroreque perfusum siste, qui secundùm Augustinum non est aliud, quàm *perturbatio quadam* (non turbulenta, sed pacifica) *animi respicientis peccata sua, respectione perhorrescentis, horrore erubescentis, erubescentiâ corrigentis.*

8. Verbis ad hoc quæsitis.

Exinde caue ne inter confitendum (quod S. Bonaventura monet) peccatum aliquod verbis ad confusionem minuendam quæsitis decolores; & Deo gloriæ

riæ partem inde adimas; ut enim S. Bernardus ait, *quò minor reputatur culpa, eò minuitur & gloria indultoris*: sed potiùs S. Gregorij Nazianzeni consilium sequere, & peccatum velut serpentem ex antro & tenebris in apertam lucem eductum, ut ejus turpitudo magis intuentium oculis pateat, velut in triumphum circumfer.

In Cant.

Junge pudori dolorem de Deo offenso, quàm potes maximum, quite compellat, ut ait Tertullianus, *ingemiscere, lachrymari, mugire ad Dominum*; & ne hoc ad solos enormium criminum reos pertinere putes, vide quid fecerit B. Rogerius ex Ordine S. Francisci vir sanctissimus, qui ita oculos continebat, ut nullam fœminam, sed ne matrem quidem aspiceret; ita linguam, ut ne verbum quidem otiosum proferret; ita cogitationes, ut ne minimam quidem aut incontinentiæ, aut vanæ gloriæ admitteret; ita in ciborum esu, potúve appetentiam, ut ad singulos bolos mentem ad Deum elevaret; ita denique modicam peccati venialis labeculam perhorrescebat, ut solet aliis lethale crimen horrori esse: hic tamen vir tantæ integritatis, & innocentiæ, pluries per diem cum gemitu planctuque sacramentali confessione animam expiabat.

De Pœnit.

B. Maria Ogniacensis heroicarum virtutum fœmina, tantis suspiriis, lamentationibusq; dum se in Sacramento pœnitentiæ accusaret, aures & pectus Confessarij implebat, ut commiserationem excitaret. Convenit similibus sanctis Augustini dictum: *Qui habet bonum olfactum animæ, sentit quomodo puteant peccata.*

In Psal.

Jam videamus, quomodo amans Deum anima, ob Deum à se offensum contra seipsam inardescat, & quàm acerbas Amore sancto instigante de se pœnas repetat. Hujusmodi homo, plenus scilicet timore, dolore & pudore, *nihil*, inquit S. Bernardus, *dissimulat; sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa; non sibi parcit, durus judex in semetipsum: utilis quidem exacerbatio, & digna miseratione crudelitas, facilè sibi divinam concilians gratiam, dum pro Deo mens æmulatur contra seipsam.*

Serm. 5. de P.V.

Plenæ sunt similibus exemplis Sanctorum res gestæ, eorum jejunia, flagellationes, cilicia, humicubationes, aliæque quamplurimæ in corpus proprium excogitatæ crudelitates id loquuntur. Non de Guilielmis, Jacobis, aliisque enormium scelerum reis sermo mihi est; sed de illis, qui levem Dei offensam ingentibus pœnis sunt prosecuti. Occurrit mihi ante alios S. Eusebius Syrus Abbas, qui cum Ammiano illo admirabili supra petram considens altero de codice Euan-

9. Pravi satisfactione.

gelij legente, ipse animo distractus in rusticos in subjecto campo terram colentes oculos defixit, deque hac levi culpa ab Ammiano monitus, ita contra se exarsit, ut totos deinde annos quadraginta, nec campum illum, nec cælum ipsum aspexerit, sed catenâ ferreâ incurvatus semper illos tenuerit in terram defixos.

Theodor. l. 9 c 4 Bolland. ad 27. Feb.

S. Fintanum Hibernum aliter Munnum appellatum, cùm de aliquo fastu & nimis acerba defectuum in aliis reprehensione ab Angelo monitus esset, vitium illud culpamque tanto ardore est persecutus, ut lepram à Deo petierit, & impetrarit, quam tantâ patientiâ septem annos sustinuit, ut cùm è vermibus, quibus scatebat, aliquis decideret, illum in locum suum reponeret, ut tantò amplius pro delicti expiatione pateretur. Nihil dico de S. Saba, S. Wistano, & aliis, qui propter non satis coërcitam cibi alicujus appetentiam ejus gustum toto sibi vitæ decursu interdixerunt.

10. Pœnarum metu, quibus olim Deus errantes punivit.

Nolim quidem tantos te contra temetipsum animos sumere, sed vide tamen ne tibi nimium parcas, &, ut ait S. Augustinus, *ne thesaurus tuus in ira inveniatur, & ne quod ponis quotidie per modicum, postea massam inventurus sis: minutatim ponis; sed cumulum invenies.* Vide quàm leves offensas Deus atrociter castigarit. Veniat tibi in mentē lepra sororis Moysis ob inconsideratam murmurationem inflicta; veniant tot Bethsaimitarum millia propter curiosum Arcæ conspectum subitâ morte deleta; veniat Ozæ luctuosa mors ob negligentiam & temeritatem, & Prophetæ ob levem inobedientiam à leone funeratus: Veniant Sapphiræ & Ananiæ ante pedes Apostoli ob mendacium formidabiles exitus, Simeonis Stylitæ ob nimis præcipitem dæmonis in Angelum transformati sermonibus præstitum assensum, grave in femore vulnus inustum; Franciscæ Romanæ ob vana colloquia ab Angelo impactus colaphus, & inde disce, quantum pœnarum ob tantam delictorum tuorum congeriem à Deo expectare debeas, si voluntariâ tui castigatione, ejus vindicem manum non præveneris. Ecce socius S. Vincentij Ferrariensis, quòd Regem Arragonum id instanter postulantem ad cubiculum viri sancti, quem audierat inter orandum luce circumfundi, ipso id ignorante admisisset, septem annis febri ardentissimâ punitur, & tu ob alios longè graviores, & numerosiores lapsus te ab omni justitiæ divinæ animadversione immunem fore existimas? S. Brigittam monet Deus, ut vel minimos defectus pœnâ aliquâ castiget, idque inquit,

quit, quia etsi te amem, nihil tamen impunitum prætermittere possum; id circo punias te, aut puniam ego. Id ipsum valdè mortalium mentibus imprimere conatur S. Augustinus. *Omnis*, inquit, *iniquitas parva, magnáve sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante: prorsus aut punis, aut punit: vis non puniat, puni tu: nam & illud fecisti, quod impunitum esse non possit.* Hanc eandem veritatem tanquam divinæ Justitiæ argumentum præcipuum in sua illa super, *Ecce nos*, declamatione, exaggerat S. Bernard. optans ab unoquoque nostrûm bene apprehendi: *Nullum scilicet bonum apud Deum esse irremuneratum, nec aliquod malum impunitum, & sicut nec capillum de capite, ita nec momentum de tempore periturum.*

In Ps. 58.

II. Exemplo hortulani hortum excolentis.

Ex quo efficitur; hominem Dei amantem non tantum dispicentiâ aliquâ, sed odio plusquam vatiniano contra sua peccata, eorumque punitionem ferri. Vides aliquem hortulanum ægrè quidem pati hortulum suum malè compositum, herbis inutilibus refertum, sepes, areolas, arbores, culturam exigere advertit, & quidem hoc ei displicet; sed manum non admovet: alterum verò, qui verè hortuli sui instaurationem & pulchritudinem amat, continuò in his ordinandis & istis evellendis omni diligentiâ incumbere: in illo est aliquid displicentiæ, in hoc odium. Cùm S. Augustinus, S. Chrysostomus, S. Thomas, & Seneca ad virtutis consecutionem, vitiiq; extirpationem, unum *Velle* requiri dicunt: exigunt Velle, quod imperet, & exequatur; quod animosè aggrediatur, constanter prosequatur, & perseveranter feliciterque finiat. Hortor ego te ad illud Velle generosum in tuis defectibus puniendis, memor Tertulliani pronuntiati: *In quantum non peperceris tibi, Deus tibi parcet*: sed paullò distinctiùs de contritione, & emendatione nobis agendum.

De pœnit.

§. 2.

De Contritione.

I. Contritio est Amoris sancti filia.

COntritio est Amoris sancti soboles; ut enim Amor omne bonum amato vult, ita ab illo omne malum propulsare nititur, & cùm illud accidit, dolet; si id suâ culpâ evenerit, mœrore doloreque conteritur atque conficitur, & remedium adferre, ac restaurare damnum, & cum amico redire in gratiam omni contentione eniratur. Ita fit ut anima per peccatum Dei Majestatem violatam, bonitatem contemptui habitam, sanctitatem turpiter fœdatam bene apprehendit, &

hæc omnia Deo ipso spectante, prohibente, & facti punitionem, inimicitiamque minitante. Quàm viros Principes tam præfracta commoneat audacia, ostendit aliquando Bajazet & Turcarum Imperator. Ille mane cum tribus pueris honorariis ponè sequentibus hortum obambulans, vidit ex arbore, manu suâ consita, tum primum fructum ferente, tria poma pendere; delectarunt illum hæ sui laboris primitiæ, vetuitque ne quis auderet poma illa contingere: & ecce ubi per reliquam horti partem exspatiatus illac redit, videt duo dumtaxat pōma superesse, unumque furtivâ manu decerptum, suspicatusque id ab aliquo trium Epheborum perpetratum, tanto furore exarsit, ut truci vultu illos adorsus, vel solis oculis facinus exprobraret. Cùm omnes factum negarent, uni ex illis, de qua potissimùm erat suspicio, ventrem exscindi jussit, & si pomum in illo repertum non fuisset, eadem pœna ad alios duos promanasset. Pomi istius valor tãtus non erat, ut iram suppliciumq; tam crudele mereri videretur, sed Imperatoriæ Majestatis contemptus, & præcepti in ejus propemodum conspectu violatio, & Regiæ oblectationi à puero anteposita effrænis gulæ satiandæ cupiditas; hæc severâ animadversione vindicanda fuisse nullus est qui non videt.

2. Ex Dei contemptu oritur.

Ita dum Deus injuriam peccato sibi illatam, adeò sentit & persequitur, non est quod bonorum nostrorum egeat: sed quòd amicitiam suam gratiamque mille mundorum gazis pretiosiorem contemni conculcarique videat, & ab homuncione rei vilissimæ postponi; & hoc ipsum est, quod peccatorem ipsum vult persentiscere.

3. Emblema peccatoris.

Demus Regem aliquem optimum, munificentissimum, & amantissimum alicui ex aulicis in dilectionis suæ argumentũ gemmam donasse ingentis pretij, eâ conditione, ut illam diligenter servaret, nec negligentiâ aut incuriâ perderet, multò minùs, vili pretio distraheret; hic nihilominus, vino captus, & Regiæ voluntatis aut oblitus, aut contemptor gemmam illam cum re vilissima commutat, & alieni juris facit: quomodo Regem id ferre existimas, & quo animo aulicum esse, dum ejus impudentiæ plenum facinus ad aures Regis pervenisse intelligit, ejusque se offensionem incurrisse, & jam se ab illo proscriptum, & ab aula ejectum, & suppliciis obnoxium agnoscit, quantus inde dolor, quanta pœnitudo hominem incessit, quid non agit & molitur, ut gemmam recuperet, & cum Rege amicitiam resarciat?

Filius

4. Aliud.

Filius aliquis temulentus dum noctu fuste armatus plateas obambulat, & obvios quosque malè mulctat, fortè Patrem suum foris cænatum, & cum amico domum redeuntem incognitum pessimè excipit, & verberibus onerat, vulneribusque deformem ac semiluxatum ibi relinquit; postridie mane ubi vina decoxit, intelligit, quanto furore in Patrem, à quo amabatur, sit debacchatus: quis tum illi animi sensus? quæ perturbatio? ubi injuriæ magnitudinem, parentis dolorem, suam effrænem impudentiam propiùs aspicit; tum vix sui compos, & seipsum non ferens, Patrem in lectulo ex membrorum contusione jacentem adit, & pudore simul ac dolore oppressus, ad ejus pedes prostratus, verbis, quibus potest, seipsum accusat, culpam exaggerat, & fustem, quâ facinus admisit, Patri repræsentans rogat cum lachrymis, ut cum illo pœnas criminis à se repetat, & tantam injuriam quibus volet modis, ulciscatur; modò veniam donet, & in gratiam recipiat, cætera omnia se flocci facere. En contritionis exemplar.

Faber in tosc.

5. Aliud.

Simile quid, sed funestius eveniſſe memorant Tirolenses annales. Erat Principi cum finitimis bellum, dumque jam collecto exercitu in illos movet, Parens adhuc vegetus comitem se dare vult, & renitente licet filio impetrat: dum fervet prælium, & miscentur arma, filius separatur à Patre, & pulvere, fumo, confundentibus omnia, & amicorum inimicorumque notitiam eripientibus parentem, ignotum, hastâ transverberat, ejusque frustum relinquit in pectore. Finito prælio victor filius Patrem requiri jubet: is inter mortuos jacens reperitur. Quod cùm audisset filius, ad cadaver deduci volvit, cumque illud fixus & immobilis intuetur, & hastæ frustum examinat, Patrem à se peremptum agnoscit, & doloris magnitudine obrigescens, hastæ semifractæ innixus, moritur, quod Oeniponti statuis ex ære fusis expressum etiamnum visitur: amabat scilicet & reverebatur impensissimè parentem suum, unde amori par dolor succedens attonitum deque injuriæ magnitudine pœnitentem oppressit.

In vitis PP.

Ita illa quæ sceleris expiandi gratiâ, à fratre ducebatur ad claustrum in tres latrones in S. Vincentij concione; & parens incestus ad pedes Archiepiscopi confitens ex contritione cordis, ingentique peccatorum pœnitudine diem extremum obierunt.

6. Dolor qualis optandus.

Non sunt quidem ad contritionem, qua de agimus, ista cordis sensibilia vulnera necessaria, quæ in voluntate peccatique propter

Deum tam amabilem offensum solidâ detestatione consistit: quæ sine singultibus & lachrymis, sine cordis sensibili perturbatione in suprema hominis portione exerceri potest. Non omnes, tam profluos lachrymarum imbres, non cordis sensibiles motus habent in promptu: & ubi sicca & arida sunt omnia; si tamen ita commissas culpas detestaris, ut vel tuo sanguine & morte Deo tam bono injuriam illatam obliterari velles, & si possibile foret, quocumque pretio facinus Deo injuriosum & invisum velles infectum; habes, unde de contritione sufficienti tibi gratulari possis.

7. Quales nō necessarias

Non est quod angaris si à te impetrare non possis nobilis istius de peccatis admissis pœnitudinem, qui cùm laqueo vitam finire deberet, mille alias mortes optabat, & cruciatuum varia genera, ac ignominias postulabat. Non est quòd te examines, an tantum animi haberes quantum illa fœmina, quæ cùm apud summum Pontificem se accusasset de incestu cum filio admisso, jussa est in illa nocturna veste, quâ facinus commiserat, in Consistorio Cardinalium coram se comparere; quod cùm feciſſet, absolutionem criminis nullâ aliâ injunctâ pœnitentiâ ab ipso accepit, quod prudenter judicaret Pontifex tantum peccati horrorem detestationemque, quod illo publico dehonestamento monstrabat, ad omnis culpæ pœnæque remissionem satis esse. quod Deus suo calculo comprobavit; cùm enim è Cardinalibus unus tantum Pontificis in tam enormi scelere condonandi facilitatem non probaret, conversus ad illum Pontifex: Aut ego, inquit, male egi, aut tu factum meum injustè reprehendis: si male egi, Deum rogo, ut continuò me puniat; aut si tu factum meum suggillando peccasti, in te etiam ille animadvertat. & confestim à dæmone in omnium conspectu obsessus, tortusque innocentiæ Pontificiæ publicum dedit argumentum, quod corroboratum fuit, dum paullò pòst tam Pontificis quàm Cardinalium precibus à malo hospite est liberatus.

Baronius ad annū 1215.

Ibid. ad annum 1198.

8. Lucrum malè partum.

Quis quæso ab aliquo ausit requirere, quod celebris concionator, Volco nomine, ab usurario exegit? hic ut pertinacem hominis animum ad injusti lucri detestationem induceret, jussit, ut in plurium præsentia arcas, quas auro malè parto compleverat, aperiret: inventæ sunt illæ non auro, sed bufonibus aliisque venenatis animalibus refertæ. Tum Volco ad usurarium conversus: Vides, inquit, mi homo, quantum Deus rapinas odetit, quantum malum ob illas in caput tuum impendeat: si

si hoc malum avertere, & Deum habere propitium velis, suadeo tibi, ut nudus in hac te cistâ concludas, & ad diem crastinum inter venenata illa animalia volucris. Ille fide armatus, depositis vestibus in cistam descendit, eam Volco obserat, & adstantes adesse die sequenti ad spectaculum jubet, mirabilium Dei operum testes futuros. Ubi diluxit, illis præsentibus cista recluditur, inveniuntur in ea ossa hominis supra nivem candida, quæ ab eodem Volcone prosequente clero, & multo populo honorificè ad locum Sacrum delata ibidem sepulta sunt.

Non, inquam, hæc similia ad pertentandum animum tuum tibi cogitatione repræsentes, ut ad illa velut ad amussim, aut lapidem lydium, contritionis tuæ bonitatem examines: superflua sunt ista, & periculosa: ut liquet in Domino de Joinville, qui cum sancto Ludovico in Palæstinam profectus est, & ab illo res ibi gestas descripsit: hic enim ab eodem Sancto rogatus, an non potiùs lepram eligeret, quàm Deum lethali scelere offenderet: respondit se potiùs triginta peccata mortalia commissurum, ut lepram evaderet; de quo graviter à Rege reprehensus, non ideò tamen insaniam suam, & quàm longè abesset à regno Dei, quamque circa prima salutis principia deliraret, miser agnovit.

Invitâ S. Ludovici c. 94.

9. Joinvillij impia optio.

Sed his omissis quæ admirabilitatis plus habent, quàm imitationis, nos Christum exercendæ contritionis modum & exemplar in Episcopo proponentem apud S. Brigittam audiamus. Ille Prælatus, inquit, pro quo Sponsa rogas me, jam ad me reversus est tripliciter. Primò sicut homo nudus; secundò habens in manu gladiũ; tertiò extendens manum & petens veniam: venit nudus, quia se virtutibus, operibusque bonis vacuum agnovit, dixitque secum: Nihil boni habeo, nec aliquid boni sine Deo præstare possum, nec aliquo bono dignus sum; sed si scirem quid ei placitum esset, etiamsi mihi moriendum foret, id exequi conarer. Hæc cogitatio ipsum nudum mihi obtulit, ideoque occurram, illumque vestiam: Secundò severitatem mei judicij horrendi, & inevitabilis vehementer apprehendit, atque illud ut ancipitem gladium intellectu velut manu gestans, & ante me prostratus se suaque omnia, ac præsertim voluntatem suam meo commisit arbitrio, dicens, se velle quidquid ego vellem, faceremq; de se quod mihi collibitum foret: hæc resignatio gladium severitatis meæ abstulit, & ab illo avertit, ejusque loco successit misericordia. Tertiò extendit manum veniam-

Revel. l. 6. c. 22.

10. Contriti hominis emblema:

niamque petiit, ubi se multorum peccatorum conscium agnoscens, ex quibus sine divino auxilio emergere non posset, dixit: Domine Deus, ecce me hominem multorum criminum reum, & condemnatione apud tuum tribunal, punitioneq; dignissimum; de tua tamen bonitate confisus, subsidium spero: nec enim Paulum persecutorem, nec Magdalenam peccatricem despexisti; atque similis misericordiæ obtinendæ spe animatus, ad tuæ clementiæ pedes confugio, ut mecum secundùm solitam tuam pietatem agere digneris: atque hæc humillima misericordiæ veniæque cum spe conjuncta postulatio, fecit ut ejus desiderio annuerem, manumque reconciliationis illi porrigerem, ac in posterum dulcedinis meæ gustum in illo auctu-rus sum: modò tria exequatur. 1. Superbiam & ostentationem omnem amandet & fugiat, humilisque animi demissionem amplectatur. 2. Rerum caducarum amorem temperet, iisque utatur tanquam exactam aliquando rationem redditurus. 3. Ad suos suorumque subditorum mores corrigendos curas cogitationesque sedulò conferat. En facilem exercendæ contritionis methodum, modò illa non linguâ tantùm & verborum sono exerceatur, sed cum Deo, qui spiritus est, interiores animi sensus affectusque in idem consentiant, atque conspirent.

§. 3.

De satisfactione & emendatione.

1. Amoris satisfactionem imperat.

QUi peccatum lethale committit, præter culpam, qua fœdatur, & Dei offensam, quam incurrit, etiam pœnis æternis obligatur, quæ, si contritio doloris & amoris magnitudo illas non deleat, in limitatas finitasque commutantur, hîc aut in futuro sæculo persolvendas.

Amor sanctus, qui suis clientibus maximè prospectum vult, ut in hac vita isti funesto debito quibus possunt modis, faciant satis, variis rationum momentis impellit; ac primò monet, ut pœnas à confessario injunctas sedulò & accuratè, gratanterque accipiant, & si plus quàm vulgus bene sapere velint, magnas expostulent, quia cùm illæ in Sacramento pœnitentiæ susceptæ, & quodammodo Christi Sanguini permistæ, satisfaciendi vim cæteris pœnis sponte ascitis longè majorem sortiantur, quò majores injunguntur, eò ampliorem debitorum partem expungunt. 2. Monet, ut præterea à plurimorum, qui sanctitate in Ecclesia floruerunt, exemplo,

plo, ciliciis, flagellis, inediâ, aliisque modis pœnas à se criminum sponte repetat, certus si debendis nominibus sufficiant, alias à Deo non esse infligendas. 3. Offerat ipse semetipsum Deo ad meritam ex ejus manu castigationem suscipiendam, dicatque cum Vate Regio: *Ecce in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo est semper*: rogetque cum S. Augustino, *hic ure, hic seca, ut in æternum parcas*: sibique gratuletur, dum à Deo exauditus flagellis ejus atteritur, ac brevibus pœnis expiatus, cum illo redit in gratiâ, ac integræ reconciliationis argumenta experitur.

2. Turcicæ superbiæ exemplū.

Mahometam Turcarum Imperatorem, qui Constantinopolim expugnavit, unus è Bassis ad sumptuosum convivium invitavit, & sublatis epulis, fretus Imperatoris in se benevolentiâ, illum rogavit, ut se mancipiorum numero eximeret, & in servorum adlegeret, se in ærarium quinquaginta scutorum millia lubenter hac de caussa illaturum. Ad hanc petitionem ita excanduit Imperator, ut continuò jusserit, se in terram abiiceret, & tum ejus gutturi pedem fortiter imprimens, impudentiam, audaciamque, ac Majestatis Imperatoriæ contemptum, cuius subjectionem quodāmodo dedignaretur, illi exprobravit: miser Bassa crimen agnoscens, seque accusans, ac omnia supplicia promeritum confitens, insuper exclamavit: Gratias tibi habeo, magne Imperator, quòd me sub pedibus habere digneris: Imperatoriis plantis proteri mihi perhonorificum semper ducam. Placavit hac demissione Imperatoris animum, & pœnas capiti imminentes avertit, atque ad majorum beneficiorum honorumque consecutionem gradum fecit.

3. Homo injuriæ impatiens.

Cùm S. Ludovicus cum exercitu in Palæstina ageret, unus ex ejus satellitibus Gollu nomine viro nobili, & equestris Ordinis manum injecit, eumque fortiter impulit. Senescalcus Campaniæ, de cujus familia vir ille nobilis censebatur, Regem adit, de injuria Equiti facta conqueritur, satisfactionem expostulat: Rex factum extenuat, elevatque & dissimulari posse ait; sed cùm alter jus peteret, aut se militiæ renuntiaturum minaretur, si similis injuriæ nulla ratio haberetur; acquievit Rex & ut consuetudo Patriæ ferebat, satisfactionem injunxit, quæ fuit hujusmodi: Satelles solo tectus indusio, nudis pedibus, gladium manu gerens ad Senescalci domum, ubi eques læsus agebat, profectus est, & ibi genu flexo ab illo veniam facti postulavit, & ense illi oblato dixit se illum offerre, ut si ita placeret,

se manus absciſſione mulctaret. Rogavit tum Equitem Seneschalcus culpam condonarer, pœnamque remitteret. quod lubenter præstitit. Deus bone! si Rex sanctus pro delicto temerè commisso tam ignominiosam atrocemque pœnam subiri voluit, quid aget de nobis Deus, qui peccatis nostris tam pudendè Filium ejus in crucem tulimus? sed si fatelles illi pœnam tam acerbam, ut est manus sectio, humili satisfactione tam facilè redemit; quàm remissionem à Deo sperare possumus, si nos ingenti animi submissione culpam agnoscimus, & ad ejus expiationem corpus, fortunasque omnes divinæ justitiæ arbitrio committimus?

4. Cæsaris clementia.

Rursus vir ordinis Senatorij optaverat, ne Cæsar salvus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat, & adjecerat, idem omnes & tauros & vitulos optare: fuerunt, qui illa diligenter audirent. Ut primùm illuxit, servus, qui cænanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cænam ebrius dixisset, hortaturque eum, ut Cæsarem occupet, atque ipse se deferat. Usus consilio, descendenti Cæsari occurrit, & cùm malam mentem habuisse se pridie jurasset, id ut in se, filiosque suos recideret optavit, & Cæsarem, ut ignosceret, rediretque secum in gratiam, rogavit. Cùm dixisset Cæsar, se id facere: Nemo, inquit, credet te rediisse in gratiam, nisi aliquid mihi donaveris. petitque non fastidiendam pecuniæ summam, & impetrat. Ita tecum acturus est Augusto clementior, & munificentior Deus, si culpam humiliter deprecatus, te tuaque omnia in satisfactionem ejus placitis subjeceris; neque enim culpam tantummodo condonabit, sed cum pœnæ etiam remissione non pecuniæ, sed gratiarum virtutumque incrementa largietur.

Sed jam de defectuum, quos confessi sumus, emendatione, quam potissimùm à pœnitente exigit Deus, & seriò procurat, & adjuvat Amor sanctus, aliquid dicamus: res certè pudenda est, toties eam promitti, & nunquam fieri; toties de illa fidem dari, & nunquam liberari.

5. Recidiui peccatoris symbola.

Quis credat hominem verè parentem amare, qui contra ejus monita & minas, ad eundem lapidem semper offendit, & eodem luto inficitur? Quis navarchum seriò Principis sui negotia dicat agere, qui ad eundem semper scopulum navim allidit, & opum, quas maximi æstimat Princeps, socordiâ suâ jacturam facit? Quis illum insanire non censeat, qui venenum aut cibum noxium, quem cum conversione stomachi vomitu ejecit, continuò cum voluptate resumit, & ori ingerit? hæc

hæc tu ne facis, qui tam sæpè & ferè semper de iisdem defectibus te accusas, eodem te luto inquinas, & gratias ac virtutum opes pretiosissimas per incuriam amittis, & peccati virus, quod cum horrore & detestatione ad pedes Sacerdotis effudisti, iterum resorbes?

6. Spectata Dei bonitate nulla excusatio ab infirmitate nostra.

Scio te ad excusationum umbras confugere, & tuos toties recurrentes lapsus triplici mantello, infirmitatis scilicet, consuetudinis, & tentationis obtegere; sed quàm parum momenti apud divinum Numen omnium istorum conscium habeant ista, propiùs mecum intuere. Infirmitatis in primis excusatio frivola est; habes enim cælestem Medicum, *Qui*, ut ait Regius, *sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, & coronat te in misericordia & miserationibus*, qui facit ut renovetur sicut aquilæ juventus tua, ut sicut aquila veteres plumas abjiciendo, novasque assumendo juvenescit, ita tu tepidæ conversationis velut senectutis frigus exuens, novam alacritatem ad pios in Deum volatus induas: tu tantùm ei te sanandum præbe, ejusque præscriptionibus servandis constanter insiste, & gratiâ medicinali te juvante admirabilem in te mutationem experieris. Muliercula vitæ contaminatæ vidit aliquando per visum nocturnum Christum Dominum sanctorum & beatorum Spirituum coronâ cinctum in sublimi solio de hominibus judicia exercentem, & alios quidem cælesti beatitudine donantem, alios verò æternis inferorum suppliciis addicentem: illa multorum sibi scelerum conscia, cùm evadendi modum non videret, metu propemodum exanimis ad Judicis pedes accidit, & misericordiam efflagitat. Quid vis faciam, ait Judex, porrige mihi digitulum tuũ, & ego ambabus manibus tibi auxilio ero. Multam tam emendationem morum pollicita est; sed promissis non steterit; in nequitiis suis mortua est, & cùm linteo involutum ejus cadaver super stramen jaceret, ut ad tumulum efferretur, ecce canes magno numero accurrentes linteum dilacerãt, & super ejus deinde tumulum mira bella conflictusque exercentes, animam apud inferos sepultam fuisse hoc argumento testatos, qui aderant, crediderunt. *Cæsarius l. 11. c. 59.*

7. Et hominis contumacia.

Audi jam Tertullianum hanc ab infirmitate, & fragilitate carnis petitam excusationem testimonio Christi eventilantem: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; *ut intelligas*, inquit Tertullianus, *sic esse in te fortitudinem spiritus, quo modo infirmitatem carnis, vide ut subjicias infirmam forti.* De fuga persecutionis.

8. Nulla à relapsu præterito.

Jam quòd ad excusandos recidivos lapsus, consuetudo peccandi in medium adducatur; pudenda res est, cùm hoc modo ab injuriis frequenter Deo illatis patrocinium quæratur iniquitatis. Fateor corroboratam hujusmodi consuetudinem nauticum funem esse; sed non deest gratiæ securis, qua ille, si conatum adferas, præscindatur; non deest illi cuneus, qui cuneum istum protrudat: cur enim non possit Gratia, quod in milite potuit pecunia?

9. Quandoquidem inolita consuetudo spe lucri vincatur.

In castris Ostendanis versabatur miles, ita juramentis assuetus ut ad singula propemodum verba unum aliquod evomeret: sæpiùs à Patribus nostris, qui juvandis militibus dabant operam, seriò admonitus, respondebat; se ita consuetudine ad illa rapi, ut si inferorũ carceres ante se videret apertos, in quos continuò detrudendus esset, abstinere nihilominus à jurando non posset. Cœpit is gravi inopiâ laborare, & dum à Patre, qui pro militibus eleëmosynas procurabat, stipem rogaret; respondit ille se blasphemo, & perjuro ne teruntium quidem dare velle. Tum alter, dolere se quidem pessimam consuetudinem, sed resistendi facultatem ereptam sibi esse: Pater, ut non tam consuetudinis quàm animi væcordis vitium esse ostenderet, ostendit illi numum aureum, quẽ daturum spondet, si per castra deduci & ab occurrentibus verbis lacessitus à jurando abstinere velit. Acceptat hic conditionem, disponit clam per stationes Pater, qui hominem dicteriis impetant: præcedit ipse partem auream manu tenens, & subinde ostentans, alter sequitur; jaciuntur hinc inde in illum sales, fremit, excandescit, sed ad aspectum aurei numi labia comprimit, linguã mordet, ne in aliquod juramentum aut blasphemiam erumpat & prosiliat: victor tandem numum reportat, monitus à Patre ne amplius diceret se à juramentis abstinere non posse, quandoquidem unius numi cupiditas id ab illo impetrasset. Idem tibi eventurum persuade, si divinæ gratiæ subsidio innixus Deumque in auxilium vocans ad pugnam te accingas: *Dominus solvit compeditos, Dominus erigit elisos*, inquit Regius vates: compeditos pravâ peccandi consuetudine, & elisos à frequenti lapsu, à quibus potentias habent elisas, & debilitatas, inquit S. Bruno: hos omnes gratiæ suæ præsidio Deus in virtutum studio corroborat, & si ipsi non desunt, victores facit. *Psal. 144. & 145.* *Super Psal. mov.*

10. Nulla à dæmone.

Tertium genus hominum, qui in dæmonem tanquam malorum omnium auctorem culpas suas rejiciunt, in ipsis mundi incunabulis à Deo ipso explosum

sium mihi videtur; in prima enim inquisitione in Paradiso ab illo de primi peccati auctore facta cùm Eva in serpentis deceptionem inobedientiam suam refudisset, maledictionem ideò non evasit: neque enim unius culpa alterius non cogentis, sed seducentis & decipientis peccato eluitur. Primò ergò omnes tuos lapsus falsò dæmoni attribuis. Sanctus Thomas hac de re disputans, etsi dæmones non essent, vel ita 1.p.q.114. coërcerentur, ut nos tentare non possent, ait nihilominus naturam nostram à peccato originali corruptam ac in malum propensam, primarium peccatorum nostrorum fontem, & caussam semper futuram: & hanc idcircò magis quam omnium dæmonum multitudinem timendam, ait sanctus Ægidius: & S. Bernardus super illam querelam Regij Vatis, *Impulsus eversus sum, ut caderem*: cùm plures impulsores, atque inter cæteros etiam dæmonem nominasset, *Nullus tamen*, ait, *major impulsor est, quàm quisque sui.*

Demus tamen dæmonem, quibus pollet viribus, nos ad eosdem lapsus impellere; demus id facere tam ardenter, ut leoni rugienti, hoc est famelico, & ad prædam anhelanti comparetur, tam sollicitè, ut circumire dicatur & observare aditum, quo irrumpat; tam perseveranter, ut annos com- 11. Cujus gentata rabies in hominem,

plures in id unum excubet; tam cupidè, ut S. Brigittâ audiente dixerit aliquando, se omnia Martyrum tormenta passurum perlubenter, ut vel unam animulam illaqueet, secumque in æternum supplicium trahat præcipitem. Demus præterea, ubi peccata expiasti, & ex pœnitentiæ lavacro mundior emergis, tum violentiùs te aggredi, & assumere septem spiritus nequiores se, ut collectis viribus te si possunt, in idem peccati, ex quo surrexeras, lutum proturbent, fiantque tua novissima pejora prioribus. Nihilominus nullum inde, si relaberis, tuæ socordiæ patrocinium accedet: habes enim negotium cum cane ligato, qui latrare potest, mordere non potest, nisi sponte te illi adjungas, ejusque dentibus lacerandum præbeas: habes cum hoste tam debili, ut Christus Brigittam alloquens festucæ in terra jacenti illum comparet, nec magis ab homine timendum dicat: habes cum tam ridiculè formidoloso, ut capillos è barba S. Vincentij decisos horreat, & ad eorum conspectum ex obsessorum corporibus se proripiat, ut à pueris Japonensibus neophytis rosario velut canis baculo agatur in fugam. Habes præterea adjutorem Christū dæmonum triumphatorem, cujus unicus nutus eorum myriadas profligat; habes Angelum custo- 12. Sed facultas nulla nisi involentèm. 13. Maximè uniante Christo.

dem longè illis potentiorem, qui tibi suppetias ferat ; habes Dei Matrem amantissimam illis formidabilem, quæ sicut caput ejus contrivit, ita omnes ejus artes & vires præsentiâ suâ dissipat, ut inter tot præsidia, si ab illo vinceris, excusationi non sit locus: præsertim cùm audias Apostolum Jacobum proclamantem : *Resistite diabolo & fugiet à vobis.*

14. Tria remedia contra relapsum.

Tria ergo ad seriam morum emendationem & relapsuum fugam assume.

1. Consideratio sui & Dei.

1. Vide, & menti altè imprime Dei Majestatem, & tui abjectissimam vilitatem ; quantus sit ille, quem toties, & tam fœdè & nequiter offendis, & quis tu, qui in tantam prorumpis audaciam ejusque patientiâ abuteris : quis Regum inter homines id ferat? quis secundò delinquentem à conspectu non ejiciat, & severissimè puniat? tu si amore ad constantiam non excitaris, timore tuæ cupiditati frænum injice. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas* ! dicebat Jerem. c. 2.

15. 2. Robur auditione Sacri procuratum.

2. Quotidie tuæ fragilitati præsidium à superis accerse, ac si potes, Missæ sacrificio, in quo Agnus ille inferorum victor immolatur, diebus singulis assiste, ejusque te sanguine communi. Carnem insuper tuam velut cum hoste tuo in perniciem conspirantem jejuniis, aliisque castigationibus debilita, & virum ex ordine S. Francisci magnæ virtutis hac in parte imitare, qui rogatus cur tam asperè carnem haberet, cùm à tot annis sub Christi signis in cœnobio militaret, & tot virtutum præsidiis esset instructus; respondit se id agere, tum ut commissa peccata eluere, tum ne nova committeret; hujusmodi castigationes carni pro sale esse, ne corrumpatur.

16. 3. Occasiones relabendi fuge; ne sis quasi homo qui tentat Deum, qui ad ignem propiùs accedens quasi per miraculum, uri non velis. Qui periculum, quantum caveri potest, non cavet, magis tentat Deum quàm in eo sperat, teste S. Augustino : & secundùm S. Thomam tum homo Deũ tentat, cùm prætermittit facere, quod potest ad pericula evadenda, respiciens solùm ad auxilium divinum. Cùm Jacob eò discriminis se venisse conspexit, ut difficulter fratris sui manus evaderet, præter orationem, quam totâ nocte luctans cum Angelo sedulò protraxit ; ut tamen fratrem emolliret, & præteritarũ injuriarum, ut ipse putabat, aboleret memoriam, turbas triplici ordine cum donis distribuit, & verbis ad illum mitigandum expositis instruxit ; quidquid prudenter ad periculum amoliendum excogitari poterat, diligenter executus: hæc

3. Occasionum fuga. L. 16. de civit. Dei, & contra Faustum l. 22.

hæc tu, quæso, imitare; & cùm mortales pro aliqua fortunarum jactura à cervicibus avertenda, ita invigilent, & qui morbo laborant, pro valetudine corporis brevi morituri tot se voluptatibus privent, tu, quæso, pro animæ salute semper victuræ periculosi tibi consortii consuetudinem declina, quàm imò àbrumpe ne tibi tuique similibus humanum hominem tuam tibi mollitiem exprobrantem audire cogaris.

Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes;
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?

CAPUT XVII.

Quomodo Amor sanctus præparat suos ad Eucharistiæ sumptionem.

§. I.

Eucharistiam esse primarium IESV Christi erga hominem amoris argumentum.

In Opusc. de dilect. 1 esse ait, Charitas Christi in homines quanta in Eucharistia.

RECTÈ S. Thomas homines, ait, quia carò emptos, ideò magis à Deo dilectos, sicut mercator magis diligit res, quas carò emit: hinc cùm Christus rediturus esset ad Patrem, & in cælis triumphale solium fixurus, ne interim separaretur ab hominibus, voluit inter illos sub niveo panis velamine remanere, tum ad eorum solatium, tum ad suas cum illis delicias regustandas; ut vel ob hoc solum dici meritò charitas possit. *Quàm citò*, inquit S. Augustinus, *dicitur, Deus charitas est? si numeres, unum est; si appendas, quantum est! appende, si potes, cuncta, quæ fecit Deus pro amicis suis, & tunc intelliges, quàm immensum bonum sit: Charitas est.* In illud Ioann.

Sponsa in Canticis primo statim capite variis desideriis æstuat, nunc osculum petit, nunc unguentorum ejus odore trahi, nunc scire ubi pascat, ubi cubet in meridie: verùm ubi agnovit velle secum in Eucharistia deliciari: *Sub umbra*, inquit, *ejus, quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Umbram vocat sacramentales species; sub quâ desideratus requiescit; quem ubi delitescentem reperit, tota amore ejus inardescens, & velut viribus deficiens, exclamat: *Fulcite me floribus, & stipate me malis; quia amore langueo.* Remedium à florum pomorumque odoribus petit, ut flagrantissimis desideriis, & heroicis actionibus tanto sponsi sui amori aliquousque respondere possit, ut & nos illam imitari possimus, videamus, quis sit, qui dat; quid dat, & quibus, & quo fine.

Is

2. Collige ex Deo qui dat excellentia.

Is qui dat, noſque tam admirabili beneficio afficit, Deus eſt, cujus Majeſtas incomprehenſibilis, de quo faciliùs dicitur, quid non ſit, quàm quid ſit: qui compendioſiùs amando, & admirando, quàm cogitando & conſiderando cognoſcitur; qui non habet quo proficiat, nec unde deficiat, cujus felicitati nulla fieri poteſt acceſſio, eſſentiæ abyſſus, & bonorum oceanus impermeabilis, ſui contemplatione & amore, ſine ceſſatione, & faſtidio ſummè beatus, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtruit, nulla copia reficit, nulla ſatietas beat: qui ſi de homuncione cogitationem ſuſcipere, & in illum oculos conjicere dignetur, id meritò ſummi beneficij loco reponendum eſt. Dixit aliquando de Sanctis eremi unus è præcipuis, qui divinitatis radio velut tranſeunter perſtrictus fuerat: Claudite vos oculi, ne poſthac alicujus creaturæ aſpectæ contaminemini.

3. Ex doni pretio.

Sed quid dat tam magnus ille & incomprehenſibilis Deus? ſi verbo tibi ſatisfacere voluero, dicam; dat tantum, quantum poteſt ſe ejus infinita munificentia extendere, & quò vel inſatiabilis humana cupiditas non auderet aſpirare: dat enim ſeipſum, quo nihil majus homo cupidiſſimus deſiderare poteſt. Unde meritò S. Auguſtinus; *Avare*, inquit, *quid aliud cupiebas? aut quid aliud petas? quid tibi ſufficit, cui Deus non ſufficit?* Daniel in lacu leonum omni cibo deſtitutus ubi Habacuc prandium ſibi deferentem, & nomine proprio compellantem audivit, in quas gratiarum actiones admirabundus erupit? S. Paulus Eremita, ubi ob novi hoſpitis Antonij adventum panem integrum & duplicatam annonam à corno Dei juſſu ſubminiſtratam aſpexit, admiratione defixus, Dei munificentiam deprædicavit, dicens: *Verè pius, vere miſericors.* Ecce quomodo viri ſanctiſſimi ob res exiguas, unus ob vile prandium hominibus agreſtibus præparatum, alter ob panem unum communem pauperum eleëmoſynam, Dei erga ſe paternam benevolentiam, amoremque laudibus efferunt: quomodo igitur nos commoveri oportet, dum non Angelus, non corvus, ſed Deus ipſe, non terreſtre aliquod epulum, ſed ſeipſum, hoc eſt donorum omnium maximum, quo majus cum omnipotentia conjuncta liberalitas conferre non poteſt, tanto amore nobis erogat? An non videtur, dum paullò ante inſtitutionem Euchariſtiæ, ad diſcipulorum pedes lavandos ſe proſternit, aperto quodammodo ſinu id facere, quod poſtea facturi erant novi Chriſtiani, hoc eſt, omn. m

Serm. 13. de verbis Domini.

omnem suam substantiam ad pedes Apostolorũ deponere? quam enim substantiam habet pretiosiorem seipso? verè tum exinanivit semetipsum, verè in finem, ultra quem progredi non poterat, tum nos dilexit.

4. Ex accipientis vilitate.

Sed quibus hæc donat? *Vilissimum vermem*, inquit S. Augustinus, *pascis omnibus bonis tuis.* dat ingratis, perfidis; dat hominibus, quorum pectora ob scelerum fœtorem, inferorum mephyti gravius olent. Quis pomum, è porci dentibus ereptum, ejusque infectum sordibus, regiæ mensæ apponere auderet? & ecce JESUS Rex Regum se in cibum donat, & ad regiam suam mensam admittit eos, qui paullò antè istis fœdissimis animalibus viliores majorem etiam fœtorem exhalabant. Legimus in vitâ cujusdam Sancti, animam post aliquot à morte dies justam regredi in corpus, quod cùm tam fœdum & vermibus scatens ac pure diffluens aspexisset, exhorruit, & regredi noluit, etsi id facere jussu Dei coacta fuerit. JESUS Christus corporibus simul & animis longè fœtentioribus quodãmodo commiscetur, dum scelerum enormium rei confessione Sacramentali à sordibus gravioribus expurgati, multorum venialium, quæ non sunt confessi, maculis aspersi, quas omni cloacâ pejus odit Deus, ad sacram synaxim accedunt. Sanctorum quorumdam charitatem admiramur, qui leprosos osculo dignati sunt, qui ulcera abluerunt, & pus ex illis fluens exsuxerunt: ego verò Christi Domini in hoc Sacramento benevolentiam, & erga filios suos amorem suspiciendum maximè, & deprædicandum existimo, quod cùm sit ipsa puritas, tot impuritatibus nostris à benefaciendo non deterretur: scilicet rubus igneus est ab amore, in mediis miseriarum nostrarum spinis ardens, ac luce suâ nos illuminans, & calore confortans.

In vitâ S. Bonifacij.

5. Animi pulchritudo à gratia.

Animus noster habet quidem aliquas pulchritudinis illecebras, tum à natura, tum à gratia, & quidem tantas, ut meritò Catharina Senensis Christo, quòd tantam pulchritudinem adamaret, congratularetur, quam S. Ægidius in raptu contemplatus omnem intelligentiæ humanæ capacitatem excedere pronuntiavit: habet tamen etiam suam à peccato turpitudinem, quæ in re tam speciosa magis apparet, ut meritò dixerit S. Augustinus de Deo: *Odit tua, amat te.*

6. Deformitas à peccato.

Hinc miranti Gertrudi ac spõsum suum roganti, cur ita hominẽ amaret, in quo tam multa puriſſimos ejus oculos offenderent, respondit: Amor facit complacentiam: hoc est, quemadmodum

Hom. 34.

matrum erga ſobolem amor facit, ut non obſtantibus nævis & defectibus in illa ſibi complaceat: ita Dei charitas, quæ multitudinem peccatorum cooperire dicitur, ea aut delet & abſumit, aut mantello ſuo ita tegit, ut eam amore dignam ſponſus cæleſtis inveniat.

7. Ex ratione donandi.

Sed quo bonitatis exceſſu ſe donet in Euchariſtiâ, jam videamus. Jacob Joſepho in argumentum amoris, quo ſupra reliquos filios illum diligebat, dixit morti proximus: *Do tibi partem extra fratres tuos, quam tuli ex manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Genes. 48. Chriſtus, ut oſtenderet hominem à ſe ſupra Angelos amari, corpus ſuum velut hæreditate legavit, quod prælio cum morte & dæmone inito, ope divinitatis triumphator extulit: non deſunt enim Theologi, qui Chriſtum morte ſuâ non ſolùm reſurrectionem corporis, ejuſque glorioſam in cælo ſeſſionem, ſed etiam ejus in Euchariſtia perennem inter homines commorationem ad uſque judicij diem eſſe promeritum: hinc illud ipſum plurimi facere, cùm tanti illi conſtiterit, ſentire nos oportet. Quemadmodum enim canis venaticus ad prædam per ſaxa & dumeta, per aſpera, & ſpinis horrida anhelans rapitur, quâ demum obtentâ conquieſcit; ita Chriſtus, ad cordis humani velut prædæ ſibi chariſſimæ poſſeſſionem aſpirans, per ignominiæ, cruciatuumque ac mortis ipſius horrida viam ſibi aperuit, donec in Ven. Sacramento corde illo tanquam deliciis ſuis potitus, ſedem jucundiſſimæ voluptatis ſibi figit: hinc Patre jubente, nomen illi ab Iſaia inditum: *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*: hinc etiam cùm ciborum ad panem Euchariſticum alicui diſpertiendum aperiretur, viſus eſt aliquando exſilire gaudio, quaſi ad rem ſibi jucundiſſimam vocaretur, propterea cùm Sacramentum illud inſtitueret, præmiſſæ ſunt ab illo hæ amoris pleniſſimæ voces: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*: & cùm in monte cum Moyſe & Elia amiciſſimè de exceſſu, quod completurus erat in Jeruſalem, ſermones miſceret; non tantùm de Paſſionis pœnarumque; ſed etiam amoris in Euchariſtia incredibili exceſſu collocutum nonnulli exiſtimant; quia donũ illud omnium amantium mutuas largitiones & reciproca donaria ita excedit, ut quidquid B. Virginis, & Seraphinorum, Sanctorumque omnium corda ad donandum profuſiſſima unquam dedêre, ſi cum Chriſti erga homines inexplicabili in Euchariſtia munificentia conferantur, pluma ſint & amoris ſcintillula, cùm totius univerſi ma-

si magnitudine comparata.

8. Sanctorũ fervor in Ven. Euch.

Hinc illi ingentes animorum sensus, illi raptus, illæ lachrymæ, illæ flammæ ex ore sanctissimorum virorum prosilientes, quando cum Moyse ad contemplandum hunc ardentem rubum propiùs accessere; quod S. Guilielmo Danorum Prælato, S. Guiberto Episcopo, SS. Dominico, Ignatio, Xaverio, Philippo Nerio & pluribus aliis, dum ad aras faciunt, contigisse legimus.

Quid de sanctissimis fœminis Catharina Senensi, Theresia, Maria Victoria aliisque dicam? quarum prima, dum communione privatur, viribus destituta brevi animam exhalatura credebatur.

S. Teresia.

Theresia ita ejus amore ardebat, ut cùm tempore pluvio domo ad illam accipiendam egrediendum foret, etiamsi hastarum oppositu prohiberetur, per media vulnera ad illam se perrepturam diceret: Victoria verò, rogata ab uno Sacerdote, an gravi dolore afficeretur, ubi communione privari contingeret, respondit; nisi Deus animam magno ejus amore succensam, & ad mutuos in communione amplexus aspirantem, tum temporis insolito gratiæ subsidio corroboraret, fore ut ex doloris magnitudine spiritum exhalaret.

9. S. Justiniani.

S. Justinianus, cùm tanto Christi amori, quantum poterat amorem libenter rependeret, à sacrificando nullo die abstinebat: solebatque dicere, qui illud non facit, Dominique sui præsentiâ & familiari colloquio ac profusâ munificentiâ cùm potest, non fruitur, satis ostendere se Domini sui gratiam, ut par est, non æstimare. Volebat prudenter, ut etiam animæ communionis percupidæ, desiderio suo non frustrarentur: & cùm virgo Recluſa defectu Sacerdotis die Venerabilis Sacramenti celebrandis honoribus consecrato Eucharistiæ perceptione carituram se crederet, ac propterea, ut in Missæ Sacrificio sui meminisse dignaretur, impensè rogaret; rem ecce stupendam: dum ad aram facit, spiritu rapitur, & ad cellulam Recluſæ delatus sponsi sui amore æstuanti Eucharistiam porrigit, & ad se rediens sacrificium absolvit. Tanti facit Deus animas, quæ Eucharistiæ beneficium pro dignitate æstimant, & expetunt, & tam severè in illos animadvertit, qui temerè ab istis deliciis & pane cælesti regustando illas arcent. Abbatissam, quæ S. Lutgardi consuetas synaxes interdicere voluit, continuò paralysi & doloribus acutissimis castigavit, donec resipiscens, factique pœnitens virgini, ut antè consueverat, sacram illam mensam frequentare permitteret. Reges suis amoribus & deliciis impedimentũ poni ferunt ægerrimè,

10. Deus favet optanti sacram Communionem.

11. Impedienti punit.

rimè, eíque, qui hoc audeat, iram Regiam, & majora minantur: & Regem Regum non offensum iri graviter existimamus, dum sponsas sibi charissimas à suis amplexibus quodammodo prohiberi avelliqúe intuetur? Filius Regis, inquit ipse Gertrudi, adhuc puer, si ab austero pædagogo parvulos imparis licet conditionis, quibuscum lusitare consuevit, arceri, amandariqúe videt, & suas sibi voluptatulas tolli, irascitur, & auctori malè vult: ita Dei Filius non fert, dum amabili cum suis sponsis in Eucharistia communicationi obex adfertur. Contigit aliquando ut in horologio crystallino motus omnes rotarum paterent, & in alveolo vitreo apum labores industriaqúe admirabilis conspiceretur; si ad eum modum mentis nostræ oculi in intima cordis JESV Christi penetrare possent, qualia ibi amoris incendia conspicerent? sed cùm id nobis denegatum sit, & fidei obscuro lumine sit perreptandum; amoris ejus erga nos magnitudinem, ex ejus profundissima in hoc Sacramento humilitate metiamur.

12. Æstima Christi in homines amorem in Ven. Euchar.

Si Rex aliquis maximus, potentissimus, & sapientissimus, ita alicujus hominis ex infima plebe amore & consuetudine caperetur, ut sæpè dissimulato habitu, in vili lacerna, & in tenebris ad eum itaret, ut ejus colloquio liberiùs frueretur, atque inde contingeret, ut non semel ab occursantibus, injuriis ignotus ab ignaris afficeretur, & malè mulctatus abiret; nimium amori suo Regem illum indulgere, & nisi concepta de ejus prudentia opinio prohiberet, eum fortassis insanire diceremus: Ita Christus Dominus, dum suo erga nos amori habenas laxat, & quodammodo Majestatis oblitus, ut confidentiùs ad illum accedamus, sub familiaribus speciebus delitescens nos expectat, quantis se dehonestamentis exponit, dum ignominiosè habetur ab hæreticis, injuriosè à Judæis, contemptibiliter à plebecula, scelerosè ab impuris: ut meritò prece ad Patrem æternum conversâ exclamet S. Theresia, Filij sui curam habere uti dignetur, qui nimio erga mortales amore sui quodammodo oblitus, iterum in mille partes discerpi, & à dæmonibus eorum afflictis pedibus conculcari velle videtur, nec Majestatis honoriſque sui curam aliquam habere, dummodò suæ erga homines charitati faciat satis. Multum quidem in sua incarnatione se abjecit, dum vilem terrenæ substantiæ portiunculam divinæ personæ copulavit; dum virginei uteri tenebras non horruit; dum se vilibus fasciolis constringi, & in stramine reclinari permisit:

Chemin de Perf. t.

13. Et demissionem tantæ Majestatis.

misit : at longè ampliùs in hoc Sacramento se humiliat, dum accidentibus, quæ entia secundùm quid appellantur, & ad nihilum quàm proximè accedunt, se nexu aliquo velut astringi permittit, dum in arculis sæpè sine lumine in templis rusticanis clàuditur, dum impuris & sacrilegis manibus frequenter contrectatur. Tolerata verò in Passione ludibria opprobriaque nulla satis sæcula mirabuntur; dubitari tamen meritò potest, an non in hoc abditus Sacramento majora patiatur: illa viginti quatuor horas dumtaxat tenuêre, in unius urbis Jerusalem conspectu transacta, & ab una multitudine ex variis capitibus conflata, in Christum carne mortali vestitum irrogata fuêre: hæc in toto orbe terrarum, quò fides Christiana penetravit, non ad aliquot dies & horas, sed ad usque supremum mundi occasum; non ab una gente, sed à dispersis per Regna terrarum sceleratis Sacerdotibus, ab hæreticis, Judæis, ab ipsis mulierculis dæmonum administris JESVS Christus coronâ gloriæ redimitus, tacens, & immotus, & amore nostri inter istas injurias sub speciebus fixus manens, ô rem stupendam! non aliâ patientiâ, quàm divinâ tolerat. O incomprehensibilis erga homines amoris argumentum!

Quem amorem testatissimum etiam facit ejus ad nutum Sacerdotis obedientia, qui quocumque in loco & tempore ad ejus verba sub speciebus panis & vini admirabili promptitudine se sistit, & admirabili vinculo ipsisque beatis spiritibus incomprehensibili illigatur, & quo lubuerit, in pauperum tuguriola, rusticorum mapalia, in casas fœtidas, in ora graviolentia, & purulentos stomachos infertur; deinde ad ejusdem Sacerdotis arbitrium clave includitur, educitur, ac ad sumptuosissimum cum hominibus convivium, quod maximo sumptu, hoc est pretio vitæ suæ ac ferculis divinissimis instruxit omnibus, qui mensæ accumbere voluerint, distribuitur. Quid hâc obedientiâ mirabilius? ad vocem hominis advolat, ejus nutum deinde & manum immotus expectat, ab illa se attolli, ac deprimi, ac dividi, prout collibitum illi fuerit, permittit; & hæc omnia in hominis à se adamati gratiam atque delicias. O insignem cum admirabili liberalitate conjunctã obedientiam! quid enim hoc tanto amatore liberalius; non semel aut bis, sed millies; non uno in loco, sed toto propemodum terrarum orbe, quà late Religio Christiana diffunditur, hæc tanta tamque divina dona largitur? quæ si semel, ac uno in loco singulis sæculis distribuerentur, non so-

14. Et obedientiam ad nutum Sacerdotis.

lùm homines, sed & ipsos beatos spiritus tam immensæ liberalitatis admiratione complerent.

O si tantum benefactorem, ut par est, agnosceremus? amaremus profectò, & amorem amori rependere, atque amando penitis illum medullis inserere conaremur. *Non potes*, ait S. Bernardus, *amare, quem tu nescias, aut possidere, quem non amaveris. Quot beneficia*, ait alibi, *tot sunt onera: ama & exoneraberis.* Hunc amorẽ petit Christus, & extorquere à nobis vult priùs amando & plus: *Si vis amari ama*, dixit Chrysostomus. Jam pretium amoris appendit Christus, tribuens ex amore seipsum; nos illi rem tam carò emptam asseramus: ne de nobis etiam illud lamentatione dignum repudium dici possit: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Venit non suo bono, sed nostro; *quotquot enim receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* In Baptismo hoc bonum inchoatum, per Eucharistiæ frequentationem sua cœpit incrementa, donec, ut ait S. Paulus, formetur in nobis Christus, & qui factus est homo, ut ajunt S. Augustinus, & S. Thomas, ut homines faceret Deos, hoc per corporis & sanguinis sui Deificam virtutem assequatur, fiatque in nobis quædam, ut loquuntur Patres, Incarnationis extensio, ut cui omnibus hominibus personaliter uniri non potuit, quàm plurimis saltem Sacramentaliter uniatur, & vitæ suæ aç spiritus communicatione ad quãdam divinitatis participationem evehat; quò altiùs ejus in nos Amor progredi non potuit.

Serm. 9. de temp.

§. 2.

De propinquiore ad Eucharistiam sumendam præparatione.

DE confessione Sacramentali, quam viri sanctissimi etiam pro parvis defectibus Eucharistico sacrificio præmisêre; præcedenti capite dixi: hîc de aliis præparationibus obiter aliquid dicendum, & quidem præstandis ab iis, qui vivunt vitâ gratiæ: vivorum enim hoc Sacramentum esse dicitur, non mortuorum.

1. Eucharistiæ præmittenda priùsana confessio & flagellatio.

Primò ergo Amoris sancti documentum est, ut in privilegio accessus ad hanc mensam, interior, exteriorq; castigatio sponte assumatur: si enim JESVS Christus ad nobis præparandas hujus mensæ delicias per flagra, & crucem viam sibi fecit (illas enim suâ passione promereri nobis voluit) cur non ad illas degustandas pari nos itinere gradiamur? dat nobis in hoc convivio corpus virgis flagrisque consciissum, & à vertice ad

ad pedes vulneribus plagisque coopertum; dat nobis sub speciebus panis lapide molari protriti, igneq; decocti, dat sub speciebus vini in torculari violenter expressi; cur vel abstinentiâ aliquâ, aut sensibili aliquo cruciatu id ipsum in nobis exprimendum non censeamus? B. Margareta Regis Hungariæ filia pridianâ se macerabat inediâ: S. Dominicus ante Eucharisticum Sacrificium quotidianâ se verberatione lacerabat, quod non pauci faciunt: alij se ferreo, aut cilicino cingulo aut humicubationibus cruciant, ut accessuri ad agni crudeliter occisi immolati epulum, ipsi se etiam aliquo cruciatu immolent.

2. Sanctorũ exemplo.

Qnòd si debilitas, & invaletudo exteriorem hominem à similibus pœnis excuset, interior saltem homo tam solemnis convivij celebritati aliqua interiori exercitatione præludat, ut sunt arctius silentium, & cellulæ solitudo, accuratior sensuum, & cogitationum custodia, divinæ præsentiæ diligens observatio, quæ exterioribus castigationibus, quibus interdum amor proprius, indiscretio, pervicacia, & nescio quæ laudis humanæ affectatio immiscere solent, divino calculo utiliores, solidiores, majorisque pretij & meriti esse judicantur. Qui Christum in civitatem Jerusalem asello invectum comitabantur, vestimenta prosternebant in via, & ramos palmarum & olivarum manu præferebant, quæ omnia profundas animi demissiones, palmares sui victorias, & pacificas injuriarum condonationes, ad solemnem & triumphalem in animas nostras Christi Domini ingressum, aptissimum esse apparatum demonstrant.

3. Saltem interior afflictio.

Secundò, ad tam cælestes epulas afferendus est etiam quidam cælestis appetitus; & in JESV Christi ardentissimum cor oculi conjiciendi, qui nos amantissimè invitat, & ardenti desiderio se suaque communicandi nos expectat; ac proinde his, aut similibus verbis animus excitandus: Euge anime mi, ecce Deus tuus, Redemptor tuus ad epulum omnium Regum conviviis augustius, & divinius te invitat; ipse est, qui illud instruxit potentiâ admirabili, sapientiâ ineffabili, amore incredibili; ipse te præstolatur, & ambabus ulnis apertoque sinu benevolentissimè te excipiet: descende cum Zacchæo de Sicomoro, & fatuam rerum caducarum æstimationem, amoremq; abjice, & illum in domo cordis tui, ubi epulari vult, gaudens suscipe: ille est desideratus gentibus & desiderium collium æternorum, animarũ scilicet ad excelsa aspirantium: ille est, cujus Incarnationem in spiritu vidit Abraham, & gavisus est:

4. Excitandus spiritualis appetitus.

est: ille qui inter homines degens singulos ad suæ potentiæ, benevolentiæque opes degustandas invitabat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* & *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* ille qui puerulos suo dignabatur amplexu, publicanos & peccatores admittebat ad mensam, peccatricem ad pedum osculum, Judæ etiam reconciliationem & sanguinis sui pretium offerebat. Mundus inficit, & foliis herbisque venenatis sequaces oviculas non tam pascit, quàm enecat, & tamen quot ad ejus sibilum convolant, eique adhærent? Dæmon serpens occultus quot Evas ostensis voluptatum pomis allicit, & in perniciem trahit! Christus, qui cæli terræque delicias repræsentat, vix habet, qui cum alacritate & gratulatione eas excipiat. Si pauperi hora designaretur quando in divitis domũ admissus cum bona ejus gratia aurum, & argentum, & magni pretij gazas posset efferre, quomodo ad illam horam aspiraret, & se ab omni opere priùs expediret! Hanc horam, ô anime mi, designavit tibi bonus Jesus, & in illam tuum adventum fixus & immotus expectat; imò quam volueris, eligendi horam optionem tibi facit, in qua seipsum, quo nihil habet cælum pretiosius, tibi daturus est, & à te vicissim acceptarus gazam, quam tibi credidit pretiosissimam, quâ perditâ te etiam deperdi & perire necesse est, hoc est, cor tuum, animam tuam, ut in tutelam suam inter tot mundi hujus pericula eam suscipiat, servetque in beatam æternitatem. Cujus rei fidem ut faceret, jussit, ut dum os tuum ingreditur, Sacerdos dicat: *Corpus Domini nostri* Jesv *Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Quòd si hæc non sufficiant, ut cum Simeone accedas ad templum *in spiritu*, & amore succensus; Christumque ambabus ulnis excipiens, ejus quodammodo immoriaris deliciis, & omnibus rerũ caducarum vinculis disruptis ei soli vivere incipias; selige aliquid otij quo consideres, quis est qui dat, quanta donet, quanto amore, & quo fine, quæ capite præcedenti fusiùs pertractavi, quæ attentiùs perpensa dubio procul desiderij ardentioris in te flammas excitabunt.

5. Accedendum cum humilitate.

Jam verò cùm Christus in hoc Sacramento per valles profundissimæ humilitatis ad te accedat, hoc etiam iter te tenere oportet, & non tantùm cum centurione te non dignum, sed etiam cum mortalium vilissimo te indignissimum sentire & pronuntiare: quî enim fieri posse putas, ut Angeli, qui Regem suum in Eucharistia comitantur, qui Luciferum de cælo ob

ob ſuperbiam, Adamum ob inobedientiam de paradiſo protruſêre, te utroque hoc vitio inquinatiſſimum propiùs ad Regis ſui menſam accedere patiantur ? Si Martha, dum de fratris reſurrectione agitur, apertionem monumenti deprecata eſt, ne Chriſti præſentiam cadaveris fœtore violaret; quid habes tu quod non fœteat ? an linguam tot verbis inutilibus, ne dicam impuris contaminatam ? an cor tot affectibus rerum fugitivarum graveolens? Quòd ſi te rogent Angeli, dum Chriſtum vis accipere, ubi poſiturus ſis eum, quem quæſo locum deſignabis ? Ita eſt, bone JESV; rogo te, fiat in me quod futurum Regius Vates cecinit : *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* præveniat adventum in me tuum ignis compunctionis de cælo immiſſus, & quidquid in me tuos oculos offendit, abſumat: non vis ut te ad aſpectum tot ſordium, & miſeriarum, quas in me deprehendo, animo concidam, cùm apud ſanctam Gertrudem ſponſam tuam, de aliqua virgine cordis puſilli & meticuloſi, quæ aſpectu ſuorum defectuum deterrita à communione abſtinuerat, conqueſtus ſis, quòd velum indignitatis ſuæ ita oculis obduxerat, ut illos ad tuam benignitatem, & miſeris opitulandi ingens deſiderium non elevaret. Si in cælo gaudium eſt Angelis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente ; ſi in filij prodigi collum, qui luto malæ conſuetudinis aſperſis veſtibus ſe offert; pater inſilit, & amplexibus & oſculis dignatur; ſi Paſtor bonus vicinos, ut ſibi de ove perdita recuperata congratulentur, evocat; cur tuum conſpectum fugiam, & in me, ubi paupertas, miſeria, & infirmitas ſedem fixêre, longiores moras traham ? Aſinus ſum, qui fœno veſcor, & panis cæleſtis guſtum amiſi ; ſtupidus, qui rerum caducarum amore me illigari, & ad molam vertendam condemnari permitto, poteſtque de me dici quod aliàs Apoſtolis tuis dixiſti : *Invenietis aſinum alligatum*, ſed addes ut ſpero, *ſolvite & adducite mihi*, *quia Dominus his opus habet*, eâque ad ſuum obſequium uti deſiderat. Ecce me, bone JESV, utere hoc viliſſimo mancipio, mille millies tuo, non ut triumphans per vicos Jeruſalem inveharis, ſed ad quælibet onera, quantumcumque mortalibus odioſa & probroſa, ut providentiæ tuæ ratio exiget, deferenda : unicum enim mihi ſolatium erit, tuâ manu regi, & obſequiis tuis immori.

O te felicem, ſi cum hac vera ſolidaque tui deſpicientia generoſam in Deo confidentiam copulare noveris; ſi cognitione tui,

ut ponte, utaris, in quo non subsistas, sed per quem ad Dei benignitatem gradum facias ; fieri enim non potest, ut tibi vilis & despectus, sed Dei bonitate fretus, ejusque fretus auxilio, & invitatione subnixus ad hoc divinũ epulum non gratus accedas, præsertim si paupertatis tuæ conscius aut Christum Dominum cum S. Gertrude, aut Deiparam cum S. Brigitta, aut Angelorum choros, cum B. Angela Folignia suppliciter roges, ut iis virtutibus, eaque cælesti supellectile conclave cordis tui instruant, quæ tanto hospiti honorificè suscipiendo conveniat.

6. Tranquillo animo.

Aspice insuper quanto ad te silentio veniat Christus, quàm illi sine strepitu beatorum Spirituum cœtus assistat : tu pariter tuis cogitationibus, dubiis, & anxietatibus altum silentium indicito : non amat hospes ille turbulentos animi motus ; non cogitationes anxias, & huc illuc vel super confessionem peractam, vel super alias umbras & vana terriculamenta vagas & desultorias : ille Apostolis suis in ingressu in cœnaculum, pacem secum adferebat : non in illis mentis agitationibus, sed in pace factus est locus ejus, & cùm multitudinem pascere voluit in deserto, jussit, ut priùs super fœnum composito ordine sederent, & conquiescerent ; in suprema cœna dilectus ejus supra pectus illius recubuit, ut nos doceret in ejus sinu curas omnes deponere, & in convivio tam opiparo tranquillè deliciari.

Audisti de cælesti Jerusalem, quia Dominus posuit fines ejus pacem & adipe frumenti satiat illam : tu pariter ad illam altissimarum cogitationum pennis evola ; ac velut aquila in hunc solem, quo totus collustrandus es, oculos constanter defige ; sequere S. Euthymij consilium, qui sacrificantem in Missa, ideò altâ voce *Sursum corda* proclamare dicebat, nec ultrà progredi, nisi populus respondisset, *Habemus ad Dominum* ; quia cælestè illud sacrificium, atque convivium corda à cogitationibus terrenis expedita postulat. Non fert S. Chrysostomus vel minimam isto tempore negotiorum memoriam ac recordationem ; vult tum suos *cum terra nihil habere commune, nec deorsum trahi, aut serpere, sed assiduè sursum volare, & ad solem justitiæ aspicere : Aquilarum enim, non graculorum hanc esse mensam.*

Tibi ergo dictum puta illud Prophetæ : *Exulta, jubila : Ecce Rex tuus venit tibi*, non qualiscumque Rex, sed *justus & Salvator* : tu in primo statim occursu claves cordis tui reverenter simul, & amanter illi offer, & supplex roga, ut dignetur regnare super te : fugit qui-

Zachar. 9.

7. Claves cordis Christo tradendæ.

quidem aliquando, dum, qui de multiplicatis panibus saturati fuerant, moliebantur, *ut raperent eum, & facerent eum Regem* : jam verò non ita : habet enim in vestimento & in femore scriptum, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*; carne enim, quâ velut vestimento amictus erat, & humanitate, quam ex femore Jacob & Davidis traxerat, in passione sanguine aspersâ & victrice regnum hoc adeptus est : tu fac ut ingredienti omnia tua interiora acclament: *Vivat Rex.* vel cum S. Thoma cogitationibus tuis velut digitis in ejus vulnera immissis dic tui vix compos: *Dominus meus, & Deus meus*; meus, inquam, cujus imperio, & voluntati nunc & in æternum omni vinculo possibili adstrictus, & obligatus esse volo: Spiritus sanctus, qui tunc communicantium corda, velut citharas, pulsat, non eandem semper chordā tangit: nunc enim in demissiones, & abjectiones animi profundissimas sub Christi præsentis dominatu deprimit, & quodammodo absorbet; nunc ad instar lusciniæ in laudes & gratiarum actiones velut in sublime rapit : nunc ad balbutiem reducit infantium, ut ne verbum quidem effari possit cogaturq; Christum ipsum, aut aliquem ex adstantibus geniis rogare, ut vices suas obeat, & suo nomine gratias agat, & omnia mortalium obsequia novo hospiti deferat: alij verò se ut morbo aliquo laborantes, aut aliquo membrorum mutulos & vix per virtutum semitas gradum facere valentes ad pedes ejus, cujus vel fimbriæ contactus sanabat omnes, abjiciunt, & curari postulant. Denique ut olim thymiamatis, quod super altare incendebatur, non erat unus odor, ita à Spiritu sancto animos in hoc convivio divino igne succendente varij excitantur affectus; amor interdum agonem ducit, interdum reverentia, & profunda animi demissio; tum alij subsequuntur, & mutuis velut manibus implexi choros ducunt, ac velut si magnetem inter complures acus constituas; eæ continuò occulta virtute excitatæ & attractæ mordicus illi inhærant; ita dum Christus divini magnes amoris in cordis humani medio subsistit, omnes animi facultates, & affectus fortiter, fide velut sopitas exsuscitante adhærescunt; nec avelluntur, nisi cum Jacob luctante cum Angelo copiosam benedictionem ab abeunte quasi violētia amoris impetrent: imò verò libenter cum S. Petro dicerent: *Bonū est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula*, intellectui unum, memoriæ unum, & tertium voluntati, atq; in hoc cælesti epulo, promissas post hanc vitam paradisi delicias prægustarēt.

Ioan. 6. *Marc. 6.*

Zachar. 7. Claves cordis Christo tradendæ.

§. 3.

Cur nonnulli parum proficiant ex Eucharistiæ frequentatione.

1. Unica fervens communio quanto præstantior multis desidiosè obitis.

LÆnam unicum catulum parere ajunt, sed qui centum cuniculis præstantior sit: ita communionem unicam dispositionibus prævijs, & ingentibus amoris flammis, virtutumque aliarum comitatu, sociatam centum aliis transcursim obitis excellentiorem majorisque apud Deum meriti esse, nemo est qui dubitet: Itaque habent illi, qui frequenter tam sancto pane vescuntur, & tamen tam procul à primo sanctitatis gradu absunt, quòd illos coram Deo Angelisque plurimo pudore confundat, & ad diligentiùs indagandum tanti mali fomitem vehementer impellat: quî enim fieri potest, ut tanta Christi demissio tam altos in te superbiæ spiritus non elidat? tanta ejus mansuetudo iram tuam non frænet, aut temperet? tantum silentium linguam tuam non domet, & à multiloquio fabulisque superfluis non retrahat? Una Neronis nutrix sanguinaria, illi fundendi sanguinis appetitum indidit, & nos agni mansuetissimi carne & sanguine toties saginati quàm parum mansuetudinis inde nos hausisse, factis ipsis ostendimus? unicus ejus in domum Zachariæ ingressus ex infante originalis peccati sordes eliminat, in patre linguæ vincula dissolvit, in matre propheticos spiritus exsuscitat: una aut altera ejus vox, Matthæum, & Zacchæum, utrumque peccandi consuetudine irretitum expedit, ejus manus vestes, sputa, morbos jussu vel attactu solo propulsant, ejus corpus crucis lignum, & sepulchrales lapides sanctitate imbuit, & tamen toties repetitus in pectus tuum ejus jam in cæli triumphantis ingressus, nihil in te simile quidpiam operatur: & cur quæso? An non, bone Jesv, tuæ arcæ præsentia Dagonis simulacrum evertit, prostravit, mutilavit? an non panis gladium Gedeonis repræsentans Madianitas populi tui hostes internicione delevit? cur ergo virtus tua in Eucharistia, idolum amoris proprij in me dominantis, si non profligat & consumit, saltem infringit, & debilitat; ut deinceps amori tuo, ut solet, non obsistat? Quinque consecrationis verba naturam panis immutant, & glorioſum tuum corpus sub speciebus panis collocant, & quomodo tu verborum illorum auctor, quique tantam illis virtutem impertis, qui in me toties, & tot horis sedem fixisti, me totum in cælestem hominem, malis habitibus

bitibus profligatis, non transformas?

2. Quanta vis Christi in ejus præsentia.

S. Franciscus de Paula jusserat fabas in prandium pro Fratribus parari, vas aquâ & fabis plenum in culina lignis imponitur, sed ignis, ut illa ardeant, non admovetur: appetente prandio error deprehenditur, & ad virum sanctum defertur, qui ad culinam solo manus attactu aquam tanto calore incendit, ut bulliens fabas momento probè concoqueret, & fratribus nutriendis idoneas redderet. Idem lampadem extinctam halitu suo illuminavit: quî fieri ergo potest, bone JESV, ut tu, qui ignē veniſti mittere in terrā, & nihil aliud vis, quàm ut ardeat, toties à me susceptus, & cor meū tuo dignatus attactu, illud continuò amore tuo non inflammes, & spiritu oris tui non illumines? Non hoc manat à mensa tua Eucharistica, quæ, ut ait S. Chrysostomus, *Plena est igne spiritali, & quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ita hæc flammam habet secretam.* An fortè Salamandræ naturam ego indui, quæ in mediis ignibus non calescit? quia naturæ ejus ingenita frigiditas flammis undequaque urentibus resistit?

Hom. 11. de S. Philogonio.

3. Frigoris inter communicandum causa.

Quid quid sit; duas ego præcipuas causas hujus in homine pestilentis frigoris reperio; quia nō imitamur mulierem illam Evangelicam; *Quæ fermentum abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*; quia sumpto hoc pane vivifico, non, ut oportet, secessum aliquem, & tranquillam mentis solitudinem aliquo tempore consectamur, & virtuti suæ in nos exercendæ spatium non damus. Fel piscis oculis cæci Tobiæ impositum, post dimidiam dumtaxat horam albuginem detersit, & videndi restituit facultatem: horam integram exigunt Medici, ut stomachus cibum, ut ajunt, incorporet, multoque amplius ut concoquat & digerat, variisque corporis partibus distribuat: ita plerumque per importuna ac superflua diverticula, divinis Eucharistiæ operationibus officimus. Altera ab intentionis nostræ obliquitate provenit; gustum enim & voluptatem in hac mensa quærimus, atque ibi subsistimus; nec satis intelligimus hunc panem cælestem, non cibum dumtaxat, sed etiam annonam militarem distribui, quo fortiùs & animosiùs decertemus: non audimus Chrysostomum declamantem nos ab hac mensâ reverti oportere dæmonibus terribiles, similesq; leonibus, ignem spirantes: imò Christum ipsum non intelligimus tum etiam nobis dicentem: *Non veni pacem mittere, sed gladium*: vult ut ad ejus pedes militare sacramentum re-

novemus, vult ut inde regressi imperfectionem aliquâ præcipuam tanquam hostem sibi infensum aggrediamur, & ut illam si non penitus concidamus & conficiamus; debilitemus tamen, atque enervemus, nec simus militibus depictis similes, qui brachia ad ictum attollunt, & nunquam feriunt. Vult ut ab una Communione ad alteram, victoriam non unam, sed multiplicem reportemus, occurramusque illi cum ramo palmarum in signum adeptæ ejus auxilio victoriæ, illique congratulemur, dicentes: *Osanna Filio David.*

Achillem ferunt, dum puer sub Chironis disciplinâ ageret, ab illo medullâ & visceribus leonum, aprorum, ursorum, enutritum, ita robustum evasisse, ut puer jacula contorqueret, hastasque vibraret, quæ à validis hominibus ægrè jacerentur: quantas ergo vires ex hujus mensæ ferculis haurire nos oportet, qui cibo divinissimo, & non tantùm robur, sed immortalitatem afferente alimur? militem heluonem, qui tantum comederet, quantum decem militibus sufficeret, & nihilominus tam desidem, ut vix dimidium militem præstaret, patibulo dignum ductores judicarunt: & tu, qui cibo Angelorum pastus & Christi dæmonum triumphatoris carne nutritus, ad minimum cum hoste congressum terga vertis, aut herbam porrigis, captivusque abduceris, quò tandem te proripies, & quibus te latebris pudore suffusus occultabis?

Id ergo nobis contingat, dum ad hoc Sacramentum accedimus, quod S. Augustinus suadet: *Bibamus vitam, manducemus vitam*, ac primo quidem vitam bellatricem, quam nobis describit Job, dum dicit: *Militia est vita hominis super terram*; vitam, quam triginta tribus annis cum mundo, carne & dæmone decertans Christus inter labores & angustias duxit: deinde vitam illuminatricem, cùm de ipso Joannes dixerit: *Et vita erat lux hominum*: vitam denique in spe gloriosam; de qua Paulus dicit: *Et vita nostra abscondita est in Christo* JESV, cujus vitæ aliquando possidendæ pignus se nobis in hoc Sacramento constituit, & donat. *Serm. 2. de verbis Christi.*

§. 4.

Octo effectus Eucharistiæ, stimuli, & faces amoris.

HOs adfero, ut de tanta liberalitate, & amore JESV Christi gratulemur, & amorem amori, quantum animi nostri angustiæ capere possunt, rependamus.

Primus est gratia sanctificans, nobi-

1. Primus Eucharistiæ effectus gratia sanctificans.

nobilissimum Dei donum, quæ tota pro dispositionum magnitudine in instanti manducationis confertur; suaque, quamdiu Christus in stomacho sumentis sub speciebus continetur, pro devotione sumentis, capit incrementa, Christo quodammodo hospitij sui jura, hospitisque obsequia compensante: ut meritò tam pretiosi temporis particula prudenti homini minimè negligenda videatur. Sol quidem in instanti lucem, & calorem diffundit, sed qui diutiùs in illo apricatur, magis incalescit; & candela momento cubiculum illuminat, sed qui propiùs ad illam accedit, liberaliùs ejus lumine, & clariùs fruitur. Quamdiu Christus in nobis est, ô quantus cum illo de negotiis maximi momenti tractandi campus aperitur! quantaq; se offert augendi amoris opportunitas!

2. Peccatorum venialium remissio.

2. Effectus est peccatorum venialium remissio, ex amica Christi in ingressu suo indulgentia. Quemadmodum enim Rex aliquis summè amicus, & benevolus, dum aulicum sibi dilectum invitat ad mensam, videtur parvulæ alicujus offensæ nullam habere velle rationem, præsertim si invitatum videat, quæcumque sibi displicent, cavere summopere, & omni studio ad gratiam suam promerendam incumbere, ac quidquid tam grati hospitis oculos offendit, morte pejus perhorrescere.

3. Præservatio à mortalibus.

3. Effectus est à peccatis mortalibus præservatio: novis enim viribus, gratiarumque subsidiis partem hominis superiorem contra vitia decertantem corroborat, carnis concupiscentiam debilitat, majori lumine mentem illuminat, ut peccati gravitatem, damna, fœditatem magis ac magis penetret, ejus occasiones observet attentiùs, ac diligentiùs fugiat. Atque ut pratum limpido rivulo irriguum herbis vestitur & floribus, & nova facie intuentium oculos delectat; ita anima Christi sanguine in hoc Sacramento irrigata minori difficultate amœnitatem, ac pulchritudinem suam conservat; præsertim cùm dæmon hujus pulchritudinis hostis infensissimus eò propiùs accedere non audeat, ubi paullò antè Christus immorari, & deliciari voluit, gratiamque Sacramenti ad loci defensionem reliquit.

4. Cælestis voluptas.

4. Effectus est spiritualis quædam delectatio, & cælestis voluptatis gustus suavissimus; ut enim gustatus, qui in ea corporis parte habitat, qua esculentis & poculentis iter natura patefecit, quò magis exquisita sunt illa, eò majorem in eorum transitu haurit voluptatem, quin & cibi illi in stomachum recepti amabiles cordi

&

& cerebro vapores communicant; ita cælestis hic cibus intellectum novis luminibus recreat, & voluntatem nobilium & suavissimarum affectionum voluptate perfundit: impeditur tamen quandoque hæc suavitas, tum quia luminibus illis anima nimio torpore præpedita non utitur, tum quia palatum malo aliquo humore, ut nimia anxietate, timore, solicitudine, cupiditate, odio, corruptum, gustandi facultatem ex parte amisit. Contingit tamen interdum, ut S. Antoninus advertit, ut nullâ sumentis culpâ id accidat, sed vel ex corporis dispositione, vel ex Dei subditum suum exercentis, ejusque fidem probantis arbitrio. Primo enim morbo aliquo aut studiorum contentione debilitatum & exhaustum caput diuturnæ, & attentæ tanti Sacramenti contemplationi, qua suavitas illa consequitur, ægrè potest insistere, etsi tam animus in veræ devotionis sensus, & affectus (quæ in prompta voluntate Deo obsequendi consistit) assurgat, & ad omnia pro Dei obsequio promptè agenda, & fortiter toleranda se offerat.

5. Et quædã pia animi sensa.

Habet prætereà Deus nonnulla, quæ istâ dulcedinis inter tam divinas epulas privatione prætendit. 1. Ut homo solâ fide instructus, omnibusque istis sensibilibus præsentiæ divinæ argumentis destitutus, generosiùs cum Deo se gerat, eumque solum in omnibus suis respicere, & glorificare consuescat. 2. Ut ejus voluntati, ac beneplacito, non ejus donis, aut blanditiis adhærescat. 3. Ut infirmitatis suæ jam conscius, quam aliàs expertus est, animi voluptatem, non sibi, sed Deo tribuat. 4. Ut diligentius sponsum, dum blanditur, observet, & quid inde velit, agnoscere conetur, gratiasque habeat, & novis illum obsequiis demereri nitatur. 5. Ut aliis, quos ita Deus exercet, compatiamur, nec eos tam facilè desidiæ, aut teporis condemnemus. 6. Quia fortè concessis consolationibus malè usi sumus. 7. Ut à vana quadam de nobis æstimatione præservemur, quæ facilè se mentibus nostris insinuat, dum cælestibus deliciis, tanquam Deo cæteris gratiosioribus, continèer inebriamur; ita S. Paulum, ne cælestium arcanorum communicatione nimiè extolleretur, satanæ colaphis humiliatum (quidquid illi fuerint) legimus. Cæterum satius est, ut hanc siccitatem peccatis nostris potiùs, quàm Deo de nostra virtute periculum facienti tribuamus.

6. 5. Ad gloriam æternam.

5. Effectus est spiritualis quædam juris ad gloriam æternam accessio: ut enim cibo corporali, corpora nostra augmentum & accretionem sumunt, donec in virum

7. Debit corpori resurrec

virum perfectum efformemur, ita per hunc panem cæleſtem non ſolius gratiæ ſanctificantis gradibus ſemper altiùs promovemur; ſed etiam propiùs ad perfectum conſummatæ beatitudinis ſtatum accedimus, & jus acquirimus: eſt enim iſtius gloriæ pignus Euchariſtia, quo Deus ſpondet quodammodo ſe daturum homini perfectam ſuorum bonorum fruitionem, ſi ipſe partibus ſuis nō defuerit. O quàm bene poſt cæleſtis illius cibi ſumptionem cum S. Thoma ad cælum anhelantes, Chriſtum ita compellamus: JESV, *quem velatum nunc aſpicio, quando fiet illud, quod tam ſitio, ut te revelatâ cernens facie, viſu ſim beatus tuæ gloria!* quàm dulcis ſupplicatio, ut inter Chriſti in ſtomacho præſentis amplexus, ut nonnullis contigit, liceat emori. 5. Volperto Abbati ad S. Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis tumulum ſupplicanti apparuit ipſe S. Heribertus, & illum in trigeſimū diem ad prandium in cælum invitavit. quod & factum; nam trigeſima poſt die cantans in choro poſt reſponſorium, *Deo gratias*, animam exſpiravit. O ſi ad hanc gratiā à Chriſto JESV poſt illud cæleſte epulum admitteremur! moriamur imperfectionibus noſtris, ut puriores ad æternas illas delicias evolemus.

7. Debita corpori reſurrectio

6. Effectus eſt glorioſa corporum noſtrorum reſurrectio, quæ cùm ſit felicitatis ad corpus attinentis complementum, & pro ciborum virtute atque præſtantia eò corpora noſtra paulatim evehantur, meritò huic cibo vis iſta tribuenda. Si arbor vitæ mortem arcebat; cur corpus Chriſti virtute divinâ præditum, eſſe quoddam divinum & glorioſum corporibus noſtris non impertiat! Eliſæus mortuus attactu corporis ſui latroni vitam redonat; & non arbitramur carnem noſtram corporis Chriſti glorioſi ſanctimoniâ toties imbutam, ejus virtute, gloriâ & decore ſempiterno beandam?

8. 7. Pœnarū purgatorij condonatio.

7. Effectus eſt pœnarum, quas pro peccatis vel hîc, vel in flammis purgantibus pendere nos oportet, amica condonatio: ſi enim tam familiaris ad ſacroſanctam menſam accubatio veniales offenſas remittere videtur, cur non & pœnas illis debitas? Nec dubium eſt, quin Chriſtus in pectore reſidens eos amoris ignes excitet, qui ſyngraphas debitorum hujuſmodi deleant, aut conſumant.

9. 8. Unitas & conjunctio cum Chriſto.

8. Effectus, iſque ſingularis & maximè expetendus eſt intima quædam cum Chriſto unitas atq; conjunctio. Quintuplex nexus hic diſtingui poteſt. 1. Localis, cùm Chriſtus & homo de menſa hac participans uno ſunt loco, & hic infimus eſt, & cum ſceleratis

communis. 2 Est quædam moralis unitas, & conjunctio quæ sanctitatis aliquid conjunctis sibi rebus aspirat; ita cruci, & vestibus suis Christus aliquid venerationis, & sanctimoniæ attactu suo indidit. Varia. 3. Est unitas cordium & affectionum: nihil enim amabilius, nec copulatius est morum & amorum similitudine, & puritate. 4. Est unitas munerum & donationum, cùm eadem munera hinc & inde, quasi amoris pignora conferuntur; Christus enim in Sacramento sui quodammodo suorumque bonorum prodigus se suaque admirabili munificentiâ homini largitur, vicissim homo, unius cum illo animi, se totum, quantum valet & potest, liberalissimè Christo donat, donatione illimitata, & irrevocabili. 5. & potissima est *unitas assimilationis*, quâ una res alteri conjuncta, majorisque virtutis atque potentiæ alteram in sui similitudinem rapit; ita ignis lignum & ferrum sibi assimilat, & calor stomachi cibum in hominis substantiam convertit: ad eundem modum Christus in hoc Sacramento tum congestis in communicantis mentem luminibus, tum excitatis in voluntate novis ardoribus, hominem ad quandam sui in amando, agendoque similitudinem efformat; ita ut alterum tibi Christum in moribus, propensionibus & sermonibus intueri videaris. Quod ut assequamur, imitari nos oportet eos, qui silvestri arbori nobiles surculos inserũt: 1. Truncum aperiunt, & diffindunt, & in fissurâ surculum immittunt. 2. Argillâ fissuram, & surculi insitionem obvolvunt, ut firmiùs trunco inseratur, & ab injuriis cæli defensa pedetentim arboris succo alatur, donec tandem flores, & fructus efferat. Ita fides viva, verbo Dei omni ferro penetrabiliori subnixa, cor Christi tanquam nobilem surculum communicantis cordi inserit, & amore reciproco connectit; tum argillâ, hoc est, sui cognitione, & profundâ demissione à superbiæ malignitate defendit donec divini corporis succo vegetati paullatim in actiones Christo simillimas, nostri dissimillimi efflorescamus, feramusque fructus sanctissimæ Trinitati, beatisque spiritibus longè gratissimos. 10. Quid agendum ut ea consequamur.

CAPUT XVIII.

De Sacrificio Missæ, ejusque auditione.

MAgnam apud suos clientes hujus Sacrificij æstimationem & venerationem concitat Amor sanctus, quòd illo nihil apud 1. Missæ sacrificij dignitas.

apud ſupremum Numen auguſtius, nihil illi gratius, nihil beatis mentibus venerabilius, nihil hominibus fructuoſius excogitari poſſit. Eſt totius perfectionis Chriſtianæ compendium, omniũ actionum virtutumque collectio, quæ quidquid laudis & honoris Deo exhiberi poteſt, eminenti gradu complectitur: ac in primis eſt *holocauſtum*, in quo Chriſtus ad gloriam Patris æterni ardentiſſimi amoris igne conſumitur; eſt *Euchariſticum*; quia pro beneficiis acceptis, nihil ſupremo largitori gratius offerri poteſt. Eſt *propitiatorium*; quia ſupremam Majeſtatem peccatorum multitudine & atrocitate contra hominem, ad iram pœnaſque infligendas concitatam mitigat, & reconciliat: plus enim amat Filium, qui offertur, quàm odit ſcelera, quibus offenditur. Eſt *impetratorium*; quia Filio tam amanti, & tam dilecto Pater denegare nihil poteſt: unde aliquis è pœnis purgatorij emergens, & libertatem ſuam Euchariſtico ſacrificio tribuens; tantam dixit ejus eſſe virtutum, ut nihil illi reſiſtere poſſit, præter cor obſtinatum, & impœnitens.

Annales Ciſterc. d. 4. c. 32.

Atque hanc eminentiſſimam de illo æſtimationem non tantùm altè mentibus noſtris impreſſam, ſed opere etiam & cultu ſingulari teſtatam vult eſſe: ac primò dum ad hoc Miſſæ ſacrificium proceditur, vult duorum ſacrificiorum renovari memoriam: Primò, illius quod in ſuprema cœna Chriſtus obtulit, dum primam omnium Miſſam ſummus ipſe Sacerdos celebravit, panemque in ſuum corpus convertit, ac ſumpſit, Apoſtoliſque ſumendum porrexit: Miſſam meritò omnibus poſteà conſecutis dignitate præcellentem, ſeu eum, qui offert ſpectemus, ſeu ad amorem ejus ardentiſſimam, & integritatem puritatemque prorſus cæleſtem, attendamus. Secundum Sacrificium, cujus nos tum recordari oportet, eſt illud cruentum in cruce peractum, & morte conſummatum; quam mortem, dum ad aras facimus, animis hominum repræſentari, annuntiari, ac in memoriam revocari voluit Chriſtus, donec veniat, & hujus mundi ſcenam claudat: quam etiam, dum celebraturus mente non recoleret S. Bonaventura, muneri ſuo defuiſſe & Chriſti voluntati ſe non obſecutum eſſe exiſtimabat, volebatque proinde ut ad altare accederet non ſolùm, ut ait, *ignitus totus, & totus* alteratus, ſed etiam cogitatione, memoria, & compaſſione *crucifixus*.

2. Eſt memoriale duorũ ſacrificiorũ.

Cænæ ultimæ,

& Crucis.

3. *Senſus S. Bonaventuræ in Sacro.*

Prætereà beatas mentes altari, ad quod accedimus, circumfuſas, ac venerabundas mente intueri nos oportet, & hoc ſpectaculo

Quam perſonam gerat Sacerdos ad altare.

ad reverentiam excitari; cùm etiam Sacerdotem vestibus sacris indutum prodire conspicimus, quam personam gerat, & quid auspicaturus sit, diligenter attendere: prodit enim, ut Christi vices gerens, & totius Ecclesiæ ad Deum Legatus, & negotiorum maximorum Procurator libellos supplices pro vivis, & defunctis secum deferens; vestibus benedictione inauguratis indutus est, ut benedictiones cælestes mortalibus impetret: munus obit cælestibus ingeniis, & sanctissimo Christi Præcursori inconcessum, qui digito dumtaxat Redemptorem monstravit, hic quatuor digitis apprehensum populo in sublime elatum ostendit: Munus, in quo dum occupatur, nec à Regibus interpellari interrumpivè potest, nec eorum jussu desistere: in quo tam familiariter cum cæli terrarumque moderatore Christo nunc elatâ, nunc demissiori voce, & quasi ad aurem inclinatus sermones miscet, ut nisi fides divina nobis dubium eriperet, ægrè persuadere nobis possemus, sublimem illam Majestatem beatis spiritibus sancto timore formidabilem ad tantam cum humuncione familiaritatem se demittere.

4. Quid in conversione ad populum significet.

Præter reverentiam, quam ista bene perpensa conciliant, ad oblationem etiam nostram cum Sacerdote faciendam accingi nos oportet. In hunc finem se quinquies ad populum ille convertit, brachiaque expandit, & populo adstante de Domini præsentia compellato, rursus illa conjungit, quasi omnium corda & voluntates uno simul complexu constringere, & ad simul offerendum excitare vellet. Hinc ad *Orate fratres*, meum & vestrum Sacrificium nominat, & in Canone eos, qui pro se suisq; illud offerunt, æterno Patri commendat. Cùm ergo tam Sacerdotis, quàm adstantium in idem Sacrificium corda concurrant, illudque conceptis verbis à Christo, ejusque sancto Spiritu, sanctisque Conciliis & Pontificibus præscriptis peragatur, inde meritò colligimus, quàm consultum sit toto Sacrificij tempore aliis precationibus omissis in eadem verba eosdemque sensus animi cum Sacerdote conspirare, hoc quod sequitur modo:

5. Quid instante altare inclinatus.

Primò cùm statim in Sacrificij exordio Sacerdos suæ indignitatis conscius ad infimos gradus subsistens corpore inclinatus, suorum peccatorum generalem accusationem instituit, tu ipse cum illo ad eandem & ter repetitas pectoris tunsiones se reum agnoscens, humiliter descende, veniamque supplex efflagita, ac ejus obtinendæ spem concipe, ac deinde in *Kyrie eleison* pro te, cæte-

cæteriſque mortalibus divinam miſericordiam implora, in qua imploranda in hymno *Gloria in excelſis* perſevera. Deinde per vocem, *Oremus* à Sacerdote ad jungenda vota invitatus, junge continuò, eademque cum ipſo pro tota Eccleſia efflagita, nomen Jesv Chriſti tanquam Mediatoris interponens; cui Pater æternus tanquam de ſe optimè meritò libenter poſtulata concedit, ut olim S. Gertrudi ſignificavit.

6. Quid legens Epiſtolam & Euangelium.

Cùm Epiſtola, Euangelium, & *Credo* percurritur, quid meliusaut cogitabis aut petes, quàm ut veritates æternæ, quæ illis continentur, Chriſtianorum animis imprimantur, ad quarum præſcriptum velut ad divinam amuſſim actiones ſuas dirigant, abdicatis prorſus peſſimis mundi & perverſorum hominum axiomatibus, quibus maxima pars mortalium in perniciem ſuam adhæreſcit. Utque illæ per hæreticos, & infideles propagentur, pro quibus Chriſti Sanguis tanta amoris ſignificatione profuſus eſt, ardenter deprecare.

In Offertorio age, quæſò quod Sacerdos agit, & panem, & vinum cum illo offer, utque ſanctificentur, & in holocauſtum pro vivis & defunctis, tuiſque ac totius mundi eluendis peccatis, ac in gratiarum actionem, debitamque Paſſionis, Reſurrectionis atque Aſcenſionis Chriſti memoriam, in honorem B. V. Sanctorumque hominum admirabili tranſubſtantiatione convertantur, inſtanter roga.

7. Quid in præfatione & Canone.

Cùm verò per *Surſum corda* ad levandam in cœlum mentem commoneris, vide ut continuò, & alacriter pennis amoris in cælum eveharis, & cum tota curia cæleſti, hymnum gloriæ concinas; parique ardore dicas: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Atque deinde ſilentio indicto habens præ oculis Chriſtum in crucis patibulo manibus pedibuſque diſtentum, tuum *Memento* cum Sacerdote tu quoque ad omnes tibi commendatos extende: ac primò in caput ejus ſerto ſpineo redimitum oculos intendens omnia coronata capita Regum Principumque ac aliquâ dignitate præcellentium commenda, tumque in dextera crucifixi manu, parentes, amicos ac benefactores repone; in ſiniſtra verò eos omnes, à quibus aliquâ injuriâ violatus es; in dextero pede perſonas, & negotia, quæ tuam opem depoſcunt; in ſiniſtro peccantium correctionem: vulneri lateris cordique Jesv amantiſſimo, quidquid tibi maximè cordi eſt: plagis per Chriſti corpus diſperſis hæreticos & infideles, qui novas quotidie plagas illi inferunt; ligno crucis omnes Reli-

Qui audierit ſacrum tunc faciendũ.

gioſorum ordines ut crucem ſui inſtituti alacriter ferant; lachrymis JESV, & ſputis faciem ejus deformantibus omnes, quos res adverſæ & moleſtæ calamitates premunt; denique ultimis Chriſti morientis ſuſpiriis omnes pro æternitate cum morte decertantes; atque hæc incenſa deſideria omnibus auxilium aliquod procurandi fovebis, Angeliſque uſque *Memento* defunctorum, quo animas in purgantibus flammis gementes auxiliiſque tui indigas Chriſto impensè commendabis.

8. Quid Sacerdote communicante?

Inde te ad Communionem ſacramentalem, aut certè ad illius ardens deſiderium excitandum cogitationes tuas, affectuſque convertes: ac Chriſti ardentiſſimum pectus conſiderabis, qui poſtea quàm ad devinciendum ſibi hominem potentiæ ſuæ vires omnes contulit; tandem ſeipſum in Sacerdotis pectus immergit; longè veriùs quàm prophanum amorem feciſſe veterum fabulæ memorant, qui cùm in rebelli corde feriendo pharetram exhauſiſſet, nec evinceret quod optabat, ſeipſum in ejus cor inſinuavit, totumque ſuis ignibus inflammavit: atque in hoc erga Chriſtum amore excitando, uſque ad ultimam benedictionem, Euangeliique ultimi finem perſiſtes, atque inde gratiis cæleſtibus magnificè actis cum gratiarum actione domum remeabis.

9. Quanto ſtudio concinnanda devotio.

Hîc ego nonnullos ſatis mirari non poſſum, qui cùm unius dimidiæ horulæ compendio (tantum enim durat Miſſæ ſacrificiū) facillimè tot bona ſibi comparare poſſint, per ſummam væcordiam, quam magis in confiniis æternitatis conſtituti deplorabunt, illa ſibi elabi patiuntur: eos tamen majori commiſeratione dignos exiſtimo, qui tanto ſacrificio diſtracto ac vagabundo animo interſunt, & defectu alicujus contentionis in ea animi aberratione cohibenda, ingentis boni jacturam faciunt: at verò non lachrymis, ſed flagris dignos judico, qui iſto tempore oculorum & linguæ intemperantiâ Chriſto, ejuſque auguſtiſſimo ſacrificio contumeliam impudenter irrogant. Si reus ad furcam condemnatus coram Judice deſpectè & contumeliosè ſe gereret; ſi aulicus coram Principe inſoleſceret; ſi filius parentis aſpectum actionibus propudioſis violaret; quis ferendum exiſtimaret? Tu humuncio, terræque pondus inutile, brevi ad ſupremi Judicis tribunal evocandus, in ejus oculis, & dum cæleſtibus geniis tremenda myſteria peragantur, eò audaciæ prorumpis, ut nec oculos, nec linguâ ab effreni licentia cohibeas? nec beatorum ſpirituum, qui aſſiſtunt, iram & ſeveram animadverſionem

Et cavenda irreverentia.

nem perhorreſcis? ipſæ res rationis uſu deſtitutæ ad talis impudentiæ ultionem inſurgunt, & aranea è fornice templi in calvũ caput hominis ſimiliter effrontis delapſa mortem miſerrimam, tanquam divinorum ſacrorum contemptori intulit; & non vereris eorum zelum, quos Dei amor honorque in te jamjam ſeveriſſimâ caſtigatione puniendum excitabit? Neque mihi te aliorum plurium exemplum imitari dicas: an tu quæſo, è poculo veneno infecto ideò biberes, quia alij ante te guſtarunt, tibique propinarunt?

10. Unde ſtatua S. Chriſtophori in aditu templorum.

Veteres Ethnicos Herculis ſtatuam in templorum ſuorum veſtibulis collocaſſe ferunt, ut ingentes animos, roburque Herculeum ad Deos, uti par eſt, colendos neceſſarium eſſe oſtenderent: Chriſtiani poſteà multis in locis Giganteum Chriſtophorum poſuerunt, ut ad inſtituti Chriſtiani labores & cruces generoſo animo ferendas animarent; idque propoſitum, dum mane templum adibant, inter ipſa ſacrificia renovarent; atque quibuſdam in locis verſus, qui id ſignificarẽt, ſubſcripſêre, quibus etiam ingentes fructus iis qui ſacrificio intererant, promittebantur, non ſine eventu feliciſſimo, uti plurimorum probant hiſtoriæ. Cerdo, dum quotidie ſacro Miſſæ ſacrificio intereſt, familiam ſuam honeſtè & placidè, mediocri labore ſuſtentat, dum alter ejuſdem opificij diem integrum ſedulo labori impendens ſuam vix ſordidè alere poteſt: donec tandem conſodalis exemplo edoctus, ac ſimul ſacro audiendo diligenter vacans eodem & ipſe cæli beneficio, ac munificentiâ donatus eſt.

11. Fructus de auditu ſacro etiam temporalis.

Miſſæ beneficio Dionyſij Luſitaniæ Regis puer honorarius fornacis incendium evadit; alter verò, cujus invidiâ & fraudulentâ machinatione periculum iſtud adierat, in eandem fornacem præceps datus eſt. Paſchalis Vivas, dum pluribus Miſſis continenter aſſiſtit, atque intereà cum Saracenis prælium initur, Angelo ſub ejus ſchemate fortiter pugnante hoſteſq; ſternente, laudem & lauream multiplicem adipiſcitur; quod ipſum Waltero de Birbeke Brabatino nobili contigit, dum Sacro intereſt, ejuſque Angelus in haſtiludio, cæteris palmam eripit. In peregrinatione Jeroſolymitana unus aliquis, dum ſocij maturè iter arripiunt, ipſe verò audiendo Sacro morâ trahit, Angeli miniſterio delatus cæteros antevertit. Sexcẽta ſunt hujuſmodi, ex quibus conjicere licet, quantũ animis audiendo ſacrũ conſulitur, quandoquidem pro corporibus rebuſq; perituris ſacrum audientibus tot beneficia conferantur.

Ephebus evadit mortem.

Angelus pugnat pro Paſchale Vivas, &c.

Peregrinus defertur ab Angelo.

Sed

12. Damnum ex neglecto.

Sed vide mecum quam sæpè noceat, imò extremam perniciem afferat, tam salutiferum sacrificij cultum neglexisse. Duobus iter simul agentibus nubes coguntur, cælum obtenebratur, mugiunt tonitrua, dissiliunt fulmina, & vox terribilis insonat, *Feri, feri,* & ecce unus è duobus, qui Sacro non interfuerat, fulmine percutitur, & corruit; altero ut se malo subducat, properante, vox eadem ingeminat, *Feri*: auditurque aliquis respondere: *Non possum; quia hodie templum adiit, audivitq; Et Verbum caro factum est*; quo significabatur non nisi Sacro absoluto pedem de templo extulisse. Venatori itidem non bene successit Sacri neglectus, qui inter venandum nescio quo infortunio utrumque lumen amisit; nec alteri, qui ob eamdem negligentiam destitutus cæli subsidiis iter faciens claudicatione mulctatus est.

S. Antonin. p. 3. a. 9. c. 20. §. 28.

13. Non quærendũ Sacrum breve.

O supinam mortalium væcordiam, qui tot malis circumfusi, tantisque calamitatibus obnoxij tam præsens subsidium negligunt! nec immeritò, aliquos, ac præsertim viros principes demiratur S. Augustinus, qui sacra brevia requirunt; voluntque Sacerdotem in tam sublimi mysterio cum honoris divini jactura properantem eorum fastidiosæ rerum divinarum socordiæ velificari: nimirum quos ad aulam, aliaque negotia maturiùs egredientes intuemur, eos vel unius brevissimæ Missæ molestat auditio: ut terrenum Monarcham salutent, moras omnes abrumpũt; ut cælestem Regem de cælo delapsum, cultu aliquo prosequantur, molestiam, temporisque jacturam dimidiæ horulæ spatium reputant. *O curvas in terram animas & cælestium inanes!* quàm dolebit hoc aliquando, ubi circa crepusculum æternitatis, tenebris hujus vitæ dissipatis aliqua lux affulserit.

Serm. 25.

Sed unum aliud in hac materia admiratione dignum existimo, quòd cùm Sacro ministranti major multò quàm cæteris ex Theologorum sententia fructus accedat, atque fortassis propterea S. Thomam Aquinatem etiam Sacerdotio initiatum sæpissimè sacrificanti deserviisse legamus, quid caussæ sit cum à tam multis, dum se dat occasio, & alterius defectus postulat, tam salutare ministerium negligatur. Oculatiores illi, quos inter meritò numerandus B. Franciscus à puero JESV, meliùs multò sapuere. Ille dum integro tempore matutino Sacris dumtaxat quinque ministrarat, jacturæ plurimũ se feciſſe arbitrabatur, ac vix se jentasse dicebat, ac nisi decem vel duodecim Sacris deserviisset, reliquum diem

diem tristis & mœrens traducebat: quin & lubentiùs iis Sacerdotibus assistebat, qui tractim & cum reverentia Missam longiusculam celebrabant, dicens tum ad tanti epuli delicias degustandas plus temporis suppetere, neque se unquam inter tam sancta mysteria fatigari, aut consenescere.

Eadem mens, idemque erga hoc Sacrificium sensus fuit Fratris Antonini ex Ordine S. Franciſci, tot Sacris ministrare soliti, quot per obedientiæ nutum licebat: quique cùm morti proximus ad Sacrum audiendum deferri optaret, aliisque negantibus id ob virium debilitatem fieri posse, dixit: O si sciretis, quantum vel uno Sacro fructus accedat! Utinam ut in nobis tanti sacrificij semper crescat admiratio!

CAPUT XIX.

De Visitationibus Venerabilis Sacramenti.

1. Christus in Vener. Euch. quas agat partes.

THesauros auri à draconibus custoditos commenta est fabulosa Antiquitas; nos veriorem thesaurum habemus in Eucharistia Christum Dominum arculâ, honoris caussâ, inclusum, & Angelorum coronâ stipatum. Habemus, inquam, tanquam militantis Ecclesiæ Principem, qui contra hostiles incursus excubias agat, eamque tueatur, tanquam Patrem in medio liberorum, qui illorum commoda procuret, tanquam Regem amantissimum, qui subditorum suorum libellos supplices excipiat, eòrumque justis votis annuat, tanquam Mediatorem inter nos & Deum, qui ob offensas iratum mitiget tanquam Medicum qui ad morbos miserorum levandos semper sit in promptu: denique tanquam cor in medio corporis mystici, quod est Ecclesia, ut omnibus illius membris spiritus vitæ cælestis suppeditet. O quàm admiranda est hæc tantæ Majestatis bonitas, atque dignatio! Rodulphum Imperatorem, cùm ejus satellites vulgus accedens arcerent, dixisse ferunt: Sinite pauperculos illos accedere; an ego Imperator factus sum, ut arcâ includerer, & non potiùs audiendis omnium calamitatibus iisque sublevandis vacarem? Hæc etiam est mens tua, bone JESU; qui tribus præsertim de caussis in hoc Sacramento permanere voluisti.

2. Cur ibi servari velit, & quãtus ejus amor.

Prima est, ut ad ægros deferreris. 2. Ut hunc inferiorem mundum nostrorum scelerum fœtore contaminatum, tuarum gratiarum suavissimo odore perfunderes. 3. Ut Ecclesiæ sponsæ tuæ tot calamitatibus agitatæ atque afflictæ solatio esses. Res cer-

1. Caussa ut afflictos solaretur.

tè admiratione dignissima, intueri tantam Majestatem velut pede fixo cum summa voluptate in vasculo aureo expectantem, donec ad ægri alicujus humilem & interdum graveolentem casam deferatur, eumque suorum bonorum communicatione locupletet. Trajanum Imperatorem, quòd vestimenti sui refecto frustulo militis vulnus alligarit, ac deinde Alphonsum Regem, quòd jacentem in sanguine suo militem plagis coopertum erexerit, & sudario suo vulnera mundarit & astrinxerit, laudibus in cælum tollunt historici. Quid hæc ad Christi humanitatem, qui alienis manibus delatus, visit ægrotos, lectulos accedit, sanguine suo ulcera detergit, solatur, & seipsum ad morbi levamentum, & amoris argumentum elargitur?

3. Trajani & Alphonsi in milites amor.

Varus Orator Romanus, cùm apud Augustinum Imperatorem diceret, inter alia sententiam hanc protulit, quam literis posterorumque memoriâ dignam judicavit Seneca: *Qui apud te, Cæsar, audent dicere, magnitudinem tuam ignorant; qui non audent, humanitatem.* Mirabatur scilicet Orator iste tantam Majestatis Imperatoriæ cum affabilitate consociationem; & tamen quid hoc aliud ad Christi nobiscum familiaritatem, quàm umbra ad solem, pulvisculus ad montem, gutta ad Oceanum? non expectat Christus ut adducantur ad ipsum ægri, & malè habentes, vel ut ad ipsum accedant, ut fiebat dum in terris ageret; sed ipse à Sacerdote deferri vult, eosque invisere; imò priscis temporibus à pueris portabatur, quin & unusquisque domum secum referre poterat, & sumere cùm vellet, ut gravissimorum virorum probāt testimonia, Tertulliani, Clementis Alexandrini, S. Cypriani, Basilij & plurium aliorum, quos inter Gregorius Nazianzenus, qui sororem suam sanitatis recuperandæ gratiâ Ven. Sacramentum admovisse oculis narrat; & S. Ambrosius, qui Satyrum, dum periclitaretur in mari, ope Vener. Sacramenti, quod collo gestabat, liberatum memorat: quæ etsi modò non sint usitata, ingentem tamen tantæ Majestatis cum hominibus familiaritatem, & inauditam humanitatem prædicant. *Euseb. l. 6.*

Quid de secundo fructu, qui ex Christi præsentia in Ecclesiam manat, jam dicemus? Dæmonem ex Energumeni ore dixisse memorant, nisi Beatissimæ Virginis preces obstitissent, Christianam gentem ob inumania scelera, Numinis æterni fulminibus jam pridem perituram fuisse: quantò magis justas æterni Patris iras mitigare censendus est manens inter sceleratos mortales in Euchari-

4. 2. Ut Patris æterni mitigaret iram. *Cæsarius.*

chariſtia Chriſtus, cujus interceſſio apud fulminantem Deum plus habet virtutis & gratiæ ? Sodomæ, & Gomorrhæ incendia diſtuliſſet Deus, ſi inter illos decem juſti reperti fuiſſent ; quid non faciet? quæ fulmina non avertet ille unus juſtus, qui omnium omnino juſtorum mortalium, immortaliumque ſanctitatem in ſe complectitur, atque omnis ſanctimoniæ fons eſt & origo?

3. Ut ignis peſtem diſſipat.

Dum peſtilentia urbem aliquã depaſcitur, ſuadent Medici, ut per vicos & angiportus, ignes quàm plurimi excitentur, quorum flammis purgetur aër, aëriſque corrupti venenata contagio conſumatur : de plurimis Chriſtianorum civitatibus fortè dici poſſet, quod apud Ezechielem de populo Judaico conteſtatus eſt Deus ; nimirum abominationes in illarum medio verſari ; quæ propterea jam pridem ſcelerum ſuorum peſtilenti colluvie perditum iſſent, niſi Chriſtus amoris ſui incendio virus ex parte diſſipaſſet, & meliorum expectatione, graviorum malorum minas ſuſpendiſſet.

Tot viri, fœminæque, ſanctitate illuſtres, tantâ apud divinam Majeſtatem gratiâ valuêre, ut imminentes provinciis & regnis calamitates ſuis apud illam orationibus propulſarint. Id aliquando Simeoni Stylitæ, SS. Dominico, Franciſco, Juſtiniano, Coletæ, Margaretæ Crotoniatæ, Catharinæ Senenſi conceſſum fuiſſe legimus: cur non eandem à Sancto Sanctorum Chriſto Domino inter nos commorante tutelam, & præſidium ſperemus, præſertim cùm ob id maximè ſedem fixiſſe inter nos, magno honoris ſui periculo, ſancta Thereſia arbitretur.

4. Ut orphanis proſpiciat.

Tertia ratio ſuæ inter nos manſionis, quam tangit velut tranſcurſim eadem Virgo, plurimum miſeros orphanos recreat, & conſolatur. Sunt ex Chriſti amantibus, quæ vellent vixiſſe dum Chriſtus degebat in terris, & mortalis inter mortales agebat; vellẽt ei in omnibus ſuis itineribus comites adhæſiſſe, interfuiſſe cõcionibus, & miraculis, ſuis fortunis aluiſſe, deniq; ex ejus conſilio & monitis vitam inſtituiſſe. Huic eorum deſiderio Euchariſtiæ beneficio occurrere voluit Chriſtus, & majori quodammodo familiaritate cum illis agere : dum enim Rex Majeſtatem ſub vulgari habitu diſſimulans, inter ſuos populariter verſatur, tum auditur fidentiùs, & majori libertate cum illo negotia tractantur : hinc meritò cum riſu mirabatur eos Thereſia, qui ad ea tempora quibus Chriſtus agebat in terris, ſuſpirabant, quaſi illum ipſum non haberent modò ad libitum, cum quo aſſiduè eſſe

possint, & colloquiis, imò deliciosis epulis refici ac recreari. Utinam vigeret in nobis, ut oportet, fides, qua tam amicam ejus præsentiam, nobisque tam salutarem benè apprehenderemus! adiremus tum cum fiducia, ut monet S. Paulus, ad thronum gratiæ, quem nobis in hoc Sacramento erexit, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno; clamat enim in illo throno gratiæ residens, quod olim inter homines degens: *Venite ad me omnes qui laboratis*, & gratiarum desiderio ac cupiditate accensos invitat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me.*

3. Titi Imp. humanitas

Titus Imperator, mundi amor, & deliciæ generis humani appellatus, tantâ humanitate, & benignitate adventantes excipiebat, ut neminem à se tristem, aut indonatum abire pateretur, cumque monerent amici dispiceret, an ærurium tantis largitionibus par esse possit; respondit, non decere quemquam à se sine satisfactione dimitti. JESUS Christus cæli terræque delicium, cujus opes nullâ beneficiorum profusione exhauriri unquam possunt, qui libentiùs dat, quàm accipit, & omnes ad accipiendum invitat, qui in Eucharistia velut captivus amoris omnes quantumcumque importunos amantissimè excipit, quomodo quæso unum aliquem à se mœrentem & inconsolatum aut spe suâ frustratum amittet? Claudius Cæsar quartùm Consul amicum Chartagine habitantem, ad Romam migrandum dum solicitat, promittit omnes amicitiæ perfectissimæ partes impleturum se, ac catenis illum aureis apud se retenturum: hoc est, tantis beneficiis obstricturum, ut Chartaginem regredi nollet. Christus Dominus in Ven. Sacramento catenis amoris illigatus persistit; noctes & dies stans post parietem, prospiciens per cancellos; nosque ad accedendum invitans, vt vincula amoris nobis injiciat: accesserunt ad illum noctu Nicodemus & Andreas, ejusque sermonibus velut laqueis irretiti filiorum Dei numero ascribuntur. Xaverius Indiarum Apostolus post dies in animarum lucro consumptos tanquam alter Moyses noctibus ad reparandas animi vires ante Ven. Sacramentum se prosternit, & mirum, quantum hauriat inde roboris ad idololatriam debellandam, quantum etiam inde capiat voluptatis!

Christus vinctus amoris compedibus.

Regium Vatem, quanta bonorum copia in istis altaribus recondita sit, non fugit, cùm dicit se ad instar passeris, & turturis ad illa convolasse, ubi pullos suos, hoc est desideria sua, & affectus tanquam animi fœtus reponeret: quod idem non præstemus, hoc igno-

Exemplo Davidis Deum cõsulentis.

ignorantiæ, & oscitantiæ nostræ meritò imputari debet: potestq; nobis dici, quod Christus Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis est*, longè diligentiùs & sæpiùs ad illum accederes; imò ab illo disjungi, avelliq́ue non posses.

6. Sancti Ven. Euch. frequenter visitarunt.

Æschines Socratis discipulus dies integros magistri sui lateri adhærebat, quod tantam illi gratiam conciliavit; ut diceret de illo magister: *Solus Æschines novit Socratem honorare.* Idem norunt, & pro virili præstant, qui JESV Christi eminentem dignitatem, & in homines profusam in hoc Sacramento munificentiam perspectam habent. B. Suso quoties seu in descensu è cubiculo aut regressu, seu alia de caussa ante templi fores transibat, ingrediebatur ut Christũ in Sacramento salutaret: dicens inurbanum esse tantum amicum in viciniâ commorantem, modico à viâ deflexu non salutare, & quantum negotia permittunt, cum illo colloqui. Idem institutum, ac eandem ob caussam, hoc est honoris deferendi gratia tenuit Franciscus à puero JESV, qui ædem apertam offendens intrabat, Christum in Eucharistia salutabat, & aliquando dum aliud non urgebat, horam integram, quasi amicus cum amico sermones miscebat. B. Franciscus Borgia septies per diem visebat Christum in Eucharistia, & obsequia deferebat; alij plus, alij minus pro opportunitate loci & temporis. Nunc quid in illa visitatione agendum, videamus.

1. Accede igitur, & primò corpore animoq́; prostratus Dominum sub speciebus absconditum adora, eumq́ue omnium rerum principium & finem, à quo, & per quem sunt omnia, agnosce & confitere, ac te tuaq́ue omnia hoc titulo ei offer.

7. Quare Ven. Euch. identidem visitanda: & quo animi sensu.

2. Accede ut pro omnibus beneficiis, ac præsertim pro tam amica & familiari inter nos mansione gratias agas: quod tanquam sol non cælo, sed speciebus affixus suis nos radiis illuminet, tanquam ignis nos flammis amoris accendat, tanquam faventissimum astrum suis nos aspectibus felicitet.

3. Accede ut silentio, nulloq́ue oris sono, sed linguâ cordis & amoris cum illo agas de rebus solis amantibus notis, possisq́ue dicere: *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

4. Accede, ut sicut guttula aquæ vasto Oceano permista, & in dolium vini generosissimi injecta meliorem statum acquirit; ita tu te totum in Christi cor immittas, ubi omnem tui curam abjicias, & te perdendo conserves.

5. Accede, ut amicum ab ingenti vulnere jacentem consoleris; ille enim est qui dicit: *Vulnerasti*

cor meum soror mea sponsa, mea, consolatio quam maximè amat, est; ut deinceps seriò suo in te amori correspondeat.

6. Accede, ut vitæ hujus miseræ oneribus gravatus, meliorem auram haurias ex ejus pectore suaviter aspirantem, ut inde refectus ad novos pro ejus gloria labores animos sumas.

7. Accede ut mendicorum egentissimus ad divitem opulentissimum & liberalissimum, qui libentiùs donat, quàm rogatur, & donando aliumque ditando, opes suas auget: neque aliud petas, quàm cum S. Thomâ, ipsum ejusque spiritum: testatur enim libenter hunc spiritum daturum se petentibus.

8. Accede tanquam periculosè æger variis morbis conflictatus, & obsecro, ut qui in terris degens sanabat omnes sibi oblatos à quacumque detinebantur infirmitate, tibi etiam à vitiosis habitibus incolumitatem impartiri dignetur; dicasque cum sororibus Lazari: *Ecce quem amas infirmatur.*

9. Accede tanquam miser variis tentationum generibus ab hostibus impetitus, & in extremum discrimen adductus, dicasque cum Apostolis periclitantibus: *Domine salva nos, perimus*: idque maximè usurpa, dum ob infortunium, injuriamve acceptam in varias partes rapitur animus, & tam diu ad ejus abjectus pedes & supplicia, donec dicat tempestas cordis tui: *Tace, & obmutesce*, fiatque tranquillitas magna.

10. Accede tanquam ad scholam cælestem, ut ad pedes tanti Magistri prostratus eum te docentem, ac te de variis commonentem audias, & benignè excipias; dicasque primò cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* & commonefactus gratias agas, & dicas cum Davide: *Bonitatem fecisti cum servo tuo secundùm verbum tuum.*

11. Accede tanquam ad boni consilij Angelum, & dubitationum tuarum tenebras discutiat, ut & quæ recta sunt agnoscas, & ad ea peragenda ejus auxilio convalescas.

12. Accede ut ab aliquo lapsu, quo tibi accisas debilitataque animi vires persentiscis, eo auxiliatricem manum porrigente continuò resurgas, & resumptis animis, virtutis iter generosiùs, constantiusque capessas. Si hoc Ven. Sacramentum, tanquam remediorum omnium apothecam, & bonorum omnium promptuarium agnoscas, atque ad hunc finem ad Christum ibi se præstantem fidenter accedas; habes unde de tanta gratia, tibi, Deoque gratuleris.

CA-

CAPUT XX.

Amorem Dei sine amore B. Virginis consistere non posse; & quomodo ea amanda.

1. Motiva ad amandam B. V.

AMicum non amat, qui, quæ propiùs illum attingunt, non amat. Quomodo te amare Deum credam, si eam, qua nihil in terris charius habet, quam tota Trinitas præ cæteris rebus creatis habet in deliciis & amoribus, quam Pater unicè diligit ut Filiam, Filius ut Matrem, & Spiritus sanctus ut Sponsam, tu nullo, aut valde frigido amore prosequaris: fundamentum amoris erga B. Virginem est unitas cum Deo.

2. Quia una substantialiter cũ Deo.

Habet Maria in quantum Mater unitatem substantiæ cum Filio, qui ex illa & in illa carnem assumpsit, qui novem mensibus ejus purissimo sanguine in utero, ac deinde ejus lacte candidissimo per annos nutritus est, & novæ accessione substantiæ cepit incrementa: quæ aliquando cogitatio S. Patri Ignatio mentem mira dulcedine perfudit, dum in perceptione Eucharistiæ aliquam etiam materiæ portionem, quæ Mariæ extiterat, & tam nobili animâ informata fuerat, accipere se crederet, quæ deinde perseveravit in Filio, totamq; est perennatura æternitatem. Atque in his fundatur eminentissima illa dignitas Matris, quam mortales suspiciunt, quam B. Franciscus satis admirari non poterat, quamque beatæ mentes contemplando non possunt comprehendere.

3. Et moraliter amorem.

Ad hanc unitatem substantiæ accedit unitas amoris, quo totus est in matre filius, & mater in filio: si enim amantium, ut dicunt, est cor unum, & anima una, quid de his perfectissimis amantibus dicemus? Illa aliquando Brigittam alloquens dixit: *Ego sic frequenter dilexi eum, & ipse me, ut quasi cor unum ambo fuerimus.* Monuit præterea B. Alanum Rupensem, ut dum amoris sui igniculos in pectore excitare vult, non ab excellenti ejus pulchritudine illos petat, non à donis gratiæ, gloriæve, etsi illa ingentes ad amandum faces accendant; sed ut spectet in sanctissimæ Trinitatis absorptam amplexibus, unam per amorem & omnium affectionem consonantium cum Patre, & Filio, & Spiritu sancto: hoc & nos in Maria potissimùm spectemus, & dum illam amare, & venerari volumus in hunc duplicem unitatem mentis oculos convertamus: si filium amamus, amemus & matrem; si fructum laudamus, lau-

laudemus & arborem, quæ talem tulit, ne dum in unum obsequiosi esse volumus, in alterius offensionem incurramus, si quos substantiæ communitas, & amor ita conjungit, affectu nostro disiungere, ac separare quodammodo voluerimus: quod nunquam fiet: quandoquidem & ipsi veniant in communitatem honorum admirabilem, ut quod alteri fit, alter sibi factũ arbitretur: ita aliquando dum in symbolo fidei caneretur inter sacra mysteria, *Et homo factus est*, visus est Christus coronam, quam gestabat, capiti Matris imponere, atque cum illa suos honores esse communes, hoc argumento testari. Facile ergo in amanda B. Virgine Amori Sancto velificabimur, si dum id agimus, hoc in primis spectemus, ut Patri æterno amando Filiam, & Verbo æterno amando Matrem, & Spiritui sancto diligendo Sponsam gratificemur: si enim stat, stabitque hujus pronuntiati veritas: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* quanto magis id consequemur dum unicè à SS. Trinitate dilectæ omnia amoris obsequia deferimus?

4. Ut Christum Matris amore recreem.

2. Si amando B. Virginem id intendo, ut Christo Matris suæ amantissimo voluptatis aliquid adferam: cùm enim Christus omnium corda mortalium amando Mariam, & voces eam laudando, & manus scriptis eam celebrando occupari impensè desideret, quomodo non omnes animi nervos in hoc intendam, ut ejus desiderio hac in parte faciam satis?

5. Ut Amore sanctum mihi impetret,

3. Si id ago, ut ipsa, quæ Mater pulchræ dilectionis appellatur, mihi sua potenti intercessione sancti Amoris incrementa à Filio impetret; cùm ad illam maximè pertineat tam gloriosas flammas propagare.

6. In illam officia triplicia,

Officia verò quæ in honorem B. Virginis ab Amore sancto possunt imperari, triplicis sunt generis. 1. Votiva Missæ sacrificia, Rosaria, preces Horariæ, Litaniæ, & alia hujusmodi, quæ ab ejus clientibus recitari solent. 2. Sunt jejunia diebus Sabbathinis, aut in pervigiliis festorum B. V. usurpari solita. 3. Sunt peregrinationes ad loca ejus prodigiis celebrata ornamenta sacellorum, imaginum, & locorum, quæ B. V. cultui aliquo modo deserviunt.

7. Preces ut sacra Rosaria, &c.

Quàm verò grata sint ea quæ primâ classe continentur, frequentissima prodigia testantur: pauperculum Sacerdotem de beata Virgine quotidie Sacrum facientem, à B. Thoma Cantuariensi suspensum Deipara restitui jubet; Rosaria recitantem ad sanctissimos amores ab impuris traducit: Horariis precibus occupatum, & in scelere mortali aquis sub-

ſubmerſum, à dæmonibus ad pœnas abreptum, eripit, vitæ redonatum, & confeſſione expiatum æternæ felicitatis compotem facit. Litaniis invocata contra adverſarios clientes ſuos tuetur; quis hæc B. Virgini non eſſe non acceptiſſima dubitare poſſit, cùm tot beneficiis confirmata videamus? Si amoris eſt proprium, ea quæ amati gratiam conciliant, ſtudiosè ſectari, qui Deiparæ benevolentiam affectat, in hujuſmodi officiis frequentandis animum & tempus occupet neceſſe eſt. Idipſum clientulam ſuam Brigittam docuit aliquando B. V. Cùm enim illa quomodo tam bonam Matrem, à qua ætatis anno ſeptimo coronam acceperat, colere & laudare poſſet, inquireret, dixit tum illi Deipara: Ego ſum Regina cæli, tu ſollicita es, quomodo me laudare debes; ſcias pro certo, quòd omnis laus Filij laus mea eſt, & qui inhonorant illum, me inhonorant. Sic ergo laudabis: Benedictus ſis Deus Creator omnium, qui in uterum Virginis deſcendere dignatus es: Benedictus ſis Deus, qui cum Maria ſine gravamine eſſe, & carnem immaculatam ſine peccato ſumere dignatus es. Benedictus ſis Deus, qui ad Mariam cum gaudio animæ ejus, & omnium membrorum veniſti, & ſimiliter de eadem ſine peccato proceſſiſti. Benedictus ſis, qui Mariam Matrem tuã poſt aſcenſionem tuam crebris viſitationibus conſolatus es. Benedictus ſis, qui corpus & animam Mariæ in cælum aſſumpſiſti, & ſuper omnes Angelos juxta Deitatem tuam honorificè collocaſti: miſerere mei propter preces ejus. Vides hîc modum recitandi per myſteria roſarium quodammodo adumbratum, ut ſcias quòd ab ejus dilectiſſimo S. Dominico traditum fuit ab eadem B. V. profluxiſſe, eique eſſe longe gratiſſimum.

8. A B. Virg. Imperata.

Ipſe Dei & Virginis Filius audiente S. Gertrude eundem agendi cum B. V. modum uſurpavit, dum omnes in cultu Deiparæ admiſſas à Gertrude negligentias ejus rogatu ſupplere voluit. Sic ergo exorſus eſt: Ecce Mater chariſſima, tibi cor meum omni felicitate refertum offero, & in eo gratuitum amorem, quo te ab æterno ſuper omnes res creatas prædeſtinavi, & de nihilo produxi in tempore, ac ſanctificavi, atque in matrem meam ſingulari affectu delegi. Offero etiam eam omnem dulcedinem, quâ cor tuum perfudi, dum infantulum me ſinu tuo calefaceres, & lacte nutrires: omnem pariter ſinceritatem amoris, qua te ſum proſecutus affectu filiali, toto eo tempore, quo tecum in terris vixi, tibi ut Matri Filius ſubditus, qui

9. A Chriſto ipſo uſurpata.

cæli terrarumque eram moderator, & præsertim sub finem vitæ, cùm cruciatuum meorum quodammodo oblitus, tuique ex intimo corde misertus, tibi de fideli curatore & filio, qui partes meas impleret, providi. Præterea offero tibi affectum meum inæstimabili dignatione, & munificentiâ testatum die Assumptionis tuæ jucundissimæ, quo te supra omnes Angelorum, Sanctorumque choros vexi, & cæli terrarumque Reginam constitui. Atque hæc omnia tanquam modò renovata, & instaurata tibi offero, ex singulari in hanc meam amantem benevolentiâ, ut defectus ab illa in tuo obsequio commissos harum repræsentatione obliterem, atque illam tibi integrè reconciliem. Quid de modo Reginam cæli Deique Matrem compellandi, gratulandi, demerendi ulteriùs inquirimus, qui ab illa hac super re data documenta, & Filij ejus exempla tenemus?

10. Mortificationes.

Jam de secundo venerationis, amorisque genere, quod castigationes hoc fine susceptas complectitur, quid oportet dicere: cùm quantum illi hujuscemodi amoris testimonia placeant, tot prodigiosis eventis ostenderit: latronem multis cædibus infamem, quòd Sabbatho in ejus honorem abstineret, juvit in morte, post mortem animum cælo asse-

11. Latronis salus ex cultu Sabbathi.

ruit, corpus verò magnificâ sepulturâ honestavit; amantissimi clientis cilicium resarciit, monialem sibi addictam de variis instruens inter cætera etiam monuit, ut variis se in brachio punctuis cruciaret; & torquendo carnem tum Dei, tum suum amorem ac benevolentiam novis semper incrementis augeret.

12. Templa & ad illa peregrinationes.

Tertium genus amoris testificandi quàm approbet, & nix mediâ æstate cælo decidua templo in Exquiliis erigendo locum designans, & ob varias in ejus honorem consecratas fabricas præservatus ab ingentibus malis summus Pontifex, & usurarij ob altaris sui cortinas, in diem festum non restitutas mors, puerorumque funera, & conjugis admirabilis castigatio Romanis Principibus, ac reliquo propemodum terrarum orbi manifestata declarant.

Atque hîc patet quantus ex his tribus generibus aperiatur campus amoris in B. Virginem testandi: si enim recitando rosarium centies & quinquagesies nomen JESV, & trecenties nomen MARIÆ cum singulari cordis affectu pronuntiem, si toties cum Gabriele Archangelo de gratiæ plenitudine illi congratuler; si de Verbi incarnatione in ejus utero facta, si de Matris dignitate & potentia illi collata corde simul applaudam;

plaudam; si salutationum & congratulationum multiplicatione, sertum illi gratissimum contexam:

13. Alia varia. si in Litaniis elogia in ejus laudem ex sacris decerpta, & in ordinem digesta decantem, atque inter illa, tria quæ sibi esse acceptissima declaravit, majoris cordis affectu pronuntiem, scilicet Mater admirabilis, Consolatrix afflictorum, Regina Sanctorum omnium: si cum S. Joanne Damasceno versibus in ejus honorem pangendis animum applicem: si conscribendis in defensionem virginitatis ejus libris noctes cum Ildephonso pervigilem: si cum S. Luca pingendis ejus imaginibus studium & operam conferam: si cum tot sanctis Virginibus ornandis ejus altaribus, paramentisque ejus acu phrygia illustrandis oculos & digitos commodem; atque hæc omnia amoris instinctu & ductu, ejusque non solùm testificandi, sed multo magis augendi cupiditate aggrediar, atque perficiam, quantum, bone Deus! apud Matrem tam amabilem & munificam gratiæ & benevolentiæ colligam! quod quidem etsi non videmus modò, sed piè dumtaxat credimus, ubi dissipatis hujus vitæ tenebris dies æternitatis illuxerit, ille id non sine magno voluptatis sensu nobis aperiet.

14. Modus sic addicendi B. Virgini. Interea unum suadeo, ut quotidie, vel etiam per diem aliquoties hoc vel simili modo, te tuaque omnia ex Amoris sancti lege & præscripto dones, & tui amantissimæ Matri ad omnem ejus nutum committas & consecres: O Mater Dei & Virgo, quæ misericordiæ Mater appellari, & esse vis: en ego miserrimus homuncio, & omnium tuorũ clientium vilissimum mancipium, tuâ innixus clementiâ me tibi millies dono ac redono; meaque; omnes tam corporis, quàm animi vires & facultates tibi firmâ ac irrevocabili donatione consigno, ut iis ad amplificationem gloriæ Filij tui tuamque uti digneris, eo quo fieri potest modo optimo; hæc enim mea voluntas est, ut Filio tuo, tibique in omnibus placeam quàm maximè. Te suppliciter rogo, ut defectu:n meorum hac in parte veniam mihi impetres, & in eorum locum, tuas virtutes & merita, & heroicas actiones substituas, Deoque offeras: atque ut incipiam Deum amare quantum possum, ejusque gloriæ pro virili amplificandæ seriò posthac incumbam, tu clementissima gratiam, & vires obtine. Amen. Amen.

15. Singulis horis saltem quotidie. Hæc si quotidie, aut potiùs horis singulis, dum ex salutari consuetudine ad horæ pulsum legitur *Ave Maria*, constanter usurpaveris, quanta de cælo ad Amoris sancti consequendam perfe-

ctionem subsidia tibi accersis! volabis potiùs, quàm gradieris, & tam desiderati amoris incrementa miraberis. Ita expertus est beatus Petrus Thomasius ex Carmelitanorum familia sub annum 1614. Patriarcha Constantinopolitanus ab Urbano V. creatus, qui cùm se totum ob singularia ab illa accepta beneficia, B. Virginis honoribus propagandis devovisset, ejus ab originali peccato immunitatem constanter asseruisset, reliqua ejus privilegia doctis celebrasset encomiis, inter orandum laudes Mariæ miscebat, locuturus nomen Mariæ præmittebat, antequam mensæ accumberet, Mariana prūmebat elogia, cibumque putabat insipidum, si non Virginis condiretur memoriâ, omnibus inimici insidiis nomen Mariæ ut clypeum opponebat, ut non aliter quàm cordi S. Ignatij nomen JESU, ita ejus cordi nomen Mariæ videretur impressum; qui quantos ex hac erga B. Virginem devotione, in virtutum omnium & Amoris sancti consecutione progressus fecerit, res præclaræ ab illo gestæ, & prodigiis à Deo confirmatæ, & mors sanctè dæmonibus à B. V. fugatis obita, & veluti ad epulum vocaretur ab ipso lætanter admissa, & radiis de cælo ad ejus lectulum delapsis illustrata abundè testantur.

Bollandus ad 29. Ian. ex Wadingo.

16. Petri Thomasij cultus B. V. assiduus.

Sed accipe ex eodem fonte alterum B. Virginis ardentissimum cultorem, & magnis ab ea beneficiis ac præsertim amoris divini prærogativa dignatum Walterum de Birbek ex illustri in Brabantia familia oriundum: qui cùm erga Dei Matrem singulari amore ferretur, nec esset simplici sui oblatione contentus, sed coram Sacerdote fune collo suo injecto se servum glebæ, ut ait historia, super altare in paupercula Ecclesia Mariæ obtulisset, solvens illi singulis annis capitis sui censum, & variis deinde accessionibus, & obsequiis eam deinceps sibi demereri solitus fuisset; ab eadem tandem in Cistercienseem Ordinem sibi singulariter addictum accitus, ibique virtutum omnium exercitatione consummatus ipsâ evocante migravit ad cælum, & ab eadem miraculis post mortem est honestatus, ut etiam ejus fotulares, seu ocreæ ob paraliticum aliosque earum osculo sanatos, in altari ligneo in capella ad id erecta honoris ergò collocarentur.

17. Et Walcheri de Birbek. *Idem 12. Ianuar.*

Possem plures in medium adferre, qui singulari erga Deiparam affectu gradum sibi ad amoris divini omniumque virtutum consummatam perfectionem fecerunt: possem ex antiquis S. Cyrillum Alexandrinum honoris Mariani contra Nestorium usque ad

Et aliorum.

ad carceres propugnatorem: possem ex recentioribus sæculis S. Andream Corsinum apud B. V. singulariter gratiosum, & virtutum ac miraculorum prodigiis nobilitatum; possem & nostris ferè temporibus insignem ejus cultum, & ad celebranda Assumptionis ejus in cælo gaudia evocatum Stanislaum Koska in medium adferre; sed supersedeo; satis sit mihi illam esse Matrem pulchræ dilectionis, ut ejus cultu, opera, præsidioque ad Amorem sanctum assequendum enitamur.

CAPUT XXI.

Quomodo Amor sanctus inducat ad colendos Sanctos.

SAncti tripliciter considerari possunt. 1. Prout simul constituunt cœtum & Ecclesiam triumphantem in cælis ac simul omnes coli & honorari possunt. 2. Prout quisque eorum natali, & festo die ab Ecclesia militante celebratur in terris. 3. In quantum aliquos eorum in patronos elegimus, aut sorte accepimus ad mensem, vel annum, vel etiam omnem vitæ decursum.

1. Sancti colendi ob immensam gloriam.

Quantum ad primum attinet, non est dubium quin Amor sanctus in suorum animis magnam imprimat cælestis illius Jerusalem æstimationem, in qua cælestes cives laureati triumphant, & amicti paludamentis gloriæ in supremi Numinis laudibus, & amore sine satietate perennant. Collige animo quidquid unquam splendidum & magnificum oculos spectantium admiratione sui tenuit defixos & lutum reputabis si cum unico gradu gratiæ, multoque magis gloriæ conferatur: quid jam erit, si cum illa Sanctorum multitudine luminibus gloriæ undique coruscante conferatur!

2. Ob suam charitatem.

Jam verò, si ut quidam volunt, charitas patriæ specie à charitate viæ differt, atque ubi id contigit, inferioris speciei eminentissima perfectio, ad minimum superioris speciei gradum pertingere, ut dicunt, non potest; adeoque minima Patriæ charitas, quidquid unquã in mortalium pectoribus flammarum arsit in viâ, purissimo sui ignis splendore antecellit; quàm optabile est alis amoris & fidei ad illam cælestem curiam evehi, atque ibi non transcursim, sed aliquo tempore inter ista charitatis immensa incendia Sanctos contemplari, & eorum flammis incalescere. Ita agebat Paulus, & ut alij imitarentur optabat, cùm diceret: *Nostra conver-*

satio in cælis est. Quàm dulce est, JESVM Christum inter millia millium auro, gemmisque cælestibus fulgentium, eumque unicè amantium & immensis laudibus extollentium, splendidissimo supra cæteros gloriæ amictu radiantem intueri! quis ex tali conspectu totus flammis sanctissimi Amoris non inardescat? quis Christo de tanta gloria, tot spoliis; quis Sanctis de Christi consortio, de tanta in illos munificentia, de amicitiæ gloriosæ æternitate non congratuletur! Apparuit aliquando S. Pater noster Ignatius, cum nomine JESV in corde literis aureis descripto, ut quanto ejus amore arserit in terris, & nunc in cælis ardescat, ostenderet: non dubito, quin beatorum quisque hoc sanctissimum nomen stylo amoris pectori habeat insculptũ: ô glorioſa amantium spectacula, & ad inflammandos mortalium frigidos animos opportuna!

3. Ut S. Ignatius.

Itaque si cœtum illum Beatorum honorare volumus, eisque gratificari; gratulemur illis, & unà exultemus, quòd Deus illos æternæ suæ gloriæ non tantùm consortes; sed velut præcones fecerit: agamus cum illis sanctissimæ Trinitati pro tantis in illos collatis beneficiis prolixas gratias: congratulemur Christo de tam excellenti laborum suorum messe, & de tot voluntariis Amoris sancti in æternum captivis: hoc enim maximè à nobis exigunt Sancti, ut scilicet omnium corda in amorem Christi, laudationemque continuam rapiantur; & quod illis à nobis votum offerri potest acceptissimum, hoc est, ut cum illis ad amorem Christi purissimum & intensissimum Dei gratiâ opitulante aspirare, & occurrere aliquando possimus.

4. Gratulemur nunc illis.

5. Quatuor in iis amores considerandi. 1. Quo Deus illos amavit.

Ex his intelligi potest, quomodo quilibet Sanctorum die suis honoribus singulariter dedicato colendus sit: considerandi veniunt quatuor Amores. Unus, quo Deus illum ab æternitate gratuito amore è multis millibus elegit ad gloriam; ac seriem gratiarum toto vitæ decursu ei liberaliter suis temporibus dandam cum sancta usque in finem perseverantia, ac deinde gloriæ sempiternæ coronâ decrevit; qua jam ipse inter Dei amabiles amplexus & gratiarum actiones immortales fruitur in cælis.

6. 2. Quo Deum amaverunt.

Alter est Amor JESV Christi, quo Sanctum illum prosecutus est in terris, & cum illo jam conglutinatur in cœlis; dum viveret inter hujus vitæ discrimina, eum protexit, ejus vulnera sanguine suo abluit, & in meritorum suorum communionem sæpiùs admisit, & tandem felicitate perenni cumulavit. Si singula arenæ grana toto mundo dispersa in tot

tot Seraphinorum myriadas commutarentur, imò si omnes res creatæ quæ de facto sunt, & quæ creari possunt, in tot cælos tot Seraphinorum myriadibus plenos verterentur, qui quantum vires ferrent, supremum Numen amarent, nunquam tamen æquarent amorem, quo vel minimum Sanctorum Christus totâ æternitate prosequetur. O incomprehensibile amoris incendium!

7. 3. Quo eos Christus dilexit.

Tertius Amor est ipsius Sancti erga Deum, & Dominum nostrum JESVM Christum; cùm enim æternam illam supremæ Majestatis pulchritudinem, & bonitatem propiùs divino lumine adjuti contuentur, atque infinito, si dari posset, amore dignum vident, in flammas amoris toti abeunt, & interminabili illo pulchritudinis, & charitatis oceano penitus absorbentur. Cùm verò in Christi Humanitatem oculos convertunt, & illam propter immensæ gloriæ donorumque prærogativam summè amabilem aspiciunt, & insuper coronam immortalitatis quam gestant, ejus meritis contextam & paludamentum gloriæ quo resplendent, ejus cruore velut gemmis respersum tinctumque cognoscunt, & insuper ab illo se amari intensissimè, & ita æternùm amandos ac ejus amabili societate fruituros clarè contemplantur, quibus, quæso, putamus amoris ignibus illos accendi? S. Brigittæ inter orandum Sanctorum in cælo regnantium unus aliquis apparens, hæc dixit: Si qualibet hora, qua in mundo vixi, mortem pro Deo sustinuissem, & semper iterum revixissem; nunquam tamen his repetitis suppliciis & mortibus, grates beneficiis pares referre possem; nunquam ab gaudiorum ejus participatione, nunquam ab ejus gloriæ conspectu, nunquam in ejus societate exultantium cantu, & harmoniâ percipienda vel momento desistere possum. L. 6. c. 16.

8. Pro quo honores sibi delatos referunt.

Ex his deducitur 1. Sanctos, qui in cælis regnant, eos omnes honores, qui diebus eorum natalitiis ab Ecclesiâ deferuntur, supremo Numini, à quo gratiam conferente & merita coronante, proficiscuntur, in grati animi argumentum offerre: si enim Joannes in Apocalypsi vidit seniores ante thronum Dei procumbentes, & coronas gloriæ capitibus detractas ad pedes ejus deponentes; quorsum quæso id etiam non facerent de omnibus honoribus ab Ecclesia militante collatis? 2. Deducitur hoc etiam habere in votis, ut quidquid singuli vel jejunando in pervigilio, vel Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ ipso eorum natali die usurpando, aut divinis officiis assistendo, quidquid inquam obsequiorum,

quiorum, honorum, laudum congerimus; hoc ad gratias Deo pro ipsis agendas, & in honoris divini amplificationem, quàm maximo affectu à nobis referatur: neque enim sibi vivunt aut triumphant, sed Deo soli, cujus bonis affluunt & absorbentur.

9. 4. Quo clientes diligunt.

Quartus Amor est Sancti erga cultores suos, ad quos juvandos, & amore divino inflammandos toto fertur affectu; si enim Sanctus ille dum viveret, tanto salutis alienæ ardebat desiderio, si omnes ad Amoris sancti signa sequenda excitabat, quid nunc aget in cælis, ubi æternis Charitatis flagrat incendiis? quæ spes tam optatæ flammæ obtinendæ se offert, cùm tot ad illam mihi procurandam & dandam vota concurrunt? Si centum è Sanctis illustrioribus, quorum ingentem in Deum charitatem flammei radij circa eorum capita coruscantes ostenderunt, in unum simul conspirarent, ut junctis precibus pro Amore sancto mihi impetrando apud Deum ardenter agerent, rem ego tum confectam, & me votorum meorum compotem continuò futurum esse crederem: cur non etiam modò?

10. Gratiæ lucrandæ quantum studium esse oporteat.

S. Mechtildis cælestes illos cives aliquando proclamantes audivit: O bellæ animæ, quæ in terris degitis! quàm fortunatæ estis, quòd singulis momentis in charitate Dei crescere, & gloriosa vestra merita augere potestis! Si homo æquè ac nos cognosceret quantum gratiæ uno die lucrari possit; statim atque manè è somno excitatur, totus in obsequiũ Dei & virtutum actiones incumberet, atque ex omni eventu & occasione gradum sibi faceret ad sancti Amoris opes augẽdas. Tantundem ferè S. Margareta die sibi dedicato S. Gertrudi deprompsit: nec dubium si conniti velimus, eosque in auxilium vocare, quin continuò manus adjutrices sint allaturi.

11. S. Ignatius levem cultum quomodo sit meneratus. P. Barthol. in vita S. P. Ignatij.

Quod S. Pater Ignatius in uno è fratribus nostris ab ultima pernicie servando misericorditer ostendit: volebat is etiam post omnia superiorum dissuadentium consilia Christi castra deserere: unus aliquis è Patribus hominis misertus rogavit, ut vel unum *Pater* & *Ave* paucis diebus in honorem S. P. Ignatij recitaret; importunis precibus victus, promisit se facturum: & fecit, sed tam negligenter & tepidè, ut puniendus potiùs ob socordiam & contemptum, quàm juvandus videretur: & hujus tamen tam projectæ orationis fructum aliquem sensit: cœpit enim angi animo, ut nullam quietis partem caperet; hinc noctu consurgens & levandi animi gratiâ hortum suspiriosus inambulans, continuò splen-

splendido lumine circum omnia prope se coruscare videt, atque in medio luminis adesse S. Ignatium, cujus aspectu perculsus, animoque totus immutatus ad pedes ejus procidens; O Pater, inquit, tantúmne mihi confers gratiæ pro uno *Pater* & *Ave*? Fili mi, respondit Pater, paucis ego contentus sum. oculoque benignissimo illum intuitus, disparuit; ille tum humi procumbens, ac præ gaudio lachrymis madens, & inconstantiæ pœnitens, reliquum noctis prostratus exegit: ubi diluxit, superiorem convenit, veniam petit, & impetrat, & sanctè deinde vitam ad usque mortem in religione severus in seipsum, & ubi aspectus & verborum S. Ignatij subibat recordatio, ubertim plorans cum aliorum ædificatione transegit. Ecce ob unum *Pater* & *Ave*, Amorem sanctum non modò imminutum, sed planè deperditum misero Homini invocatus S. Ignatius restituit, quid non impetrabunt in hoc genere die natalitiis alicujus Sancti consecrato ferventes preces, & obsequia cum ardore præstita?

12. Eligendus Patronus è Sanctis.

Veniamus nunc ad alicujus Patroni de numero cælitum vel sorte vel electione nobis assignati particularem cultum. Nobis certè non bene consultum aut provisum esset, si sine Patrono hæc miserrima nobis vita decurreret: noluerunt viri sanctissimi, constantiores in bene cœptis, & contra hostiles impetus fortiores sine Patronis degere: S. Chrysostomus S. Paulum, S. Ambrosius Prothasiũ & Gervasium Martyres, S. Catharina Senensis S. Dominicum, S. Catharina Suecica S. Sebastianum, S. Eduardus S. Petrum in Patronos sibi delegerunt, & tu arundine mobilior, & plumâ levior, vitroque fragilior, aliquem è cælitibus tibi patronum non eliges? non arbitror te eò confidẽtiæ & audaciæ processurum; suppono itaque aliquem te habere. Hunc ergo considera divinitatis abyssо in cælo immersum continenter in te oculos habere defixos, ut tibi subveniat, tibique semper adsit in promptu, cujus cùm unica sit occupatio, Deum amare, ejusque gloriæ augendæ atque amplificandæ studiosè incumbere, facilè inde intelliges, quàm ad Amoris sancti consecutionem auxilio tibi sit futurus. Primò itaque vitam illius, si potes, lege, virtutesque, quas tibi futuras usui arbitraris, selige & ad imitandum propone. Deinde ubi classicum contra hostes insonuit, ubi vincenda aliqua animi commotio aut perturbatio, ad ejus auxilium accurre: præveni cultu aliquo & precatione matutina diurnos hostium assultus, atque ad eos prævertendos, aut declinandos,

nandos, aut si necesse sit, eos generosè sustinendos patrocinium ejus implora, ejusque fultus præsidio, illoque præsente, opemque ferente, & victoriam spondente contra teipsum pugnator, & adversus reliquos hostes debellator & triumphator assurge. O quot à talibus patronis in clientes beneficia derivantur! accipe pauca de multis, quæ passim occurrunt.

13. S. Augustinus obientem servat.

S. Augustinus Cæsaraugustæ in Hispania cuidam è Sodalibus B. Virg. in patronum menstruum obtigerat: hic in pontis transitu extremum ab equi ferocientis impetu periculum incurrit, sed equo in transversa trabe miraculosè subsistente Patroni ope liberatur: tum enim Patroni rosariolum percurrebat.

S. Barnabam cuidam in Brasilia eadem Sodalium sortitio menstrua in patronum dederat: qui clientem suum ab inimicis confossum, & vulneribus coopertum ac pro mortuo derelictum, de terra sublevat, & trans flumen deportat, perfectamque sanitatem restituit.

S. Hieronymus.

S. Hieronymus cuidam Neapolitano Sodali à B. Virg. ut mihi persuadeo, patronus assignatus, clienti suo, quem mali mores infamabant, severo vultu per noctem apparens, locum illi apud inferos paratum, nisi resipiscceret, ostendit: effecitq; ut vitam emendaret in melius.

Bolland. 17. Jan. 14. S. Genulphus in judicio particulari.

S. Genulphum Episcopum à Sixto 2. Pontifice in Gallias missum pro unius moribundi protectione cum aliis cælitibus disputantem audiamus; ita scilicet Sancti miserorum patrocinia affectant. Jacebat quidam adolescens Brito moribundus in villâ monasterio S. Salvatoris, in quo S. Genulphi coluntur reliquiæ, propinquâ; ac propterea à dicti monasterij Religioso omnibus Sacramentis ad mortem munitus fuerat: cùm ecce audiuntur cum dæmonibus pugnantium voces, dicentiumque: Quid maligni spiritus hîc expectatis? noster hic est per Dei clementiam; nam de nostris regionibus huc peregrinus advenit, dignumque est ut quorum servus fuit corpore, ab ipsis sublevetur in æterna requie: dæmonibus verò contra dicentibus, homines qui aderant voces quidem audiebant, sed neminem videbant: cùm ecce adfuit continuò ad caput infirmi S. Genulphus, fugatisque dæmonibus, conversusque ad tres Episcopos qui aderant, & inter quos cum dæmonibus fuerat altercatio, dixit: Quid hîc Domini expectatis? responderunt se esse Dominos ipsius infirmi, Episcoposque Britanniæ, venisseq; ut eum in æternam requiem perducant. Tum Genul-

Genulphus: Bene feciſtis, inquit, quòd veſtrorum curam habetis: hunc verò à meis Monachis Sacramentis munitum, mihiq́ue commiſſum meæ tutelę relinquite; dignum enim eſt, ut quem hactenus cuſtodivi, ego ipſe Domino JESV offeram: atque his auditis receſſerunt tres illi Præſules; moxq́ue infirmus apertis oculis, quorum fuerunt quas audierunt voces, & Epiſcoporum nomina aſtantibus manifeſtavit, moxq́ue iterum iis clauſis exſpiravit: erant autem Epiſcopi Paulus Præſul Lernenſis, de quo 12. Martij: Machutus Alethenſis, de quo 15. Novemb. & Sampſon Dolenſis 28. Julij. Beata anima quæ Patronis ſuis ita obſtrinxit obſequiis, ut pro illa in articulo mortis juvanda fuerit inter Patronos amica concertatio.

CAPUT XXII.

Quomodo colendo Angelum Cuſtodem Amori ſancto obſecundemus.

1. Colendus Angelus Tutelaris.

DIcamus aliquid de Angelo Cuſtode, qui meritò inter Patronos primas partes tenet, cùm illum non arbitrio noſtro aut electione, ſed Dei aſſignatione ſortiti ſimus, qui admirabili affectu ac benevolentia nobis de tã nobili Pædagogo, Protectore, ac manuductore providit: cultus ejus in tribus potiſſimùm conſiſtere mihi videtur; in magna de illo exiſtimatione, in quotidianis obſequiis, atque in magna ad ejus voluntatem conformatione.

2. Ob naturæ præſtantiam.

Ac primò magna exiſtimatio ab naturæ in illo præſtantia, à præclara intelligendi vi & contra hoſtes noſtros vigilantia, à potentia & gratia apud Deum & à ſingulari qua in noſtrum bonum fertur affectu haurienda eſt: Primò quidem omnibus omnino mortalibus, quantumcumque donis naturæ & gratiæ opumq́ue aut rerum geſtarum magnitudine & gloriâ præſtantibus dignitate antecellit, & anteſtat Majeſtate & pulchritudine; nullâ unquam vel minimâ peccati maculâ contaminatus ac inſtanti creationis gratiâ ornatus, ac paullò pòſt gloriæ ſempiternæ amictu coruſcans inter Dei aulicos perpetuis affluit deliciis; & tamen ad infirmi vermiculi cuſtodiam, ad ejus faſtidia toleranda, & recalcitrantem indolem patienter ferendam, molliendam, dirigendamq́; deſignatur; & id muneris obit perlubenter.

Jam verò admirabilem in eo intelligendi vim quis non ſuſpiciat, qui rerum omnium naturas comprehendit, & ipſum naturæ

auctorem indefesso mentis oculo contemplatur, & tamen ad minutula, quæ nos concernunt, discutienda descendit?

Potentia ejus tanta est, ut montes complanare, civitates solo æquare, armatorum millia internecione delere, vel in ictu oculi possit: at verò contra dæmones clientium suorum hostes ipsi tum virtute propriâ, tum auxilio divino fulti quid possint, nemo satis deprædicet, nisi qui post hanc vitam propiùs ista conspexerit.

3. Ob amorem ejus in clientẽ.

Sed quid de amore benevolentiaque erga clientes dicemus? omnium mortalium erga aliquem affectus, ac necessitudines etiam in unum collatas anteire mihi videtur.

4. Quem Dei charitate metitur.

Cùm enim hic amor à charitate, quâ fertur in Deum, velut à fonte suo profluat, eumque tanto ardẽtiùs amet, quò se magis videt à Deo diligi: cumque amor Jesv Christi erga clientem illum sit quodammodo infinitus, quique vel ad mille cruces pro ejus salute subeundas adigeret, si salus ejus id poscret, dubio procul habent hæc ingentes apud Angelum stimulos ad eximium amorem erga clientem excitandum. S. Dominicus similibus cogitationibus exstimulatus pro unius hominis salute omnium membrorum lanienam, & in minuta frustra concisionem libenter pertulisset, quid ergo Angelus pro cliente? Dominicus Dei Christique immensam charitatem videbat per speculum in ænigmate, Angelus in suâ excellentiâ & luce meridianâ clariùs eam intuetur, divinisque circumfusus absorbetur incendiis: quantò ergo illum par est erga nutricium suum amore inflammari? si unus ipse omnium beatarum mentium in intelligendo vim, omnemque earum ad procuranda bona, & averruncanda mala potentiam nactus esset, id omne procul dubio in sui clientis bonum impenderet: quid enim aliud habet in votis Angelus quàm desideriis divinæ majestatis obsecundare, & in cliente suo formando fingendoque ad æternæ legis præscriptionem, Dei gloriam amplificare quantùm potest?

5. Et ejus in eundem obsequia.

Hinc exstant tam multa, tamque varia ab Angelis in clientes officia, & beneficia, quæ sicut admirabilitatis habent non parùm, ita ad eorum amorem venerationemque in nobis excitandam valent plurimùm. Adolescenti, quod periculosæ aliorum Societati si immiscuisset, colaphũ Angelus impegit; uti & Franciscæ, quòd otiosis fabulis tempus inutiliter consumpsisset: uni de B.V. congregatione, dum se ad exomologesim parat, oblita peccata in memoriam revocat: Sanctimo-

ctimonialem obscœnis repræsentationibus vexatam, monet, ut versum hunc frequenter habeat in ore : *Confige timore tuo carnes meas ; à judiciis enim tuis timui* ; & levamen inde pollicetur, uti evenit. S. Idæ nimis arcta & supra vires severa jejunia reprehendit, & carnis edulium adfert ipse, jubetque ut vescatur : Deum rogat ut Brigittam rebus adversis exerceat, in superbiæ nascentis remedium : S. Politum de dæmonis fraude sub specie Jesv Christi insidias molituri præmonet, ut cùm venerit, dicat illi : Si tu es Christus, flectamus simul genua, & Patrem deprecemur. quod præ superbia dæmon ferre non potuit. Officium Romanum cum S. Veronica à se instructa recitat: S. Bernardi Monachos ad *Te Deũ* animosè concinendum excitat; S. Munnum in diuturnæ lepræ molestiis corroborat: S. Franciscum inter acutissimos dolores verbis amantissimis consolatur: S. Lyduinæ variis morbis laboranti assistit longo tempore, & variis, admirandisque obsequiis ejus animum demulcet, & erigit: S. Aldegundem, ut se ad mortem impendentem paret, admonet: S. Dominicum Abbatem ad imminens cum illo certamen præmunit: plurimorum Sanctorum, ut Pauli primi Eremitæ, Majoronti, Anthinij, Euthymij, aliorumque complurium animas in cœlum defert. Clientes in flammis purgantibus constitutos consolari, non semel à S. Brigitta visus est: exequias S. Simeonis Stylitæ in candida veste & virgã auream manu gestans honorat, in funere verò S. Rigoberti cælesti musicâ cum commilitonibus applaudit: in S. Henrici Angli exequiis *Te Deum* concinit : B. Gualteri de Brugis Pictavienſis Episcopi ex S. Franciſci assectis, quæ ad juuandos pauperes contraxerat nomina, post ejus mortem dissolvit. Denique quidquid ab aliquo in terris amico, sincero, vigilanti, & locuplete præstari potest, hoc totum Angeli in clientum suorum gratiam studiosè contulêre : ac præsertim in iis, quæ animæ salutem propiùs tangunt.

6. In divum Petrũ Ap.

Quorum imaginem in B. Petri è carcere liberatione excellenter adumbratam unà mecum contemplare. 1. Petrus detinebatur in carcere, & traditus quatuor quaternionibus militum custodiendus servabatur diligentissimè ; nam vinctus catenis duabus inter duos milites cogebatur dormire, aliis ad ostium carceris excubias agentibus : en exemplum hominis in corporis ergastulo degentis, qui malâ peccandi consuetudine, & perversis habitibus velut vinculis illigatus, à dæmonibus, ne elabatur & resipiscat,

diligenter ſervatur. 2. Petrus in extremo licet vitæ periculo conſtitutus (nam ſequenti die educendus erat ad mortem) tamen tanquam ſecurus capitis altè dormiebat: ita peccator licet incertus, an iſto die rapiendus ſit ad Tribunal & cauſſam pro æternitate pœnæ vel gloriæ dicturus, in ſuis vinculis altum ſtertit. 3. Adeſt Angelus, & lumine carcerem perfundit, Petrum percutit, & verbo excitat, dicens: Surge velociter: cadunt catenæ de manibus ejus: monet illum Angelus, ut præcingat ſe, caligas induat, & circumdet ſibi veſtimentum ſuum, ac ſequatur. Ita cùm cliente agit bonus Angelus, mentem ejus illuminat, & percuſſu lateris, hoc eſt, conſcientiæ, excitat, peccatorum vincula diſſolvit, dovis propoſitis, & virtutibus velut veſtimentis inſtructum ſequi mandat. 4. Angelus & Petrus illum ſequens tranſeunt primam, & ſecundam cuſtodiam, & veniunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultrò aperta eſt eis: nimirum id agit Angelus noſter tutelaris, dum dæmonum excubias ludificat, & ferreos difficultatum obices in nova vita inſtituenda, occurrentes ſternit, & viam aperit, ac tandem in plenam libertatem filiorum Dei aſſerit. Felix anima, quæ ſe totam Angeli ſui tutelæ commiſit, in quo naturæ excellentia cum humilitate; ingens fortitudo, & robur cum manſuetudine, & familiaritate, & ſtatus independens cum ſingulari erga nos amore & in procurando bono noſtro vigilantia ſemper conjuncta fuit, id agente Dei gratiâ, qui, ut ait Dionyſius, erat in illis ſimul condens naturam & largiens gratiam.

7. Quibus officiis.

Videamus nunc quibus obſequiis tam munificum Protectorem demereri poſſimus: non eſt dubium quin quotidie aliqua precatione ſalutandus ſit, & rogandus, ut, quod maximè habet cordi, nos ab omni peccato præſervet, & ad ſtudium virtutum animos nobis & auxilium præbeat. Quòd ſi officium de Angelo Cuſtode, in quo aguntur gratię pro cuſtodia, ejuſque dotes & beneficia prædicantur, ac ſubſidium imploratur, diebus ſingulis recitaveris, dubio procul non parvam apud ipſum colliges gratiam. Si propterea ad egreſſum, ingreſſúmve cubiculi illum ſalutaveris, & primas partes illi detuleris, facies, quod ab aliquibus ejus clientibus factitatum legimus.

8. Committendo ferventem orationem Deo offerat.

Verumenimverò unum autalterum Angelo tuo gratificandi modum ex ſacris paginis, ſi placet accipe: ſignificant illæ orationes noſtras Deo ab Angelis præſentari, & Angelum Raphaëlem dixiſſe Tobiæ: *Obtuli orationem tuam*

tuam Domino. non quòd Deus hoc ministerio egeat, qui immensitate suâ replet omnia & preces ac desideria in ipsismet cordibus intuetur; sed quia Angelus nostris orationibus suam ipse supplicationem adjungit, atque ad clientis vota promovenda, studium atque operam impendit. Jam vide quantò gratiùs multo accidat Angelo, si fervente̅m orationem Deo repræsentandam ei tradideris, quàm si flaccidam, negligentem & distractam. Certè hortulanum malè habet, si dum hortum obambulans, quærensq; quid ex illo acceptum Domino suo efferre possit, nihil in illo nisi herbas marcidas, fructusque arrosos deprehendat. Pædagogus, dum puer suæ disciplinæ concreditus ad Patrem literas dare jussus, adfert epistolam, quã scripsit maculis respersam, liturisque deformatam, illam continuò lacerat, & correctiorem scribi imperat. Paulinus Præsul Nolanus ex charitate in proximum captivus, & horti Domini sui cultor effectus, dum quotidie Domino herbas recentes, & teneras ac virides defert, singularem apud Dominum suum peperit sibi gratiam: ad eundem modum, si orationes nostras, aliaque virtutum opera suis absoluta numeris Angelo nostro committimus Deo repræsentanda, non est dubium, quin id accidat illi gratissimum: sicut è contrà non parum offenditur, dum nihil nisi tepidum, & divinæ Majestatis conspectu indignum adferimus.

9. Tradendo seipsum regendum ad Dei gloriam.

Alterum est, si quotidie animi corporisque vires omnes ei summo jure gubernandas ad Dei gloriam tradimus, atque ut equus docilis sessoris manum sequitur, ita nos ad ejus arbitrium flectendos lubentes volentesque committimus. Melius auro, argentóve ad elegantes statuas efformandas utetur peritus aliquis aurifex, quàm ignarus & negligens nulliusque industriæ; ita de nobis melius aliquid fiet, si Angeli ductricem manum sequamur, quàm si nobis nostræque ignorantiæ, & væcordiæ relinquamur: operabimur tum ut Angeli terrestres, & actionibus nostris Deo gloriã, proximis nostris salutare exemplum, nobis verò locupletem in cælo mercedem comparabimus: & verò si Angeli interdum ad ministeria humana sese demisêre: si dum Walterus Birbeck Sacrum audit, Angelus ejus sub militis formâ in hastiludio comparens, egregiis facinoribus palmam aliis eripit: si dum B. Drogo opilio Romam è Belgio, peregrinatur, Angelus opilionis & ipsius Drogonis os, vultumque repræsentans oves custodit; cur etiam nos Angeli nostri subsidio

in

in Angelicos mores non transformetur? facite hoc, boni Angeli, & instauratis utrimque pactis, nos corruptione à serpente inductâ exuite, & in vestrum agendi modum traducite.

CAPUT XXIII.

Quomodo Amor inclinet ad amandum proximum in Deo, & propter Deum.

1. Amandus proximus quia similis naturæ nobiscum.

CUm doceat nos Theologia charitatem unicam esse virtutem, quæ inclinet ad amandum Deum propter se, & proximum propter Deum, adeoque secundariæ quodammodo Amoris sancti partes sint erga proximum; videamus nunc quomodo id præstari possit.

Amorem naturalem à natura insitum videmus etiam in bestiis; nam & canum amor est in Dominos, odium in externos; amat Mater sobolem & ab illa viciſſim amatur, & fratrum propinquorumq; amicitia, ex eodem fonte nascitur: alij à consuetudine, & affinitatibus, aut studiorum caritate aut similitudine originem trahunt, & amicitiam aliquam benevolentiamque conciliant: atque hæc omnia quando citra naturæ terminos subsidunt, nec altiùs per divinæ gratiæ subsidium assurgunt, annos nostros consumunt, delectabiliter quidem ad hujus vitæ voluptatem, sed infructuosè, ad eam, quæ maximè post hanc vitam expetenda est, gloriæ æternitatem.

2. Magis propter Deū, quia Dei est.

Amor sanctus in Deum tendit, nec proximum respicit, nisi in Deo, & propter Deum; quod pluribus modis fieri potest. Si aspicio proximum, ut rem Dei, ad eum amandum, eique serviendum, & gloria, honoreque prosequendum à Deo ipso conditam, atque destinatam: ut enim filius Patris sui servum amat eique bene vult, & bene facit, ut tantò meliùs & diligentiùs Patri suo gratificetur, ita hîc.

2. Quia à Deo amatur.

2. Amo proximum, ut amoris divini objectum, quem Deus amore sempiterno dilexit, quem condidit, pro quo Filium sanguinem fundere voluit, quem in filium adoptavit, & regni æterni participem secum facere proponit eodem modo, & ad eundem finem eum amare volo.

3. Quia est Dei imago.

3. Proximum amo, ut Dei imaginem vivam, & quidem ejus manu efformatam, & mihi hoc titulo ad amandum ab ipso propositam; non ut amor noster ibi hæreat, sed transeat, atq; in ipsum feratur prototypum: quod si imagini illi aliqua ornamenta addere, aut aspersas alicubi sordes absterſ-

abstergere meâ industriâ possim, ad id omne studium operamque libenter conferam, ut Deo hac parte obsecundem.

4. Quia Vicarius est Dei in accipiendo amore meo.

4. Amo ut Vicarium Dei loco positum, ut ejus nomine obsequia mea, omnemque amoris testificationem excipiat: unde proclamavit: *Quod uni ex minimis meis feceris, mihi fecisti*: si illum diligis, si colis, si nutris, si solaris, id mihi acceptum feram: si illum defendis, te protegam; si errata ejus toleras, tua feram; si illi ignoscis, & ego tibi condonabo; si contrà severè cum illo agis, talem me erga te senties: quia quacumque mensura mensus fueris, remetietur tibi. Mater, quæ à se amatum infantem alterius curæ committere cogitur, hoc unum habet in ore: Quod erga infantem præstiteris, mihi factum putabo.

3. In illo Deus intuendus.

Videamus modò quæ cum his quatuor modis amandi proprium velut consectaria, connexaque sint. 1. Est quædam mentis supra res aspectabiles elevatio, & quidam amabilis præsentiæ divinæ in illis intuitus: ut possit, qui hoc pacto proximum amat, dicere cum Apostolo: *Neminem jam secundùm carnem novimus*: &, *Non est gentilis, aut Iudæus, barbarus aut Scytha, liber aut servus, sed omnia & in omnibus Christus*: ibi ajebat B. Franciscus Salez, ibi in pectore Christi, amabilis est proximus; qui extra cor Christi illum aspicit, periculum incurrit impuritatis, & inæqualitatis in amando. Cumque apud illum unus ex amicis familiariter conquereretur quòd nimiis ab illo honoribus afficeretur; dixit: Quantum putas te valere in Christo, quem in te aspicio? & cùm idem ejus alloquium deposceret, ipseque cum vetula occupatus lõgiores moras traheret; diceretq; alter illi; quid in illa edentula reperisset, quòd tanto tempore detinere potuisset: respondit, illam amari à Christo, & clariùs videre quæ sunt Christi, quàm multi, qui de visus acumine in similibus gloriantur: videbat ipse in illa JESUM Christum, & amoris Christi argumenta deprædicabat, & honorabat.

4. Ipsi bona præsertim animi procurando.

2. Cùm proximus constet animâ & corpore, & quatuor illæ considerationes animum ejus potissimùm spectent; fit ut Amor sanctus bona animi præcipuo studio procuret; hinc peccantes corrigere, ignorantes docere, & virtutum amorem in proximis accendere, aliis erga corpus proximi officiis, beneficiisque anteponit.

Licet sit peccator.

3. Conficitur proximum, etsi natura, morumque vitiis contaminatum, imò & hostem facile amari, ab illo qui illum ut rem Dei, ut ejus imaginẽ & vicarium,

ut ab ipso amatum & à nobis ad amandum propositum capacemque æternæ cum Deo beatitatis intuetur ; neque enim hos titulos aut deformitas corporis, aut hebetudo mentis, aut morum malignitas delet, aut obducit: unũ ab altero cogitatione disiungi, separatique potest ; nec opus est ut amor ille sit cum aliqua sensibili teneritudine conjunctus ; si sit amor electionis, & actuosus ; ac ut amorem illi, & voluntate, & opere verè velim impendere.

5. Ex hoc amore quid commodi.

4. Sequitur inde eum, qui hoc modo proximum amat, immunem esse multorum defectuum, quos alioquin incurreret: non sequitur malos in amore duces, non formæ, non gratiæ æternæ adhæresci ; non ad commoda propria, aut voluptatem amorem detorquet ; non temporis, non aliarum bonarum actionum, ut amato faciat satis, jacturam facit: unum Christum aut ejus insignia in eo respicit ; ad alia cæcus est: de illo non malè loquitur, ne illud in Deum redundet ; fugitque omnem erga illum injuriam, ne Deo ipsi injuriosus sit.

Ne tamen ames proximi vitia.

Neque propterea inducas in animum, amari in proximo vitia: ita quemquam, quidquid in eo vitiosum occurrit, adversari, ut hominem oderit : trahit enim secum amor ille, iis principiis, quæ diximus, subnixus, odium perfectum : quod secundùm Augustinum *nec justitia, nec scientia caret, id est, ut nec propter vitia homines quis oderit, nec propter homines vitia diligat : rectè ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam, ut nec propter vitium creatura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur.* Amor sanctus naturam respicit ut à Deo, mores perversos, ut quid ascititium ab homine, &, ut ait idem Augustinus, *novit amare quod facti sunt, & odisse quod faciunt.* In sentent. Prosp. Ibid.

6. Ingens lucrum ex hoc amore.

Quis ineat numerum actuum charitatis, quos vel per unicum diem exercet, qui semper in proximo Deum intuetur ? nam si obvium salutet, si alloquatur, si obsequia deferat, si aliquid postulanti annuat, non hæret in istis exterioribus, sed mentis oculum in Deum dirigit, considerationibus supradictis jam usu & exercitatione assuetus. Nec opus hic fortunæ bonis, quæ profundas in pauperem. Dives & pauper æqualiter dant, inquit Anselmus, si ex tanto dant, quantum habent ; & S. Leo : Potest esse par animus, ubi dispar est census : habent omnes hanc exercendæ charitatis facultatem, quæ ipso usu augetur. *Crescit semper*, inquit Augustinus, *facultas charitatis, dum usu major, & largitate fit ditior* : sicut parcitate & nimio sui amore paulatim restringitur, marcescit, & perit ; unde

unde rectè amicum monet S. Paulinus: *Cave ipsum te tantummodo ames; utilia aliis cura, ut tui impensiùs cura sit.*

D. 34.

CAPUT XXIV.

Quomodo Amor sanctus exerceatur in conversatione.

1. Etiam in solitudine curari potest salus proximi.

NOn est ab actibus amoris exclusa solitudo, & ab omni cum hominibus consuetudine secessio; potest enim multa bona velle proximo homo solitarius, potest cum sancto viro ex Ordine S. Francisci noctes integras proximorum saluti pro illis orando impendere, & cum illo clamare: *Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ:* potest cum Jeremia deflere peccata populi; potest cum Anachoretâ Dei opem auxiliumque implorare pro mortalibus, cum dæmone decertantibus; potest cum plerisque sanctorum castigationibus variis in seipsum sævire, ut peccatoribus ad vitæ emendationem gratiam impetret, & plerumque efficaciùs, quàm ij qui de suggestu ad confertam multitudinem cum plausu dicunt, quod in supremo judicij die orbi revelandum S. Franciscus arbitratur, dum ab illis factum videbimus, quod de Moyse scribit S. Ambrosius: *Qui cùm taceret, clamabat; cùm otiosus esset, prælabatur, & de hostibus, quos non contigerat, triumphabat.* Ferunt Sacerdotem virũ sanctissimum, quem sermonibus cum proximo de animi salute habendis fœda balbuties arcebat; solitum sententias, & rationes, quæ ad correctionem alicujus, quem animo designabat, facere videbantur, in chartula exscribere, eamque ad Christi crucifixi pedes deponere, & tamdiu dies etiam complures orando instare, donec veritates in chartula exaratæ, illius animo, cujus emendationem petebat, altè imprimerentur & ad mores in melius mutandos hominem inducerent: revelatumque est loci Episcopo in tota ejus diœcesi neminem majus balbo illo lucrum animarum facere.

L. 1. de Off. c. 2.

2. Miro modo.

Arsenius aspectum sui, imò & recordationem in precibus matronæ cuidam denegavit, non odio sexus; nam proximum suum à se tenerrimè amare testatus est Abbati Marco; nec dubium quin aliquas ex illis, quas continuò fundebat, lachrymis pro proximo offerret: sed volebat, indepictum, ut nominat Blosius ad cælestium contemplationem intellectum adferre, & cum cælestibus versari.

P. Didacus Martinius è Societate

Et fructu.

tate noſtra præter decem horas, quas ſingulis diebus orationi dabat, quatuor prætereà millia actuum amoris Dei die illo exercebat : & tamen ampliorem cæteris meſſem animarum in Dei horrea congerebat. Erat enim ex illis, qui, ut loquitur S. Auguſt. *Ep.* 116. *Deificantur in otio*: imitantur enim Deum, qui ſemper immotus, & tranquillus maximas rerum converſiones operatur.

3. Et in converſatione ſi non niſi ad utile colloquiũ excas.

Jam videamus ſanctiſſimorum virorum præclara de conſuetudine cum hominibus documenta, quæ ſanctus Amor ſuis clientibus ſequenda proponit. 1. Baſilius ſermone de obedientia, Quantum in te eſt, inquit, omnem in publicum egreſſum vitato, ac mentis hoc modo diſtractiones fugito : quòd ſi ut aſſolet, aliqua neceſſitas incidat, propter quam è cella tibi prodeundum ſit, priùs te Dei timore velut firmiſſimâ loricâ muni, & charitatem Chriſti velut validiſſimum ſcutum manu inſertâ apprehende.

S. Gregorius 31. moral. c. 14. Neceſſe eſt, inquit, ut per omne quod agimus hinc pondus laboris, illinc fructum æſtimemus ; & cùm fructum pondus ſuperat, laborem quiſque innoxiè declinet: *L. de tranquill. c.* 12. nam, ut bene advertit Seneca, ſæpè eſt labor irritus ſine fructu, aut effectus labore indignus.

2. Monet ſcriò ante egreſſum dirigendam intentionem. Notat S. Ambroſius, Noë non egreſſum ex arca, etſi aquæ defluxiſſent, *niſi Deo jubẽte*, quia qui cæleſti ingreſſus erat oraculo cæleſte, inquit, debuit expectare reſpõſum. Hinc monet S. Gregorius, ne mala quoquomodo poſtmodum, ne bona incautè peragamus : quia juſto Dei judicio ſæpè culpa deprehenditur, quod virtus ante judicium putabatur, & inde expectatur pia merces operis, unde ſupplicium juſtæ ſequitur ultionis : adfertque exemplum amicorum Job, qui rectâ intentione ad eum conſolandum venerant : ſeptem diebus & noctibus ex commiſeratione in terra ſederunt, in decurſu tamen ex præcipiti locutione reatum reprehenſionis incurrerunt, qui deinde Jobi oratione & ſacrificio expiandus fuit. Si rectè offeras, & nõ rectè dividas, peccaſti ; rectè offertur, cùm rectâ intentione aliquid agitur: non rectè dividitur, ſi non hoc quod piè agitur, etiam ſubtiliter diſcernatur.

4. Si dirigas intentionem antè egreſſum. *L.* 3. *Mor. c.* 10.

Genes. 4. *ſecundum* 70.

Quantum damni, leviter aſſumptæ, & minùs circumſpectæ excurſiones attulerint, Diana & Thamar oſtendunt ; illa curioſitate, hæc fratris ægroti commiſeratione inducta, quæ etſi non adeò peccaſſe primâ fronte videri poſſint, tamen cùm earum cauſſa tantùm ſanguinis effuſum conſpicimus,

cimus, meritò ut minus circumspectè obitas damnamus.

5. Procurator ob malam conversationem damnatus.

B. Jordanus à Saxonia Ordinis Augustinianorum Prior Generalis narrat Procuratorem quendam sui Ordinis, hominem in conquirendis eleëmosynis industrium ac propterea in conversatione cum sæcularibus nimis effusum, cum quo quòd famulum aleret, Superiores dissimulabant; apparuisse post mortem seniori Religioso magnæ probitatis; & cùm se damnatum ad inferos diceret; addidit: Superiores per quod voluerunt, ut esset mihi ad tempus bene, fecerunt ut esset æternum malè. Aqua, quæ proximè scaturiens & saliens è fonte Chrystallina est; si in locum

6. Periculum ex conversatione.

lutulentum defluat, sordibus inficitur; ita religiosis accidit, dum cum sæcularibus nimij sunt, impleturque in illis illud Psalmistæ: *Commixti sunt inter gentes, didicerunt opera eorum, & factum est illis in scandalum*: dum contrà Carthusianos vigere intuemur, illosq; vitæ religiosæ disciplina excellere; dum solitudini inhærent, juxta illud: *Per tria so, su, si Carthusia permanet in vi*: hoc est, per rigidam observantiam solitudinis, superiorum visitationes, silentij disciplinam Carthusia permanet in vigore. Corvus arcâ emissus cadaveribus pascitur; columba non reperiens ubi pedem figeret, fatigata ad arcam regreditur, & manu Noë apprehensa intromittitur: adeò egressiones in sæculum noxiæ plerumque sunt, & inutiles laborisque ac fastidij plenæ, à quibus ut in pristinam tranquillitatem homo redeat, gratiæ divinæ subsidio, ac velut manu opus est. Rectè dictum est ab illo, qui expertus fuerit; *Quoties inter homines fui, minor homo redij*: quia tamen charitas & obedientia ad id sæpè nos impellit; videamus quid præter rectam intentionem, & brevem oratiunculam, de quibus jam diximus, à nobis requiratur.

Primò ergo exteriorem hominem bene compone: *Habitus mentis*, inquit Ambrosius, *in corporis habitu cernitur*: hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior æstimatur. *Toties nos æstimari putemus, quoties aspici*, inquit Seneca. Si consilium à S. Bernardo petis, respondebit tibi, quod Eugenio: *Mediocritatem tene, ut neque de gravitate sis oneri, neque de familiaritate contemptui.* Inanitas morum, secundùm Aristotelem, animos conciliat, & πολυφολιον parit.

7. In qua cave. *L. 1. de Off. c. 18.*

De tranquillitate c. 15. l. 4. conf.

Sed cùm in istis cum proximo congressibus præcipuas partes agat lingua, in ejus præsertim intemperantiam invigilandum est. *Complures*, inquit S. Ambrosius, *vidi in peccatum incidisse loquendo, vix quemquam tacendo.* Sequamur er-

Ob loquutionē intempestiva. *P. 1. de Off. c. 2.*

go consilium S.Bernardi, & quod Eugenio scripsit, nobis dictum putemus: *Vultu serenus, verbo severus*; ita tamen ut habeat locum Eutrapelia, quam inter virtutes collocant Aristoteles & S.Thomas, quæ aliquid recreationis, & leporis prudenter immiscet. S. Bernardum hac in parte imitari par est, qui etsi nunquam ridere, sed subridere dumtaxat visus sit, solo tamen visu, ait Scriptor vitæ ejus illi perfamiliaris, erat lætificans intuentes, & omnis generis homines suâ comitate capiebat.

8. Portas sensuum clausas habe.

Item S. Xaverium congressibus cum proximo pium, serium, jucundum, affabilem, qui actionibus & verbis proximos ita sibi conciliabat, ut Paulus Japo se in ejus Societate sine fastidio orbem perambulaturum diceret. Nollem te de eorum esse numero, qui, ut dicebat Senex, habent portas sensuum & sermonum patentes, ut sine delectu omnia intrent & exeant; nec ex illis esse, quos SS. Patres dicunt esse ad instar fluminis extra ripas salientis, & ad alveum multum arenarum & luti revehentis: nec denique ex eorum cœtu, qui silentium pœnam putant: cum Gregorio Nazianzeno malle te silendo rusticum, & idiotam haberi, quàm in multiloquium imprudenter effundi. Hoc ipsum monet S. Ambrosius, & id consilij sequutus est ipse, constantiâ admirabili; hoc ab anima Christiana exigit S. Chrysostomus, quod & ipse præstitit, nunquam verbum leve aut otiosum locutus; hoc in S. Malachia laudat S. Bernardus, & in S. Basilio à calumniantibus defendit Gregorius Nazianzenus; cùm enim propter seriam gravitatem quasi supercilliosus haberetur: Nónne potiùs hæc laudem meretur, inquit? nisi quis etiam leonem accusandum putet, quòd simiæ parem oculorum obtutum non habeat, sed torvum quidpiam atque horrificum, ac regium intueatur: ipsemet Gregorius illum hac in parte imitabatur, Philosophum potiùs, quàm popularem hominem præ se ferens.

9. *Apoc.* 3. Multiloquium vita.

Quàm verò periculosum sit, in sales & jocos ac nimiam loquacitatem intemperanter effundi, docet Prælatus ob id graviter post mortem punitus; docent duo ex ordine severo Religiosi à suis post hanc vitam torreri visi; docet Sanctimonialis, apud S. Gregorium, superiori parte corporis ob garrulitatem inter flammas ardente, reliquâ parte ob castitatem servatur innoxia: docet Novitius ex Ordine S. Franciſci Parisiis morti vicinus, qui exclamavit: Me miserum, ut quid natus sum? & paullò pòst, Saltem, inquit, justè ponderate, adjungite aliquid mo-

Ob ejus supplicia.

meritorum Christi, ejusque passionis. 3. dixit: Bene res habet. Interrogatus deinde ab his, qui audiverant, quid sibi ista vellent: dixit se vocatum in visu ad judicium, atque in statera appensa bona opera, & mala: hæc verò *propter crebra verba otiosa, & inanes risus* illis præponderasse: propterea primum emisi verbum; tum recordatus valoris meritorum Christi, rogavi ut ex illis aliquid meis qualibuscumque adjungeretur operibus: atque his additis sententiam reportavi favorabilem; & hinc tertiæ vocis occasio.

10. Qui conversatus est quasi in specula, Epist. 3.

Esto ergo tum circumspectione in verbis, tum habitu corporis, & actionum præstantiâ similis columbæ, quam, ut ait S. Basilius, auceps variis odoribus perfudit, ut fragrantiâ alios alliciat: & tibi dictum puta, quod S. Hieronymus Heliodoro: *Conversatio tua quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ. Cave ne committas, quod qui reprehendere volunt, digne laceræ esse videantur; aut qui imitari, cogantur delinquere.* Quod confirmat pluribus in Apolog. Gregorius, qui propterea vult, ut qui cum hominibus versantur & animarum lucro student, sint ad instar auri & argenti bene probati, quod scilicet dum omni ex parte variis temporibus probatur, & exploratur, cavere debet ne adulterinum, & subæratum, quid tinniat, maloque suo exemplo aliis officiat; neque enim pannus tincturam tam facilè contrahit, aut is, qui fœtido aut suavi odori propiùs se adjunxit, ejus fit particeps, sicut in hoc casu contingit: exiguum absynthium amarorem suum melli celerrimè impertit; mel contrà ne duplo quidem majus dulcedinem suam, absynthio affundit; ita faciliùs vitia aliorum contrahimus, quàm virtutes eorum imitemur.

11. Scitum responsum ad Religiosos dissolutos.

Versati fuerunt aliquo tempore familiariùs in aula Antonettæ Borboniæ ducis Guisiæ religiosi aliqui, & quia, ut ait Seneca, difficile est diu sub personâ vivere, quod in eorum moribus vitiosum latebat, paullò propiùs intuentibus detectum fuerat: cumque illi deinde instaurationem murorum sui cœnobii à Ducissa peterent: Ædificate, inquit, vos mores vestros, & ego muros vestros ædificabo. Chæremon ipse apud Cassianum, juniorem aliquem in disciplinam suam admittere nunquam voluit: ne, inquiebat, exemplo meo alterius, districtio laxaretur.

12. Piâ severitate cõtineat in officio.

Optimum factu est, si Christi præsentiam animo impressam nobiscum in publicum circumferamus, & illo velut duce, & imperatore omnia nostra obeamus. S. Augustinus ait, omnes virtutes esse quasi exercitum Imperatoris,

toris, qui ſedet intus in mente noſtra: *Quomodo enim Imperator per exercitum ſuum agit*, inquit, *quod ei placet, Dominus* JESVS *incipiens habitare in interiori homine noſtro per fidem utitur iſtis virtutibus quaſi miniſtris ſuis: & per has virtutes inviſibiles movētur membra viſibiliter: pedes ad ambulandum. Sed quò? quò moverit bona voluntas, quæ militat Imperatori: manus ad operandum: ſed quid? quod juſſerit charitas, quæ inſpirata eſt à Spiritu ſancto. Mēbra ergo videntur cùm moventur; qui jubet intus, non videtur: & quis intus jubeat, prope ille ſolus novit, qui jubet, & ille intus, cui jubetur.* Simile quid obſervaſſe videtur egregius ille inter Solitarios Senex, qui cùm ad aliquod charitatis officium vocaretur, antequam iret, dicebat: Venite virtutes nutritiæ meæ, comites mihi vos in hoc periculoſo negotio jungite, neque vel tantillum à latere meo ſeparemini, ut poſſitis Deo aliquando Lyſtatidie à vobis nunquam fuiſſe deſertum: habebat proculdubio, bonus Senex Dei præſentiam altè impreſſam animo, cujus cuſtodiam ita ſub virtutum nomine ambiebat. Hæc præſentia non tantùm ad omnem in verbis & actionibus moderationē plurimum conferet, ſed etiam inſpirabit ſpiritum amoris ſancti ad agendū cum proximo; quo maximè, ut in raptu ſuo cognovit B. Magdalena de Pazzi, Chriſtus in operariis ſuis delectatur. P. Bartholi in vita S. Ignatij l. 2. ait ſanctiſſimam hanc Virginem in raptu, qui illi contigit anno 1599. 26 Decembris, inter cætera dixiſſe, Deum in cælo plurimum ſibi complacere in anima S. Joannis Euangeliſtæ, & pariter S. Ignatij, quod ambo ſimili amoris ſpiritu proximorum ſalutem, dum eſſent in terris, procurare ſtuduiſſent: & quoties filij S. Ignatij ſimili ſpiritu incitati animas ad Deum viâ amoris adducere conantur, toties illos renovare complacentiam, & voluptatem, quam capit in cælo Deus ex anima S. Ignatij.

CAPUT XXV.

Quomodo verus Amor proximi ejus defectus toleret.

SÆpè miratus ſum cur Apoſtolus in enumerandis partibus & velut ramis quibus ſe exſerit, & dividit charitas erga proximum: 1. loco ponat, *Charitas patiens eſt*, & aliis terminis idem bis repetere videatur, dum dicit: *Charitas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet*: in quibus ea potiſſimùm ferenda deſignantur, quæ à proximo quem amat, ingeruntur; id ſcilicet bene vidit

1. Ferendo probatur amor proximi.

vidit, & ut videremus, voluit Apostolus; nimirum neminem melius amare, quàm dum sibi ob defectus gravem, & incommodantem amat. Illum secuti S. Patres, huic sustinentiæ primas charitatis partes ferè dedêre. *Nihil aquè amicum probat*, ait S. Augustinus, *quemadmodum oneris portatio*; imò ex mensura portationis magnitudinẽ amoris colligi censet S. Gregorius: *Tantum quisque portat, quãtum amat.* Aristoteles ipse non tãtùm onera amici facilè, & cum voluptate ferri existimat; sed etiam dissimulari, excusari, diminui, & tegi. Mater tot infantis sui molestias fert non tantùm patienter, sed jucundè, quia amat. Deus ipse tot ferendis hominum sceleribus tam longanimis, & clemens non esset, si eos non amaret, amorque eum faceret patiendo insuperabilem: ut proinde verum sit dictum S. Gregorij, SI AMAS, *portas*: Apostolumque meritò nos monuisse, ut si velimus legem Christi, quæ est lex amoris, implere, alter alterius onera portemus. Id videtur innuere Senex voluisse ille Solitarius, qui cùm alterum Senem humeris mortuum ad tumulum deferentem obvium habuisset, dixit: *Mortuum portas? ab vivos porta*; quasi hoc postremum multo foret altero præstantius. S. Gregorius bene ostendit sine hac mutua portatione communitatem Ecclesiæ non posse subsistere: ut enim in ædificio lapis lapidem portat, & si onus istud detrectaret, omnia corruerent; ita in spirituali Ecclesiæ militantis ædificatione: *Nam sicut ego*, inquit, *mores eorum tolero, qui adhuc in conversatione boni operis rudes sunt, ita & ego ab illis toleratus sum, qui me in timore Domini præcesserunt, & portaverunt, ut portatus portare discerem, sed ipsi quoque à majoribus suis portati sunt.* Reciproca debet esse onerum sive imperfectionum supportatio, quia quique nostros patimur manes, & ager cordis nostri lappis tribulisque & vrticis continuò repullulantibus, sicut & aliorum, imò & præ cæteris abundat, ut plura & graviora defectuum põdera nos in aliorum congeramus humeros, quàm ab illis portanda nobis imponuntur, cùm tamen contrariũ plerumque nobis persuadeamus, similes illi Religiosæ, quæ cùm ad Superiorem B. Magdalenam Vrsinam superiorem suã varias de aliis imperfectiones detulisset; addidit, ut putabat, Salubre consilium: nimirum duo instituenda monasteria; unum, in quo omnes imperfectæ ponerentur, v. g. cholericæ, loquaces, desides, murmurationibus obnoxiæ & similes; in altero verò virtutum, & instituti, paciſque studiosæ. Tum Mater: In quo è

In verbis Apoc. 23.

Homil. 15. in Ezech.

2. Vt Dei in homines.

L. 2. in Ezech. Hom. 13.

3. Sit mutua toleratio.

4. Stultum monialis Consiliũ.

duobus monasteriis velles includi? inquit: O in meliori, respondit altera, ut majori pace & quiete fruerer: & ego, inquit Mater, alterum eligerem; tum quia de numero imperfectarum sum, tum ut crebriorem exercendæ virtutis, & supportationis materiam haberem ad manum. Non aliter suaderet charitas.

§. 2.

Quænam maximè in aliis toleranda, & quamdiu.

1. Ferendi defectus naturales.

Defectus naturales, & stupiditas naturæ, defectus memoriæ, parva in agendo & loquendo circumspectio, balbuties, nativa tarditas aut rusticitas, & similes, quos non culpa propria, sed vel parentum inculta indoles & incuria, aut aliquis casus attulerunt, Deo id permittente, ut aliis patientiæ materiam ministrarent. V. Franciscus à Puero Iesu tam stupidis animi sensibus fuisse dicitur, ut plerique dubitarent an anno ætatis 23. rationis usum adeptus esset; nam neque tum discernere poterat, homicidium peccatum esse mortale, & homicidas ideò à judicibus ad mortem condemnari: posteà tamen evasit in virtutum præstantissimarum exemplar, Dæmonibus terribilis, variisque à Deo supra naturam prodigiis ob singularem in ipsum fiduciam cohonestatus. Itaque prætermissis iis quæ corpus deformant, in pulchritudinem animarum cum S. Catharina Senensi, & S. Ægidio intendenda est mentis acies, & quanti eas faciat, qui eas fecit, cõsiderandum. Religioso sui ordinis contra fratrem delinquentem duriùs sentienti, &, ut expelleretur dicenti bene respõdit S. Iordanus Generalis Præpositus Ordinis S. Dominici. Satis adverto frater, fratrem istum, contra quem agis, non tibi tanti constitisse quantum Christo.

2. Morales à passionibus.

2. Defectus animi à passionibus malè domitis, & casu repentino aut morbo excitatis subitò prorumpentes, qui, ut solet ignis inclusus, viam quærunt, & obvios fumo replent, tolerandi sunt silentio, & quasi sagittæ temere in aërem conjectæ liber cursus dandus. Quàm facile est dissimulando audire & silendo permittere, ut ventus seipso excitatus, suâ sponte brevi concidat. Sumi molestia apertione januæ aut fenestræ dissipatur, ita cor perturbatione aliquâ fumans ubi in verba prorupit & per os nubilo illi viam dedit, continuò sedatur, & conquiescit.

Qui has verborum eruptiones eructationesque patienter tolerat, plus multo ostendit se habere charitatis, quàm alius qui in aliis

liis erga proximum officiis se occupat? Rogatus aliquando unus è senioribus Eremi incolis, quis apud Deum plus colligeret meriti & gratiæ, an ille qui dies sex integros in cella sua abditus absque potione & cibo traducebat; an is qui totidē diebus ægrotorū obsequiis & tædiis, ac querelis devorandis se totum dabat: etsi, inquit, prior ille abstemius se naribus unco appenderet; nunquam ad alterius charitatē pertingeret. Plus interdū gravant verba, querelæ, tetrici vultus, & frons semper nubila, quæ cum morbo in ægrotis conjungi solent, quàm ipse morbi fœtor, & horror, & ad illum levandum laboris assiduitas atque contentio. Porrò defectus illos etiam in sanis tolerare magnæ virtutis est: iram sine fundamento conceptam in verba aspera & injuriosa temerè prorumpentem tanquam sonum prætervolantem suscipere, tristitiam deinde contumacem & omnia verba & levamenta obstinatè repudiantem, amicè & cum commiseratione tolerare, hominem semper sua deprædicantem, aliena deprimentem, & in omni re suum judicium reliquis præferentem, quē post unum aut alterum congressum alij divitant, patienter ferre, res est eximiæ & exaggeratæ charitatis.

3. In quibus eximie porcus probatur.

Dux Bavariæ dissimulato habitu Lyduinam lectulo à variis morbis affixam visitabat aliquando; atque ibi fratris Lyduinæ conjugem, fœminam variis animi commotionibus obnoxiam & contra ægram malè affectam, varia effutire cum injuria gravi conjuncta, ac insuper garrulitate suâ astantes obtūdere cùm videret, conversus ad Lyduinam: Quomodo potes, inquit, patienter ferre hanc Hirundinem, quæ domum totam ita perturbat? Tum Lyduina, Charitatis est hanc tolerare, tum ut nostrâ fortè patientiâ illa corrigatur, tum ut Christo in tolerando similes meritis crescamus & virtutibus, quarum materiam nobis illa subministrat: tum ne si abigantur, peiores desperatione fiant.

4. Exemplo S. Lyduinæ.

3. Sunt defectus ætatis aut morales, qui reperiūtur in rusticis, in pauperibus, in vetulis & similibus, dum illos ad fidem virtutisque studium instruimus. Mirabilis in ea fuit Patientia duorū Frāciscorum, Xaverij scilicet, & Salez, quorum primus quos non pertulit triginta viculis oræ piscatoriæ obeundis, instruendis & ad Dei cultum efformandis? Alter vetulam de reculis suli balbutientē tam diu patienter audivit, donec ipsa sponte finiret; numquā aliàs antè interrupturus, etsi horas complures sanctum virum amicè audientem tenuisset.

5. 3. Defectus ætatis.

Dices fortè: Quoties & quam-

6. Quamlibet sæpe relinquat.

diu tolerabo ? Si peteres à Christo, diceret fortè ille tibi, quod ad aliam interrogationem respondit S. Petro: Septuagesies septies, hoc est, si septies sumas numerũ septuagesimum plusquam quingenties, ut scilicet tantum portes, quantũ mali perseverantia charitatem & patientiam tuam exiget. Eregium præceptum hujus in patiendo longanimitatis, atque perseverantiæ dedit per literas SanctusFranciscus B. Petro Cathany Ministro Generali, in quo hæc inter cætera continentur: *Mi frater, tibi commendo in tantum* (scilicet Patientiam) *ut quicumq; tibi impedimẽtum fecerint, sive fratres, sive alij, etiamsi te verberent, omnia debes habere pro gratia, & ita velis, & non aliud, & dilige illos, qui ista faciunt tibi, & non aliud velis de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, & in hoc dilige illos quod velis, ut sint meliores Christiani: in hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum, & me servum tuum & suum; si feceris istud, videlicet, quòd non sit frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod postquam viderit oculos tuos, nunquam recedat sine misericordia tua; & si non quæreret, tu quæras ab eo si vult misericordiam: & si millies posteà appareret coram oculis tuis, dilige eum plusquam me, & ad hoc ut trahas eum ad bonum, & semper miseraris talibus.*

Wading. in Annal. 1221. n. 2.

§. 3.

Corrigenda, quæ tolerantur & quomodo.

1. Charitati non repugnat correctio fraterna.

NOn ideo tamen placet Charitati, ut ita toleretur proximus, ut defectu correctionis abeat in pejus; vult ipsa delinquentes corrigi, & qui dissimulant aut lenta remedia admovent, contra bonum proximi facere censet (in qua maximam partem hominum peccare censuit vir gravissimus, doctissimus æquè, ac sanctissimus P. Iacobus Laynez nostræ Societatis post S. Ignatium Generalis Præpositus) sed vult, ut illud faciat, ut ait S. Chrysostomus: *Amans, & dolens argue, increpa, obsecra, in omni patientia*, dicebat Thimotheo S. Paulus, ubi S. Joannes Chrysostomus bene ponderat ista duo verba, *omni patientiá*, hoc est suis numeris omni ex parte absoluta atque perfecta, ut nihil illi desit, nihil in illa ad perfectissimam patientiam desideretur. Venit aliquando unus aliquis ad B. Franciscum de Salez peccata confitendo expiaturus; sed ecce dum peccata sua depromit, ita illa denarrat, ac si historiam aliquam recitaret, seipsum quasi auscultans, & sibi suisque verbis applaudens. Videns vir sanctus tam malè dispositum pœnitentẽ, cœpit amarè flere, & in singultus ac suspiria

suspiria effundi. Petit continuò pœnitens ab illo an malè haberet. Respondit: Minimè verò, sed tu me pejus habes. Ego, inquit pœnitens, nihil mali sentio, laus Deo. & prosecutus est suam confessionem, ac enormia, sine animi sensu proferre in medium; hîc magis lamentari B. Franciscus, donec secundo rogat illum pœnitens, cur ita fleret? Tum se flere respõdit quòd ipse de tantis sceleribus se accusans non fleret, paucaque addidit, quibus in se reversus pœnitens, & duritiem suam admiratus, qui non fleret ipse ob ea, quæ innocentibus tantam flendi occasionem ministrarent, abijt etiam & ipse in lacrymas, perfectâ contritione per confessionem expiatus, novam planè vitam exorsus est.

2. Francisci de Sales compatio in peccatorem.

Ad Gal. 6. S. Paulus peccantem vult instrui in spiritu lenitatis, hoc est mansuetudinis spiritu à Deo impetrato, ait S. Chrys. & id vult fieri eâ suavitate & circũspectione, quâ utitur amicus Medicus dum luxatum brachium suo loco restituit, ut vox græca καταρτίζετε insinuare videtur: atque ut ait S. Augustinus, ægritudinem quodammodo & miseriam ejus suscipiendo quemadmodum, inquit, se inclinat, qui manum jacenti porrigit; non enim se ita abjicit, ut humi cum altero jaceat; sed incuruat tantum ut jacentem erigat: ita induendus est quidam commiserationis affectus, qui nos nescio quâ amoris ac benevolentiæ catenâ proximo conjungat, & ad manum adiutricem patienter admittendam disponat. Diabolus diabolum non expellit, ajebat ex antiquis vir in istis exercitatissimus; nec tu cum impatientia tua alterius impatientiæ medeberis.

Plato cùm à mancipio pœnas repetendas ob culpam gravem cẽ ferret, atque animo se commotum persentisceret, amicum rogavit, ut vicariam sibi operam præstaret: quia; irascor, inquit. P. Gaspar Berzæus Zelandus vir à virtutibus & prodigiis in India notus, cùm Olyssipone ante ingressum in Societatem famulum ageret, quadam die ab hero præcipiti irâ correpto injustè fustò exceptus cùm fuisset, tacuit, tum quidem; sed paullò pòst ubi ira deferbuisset, ad herum jam sui compotem cum barculo in manu rediit, quẽ & illi obtulit; dicens, nunc si culpa id poscceret, verberaret modò, aliàs non iram, sed rationem ad consilium in similibus eventibus advocaret.

3. Sed non fiat irato jam animo.

Siste impetum, ait S. Augustinus, *dum saneris prior.* Id monuit S. Brigittam Christus Dominus, quæ in domestici alicujus reprehensione intra moderati animi leges impetum non continuerat, & quatuor ab illa commissos erro-

4. Iuxta Christi monita data S. Brigittæ. *Epist. ad Galat.*

res ostendit. 1. ipsâ in impatientiæ motus esse prolapsam, quod nec verbum unicum tranquillè pati potuisset, cùm ipsum Christus Sponsus & Dominus inter virgarum ictus, & verborum contumelias os non aperuerit ad exemplum, & robur in similibus addendum. 2. usam esse verbis mordacibus, & voce altiori, permistis exprobrationibus, cùm ipse in cruce positus ab inimicis pacatè, & cum silentio ista pertulisset. 3. redundare ista in sui contemptum, pro cujus amore tantillum pati noluisset. 4. malum exemplum domesticis datũ, quos bonis actionibus ad virtutis amorem excitare debuisset; itaque quatuor deinceps servaret. 1. caveret irâ abripi. 2. si prima iræ commotio insurrexerit, illam subsidere permittat tantisper dum penitus se remiserit 3. si culpa iterum ad examen mentis vocata correctionem mereri videtur, illam exerceret cum omni mansuetudine. 4. si dubium remaneret; omnia silentio involueret.

5. Sine correctione non stat vera amicitia.

Vides plerumque animũ charitate præditum, inter tolerantiæ dulcedinem, & correctionis amaritiem hærere suspensum, & nisi necessitas aut evidens utilitas exigat ad prioris partes magis inclinare, & quidem Christo auctore, cujus est in tenebris luce suâ viam aperire; facienda tamen est amica correctio, aut ab amicitiæ præscriptionibus recedendum. Monere & moneri proprium esse veræ amicitiæ, ait Tullius: certè si quod ille dicit, verum est; amicum qui intuetur, tamquam aliquod exemplar intuetur sui, & erga amicum nos eodem modo affectos esse oportere quo erga nosmetipsos sumus, nullamque in amicitiis pestem esse majorem quàm adulationem, blanditias, assentationem & omnium maximè simulationem; nisi enim amici apertum pectus videas, tuumque illi ostendas, nihil fidum & exploratum esse posse: si inquam hæc vera sunt, satis patet proximi, qui nobis in Christo debet esse amicissimus, defectus graviores non esse dissimulandos, si nostrâ monitione emẽdari posse videantur. *Lib. de Amicitia.*

6. Amici docendi sunt ab amicis ea quæ apud ipsos fieri ignorant.

Certè dixit S. Gregorius Nazianzenus nos ultimos scire ea, quæ ab aliis condemnantur in nobis; cur quæso id ego amicitiæ caussa amico non præstem, ut id in cognitionem ejus veniat, & emendet, & publici sermonis materiam auferat? Augustus Cæsar filiam habuit impudicitiæ labe totâ urbe infamem, quod tamen ipse ignorabat; ubi rescivit, publico edicto deturpatam in exilium relegavit, & scelera, quorum pars latebat, parum potens iræ in omnium cognitionem protulit: deinde cùm interposito tempore

in locum iræ ſubiiſſet verecundia, gemens quòd non illa ſilentio preſſiſſet, quæ tamdiu neſcierunt, exclamavit: Horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut Agrippa, aut Mœcenas vixiſſet; quia ſcilicet ab illis ut fidis amicis tam de filiæ turpitudine, quàm de remedio adhibendo monitus fuiſſet.

Hoc expectat vera erga proximum charitas; poteſque homini verâ charitate erga proximum prædito hoc in ore ponere elogium, quod Antipatro dixit Phocyon: Non potes me aſſentatore, & amico uti. Veros amicos, quales S. Baſilium & Gregorium fuiſſe fatentur omnes, magnâ in defectibus ſuggerendis libertate uti, relicta ab illis poſteritati monumenta teſtantur. Philo coquũ inter & medicum hoc intercedere diſcriminis dicit, quòd ille non tam hominis ſanitati, quàm voluptati ſerviat; hic è contrà utilia procuret, blanda & nocentia avertat: atque hoc veri erga aliquem amoris eſſe argumentum.

7. Exemplũ Chriſti Petrum caſtigantis.

Chriſtus Dominus Petrum uti amavit impensè, ita ubi ceſpitavit, continuò verbo caſtigavit, nunc aſperiùs; ut cùm illum Satanam, hoc eſt adverſarium appellavit, atque à ſe abegit; nunc etiam minando, ut cùm reſtitanti dixit: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum*: nunc familiariùs, ſed fortiter: *Quid ad te? tu me ſequere*: imò monitionibus ſuis non deferentem permiſit cadere, optans habere diſcipulum humilem, & ſui diffidentem potiùs, quàm ſuperbum, & alios contemnentem. Apoſtolos omnes non ſemel de primis dignitatibus contendentes, admonuit verbis amicis, nec quod mereri videbatur tam inſolens & repullulans ambitio, verbo aſperiore caſtigavit.

8. Et Martham.

Inter fœminas dilexiſſe Martham Euangelia teſtantur; cùm ſororem hæc videret ætate juniorem labori ſe ſubducere, ut novi hoſpitis alloquio, quod ipſa etiam facere optaſſet, otioſè frueretur; meritò apud illum juſtam, uti videtur, querelam deponit: *Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? dic ergo illi, vt me adjuvet.* Poterat Chriſtus ejus querimoniam probare, & petitioni annuere, ac dicere: Meritò Martha conquereris, non debebat illa te junior ſuo arbitrio totũm hoſpitum tractandorum onus in te rejicere; proinde jam dicam illi ut te juvet, erit poſteà alloquendi tempus, cùm occupationes, quæ nunc urgent, defluxerint: ſed noluit Chriſtus tam molliter cum illa agere, quam robuſtioris charitatis & patientiæ eſſe norat, voluitque utriuſque augendæ ſuppeditare materiam, nos verò totamque poſteritatem, quid potiſſimùm curis noſtris ſpectare

spectare oporteret, instruere.

9. Promissa correctioni oratione.

Verùm quia longè nos ab illo cælesti Christi lumine, quo in monendo utebatur, absumus; ex virorum sanctissimorum consilio antequam moneamus, duo nobis præmittenda sunt, Oratio, & Consideratio; prior lumen impetrabit, quid, quando, & quibus verbis ista monitio instituenda sit; an tectè & parabolicè, ut Nathan cum Davide; an prorsus dissimulatè, ut qui regiæ fœminæ sectionem venæ prorsus abnuenti, lanceolam mollibus pannis obtectam, brachium dum fricat, imperceptibiliter inflixit; an verò apertè & eo verborum apparatu, quam res & qui monendus est, exigere videbuntur; ad quod Consideratio subsidio veniet. Priùs *ad limam quàm ad linguam*, dicebat S. Augustinus, & quàm sæpè tum à Salomone in Proverbiis, tum à Sapiente in Ecclesiastico de verbis nostris staterâ ponderandis monemur; quod si unquam locum habere debeat, maximè dum admonitionem proximi à nobis charitas exigit; tum enim necessarium est, ut non in linguâ cor, sed in corde sit lingua, ut S. Spiritus monet, ut nobis simul, & proximo prodesse possimus. *Eccl. 21.*

10. Et hoc ne pergant esse mali.

Diligendi ergo sunt mali, ut non sint mali, dicebat Macedoniano S. Augustinus. Atque ad eundem modum dixero: *Tolerandi sunt mali, ut non sint mali.* & si nimia tolerantia noceat, dicam; corrigendi, castigandi, puniendi sunt mali, ut non sint mali; quando scilicet eò devenit malum, ut punire sit misericordiæ, tolerare & dissimulare crudelitatis: *Sicut enim*, ait idem Doctor, *est aliquando misericordia puniens, ita est crudelitas parcens.* Crudelitas est Pædagogus, qui alumnum suum cum serpentibus sinit colludere, nec puniendo retrahit: è contrà qui ferreâ mole semisepultum violentè extrahere conantur, nimiâ præcipitatione contra misericordiâ delinquunt, quæ pedetentim terram eruit, & quasi frustulatim malum amovet: Medicus, qui in secanda aperiendavè vena tumultuariè procedit, graviter interdum vulnerat: sit ergo tolerantia longanimis, sit quando toleratum est satis, correctio circumspecta: quæ non eousque differenda, donec quasi aperto sinu amicè & tranquillè à reo excipienda putatur: vix enim unquam ad correctionem deveniendum erit, si tam benigna dispositio requiratur. Monendus etsi nolit, volet posteà, ubi primus impatientiæ impetus deferbuerit. Obstetrices interdum parturientium dentibus impetuntur, nec ideò ab opere cessant; operam enim suam probandam sciunt, ubi primi dolorum aculei remi- *Ibid.*

11. Sed fiat correctio moderatè & pedetentim.

remiserint; & Medici à Phreneticis ingentia mala tolerant quæ dissimulant, quia illorum fontem non hominem, sed amentiam esse norunt. Ita facit is qui sincero amore proximi salutem procurat; tolerat, corrigit, reluctantem patitur, verba & contumelias devorat, dummodò desiderato salutis proventu potiatur.

12. Non apetendo alienos defectus iis qui prodesse non possunt. Eccles.

Porrò ut tolerantia tua suis numeris sit absoluta, vide ut nemini defectus aliorum, quos toleras, aperias, ne molestiam quam inde sentis, familiaribus manifestes. Laudatur Tobias, quòd sepeliret mortuos, tu peccata proximi laudabilius multo, teste Chrysostomo, silentio velut humo obrue. *Commoriatur in te*, ait Sapiens, imò non tantùm commoriatur, quod fit dum in te vitam, hoc est, omnem motum quo ad alios procedat, defectus iste amittit; sed etiam in te & tuo pectore sepulcrum inveniat: ne similis sis stulto, de quo ibidem Sapiens, qui quasi sagittam haberet in femore, subsistere nequit, nisi illam extrahat, & alterius aures & cor, defectum proximi propalando, velut venenato telo vulneret: in quo etiam interdum peccat nimia inter amicos cordium quasi communitas, dum quod in unius cordis recessu de proximi defectibus reconditum est, id inde in amici communem notitiam educitur, fitq; dum exoneratur apud amicum animus, ut oneretur apud Deum conscientia, & charitatis in proximum, quæ defectus illius in silentio tolerat, merces deperdatur: occulta enim proximi macula, tuâ culpâ in plurium venit notitiam, dum amicus tuus, id quod illi in aurem insusurrasti, cum tertio eadem amicitiæ lege communicat, & hic etiam quarto; donec res publico quasi præconio celebretur, urbemque pervadat sicut guttas è tecto decidentes inter se misceri, & simul in unam collectas in plateas protrudi conspicimus.

13. Ne levandi quidem mœtoris caussâ.

Ne dicas id amicitiæ, & communi inter amicos levamento, atque silentio permitti. Habes amicum nobilissimum Christum Dominum, ad cujus pedes vel coram Eucharistia, vel in imagine crucifixi prostratus cor tuum, quantum lubet, exonera, proximi errata ibi depone, condonanda, & corrigenda: evitabis tum illa Scripturæ sacræ horrenda vocabula, quibus detractores Deo odibiles maledicti, & ipsa abominatio esse declarantur: evaderes damna tua, & aliena. Ut turris ex aggesto pulvere nitrato dissiliens, seipsam evertit, & vicina labefactat; ita fit, quotiescumque compages charitatis, quæ inter te & proximum ad instar turris fortissimæ deberet subsistere;

14. Sed Deo communicando ad auxilium petendum.

nescio quâ flammâ linguæ & cupiditatis accensa dissolvitur, & perit. O quàm melius fecit ille Religiosus S. Bernardi assecla, qui dum animum nimis longâ alieni peccati tolerantiâ fatigatum levare vellet, ante altare B. V. onus illud deposuit, & solamen invenit: & alter, qui in tantùm siluit, ut sanguinem venâ disruptâ evomeret, sanctitatis futuræ prænuntium? Hortatur ut id facias, S. Gregorius, & dicas hos duos versus ultimos tertij Psalmi Pœnitentialis: *Ne derelinquas me Domine Deus, ne discesseris à me: intende in adjutorium meum Domine Deus salutis meæ*: hos si perseveranter repetieris, auxilium, dubio procul, & levamentum impetrabis.

Super 7. Psalmos.

Ex omnibus dictis patet, quàm hoc officium charitatis peccata proximi tolerantis, imò & quantum lex justitiæ patitur, tegentis, acceptum sit Deo, præsertim cùm in veteri instrumento per os Sapientis prædicari jusserit: *Universa delicta operit charitas*; & in novo per S. Petrum proclamari: *Charitas operit multitudinẽ peccatorum.* Si universa obtegit, si multitudinem cooperit, quomodo non unum aut alterum faciliùs & propensius absondet?

Prov. 10.

15. Exemplũ tegentis alienum peccatum

In hanc partem propensi semper fuêre viri sanctitate præstantes, è quibus unus inter Eremi incolas maximè celebris nobile facinus designat. Accurrerunt ad illum certatim alij juniores, dixeruntque: O Pater, veni citò, ecce facinus horrendum, & detestabile: fœminam jam vidimus in unius Monachi cellulam ingredientem: accurre, quæso, ut illa deprehendi possit. Surgit, & illis comitantibus, primus cellulam intrat, & primò intuitu advertit fœminam sub sportula delitescere; atque ut peccatum tegeret fratris, ipse quasi fatigatus sportulæ insedit, alioquè per omnes cellulæ angulos, & latibula prædâ investigare jussit; quam cum non reperissent, illos redarguit, quòd tam facilè in fratrem insurrexissent: iisque dimissis ad delinquentem conversus, seriò illum admonuit, & tantæ charitatis demonstratione victum ad novæ vitæ studia convertit. Non tegit charitas peccata, ut foveat, sed ut igniculis in mantello suo absconditis illa consumat, & proximum liberet.

& cũ fructu opportunè corrigatur.

Filij Noë Sem & Japhet, dum retrocedendo pallium tegendæ patris ignominiæ humeris excutiunt; ab eo evigilante benedictionem accipiunt, cùm è contrà Chanaam irrisor, probrosæ maledictionis telo percutitur, etiam in posteros propagando. Ita Christus nobis charitatis suæ benedictionem & patrocinium ad peccata nostra tegenda, ac remittenda

tenda pollicetur; si id antè erga proximos officij prestiterimus.

CAPUT XXVI.

De amandis iis, qui contrarij sunt humoris, aut à quibus læsi fuimus.

§. I.

Toleranda ingeniorum diversitas.

Hic opus, hîc labor est, quia natura vincenda, quæ sibi simile, & benevolentiâ conjunctum cum voluptate diligit, ab aliis, quia difficile, evertitur. L.8. Et hic. v.1. Quod enim secundùm naturam est, jucundum est, ait Aristoteles; hinc graculus graculo libenter assidere dicitur. Inter Jacob & Esau, licet eodem utero prognati, duo sub eodem tecto vixissent, concordia non fuit, quia, inquit L.1. Off. c.33. Ambrosius, cùm unus prædurus esset, & alter mansuetus, inter dispares mores & compugnantia studia benevolentia esse non poterat.

1. Quanta ingeniorũ diversitas. Hugo de S. Victore libro de medicina animæ, tantam ostendit esse inter ingenia hominum discrepantiam, quantam videmus esse inter quatuor anni tempestates: & sanguineos quidem veris phlegmaticos verò autumno, cholericos æstati, melancholicos hyemi similes facit: quos ita inter se humoribus, & moribus plerumque pugnantes si agglutinare velis, naturæ vires si spectes, operam ludes; si gratiam consulas, & charitatem, quæ à Spiritu sancto diffusa est in cordibus nostris, attendas; cum patientia & mansuetudine, constantique industria adeò inter se pugnantia ingenia Amoris sancti vincula colligabis.

2. Ferendus qui contrariæ est indolis. Ad hanc perfectionem nos evehere voluit Christus in parabola hominis à latronibus sauciati, dum Samaritano cum Judæis parum consentiente, misericordis & medici ac amici sinceriſſimi partes & officia attribuit, nobisque illum quodammodo proponit in exemplum, dum dicit: *Vade, & tu fac similiter.*

3. Hæc contrarietas & materia coronæ monente S. Jo. Bap. Si dixeris hoc videri valde durum; respondebo tibi cum Tertulliano: *Virtus duritia extruitur, mollitio destruitur.* Hortabor te, ut virtutem in suâ pulchritudine virilem & robustam aspicias, malisque ita illam amplecti quàm voluptatis aut utilitatis alicujus fuco decoloratam. Producam tibi consiliarium S. Ioannem Baptistam, qui clienti suo ob Prælati duritiam & severitatem monasterium deserere cogitanti de cælo

apparens suasit, ne migraret, sed ex Præsulis austeritate victoriarum, & excellentioris in cælo coronæ materiam caperet. Acquievit juvenis cognominis sui Patroni consilio & virtutibus meritisque auctior post aliquot annos ipso S. Joanni Baptistæ sacro die migravit in cælum. Christum ipsum tibi suasorem adducam, qui rogatus à S. Gertrude, cur tam molestam Abbatissam & suis moribus toti monasterio onerosam præfecisset: respondit; ut quasdam Sanctimoniales, quas amabat, hac occasione ad robustas obedientiæ & patientiæ virtutes eveheret. Adducam & S. Ignatium, qui fratri coadjutori aliorum consuetudinem fugienti, quòd ad iram facilè concitaretur, suasit, ut potiùs aliorum consortium quæreret, ubi frequentem se vincendi materiam haberet; virtutes enim mansuetudinis, patientiæ, & fraternæ charitatis sine dimicatione non acquiri: ad sanitatem corporis tuendam duo requirebat Democritus, mel intus, & oleum foris, hoc est animi tranquillitatem, & palæstricam corporis exercitationem, quando athletæ oleo delibuti, hoc unum spectabant, ut luctando, adversariumque prosternendo superiores evaderent: quod ille ad corporis vires augendas, ego cum Aristotele, ad virtutem eximiam comparandam requiro. Duos virtutis hostes præcipuos dicit esse Philosophus, nimiam quandam naturæ nostræ ad voluptatem propensionem, & difficultatis sese offerentis horrorem & fugam. Priori resistendum, cum posteriori decertandum usquedum vincas.

Iordanis de Saxonia. 4 c. 2.

Et Christo.

Et S. Ignatio.

Apud Laertium.

4. *Ethic. 4.* Duo virtutis hostes, propensio ad sobriatem, & horror difficultatis.

Senecæ aliquando amicus hanc quæstiunculam moverat: Quantũ proficiam? & respondit: Quantum tentaveris; sive quantum tibi vim intuleris.

Itaque ut ad praxim veniamus, fortè meritò tibi suadere possem, ut cum Alexandrina Matrona fœminam aliquam cum tuo humore valde pugnantem, aut famulum agrestem, & ad imperia durum jussaque exequenda parum idoneum in domum duceres, atque hac in parte non tam S. Catharinam Senensem, quæ quid simile fecit, quàm B. Isidorum, qui omnes, aliis ob morum intemperantiam parum gratos, admittebat ad suum contubernium, non tã ut eos tolerando, se vinceret, quàm ut illi ejus mansuetudine, & charitate vincerentur, & meliores evaderent; quod ferè semper asse quebatur.

5. Factum S. Isidori laudabile.

Habes fortassis in familia famulum aliquem tuis moribus parum consentaneum, nõ vides in illo vitia, quæ gravem censuram mereantur, sed quidquid sit, ob nescio quam

Severè minium judicantis pœnas.

quam parum consentientem cum tuo genio agendi modum eum benignis oculis non aspicis, & primâ occasione domo emittere destinas: si te amas, rogo ne feceris: ne in eandem cum Timotheo Anachoreta calamitatem incidas: hic Abbati de fratre aliquo negligente querelas deponenti, & quid de illo faceret scisciranti, consilium dedit, expelleret illum
In Vitis PP. fol. 520 è cœnobio. quod factum est: sed ecce gravis Timotheum invadit tentatio, mens illi in tenebris, animus in mœrore, prope modum in desperatione: clamat ille, & lacrymis respersus expansis ad cælum manibus ingeminat, Domine miserere mei: tum vox de cælo, quia durus fuisti in fratrem, eumque afflictionis suæ tempore despexisti, atque abigi voluisti; ideo etiam durum contra te cælum experiris. Ne ergo hunc famulum parum tibi gratum amandes, sed potiùs eum tibi à Deo donatum, ut virtutis exercendæ palæstram, ac victoriarum materiam aspice, & fac modò, quod quidem durum, sed postea fecisse semper voles. Ex antiquis illis eremi incolis Senex tranquillæ mentis, &
In Vitis PP. fol. 632 virtutis reconditæ, passus erat per
6. Toleran. tis præmi- um. annos complures furem monachum, qui rapiebat clam, quæ habebat in cella: videbat hoc Senex, nec tamen hominem objurgabat; sed dicebat sibi: Credo quòd opus habet; majoremque ipse laborem propterea, & abstinentiam à se exigebat: morti proximus, cùm adessent fratres, conjectis in furem oculis, rogavit ut propiùs accederet; apprehendensque manus ejus, & exosculans, dixit: Gratias ago istis manibus, frater, quia illæ mihi cælum aperient: ille verò ad hæc verba compunctus, virtutis studium repentè, & animosè ingressus inter præstantiores monachos habitus est.

Neque mihi dixeris famulum, quem à te amari volo, præter stupiditatem & rusticitatem, ingratum præterea & beneficiorum immemorem prorsus esse ac propterea omni benevolētia & amore indignum: non enim arbitror te aliud in illo spectare, quàm Christum, cujus imago est, quem suo loco tibi amandum ipse substituit, tantoque amorem tuum Christo gratiorē futurum, quanto minus in famuli indole & moribus reperis amabilitatis. Vide hujus rei egregiū in Eulogij Alexandrini facinore testimonium, Magni Sancti Antonij calculo probatum; rem fusiùs à Cronio S. Antonij interprete narratam compendio refero. Eulogius sæcularibus literis eruditus, im-
7. Etiam ingratū paterer, quia Dei imaginem.

8. Eulogij exemplo. mortalitatis amore rebus in pios usus divenditis, quantum honestæ sustentationi necessarium videbatur, sibi reservarat, quam

etiam cum infirmo aliquo, quem domi aleret, partiri cogitabat: opportunè ergo reperit in platea mendicum membris captum, elephantiasi laborantem, quem volentem, & lætantem jumento impositum domum devexit, pedes lavit, lectulum stravit, cibum paravit, & in os ingessit, omniaque charitatis officia tanto affectu benevolentiaque exhibuit, ac si in illo Christum præsentem habuisset. Processit res bene annos quindecim, hinc humanitate & obsequiis, illinc gratiarum actione, & beneficij deprædicatione certantibus: sed ecce Dæmon constantiæ, perseverantiæque palmam infringere adorsus, ægroti animum utpote debiliorem invadit, odium, & quasdam furoris & insaniæ faces contra Eulogium accendit, obsequia repudiat, verborum suavitatem pro convitiis habet, omnia fastidire, abjicere, & perhorrescere; denique velle ut in plateam revectus pristino loco restituatur. Eulogius contrà omni industriâ placare hominem, alios ad eum deliniendum adducere, omnem diligentiam & assiduitatem in eo juvando polliceri: sed frustra, jam cor hominis Dæmon pervicaciâ obsederat, & omnia remedia respuebat, donec de fratrum consilio ægrum navi impositum secum ad Magnum Antonium adduxit, qui divinitus edoctus, cùm coram magna hominum turba, quæ consilij petendi caussâ advenerat, Eulogium de inconstantia reprehendisset, ad ægrum conversus magno clamore; Elephantiace, inquit, cæno, & luto horride, nec terra digne, nec cælo, nõ desinis injuriam Deo verbis contumeliosis inferre? nescis eum, qui tibi ministrat, Christi vices gerere? Quomodo ausus es contra Christum talia loqui; nam propter Christum ille se talibus erga te obsequiis mancipavit, adeoque illum & simul Christum mordaci tuo sermone lacerasti: dimissis deinde cæteris, ad utrumque reversus, Ne quis vestrûm, inquit, filij, ab altero se separet, sed simul ad cellulam omni angore & rancore depositò remeate: brevî vos Deus ex hac vita evocabit, adeoq; hâc ultimâ luctâ exerceri debuistis, ut brevî coronemini; ne ergo aliò migretis, ne si fortè Angelus veniens, vos in eo, quem dixi, loco invenire non possit, utrique coronis fraudemini: ita fecerunt, & Eulogius quidē quadragesimo pòst die, mendicus verò triduò post è vivis migrarunt.

⁂
⁂
⁂
⁂

§. 2.

§. 2.

Variæ rationes, quibus ad amandum eos, à quibus læsi sumus, inducimur.

1. Ferendi inimici, 1. Ne injuria non condonata terrorem eliciat.

PRudenter attende, quid nocumenti tibi apud Deum ista animi tui à proximo alienatio, pejori fortassis te loco constituit, quàm sit ille, quem æquis oculis ferre non potes : ille fortè jam resipuit, & cum Deo rediit in gratiam, tu è contrà ob mentis tuæ pervicaciam, eum à te alienasti : fac tamen non resipuisse, tum de vobis duobus verum erit, quod dicit S. Ambrosius : *Vterque condemnatur, neuter absolvitur :* quàm multum boni pro re caduca & fugitiva deperdit ! *Dum foris,* inquit Gregorius Magnus, *invicti esse cupimus, intus graviter ferimur, & dum parva foris defendimus, intus amittimus maxima ; quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem.*

Hom. 27. in Euang.

2. 2. Quia eadem manet mensura.

Secundò attende, quod quotidie postules à Deo, quid æternâ Dei lege sancitum sit, & ore Christi promulgatum, ut eâdem mensurâ te tractet Deus, quâ tu proximum, & si benignè & clementer, tu quoque à Deo benignè & clementer habearis : multis nunc peccatis obnoxius es, & ut Gregorius Nazianzenus loquitur, *hac lutea massa plurimum æris alieni circumfert ; veniam ergo alienis peccatis tribue, ut tuis impetres misericordiam Deo nomine mutui præbe, neminem unquam Deo priùs aliquid erogasse pœnituit.*

Orat ad Principem ut civibus ignosceret

Tertiò, Filius Dei esse potes, licetque tibi, inquit idem Sanctus, nullo labore divinitatem assequi, noli oblatam divinitatis occasionem amittere. Jubet Dominus, inquit Hugo de S. Victore, charitatem usque ad inimicos extendi. Dic Domine quam mercedem dabis, si diligamus inimicos nostros ? Ut sitis, inquit, filij Patris vestri, qui in cælis est ; si amarum videtur, quod audienti jubetur, sit dulce, quod obedienti promittitur. Audite Christiani, audite filij Dei, ut paternam possideatis hæreditatem, non solùm amicis, sed etiam inimicis impendite charitatem. S. Augustinus : *Grandis,* inquit, *est labor inimicos diligere, sed grande præmium : efficieris enim filius Dei, Si te aliquis dives in hoc sæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires ? & durissima, & aliquando etiam turpissima convitia sustineres ? quod ergo ille sustinet propter temporalem substantiam, tu sustine propter æternam.*

3. 3. Quia condonãdo Filius Dei esse potes. *L. de anima c. 12.*

Serm. 5. de S. Stephan.

Quartò, vide quem imitari, malis Christum, cum quo vis beatam æternitatem agere, an dæmo-

4. 4. Quia aliàs dæmonem imitaris.

dæmonem, cujus consortium apud inferos perhorrescis; ille in cruce injurias atrocissimas condonat, & mala ingentia ab eorum capitibus avertit: dæmon contrà odio perpetuo contabescit. Moveat, inquit Nazianzenus, te exemplar tuum, fac Deum imiteris, non mundi Principem: egebis aliquando Dei misericordiâ, cùm hujus mundi scena dissolvetur, tu modò condonando injuriam in istud tempus divinæ benevolentiæ præsidium tibi para, ne cũ dæmonis sectatoribus fulmine maledicti sempiterni percussus peras. B. Wolstanus diu hominem ad fratris necem remittendam in omnes partes versaverat; cumque videret se nihil proficere, cum justâ indignatione motus coram frequenti concione dixit: Christus in Euangelio nobis enuntiat: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Constat ergo quòd si pacifici sunt filij Dei, discordantes sunt miseri, & filij diaboli: illi ergo, cujus filius es, te commendo, & trado te satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini: ille continuò à dæmone infestari, stridere dentibus spumas jacere, crinem rotâre, & in terram elidi. Miseratione commoti, qui aderant, rogant Sanctum, succurrat, & malum hospitem abigat: ille acquievit & dæmonem jubet facessere; sed cùm ille jam libe nondum necem condonare vellet, iterum jussu Præsulis à dæmone invaditur, & torquetur; iterumque ad populi preces liberatur: sed cùm nec tum quidem parcere vellet; tertiò satanæ traditur, donec membris omnibus concussione labefactatis prope jam ageret animam; tum tandem pacem iniit, & inimico reconciliatus est, deinceps sanus & incolumis.

Horrendũ exemplũ.

Quintò, ambo estis membra corporis Christi, & Deo dante futuri simul membra Ecclesiæ triumphantis. Cùm aliquod malum unum ex tuis membris invadit, an non illud præ reliquis foves, ungis, & contra minantem labem defendis? cur idipsum hîc non facis? *Humerus meus cum junctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis conteratur*, dicebat Job; malum sibi tam ingens imprecando potiùs, quàm mutuæ charitatis vinculum abrumperet: & tu tam contumaciter, in tui ab altero membro avulsione perseveras! *A junctura humerus cadit*, inquit S. Gregorius, *cùm aliquid adversitatis animus ferre non valens fraternam concordiam relinquit: & brachium conteritur, quia operatio nostra solvitur, nisi per charitatis vinculum patientia conservetur: sua enim bona perdit operari, qui aliena mala renuit perpeti.*

5. Quia-terque ejusdem corporis membra. cap. 31.

Sextò mille talentorum Deo debi-

6. 6. Quia & tu multa Deo debes.

debitor es, quin aliquam injuriam proximo remittis, ut tam immensi debiti summa deleatur: quantum hîc, quātū deinde in ignibus purgatorio pœnarū te manet; nisi aliis ignoscendo, tu quoq; apud Deū indulgentiam & remissionem invenias? B. Blonda ex tertio Ordine Servitarum, dum filij atrocissimam necem ignoscit, à Christo in filiam adoptari, & Matri cū Joanne commendari, ac virtutibus in vita, & miraculis post mortem illustrari meruit. B. Joannes Gualbertus dum obvio inimico, & veniam de genibus postulanti reconciliatur, erectumque dignatur amplexu, à Christo Domino, dum ejus de cruce pendentis effigiem exosculatur, capitis inclinatione, approbationem meruit, novi quodammodo amoris osculum, quod cæterarum gratiarum, quibus de cælo locupletatus est, principium fuit. B. Stephanus Italus dum injurias pro beneficiis computat, eorumque auctores amicorum habet loco, ante mortem à beatis geniis mira voluptate perfunditur, & ab iisdem deinde triumphantis in modum inter musicos concentus devehitur in cælum.

Exemplū Gualberti

S. Greg. in Dial.

7. 7. Quamdiu iram fove. pacem interiorem nō habes,

Septimò quamdiu illam tuam animi alienationem foves, totus semper in felle & aceto ac amaritudine es, cælestis consolationis incapax; diceret enim tibi Deus, teste Augustino: Plenus es aceto, ubi vis mel ponam? funde ut implearis? Sed quòd maximè cavere te oportet, est, ne à felle hujus vitæ, ad amaras illas fellis & absynthij potiones tibi apud inferos præparatas, & numquam exhauriendas transire cogaris. Nobilis in Belgio fœmina mariti, filiorumque neces Sanctorum virorum solicitata sæpius precibus cōdonare nunquam voluit, nec S. Arnulphum cælestem vindictam minitantem audire; qui cùm è domo illa vix pedem extulisset, consurgens de repentè turbo eam à fundamentis subvertit, & miseram oppressit, omnibus domesticis, qui multi erant, illæsis.

Insignis punitio nolentis condonare. *Surius in vita S. Arnulphi in Aug.*

Vt ergò alienationem aversionemque animi erga aliquem tanquam charitatis hostem pertinacissimum debelles, industrias ex Sanctis Patribus suggero: ac primò ut Augustinum audias, qui ad Profuturum scribens, monet non esse iram etiam bono prætextu facilè admittendam: *In hospitibus ignotis*, inquit, *recipiendis solemus dicere; multò melius esse malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur bonus: sed in affectibus animi contrà est: nam incomparabiliter melius est etiam iræ justæ pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere, non facile cessuram, & perventuram de furculo ad trabem:*

8. Industria ad condonandum.

1. Facilius iram excludere quàm admissam extrudere.

bem: audet quippe imprudenter crescere citiùs, quàm putatur; & non erubescit in tenebris, cùm super eam sol occiderit: Ad alia si potes cogitationem diverte. Vir probus, ait Abbas Joseph apud Cassianum, tum temporis non præsentè considerat statum, ut proferat ea quæ suggerit animus exasperatus, sed vel recolit gratiam præteritæ charitatis, vel reformandæ pacis redintegrationem mente prospicit, & dum se ad dulcedinem servat concordiæ mox futuræ, amaritudinem præsentium non sentit jurgiorum.

Coll. 17. c. 18.

2. Pete patientiam à Deo & voluntatem condonandi.

Secundò brevem aliquam precationem pro illo, qui injuriam intulit, ad Deum funde, & simul silentium ac patientiam efflagita: quod Hieronymus 1. Paulam fecisse memorat: allabetur tum velut, quidam ros de cælo, qui bullientem animum refrigerabit.

Tertiò vide ne apud amicum de injuria accepta animum exoneres; pone custodiam ori tuo, imò cordi tuo, & si alius qui aliquid inaudiit, prior ipse te interroget, aut se tibi condolere profiteatur; tu factum excusa, eleva, extenua: dic cum B. Francisco Borgia: Rectè ille à se factum existimat, zelus non est improbandus, majora peccatis meis debentur: si quid peccatum, veniam illi precor.

Quartò si occasio ferat, hominem amicè saluta & alloquere. P. Petrus Faber nullum ad aversionem impediendam, aut tollendam, efficacius remedium reperisse se ajebat, quàm congressum ejus, à quo averti te sentis, non fugere; sed quærere. Et è contrà S. Gregorius ad istas simultates, & discordias fovendas & augendas nihil validius esse ajebat, quàm in mutuis occursibus vultū tetricum, morosum silentium, oculos subtristes, & ad alia vagos. *Dum accensus animus,* inquit, *à consuetâ locutione restringitur, per accessum temporis penitus à proximi dilectione separatur, & acriores stimuli ad mentem veniunt, atq; in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur: unde bene ante nos quidam sapiens dixit: Cogitationes iracundi, viperea sunt generationis, mentē commedunt matrē suā.*

4. Inimicum saluta.

In c. 5. lib.

5. Cùm experiris. Hac in parte difficultatē, imitare B. Masseum, S. Francisci discipulum, qui cùm erga inimicos omnia amici exhiberet officia, sibi tamen non faciebat satis, quòd ea non obiret cum alacritate, & animi dulcedine; sed quasi violentè à se extorqueret, tamdiu orando apud Deum institit donec gratiam inimicos ægrè ac amicos cum omni suavitate complectendi impetraret.

CAPVT

CAPUT XXVII.

De zelo animarum, quodq; in omnibus officiis erga proximum sit ultimò spectanda salus animæ.

1. Perversum hominum de animi rebus judicium.

HAlluciamur plurimum in recta rerum æstimatione, dum ea quæ oculos corporis fugiunt, vix suum plerumque apud nos pretium inveniunt. Furatur aliquis pecuniæ vim ingentem; domum proximi incendit, capitalia sunt ista, & omnibus suppliciis castiganda: alter verò dum clam famæ detrahit, dum turpiloquio, & obscœnis narratiunculis animum pueri, aut virginis pestilentibus flammis accendit, & lepidus, ac disertus homo habetur. Hic si aliquid apud se non suum, sed ad proximum spectans reperiat, continuò restituit; at verò dum nescio quam animi alienationem fovet & charitatem benevolentiamque quam proximo debet, non exhibet, se criminosum non putat, quia non ita oculos ferit furtum illud, imò dum occasio de proximo illo bene loquendi se offert, tacet, vel ipsum silentium, quàm sit ab illo aversus, dicit. Ita si centum pauperes quis simili vestimento donet, omnium in se oculos & ora tantâ libertate convertit, at si Concionator aliquis centum animas, pigritiæ gelu torpentes, flãmis amoris accendat, quia ille in oculos spectantium non cadunt, nihil, quod famam publicumque præconium mereatur, feciſſe judicatur.

Corrigendus ergo est error ille vulgaris, & animarum super res cæteras præstantia propiùs inspicienda, quantusque sit in illam Christi amor, quàm gratum illi quod in illis juvandis impenditur studium, & quàm eximiâ in cælis mercede compensandum.

2. Animæ in gratia pulchritudo.

S. Catharina Senensis animam fœminæ peccatricis, cujus salutem precibus impetrarat, è corpore egredientem vidit tantâ pulchritudine, ut illi explicandæ impar sit omnis eloquentia. Tam Christus ad illam: Vides filia homini meritò pro salute rei tam eximiæ pulchritudinis labores omnes esse subeundos, & cùm ego tanta pro illa fecerim, & passus sim, homini non inferiora esse toleranda. Dixit illa deinde Confessario: Pater, si unius animæ pulchritudinem posses intueri, libenter pro ejus salute centies morte appeteres; & quid mirum, cùm Christus vitam mille mundis nobiliorem pro unica semel, & millies, si necesse foret, libenter

daturus sit.

3. Quanto studio curandæ animæ subditorum.

Beata Magdalena de Pazzi, cùm Christus animas, quas illi instituendas formandasque in tirocinio traditurus erat, commendaret; volo, inquit, ut pro mensura gratiæ, quam tibi dabo, tot tibi oculos procures, quot animas tuæ curæ commissurus sum; volo ut famelicis sis cibus, sitientibus potus, nudis vestimentum, captivis hortulus, & afflictorum consolatio. Vidit ipsa in raptu unum aliquem in cœlo gemmis undique radiantem, & intellexit gemmas illas repræsentare animas, quas ille Christo cæloque pepererat.

S. Catharinam Genuensem lego edoctam cælitus, ut exoratione Dominica sumeret verbum, *fiat* ex *Ave Maria* nomen Jesv, & omnibus sacris paginis verbum *Amo*: quo innuebat cælum, inter cætera, quæ à nobis potissimum exigit Deus, amorem esse salutemque animarum.

Hinc Magdalena de Pazzi suis Novitiis hac cogitatione stimulos addere solebat, nimirum Deum aliquando rationem repetiturum socordiæ & negligentiæ, qua factum fortè est, ut mille ad inferos corruerint animæ, quæ saluæ fortè fuissent, si quâ par est diligentiâ ac fervore sanguis Christi à nobis æterno Patri ad earum salutem fuisset præsentatus: non est actio, quæ in hunc finem hoc sanguine purpurari, Deoque offerri non possit. B. Gertrudis dum Dominica septuagesimæ, quando populus genio ante quadragesimam dies aliquot indulgere solet, apud se cogitaret, quid gratum facere posset Deo, docuit illam Christus, ut cùm aliquid corpori conveniens, ut sunt cibus, potus, somnus aut quid simile, caperet, corde vel ore ita Deo illud antè repræsentaret: Domine, hunc cibum sumo, aut hoc vel illud aggredior junctum tuo amori, quo inter homines agens illud sanctificasti, simile quid operans ad laudem & gloriam tui Patris, totiusque generis humani salutem, teque suppliciter rogo ut hoc modo tuo amori conjuncta redundet ad majorem beatorum, qui in cælo sunt, hominumque qui in terris agunt, salutem, & eorum, qui in purgatorio torquentur, levamentum. O quàm res actionesque bene procederent, si Christi actionibus velut insertæ novam inde ad animarum bonum efficaciam sortirentur! Aristoteles in pauperem ingratum aliquam eleemosynam contulerat; cumque amici dicerent; beneficiorum illud videri malè collocatum: dixit hominis mores non attendi, sed naturam auxilio egentem: qui Christiano pauperi aliquid pro corpore subsidij largitur, bonum opus facit; sed longè altiùs assurgit, & charitatem

4. Praxis bonæ intentionis à Christo edocta.

5. Et Eleemosynæ faciendæ.

tatem suam exaggerat, qui simul prece silentio ad Deum factâ illi animæ salutem impetrare conatur; & cùm non suppetit, quo corpori ejus succurratur, semper tamen hoc reconditum pro ejus salute votum est in promptu, quod illi denegari non debet; multò magis illi profuturum ait S. Ambrosius, quàm omnis pecunia, quam ex vendita hæreditate derogare posset. Bonum consilium hærenti datum, omni bonorum temporalium largitioni præponderare, ait S. Chrysostomus: Si subsidio corporeo hominem è faucibus mortis eripuisse tanto in die supremi judicij, ab ipso judice præconio extolletur, tantaque mercede compensabitur; è Dæmonis unguibus & morte sempiterna eruisse perituram animam, quid tandem laudis præmiique merebitur?

Hom. 25. in Act.

Epist. 159.

6. Primus animas juvandi modus oratio,

S. Antonio Florentino Archiepiscopo sportulam fructibus plenam obtulerat homo rusticanus sperans à liberali Præsule munus aliquod se relaturũ: in sed fefellit eum spes sua: nam Præsul laudatis fructibus, & gratias homini agens hoc tantum illi dixit: Deus tibi copiosè retribuat, amice mi. Rusticus spe frustratus, mœstus abibat, & querulus: Cùm id rescicns Archiepiscopus hominem revocat, & in una chartula verba, Deus tibi retribuat, exscribi, atque in una parte bilancis illam reponi; in alterâ verò parte sportulam cum fructibus collocari jussit, ac præpõderante chartula & sportulam in altum elevante rusticum allocutus: Vide, inquit, mi homo, quantũ exigua precatio multis opibus apud Deum prævaleat, & me deinceps, ut iniquum, tui doni æstimatorem non accusa. Ut hoc nostris animis altè infigeret Christus, in oratione, quam nobis dictavit, vult ut in commune oremus, non pro uno, sed pro toto populo, inquit S. Cyprianus, quia totus populus unum sumus: & sic unum pro omnibus orare voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit. Atque hic est primus modus promovendi salutem animarum, supplicationibus pro illis apud Deum agere, & amovendis salutis impedimentis, & adjumentis procurandi gratiarũ uberrimos imbres precum assiduitate de cælo impetrare: hunc sui ordinis scopum præcipuum ait fuisse S. Teresia. Cor mihi dolore diffinditur, inquit, dum tantam animarum ruinam aspicio: juvate me Sorores meæ in Numine pro illarum salute exorando: in istum finem huc congregatæ estis, hic est finis vocationis vestræ, hoc potissimum hujus instituti negotium: huc spectare debent vestra desideria, vestræ lacrymæ, vestræque omnes supplicationes: & cùm

7. Zelus S. Theresiæ.

objicere potuissent de sua etiam salute cogitandum, & deprecandum: vult illas omnem sui cogitationem deponere, Deo sic magis curæ fore. Quid refert, inquit, si usque ad diem judicij, in carcere purgatorio detinear, dummodo vel uni tantum animæ salutem adferã: nec animosiùs dixit, quàm fecit; nam pro Prælato sui ordinis defuncto, quidquid meritorum totâ vitâ congesserat, obtulit, & Christum rogavit, ut de suo adderet quantum necesse erat, viditque animam ex illis pœnis ad cælum cum splendore evolantem.

Lib. de via perfect.

8. In spiritualibus dando accipitur.

Imitare tu hujus Virginis generosum animum, & ubi de animæ salute agitur, tui oblitus, in illarum bonum, quidquid orationum, pœnitentiarumque corradere potes, liberaliter effunde: alia est temporalium bonorum ratio, alia spiritualium; illa non dantur sine substantiæ diminutione, hæc semper erogantur cum augmento, ut notat S. Chrysostomus: sed luculentiùs rem totam explicat S. Anselmus: *Quisquis*, inquit, *diligit aliquem, aut per dilectionem prodest alicui, scitote, quia plus sibi prodest, quàm alijs: multo namq; majus est, quòd tenet ipsam charitatem, quàm sit id, quod præstat alijs per charitatem: isti enim id solum, quod charitas ad tempus potest, tribuitur; illi verò, & hîc ipsa charitas tribuitur, & in futuro quantum ipsa est, retribuitur.* Id expertus est Sacerdos ille homo heroicæ charitatis, qui cùm desperabundum offendisset, ut miserum erigeret, omnia sua bona illi, quãtum poterat, largitus est, ejusque in se mala suscepit: hinc respirans alter confessionis Sacramentum obivit, & expiatus mortuus est: mense pòst Sacerdoti apparuit, proque charitate gratias egit, seq; æternis jam bonis frui denuntiavit: cumque ille rogaret, quid de suis meritis, quæ in illum transtulerat, actum esset, respondit ea ob actum summæ charitatis conduplicata fuisse & geminata corona gloriæ pensanda. Qui norunt vel animæ unius pretium, cæterorum obliti, in ejus salutem tanto feruntur amore, ut non tantùm orationes, aut eleemosynas; sed etiam prolixam inediam, aliasque corporis afflictationes offerant, Christo Domino etiam auctore, & suasore. B. Lutgardis rerum humanarum satura ad sponsi sui perennes in cælo amplexus anhelabat: cùm ecce Christus vulnera manuum, pedumque & lateris ipsi ostendens: Vide, inquit, filia, quomodo hæc vulnera mea clament, & efflagitent; ne sinas frustra me pro peccatoribus ea pertulisse, vitamque posuisse; lachrymis itaque & corporis afflictationibus Patrem meum illis offensum

Tom. 8. in Genesim l. 2. ep. 3.

9. Probatur exemplo. Spec. Ex emp.

10. Et B. V. Consilio.

offensum placare stude. Illa jam hortante B. Virgine Dei Matre jejunium strictissimum septennio observarat, sicco pane & cerevisiâ vitam tolerans: quo finito alterum septennium Christo suafore exegit pari fermè abstinentiâ. Maria Ogniacensis, ut animam blasphemiæ cogitationibus diu vexatam, ac inde in desperationis barathrum præcipitem, ex illa voragine extraheret, quadraginta dierum sibi indicto jejunio, ac secundò vel tertiò tantùm per hebdomadam comedens, precesque ac suspiria congeminans miseram erexit, & sanavit, dæmonemque ad se ut suas leges acciperet, venire jussit. Simile quadraginta dierum jejunium pro periclitantis amici salute suscepit, Deoque revelante, gravissimo discrimine, in quo dubio procul perisset, liberatum didicit, lachrymis & corporis maceratione periculum amolientibus.

11. & aliis exemplis.

S. Dominicus, qui pro salute animarum frustulatim dissecari optabat, in eundem finem ferreis catenis tertiò usque ad sanguinis profluvium in se desæviebat: tu si tanta non audes, aliquid tamen tibi subtrahe dulcedinis, aut amaritudinis assume, quod velut symbolum cum tot heroicis aliorum facinoribus & castigationibus in commune conferas.

Quanti verò sint hæc meriti, ostendit Deus aliquando S. Claræ, quæ sororem suam Agnetem dum noctem orando transigit, à terrâ sublevatam vidit, Angelumque tres successivè coronas ejus capiti imponentem: quam cùm manè jussisset, quid noctu orasset, eloqui; dixit se primò Dei in ferendis hominum sceleribus patientiam multùm admiratam, atque inde se magno dolore, & erga mortales commiseratione commotam fuisse: præterea se amorem Christi in homines, pro quibus sanguinem fuderat, contemplatam, ac deinde cogitatione ad purgatorij ergastulum delapsam, pro utrisque preces fudisse.

Tu, quæso, dum pro animarum salute oras, ferventer, & fidenter id age, eosque, qui negotia ista cælitibus tam grata, tantaque momenti ardenter, & feliciter cum Deo tractarunt, propiùs aspice: omitto Moysen, & sanctum Paulum, illum de libro vitæ expungi, hunc anathema pro aliis esse cupientes. Vide mecum solitarium istum admirabilis sanctitatis, nomine Lisois, pro discipulo suo à dæmone circumvento deprecantem: Deus, inquit, vis non vis, non dimitto, nisi curaveris eum. Et quod tam fidenter petit, obtinet. S. Catharina pro scelestæ fœminæ animam jam agentis salute dum intercedit, ac tres dies noctesque sine interruptione orando

orando persistit, Deumque dicentem audit, non posse se justitiâ salvâ permittere, ut tam scelerata anima pro meritis suis non puniatur; dixit nihilominus, se de genibus non surrecturam, donec fœminæ salutem impetraret; quod & factum. S. Lutgardis dum Jacobum de Vitriaco posteà Cardinalem ægrotantis sanctimonialis amore nimio implicitum, & conciones aliaque munia negligentiùs obeuntem animadvertit; lachrymis apud Deum precibusque institit ut periculosæ amicitiæ initia abrumpere dignaretur; & cùm à Deo se non exaudiri videret, cœpit quodammodo Deum nimiæ duritiei accusare. Tum Christus: Quid vis? inquit, ille, pro quo rogas, in contrarium nititur, nec liberari vult. Tum illa magis commota, admirabili fiduciâ, & in bonum unius animæ zelo inaudito: Aut separa, inquit, me à te, aut hominem, pro quo te rogo, libera etiam non volentem: scilicet sanctissimæ illæ animæ, non seipsas, sed amorem, quo Deus animas prosequitur ante oculos habebant, illoque fretitantam in petendo fidentiam assumebant.

12. Nostram ipsi salutem subinde impedimus.

Unde tristari videantur posse Sancti.

B. Pursæo dixerunt aliquando Angeli unicam in cælo beatis nasci tristitiam, (quæ licet in cælo non reperiatur ut in terris, habent tamen beati, quod plurimum displiceat, vellentque emendare si possent.) Tristitia hæc est de perditione animarum: & meritò sanè, cùm tantum inde Deo decedat gloriæ, & tantis malis res Deo tam chara, quam condidit, pro qua sanguinem fudit, obruatur: venit mihi aliquando in mentem opinari plus Deo accedere laudis & gloriæ ex unius animæ salute, quàm hominum universitas ab initio mundi ad ejus usque occasum ipsi deferre possit: item plura peccata blasphemiasque prohiberi, quàm ab orbis incunabulis ad ejus usque interitum à sceleratis hominibus in Deum congesta fuerint; quia quidquid inter mundi ortum & occasum boni malive gestum, est certo numero comprehendi potest: quæ verè ab anima immortali vel in cælo laudes, vel apud inferos blasphemiæ tota æternitate coacervabuntur, nec numerari possunt, nec ullis limitibus, terminisve concludi. Vident nimirum hæc beatæ illæ mentes, adeoque de unius animæ salute sunt solicitæ.

13. Rabies dæmonis in animas.

Quid mirum cùm dæmon Dei animarumque hostis infensissimus tanta rabie in earum feratur perniciem, ut aliquando illum viderit S. Brigitta cum anima coram tribunali Dei comparentem, tanto in illam furore concitatum, ut Deo inter cætera diceret, se majori in ejus exitium ferri desiderio, quàm torrens aliquis aquarum

L. 6. c. 58.

rum impetu violentior cui nullas olei resistere potest, nec carnivoram belluam, quæ præ famis vehementia membra sua devorat, ita in occurrentem prædam capi, ac ipse in animulæ, quam præsentem habebat, æternam perniciem feratur: cumque à Christo interrogatur; cur tanto odio animas prosequeretur, respondit: Quia tu illas amas: cur non possit in nos tantum amor Christi in animas ad omnis generis labores pro earum salute exantlandos, quantum potest in dæmonem ad odij faces inextinguibiles in ejus pectore contra illas accendendas? Ex hoc amore Christi erga animas velut fonte manarunt tot Herculei virorum sanctissimorum pro animarum salute labores: ex hoc profluxit illud Patri Berzæo relictum à S. Xaverio monitum, ut nulli labori parceret, & nullius cujus salutem quæreret, in resistendo pervicaciâ frangeretur; persisteret in superandis obicibus, & cùm tantâ ad perdendas animas constantiâ dæmon utatur, ipse pacem ad eas juvandas, & de ejus unguibus eruendas adferret inque eum finem omnes orationes corporisque castigationes referret. Paria monita dedit Patri Masilio in ora Piscatoria laboranti, dicens, ne quantumcumque contumaces desereret; tum enim maximè indigere ipsius auxilio.

14. Quanto studio curandas judicarunt sancti.

Si Scribæ & Pharisæi circuibant mare & aridam, ut unum proselytum facerent, & Judaïsmo initiarent; cùm necdum pro animarum salute, Christi mortem obiisset, & quanti valoris vel unica esset animula tanti pretij persolutione demonstrasset, tametsi illi eo labore non tam animas, quàm lucri aliquid & commodi venerarentur; quid par est nos facere post Christi, tantis pro animarum salute labores cruciatusque susceptos? Non ausurum se coram Christo comparere, aiebat S. Xaverius, si non pro animabus salvandis capitis periculum adiret, cùm tot mercatores videret pro vili lucello illud non subterfugere.

Non tulit aliquando S. Cardinalis Carolus Borromæus Prælatum aliquem, qui in Diœcesi non residebat, suumque gregem alicujus Vicarij curæ committebat; dicens exiguum esse, & alienâ operâ facilè gubernandum; non tulit inquam vir sanctus hanc de animarum valore minus dignam æstimationem; dicens vel unicam animam magni Pastoris cura vigilantiaque dignam esse.

Apostolus dum discipulum ad curam animarum cohortatur; *in omnibus*, inquit, *labora*, & paullò pòst: *Labora, ut bonus miles Christi*; κακοπάθησον, hoc est, omnia mala pro eorum salute perlubenter tolera: quia illi militiæ nomen de-

disti, in qua tuus dux pro iis juvandis vitam posuit. Labora, quia non fructus aut proventus, sed labor; cura, non curatio à te exigitur. quod explicuit B. Virgo apud S. Brigittam hac similitudine: Qui conducit operarium ad laborandum, dicens ei: Porta arenam de littore, & inquire in quolibet onere si fortè in illo reperias granum; non major erit merces si nihil inveniat, quàm si multum: item si quis bellator ad prælium egressus faciensque fortiter nullo captivo abducto redit saucius, non minorem mercedem obtinebit amisso bello, quàm si victoriam esset consequutus. Ita servis meis accidet, qui pro quolibet verbo & opere, quod in animarum bonum impendunt, & labore afflictioneque, quam subeunt præmio donabuntur, sive multi convertantur, sive nullus.

L. 4. c. 21. & 31.

15. Quid in earum cultu servandum. Primò recta intentio,

Duo ergo ab hoc animarum venatore exiguntur; primò recta intentio, secundò ingens animi fortitudo atque constantia: quàm vanæ gloriolæ amor & apud homines laudis aucupium hujusmodi homini noceat, vide in Jacobo de Vitriaco, cui aliquando B. Maria Ogniacensis dixit: Vidi hominem tanquam in nubilo versantem nimiâ capillorum copiâ gravatum atque coopertum; & meretricem fuco deformatam in illum vibrare oculis radium, quo ex parte nubilum illud discutiebat: superfluas in concionando curas arguebat densa cæsaries, timoremque non boni successus mentis nubilum, & gloriæ cupiditatem adulatio mortalium, ad instar meretricis radios jacientis nutriebat: has voragines fuge, qui animarum lucro faciendo operam impendis, & imitare Jacobum, qui cùm se illa effigie adumbratum videret, ab istis deinceps totus abhorruit.

16. Constantia in arguendis sceleribus.

Sed & in vanis mortalium terroribus contemnendis virilem animum induc; dic auditoribus, quod audire quidem modò nolunt, sed audisse posteà semper volent. Non tulit aliquando Patrem Capucinum contra pauperum oppressiones declamantem oppiduli in Italia gubernator, qui milites illic in præsidio habebat, minatusque est nisi revocaret, quę dixerat, barbam se illi evulsurum, & sequenti die eum in finem militibus cinctus concioni adfuit. Hic in principio sermonis, ad effigiem Christi de cruce pendentis, quæ pulpito affigi solet, ore voceque conversus, ita illum alloquitur: Tu Salvator meus & Redemptor, cùm mihi concionandi onus imposuisti, jussisti simul ut constanter, & intrepidè veritates tuas annuntiarem; sed ecce volunt, ut infami retractatione veritati nubes offundam: Ostende Deus meus, quid

17. Probata à Crucifixo.

quid velis, & ego tibi continuò minis omnibus ac ipsa morte contemptis obsequar: & ecce rem stupendam; Crucifixus cum strepitu & fragore faciem in oppositum avertit, tam infamem retractationem à se ferri non posse hoc prodigio contestans, quod sicut Ducem cum militibus consternavit, ita concionatori ad vitiorum constantem insectationem animos addidit.

18. Vir Apostolicus est rota.

Animarum bono intentum, rotam, esse si Basilium audimus, oportet, semper ad ulteriora extentum velut rotam, & modica sui parte terram contingentem: oportet etiam cervum esse voce Domini præparatum, qui halitu è cavernis serpentes extrahat, & voret, qui cornuum suorum fumo & odore venenata animalia fuget, qui ad Deum velut ad fontem aquarum sitibūdus feratur & montes libenter incolat; qui cum Apostolo non sibi vivat; sed ei qui pro omnibus mortuus est; qui quietem à laboribus nolit donec mors illam attulerit, & brachiis cancellatis in tumulo collocatus accinatur: Requiescat in pace.

19. Contemnat curam corporis pro animorum bono.

Hi nimirum Gedeonis nobis milites repræsentant, qui unâ manu tubas gestantes, & alterâ lampadem vase testaceo inclusam, hoc confringentes, & tubas *inflantes*, repentino sonitu & lumine hostiles acies in fugam vertunt, & prosternunt, dum parum de integritate vasculi corporis soliciti, dicunt cum Apostolo: *Cùm infirmor, tunc potens sum*, & si qui foris est homo, destruitur, interior reformatur de die in diem. Neque aliquod operis pretium facturum unquam putat eũ Teresia, quem dæmon servandæ valetudinis solicitudine tenet implexum.

20. Mariæ Ogniacensis.

Omnia omnibus fiunt cum Apostolo, & non quærunt quod sibi utile, sed quod multis, ut salvi fiant: à dulcedine contemplationis cum S. Bernardo Dei voluntate avelluntur, ut inter spinas occupationum pro aliorum salute volutentur. Vim sibi cum Maria Ogniacensi inferunt; quæ cùm inter delicias amplexusque sponsi, à nonnullis, qui de longè consilij caussâ advenerant, evocaretur, cor quasi sibi dividi, ac lacerari viscera sentiebat, ut copiosum etiam sanguinem evomeret; vincebat tamen charitas erga proximum, & cum ea violentia victrix ad eos juvandos accurrebat. Denique hujusmodi Christi sectatoribus, pro animarum salute inter labores vivere voluptas est, & pro iisdem morte qualibet emori, lucrum.

TRACTATVS

De Seceſſu, & vacatione à negotiis ad melius vacandum Deo, & rebus animi.

HUnc Tractatum breviùs abſolvo per cõſiderationes potiùs, quã meditationes digeſtũ, alio quàm in Gallico inſtitueram modo; quod illic rudioribus, ſcriberem, hîc verò aut jam meditationi aſſuetis, aut qui illas ex varijs ſeligere poſſint, ad eum, quem in iſto ſeceſſu ſcopum ſibi præfixerunt opportunas: quæ hîc ſcribo, ſervient lectioni extra Meditationem, aut etiam punctis quibuſdam ſubminiſtrandis, quæ cùm legendo animum bene affecerint, meditando deinde & attentiori cogitatione ea ruminando, vehementiores faces admovere poterunt, præſertim cùm meditationi oratio conjungetur: rectè enim S. Brnardus Deum ſemper quærendum ait; *Qui nec ſatis adhuc inventus eſt, nec quæri nimis poteſt, & orando fortè, quàm diſputando dignius quæritur, & invenitur facilius.*

Lib. 5. de conſid. in fine.

§. I.

De fructu hujus ſeceſſus ad amorem Dei excitandũ.

IMpedimentum amoris potiſſimum eſt mentis oculus pulvere rerum humanarũ præpeditus, & voluntas earum affectionibus velut luto nimis immerſa. *Affectus*, inquit S. Bernardus, *jacent mole corporeâ prægravati, & luto hærentibus deſiderijs; ſola interim arida & tenuis conſideratio prævolat*: Unde fit, ut aſſurgamus ad amorem Dei animo non toto, ſed ex parte, & parte modica nimis.

I. Quid à morem impediat.

Ibidem.

S. Ambroſio anima noſtra διμερὴς eſt, hoc eſt bipartita, rationabile habens & irrationabile; & qui juſtus eſt, in hoc præſertim incumbit, ut unum ab altero ſejungat & ſegreget: & rationem adfert alibi, quia delectationes ſenſuum faciunt, ut non ſemper erecta ſit mens noſtra, ſed aliquando ſe inflectat: quod ubi accidit, non eſt utile, cùm mentem occupet vitiorum aliqua confuſio,

sio, ferere tum aliquas cogitationes viriles, & fortiores, sed demum *cùm compressæ fuerint, & mens requieverit, tunc seminario quodam disceptationis accepto virtutes possunt & bona opera germinare.* Hoc est quod in hoc secessu intendimus, ut tum per cogitationum, considerationumque seminarium amoris divini germen adolescat.

L. de Noe & arca c. 11.

2. Simile de cæco corporali. *in Ioan. Tract. 1.*

S. Augustinus quàm ad purgationem interioris oculi sit necessarius iste secessus, rectè ostendit comparatione ad oculum exteriorem: Quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi Sol, sed ipse Soli absens est; sic omnis stultus omnis iniquus, omnis impius, cæcus est corde: præsens est sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est: non quia illi ipse absens est, sed quia ille ab ipsa absens est: quid ergo faciat iste? mundet unde possit videri Deus: quomodo si propterea videre non posset, quia sordidos, & saucios oculos haberet, irruente pulvere, vel pituita, vel fumo, diceret illi Medicus: Purga de oculo tuo, quidquid mali est, ut possit videre lucem oculorum tuorum: pulvis, pituita fumus, peccata & iniquitates sunt tolle ista omnia, & videbis sapientiam, quæ præsens est, quia Deus ipse est sapientia.

3. Considerratio pro.

Ipse Simplicius Philosophus tantum tribuit sententiis quibusdam ab Epicteto in Enchiridio digestis, ut dicat eos, qui illis afficiuntur, & vitâ & moribus exprimere conantur, posse animum in eam asserere libertatem, in qua à parente & auctore Deo producti fuerint, neque formidet quicquam, neque de ulla re doleant, neque ulli deteriori naturæ serviant; qui verò illis non excitatur aut pungitur ut affectiones suas intelligat, & ad eas corrigendas nō stimuletur, eum non nisi apud Inferorum tribunalia corrigendum. Si paucula præcepta ad correctionem morum tantum posse creduntur, quæ lumine naturæ, & adiutrice Philosophiâ eruūtur: quid facient ea, quæ Christus verbum Patris & Lux mundi suis sequacibus ex arcanis sapientiæ æternæ deprompta reliquit, si animo curis vacuo, & ad meliora aspirante accuratiùs perpendantur.

phanæ sapientiæ potens ad virtutem.

4. Potentior Christi doctrina.

Tanti momenti hanc considerationem existimavit S. P. Ignatius, ut homini sibi devinctissimo, à quo plurima beneficia acceperat (is erat P. Emanuel Miona) pro gratiarum actione hoc velut bonum ingens optet, & ad obtinendum suam operam sponte offerat, tanquam ad id, inquit, quod in hac vita possum sentire, & excogitare optimum.

5. Ex judicio S. Ignatij.

Cælites ipsi ab iis, quos ingenti aliquo beneficio affecerunt,

Ex B. Aloysij cõsilio. Ex literis 32.

hunc aliquot dierum secessum, tanquam rem suis clientibus maximè salutarem efflagitant, inter quos est admirabilis Josepho Spinelli de Societate nostra à beato Aloysio sanitatis restitutio, & simul ad studium perfectionis sedulò accipiendam adhortatio, & quid ad id maximè faciat singularis declaratio: Laborabat Panormi dictus Josephus morbo incurabili, & jam à morte propiùs aberat, cùm invocatus B. Aloysius adfuit, & primò loquelam, deinde gradiendi facultatem, denique perfectam sanitatẽ restituit: inter cætera verò ab ægroto postulavit; ut singulis diebus renovaret propositum majoribus animis ad perfectionem propriam incumbendi. 2. Vt singulis diebus quartam horæ partem in oratione poneret, & semihoram iis diebus quibus ad Sacram Synaxim accessisset; hocque utrumque voto emisso firmaret. 3. Vt votum aliud adderet adeundi ubi persanatus esset, Exercitia S. P. N. quod cùm æger promisisset, tum cœlesti unctione malè affectis partibus adhibilâ, omni morbo depulso, & subsidiis ad perfectionem consequendam, ultrò præsentatis, dataque manu dissuavianda, & producto super infirmum crucis signo, B. Aloysius cùm Ioanne Berckmans, qui in his apparitionibus comes semper fuerat, ex oculis disparuit.

Et B. Virginis.

Nihil hîc dico de B. Virgine, quæ ad istum secessum & mentis exercitationem Virginem aliam animavit, & ad illas veritates, in solitudine attentiùs considerandas, ac in ordinem redigendas, se non parum lucis S. Ignatio attulisse significavit.

In vita P. Balthasaris Alvarez.

Ne ergo abhorre secessum, tam cælitibus charum, dæmonibus exosum, tibi verò singulariter fructuosum, & puta tibi dictum illud Isaiæ: *Vade intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum*: & in ista solitudine intra in thesauros Domini, &, ut ait Baruch: *Disce ubi sit sapientia, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul ubi sit longiturnitas vitæ, & victus, ubi sit lumen oculorum, & pax.* Neque te paucorum dierum terreat solitudo, qua res animi tui componas, & securitati æternæ seriò provideas: Christiani olim in cavernis & speluncis latibula quærebant quibus tyrannorum atrocitatem declinarent: Sanctus Athanasius, dum Arrianorum rabiem devitat, quinquennium in sicca cisterna delitescit, uni cognitus amico, qui clam victum illi suppeditabat: & tu ut te contra dæmonum furias tueatis, & divinis armes subsidiis, paucorum dierum amicam solitudinem perhorrescis. Benivenius nobilis medicus

Cap. 26.

Cap. 3.

6. Fulminis vis mira.

C.15. de abditis. cus Florentinus patrem & filium vidisse se ait fulmine attonitos septem dies sine cibo & potu eodem vestigio stetisse immobiles, & pedetentim medicamentis adjutos mentis & corporis sanitatem recuperasse: si tu divini judicij rigorem, & fulminantem Judicis sententiam bene apprehenderes, libenter plures dies non tam attonitus, quàm ingenti metu perculsus in istud tempus solicitè res tuas, ut oportet, disponeres, & quâcumque posses industriâ Judicis tibi animum conciliares, & sancti timoris, nõ necessitatis vincula te volentem cubiculi secreto secessui alligarent.

Colloq. 4. Narrat Majolus visum à se Mediolani hominem Cisalpinum Pecchium nomine, qui ab illustri aliquot oppidorum Domino inimicitiæ caussa dum iter ageret, vi armata interceptus, & in saccum conjectus, ac ad arcem delatus inque ima ejus parte conclusus, uno è famulis conscio, à quo singulis diebus panis frustum, & aquæ paululum accipiebat, novemdecim annos exiguo lumine per speculam aspersum in istis latebris absumpsisse, & ab hærede illius, à quo captus fuerat, dum istud latibulũ amplificandæ domus gratia destrui mandat, non sine stupore inventum barba ad usque genua promissa, & capillis ultra humeros protensis cum omnium admiratione eductum esse; à podagra, quâ dum in illam caveam conjectus fuit, laborabat, tum omnino, & reliquo deinde vitæ tempore liberum vixisse, quod ille tot annos propter alterius odium tam animosè tulit, tu paucos dies tuorum scelerum odio, & Deo placendi ac faciendi satis studio accensus non feres? meliori multo sorte, sive victum spectes, sive libros, & alterius juvantis & dirigentis consuetudinem, qua subinde recreatus nescio quem puriorem de cælo auram respirare te senties; & non podagra, sed majoribus multo animi malis liberaberis: fierque, Deo dante, tecum quod cum Italo altero factum fuit; qui ita memoriam mentisque sanum judicium amiserat, ut amicos ab inimicis discernere non posset, seque in urbe amicâ versari crederet, dum in hostili ageret, paucorum dierum quiete, humorum malignitate, qui venenatis vaporibus cerebrum obsederant, medicamentis dissipatâ, memoriam mentisque sanitatem recuperavit: nónne tu eodem laboras infortunio, qui inter amoris proprij salutis tuæ hostis infensissimi pestilentiam, & amoris divini tuorum bonorum studiosissimi delicias discrimen non agnoscis? an non putas tranquillo paucorum dierum secessui tam corrupto malignis vaporibus judicio

Benivenius c.47. de abditis.

7. Curatio podagræ mira.

judicio medicinam esse quærendam ? experire quæso, expertusque gratias ages ut pluribus contigisse vidimus, implebiturque in te illud Dei apud Prophetam promissum *ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini.* Vnum dumtaxat ex multis exemplum hujus rei confirmandæ gratia proferam in medium.

8. Mira conversio Mariæ Bonaventuræ.

Maria Bonaventura sanctimonialis in Turri Speculorum Romæ ex S. Franciscæ Romanæ sequacibus Virgo nobilis, uti cæteræ ex eodem contubernio, indolis generosæ, ad res spiritus virtutisque studium accurandum parum propensa, dummodo culpas graves vitaret, reliqua hominum judiciis, honorisque existimatione metiri solita: ad secessum, exercendumque sacris commentationibus animum ægrè inducta fuit; quæ tandem totam se ad Spartam illam excolendam Deo & uni de Societate à quo dirigeretur meditandi alioquin insueta fortiter obtulit. Vix primas considerationes de fine hominis, & mediis ad illum finem absolverat, cùm divino igne succensa Directori suo dixit: O Pater non est ultra Deus irridendus: video quid à me exigat: volo ex integro ejus esse, totisque viribus incumbere, ut ad ejus majorem gloriam, brevi non qualiscumque, sed magna Sancta evadam : deinde scripto manu propria exarato coram Deo protestata est, se nullum deinceps præter ipsum amare velle, nuntium omnibus rebus creatis mittere, tamque pura intentione in omnibus ejus voluntati morem gerere, ut si post vitam ejus obsequiis impensam ad inferos detrudere vellet, nihil contra obniteretur, hoc solum optans ut in se divinum beneplacitum impleretur; quod scriptum manu sua signatum lateri crucifixi inseruit; ac pari deinceps passu in reliquis progressa, omnibus divinis motionibus etiam in rebus difficillimis, paruit, linguæ, sensuumque diligentissimæ custodiæ incubuit, cogitationum evagationes cohibuit sui ferè semper victrix, & minimorum lapsuum, quantum potest infirmitas humana, expers ad cruces, quæ se offerebant, excupiendas animosa, nunquam querula, nec levamentum quærens; de alienis erratis nec inquirens, nec sermones miscens : colloquia cum sæcularibus, quantùm necessitas permisit omnia declinavit, de verbis mordacibus contemptuque inde proveniente parum solicita: omnibus reculis se spoliavit, etiam imaginibus & reliquiario ac crucifixo argenteo; sacculo & corio aliquas dumtaxat reliquias inserens, quas collo gestaret: secessu absoluto, & exercitiis fine imposito

fito illum, quem jam descripsi in actionibus suis, quas altissimo charitatis fine dirigebat, usque ad mortem (quam anno pòst sanctissimè obiit) cursum tenuit: aliorum verba, contemptusque uni Deo placere studens semper flocci fecit, bis quotidie se flagellis verberavit, pus, dum ægrotis inseruit; ad exemplum S. Catharinæ Senensis aliorumque, ex ulcere manans sorbuit, ita sui domina, ut nihil cum anxietate expeteret, nihil cùm animi perturbatione pertimesceret, imò in rebus adversis, injuriis, & afflictationibus verbo vel facto irrogatis gestiret præ lætitia, & majores optaret.

9. Per exercitia conversa.

In ultimo morbo diem illum benedixit, qui ad exercitia facienda secesserat, quòd tum demùm clariùs perspiceret, quantos inde fructus collegisset, addebat, si sanitati redderetur, se mensibus singulis illa repetere, ac iterare velle: obiit denique sanctissimè, & tum beneficiis in aliquas sanctimoniales ex eorum voto collatis, tum cælesti revelatione Virgini sanctissimæ facta cognitum est, quàm eximia in cælis beatitate frueretur, ut meritò de illa dici possit: Consummata in brevi explevit tempora multa.

Hæc ex opusculis P. Nicolai Lancitij, qui dictæ Virgini exercitia distribuit, & morienti adfuit; quæ fusiùs descripta apud ipsum reperies opusc. spirituali de recollectione octiduana cap. 22. tomo ejus primo.

CONSIDERATIO I.

De fine hominis.

VLtimus proculdubio finis hominis, & totius simul universi Deus est: qui propter seipsum omnia operatus est, nec supra se habuit, quod respiceret, nec infra, quo subsisteret: cujus nutu res omnes, & totius universi constat imperium; imperij verò terminus est rerũ omnium complexio & fine termino æternitas. Jam vide quomodo nominatim erga hominem se habeat, quem creat, ut ait S. Bernardus, ad se participandum, afficit ad appetendum, dilatat ad capiendum, justificat ad promerendum, accendit ad zelum, fœcundat ad fructum, dirigit ad æquitatem, format ad benevolentiam, moderatur ad sapientiam, roborat ad virtutem, visitat ad consolationem, illuminat ad cognitionem, perpetuat ad immortalitatem, implet ad felicitatem, circumdat ad securitatem: quem quæso nobiliorem finem, sed & fructuosiorem ac feliciorem optare posset vilis homuncio? Cogita quæso te cereum esse manu Dei formatum, qui ad ejus

1. Omnia propter se fecit Deus.

2. Homo cereus in di-

vino cultu consumendus.

gloriam in hac vita consumendus sis, & gaude, si hunc finem proximum ejus beneficio assequaris, ut ad ultimum deinde, qui in Dei possessione interminabili consistit, post hujus vitæ decursum proveharis.

Hunc utrumque finem cum ordine unius ad alterum complexus est, in Exercitiorum suorum fundamento S. P. N. Ignatius his verbis: Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Finis viæ est laus, reverentia & servitus Dei; finis patriæ, est salus æterna, quæ in Dei possessione & fruitione consistit: uterque est perfectio hominis, alter incompleta, in quantum viatorem perfectum constituit; alter completa hominem in comprehensoris statu, omnibus bonis beans atque perficiens.

3. Qui perfecti dicendi.

Ita S. Augustinus perfectos & non perfectos ex mente Apostoli appellari posse, & verè esse existimat: perfecti, inquit, viatores, non perfecti possessores: perfecti viatores sunt, qui in via bene ambulant. Quid est ambulare? proficere: semper tibi displiciat, quod es, si vis pervenire ad id quod nondum es: semper adde, semper ambula: nam, ut ait alibi, perfectum viatorē possumus dicere, cujus bene promovetur accessio, quamvis non perficiatur nisi fuerit facta perventio. S. Bernardum si audimus, perfecta eorum quæ retro sunt oblivio, & perfecta in anteriora extentio, ipsa est hominis justi in hac vita perfectio.

De verbis appli. serm. 15.

L. 3. contra duas Epist. Pelag. cap. 11. ad fratres in monte Dei.

Omnes Patres omnia ex majori minorivè ad hunc finem accessione hominis perfectionem & felicitatem (quod etiam apud Ethnicos Philosophos locum habuit) metiendam existimant. Cælius Rhodiginus Plotini Philosophi ad extremum vitæ morbo laborantis verba, aureis litteris, vel si quid aut pretiosius, asscribenda arbitratur: ad eum cùm Eustachius invisendum venisset. Adhuc, inquit, te expecto, atq; equidem jam adnitor, quod in nobis divinum est, ad divinum ipsum, quod viget in universo, redigere. Præter hoc ita cætera despiciebat; ut animam in corpore re tam despicabili velut alligatam detineri puderet, ac proinde quibus esset ortus parentibus, quavè patriâ, nunquam æquo animo narrasse; cumque Ammonius ejus discipulus obsecraret, ut imaginem sui à pictoribus aut plastris exprimi permitteret, omnino abnuisse. Quasi verò, inquit, non satis sit hanc imaginem, quam natura nobis circumdedit tam, diu tulisse, ut etiam posteris spectaculo sit relinquenda.

L. 2. c. 10. Plotini de corporis vitatæ fenestra.

quenda. Sed magnificentius illo locutus mihi videtur in hac materia Seneca: Non quæram quis sit artifex hujus mundi? Qua ratione tanta magnitudo in legem, & ordinem venerit? non quæram unde descenderim? quò hinc iturus sim? quæ sedes expectet animam solutam legibus servitutis humanæ? vetas me cælo interesse? jubes me vivere capite demisso? major sum, & ad majora genitus.

Epist. 65.

Finis ergo noster Deus est, ad quem ait S. Bernardus non omnes uniformiter gradiuntur: quidam enim passu, sicut illi qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, ut Domini recordentur: quidam modesto incessu, sicut hi, qui servitio Dei mancipati, Deo quidem serviunt, tamen erga seipsos indulgentiores existunt: alij veloci, id est rapido cursu, sicut hi, qui super carne sua se intuentes celeriter proficiscuntur ad Deum, hoc solummodò cupientes in pace quiescere in idipsum. Quàm felices hi, quibus meritò dicitur à Psalmista: *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem ejus semper.* Quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter, ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur

In Sententijs.

Serm. 2. ad Fratr.

facilius enim est cælum, & terram transire, quàm, ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiatur.

In hanc eandem sententiã Abbas Moyses duplicem finem elegit ex verbis istis Apostoli, *Habentes fructum vestrum in sanctificatione, finem verò vitam æternam*: scopus inquit est puritas cordis, quam sanctificationem appellavit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi: ad illam ultimatè, ad hanc proximè defigendus est nostræ directionis obtutus, quò velut ad certam lineam cursus rectissimus dirigatur; ab hac si oculus mentis aliquando deflexerit, rursus ad illam revocandus, ut ad illam velut ad quandam normam rectissimè corrigitur.

Cassianus collat. 5. finis hominis duplex ex judicio Moysis.

Permitte ergo ut te verbis S. Augustini, ad quærendum Deum, tanquam summum bonum exhorter, quando ad hunc finem in hunc te secessum, abdidisti. Summum bonum tuum quære, ô anima: est enim bonum alteri, & omnes creaturæ habent aliquod bonum suum, integritatis suæ, & perfectionis suæ: interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, ut perficiatur: quære tuum bonum; nemo bonus, nisi unus Deus: summum bonum hoc est bonum tuum: quid ergo

In Psalm. 102.

6. Quod hominus bonum, & quod brutorum.

deest, cui summum Bonum bonum est? Sūt inferiora bona, quæ aliis & aliis bona sunt : pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, gestire, sanum esse, generare: bonum est illi, & usque ad modum quendam habet boni sui mensuram tributā & concessam ab omnium creatore Deo. Tale tu bonum quæris? dat & hoc Deus: sed noli solum quærere : cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori? erige spem tuam ad bonum bonorum omnium : ipse erit bonum tuum, à quo tu in genere tuo factus es bonus, & omnia in suo genere facta sunt bona.

CONSID. II.

De medijs ad hunc finem à Deo homini liberaliter concessis.

1. Creaturæ propter hominem homo propter Deum.

DE illis ita loquitur S. Pater: Reliqua supra terram sita creata sunt hominis ipsius causâ, ut eum ad finem creationis suæ prosequendum juvent unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem, finis vel conferunt, vel obsunt. S. Augustinus Deum in Soliloquiis suis alloquens: Exteriora, inquit, pro corpore creasti, corpus pro anima, animam pro te, ut tibi soli serviret, tibi soli vacaret, possidens te ad solatium, cætera ad servitium: ex quibus sequitur res corporis ad altiorem finem dirigendas; neque tam assentiendum Salomoni, qui Deum rogabat ne paupertatem, nec divitias daret, sed dumtaxat victui necessaria; quàm animo ad utrumque parato cum S. Paulo dicendum *Scio abundare, & penuriam pati*; scio non ex me; sed Deo intus me docente didici, in quibus sum sufficiens esse: ubique & in omnibus institutus sum ab eodem magistro, ut omnibus occurrentibus utar ad finem mihi à Deo constitutum. Multum hoc æstimat S. Thomas commentario in hunc locū, quia nihil æquè demonstrat, inquit, mentem hominis perfecti, quàm quòd sciat uti quolibet statu: sicut enim est bonus dux, qui in quolibet exercitu operatur secundum exigentiam ejus, & coriarius, qui ex quolibet corio facit optimos sotulares, sic ille perfectus, qui scit uti quolibet statu, ut in magno non elevetur, & in minimo non dejiciatur; ad hanc perfectionem conniti nos oportet, si in usu mediorum ad finem æternum aberrare nolimus. *Prov. 30.* *Philip. 4.* 2. Quis perfectus.

Media enim quæ nobis subministrat Deus, alia ex ejus voluntate velut è bonorum perenni fonte in nos immerentes profluunt, neque à nostro assensu usuvè 3. Dei liberalitas.

vè dependent. *Prævenisti nos*, inquit Psalmista, *in benedictionibus dulcedinis*. Non solùm, immeritos, sed & malè meritos prævenit, ait S. Bernardus, ut dum adhuc filij sumus iræ & operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, & ne petentibus quidem, imò & impetentibus; non invocantibus, sed provocantibus; non interpellantibus, sed etiam interpellantibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largitur; quid illi animæ dulce sapirat, cui misericordia tanta non sapit?

Parius Serm. 39

Ad aliorum mediorum cognitionem, quorum usu meliores fieri possumus, & ad beatum finem gradum facere, non parum lucis adferre posse videtur rerum divisio, quàm primo Enchiridij sui capite ponit Epictetus. Res quædam, inquit, in potestate nostra sunt, quædam non sunt; in nostra potestate est opinio, appetitio desiderium, aversatio, & uno verbo omnes nostræ actiones: non verò corpus pecunia, gloria, imperium, verbo ea quæ non agimus omnia: ea verò quæ in nostra potestate sunt, libera sunt natura, nec impediri possunt; alia verò quæ potestatis nostræ non sunt; infirma sunt, servituti, & impedimentis obnoxia aliena.

4. Rerum aliæ in nostra sunt potestate aliæ non sunt.

Ex quibus intellige cogitationum, & appetitionum, ac desiderium bonum usum in tua esse potestate, meritoque hortatum esse unum è nostris in procinctu martyrij cæteros Consodales, ut alerēt cogitationes sublimes dignas filiis Dei, ut olim à Patre Balthazare Alvarez in tyrocinio fuerat edoctus: nec sine caussa moneri nos à S. Anselmo, ut cordi nostro velut malæ bonum frumētum, non paleam inferamus: & quendam à S. Augustino cum fundamento per epistolam castigatum, quòd ingenium suum scypho aureo à Rege donato comparat, sordibus & vanis cogitationibus impleret.

5. Interni actus sunt in potestate nostra.

Quam latè patet hic bonus interiorum operationum usus, quē à nobis efflagitare videtur Deus, dum dicit: *Fili præbe mihi cor tuum*: huc veniunt omnes virtutum habitus, huc orationum, & elevationum mentis in Deum frequens usurpatio, huc in meritorū Christi thesaūros per fidem, spem, & charitatem felix ingressus & participatio; quæ omnia, nisi culpâ nostrâ, & negligentiâ, atque socordiâ impediri non possunt.

Sed & illa, quæ in nostra potestate non sunt, cùm impediuntur, aut in nolentes incurrunt, quantum nobis boni usus ad vitam æternam suppeditant: Unde bene monet Epictetus, nos in hac vita velut fabulam agere, in qua partes à Deo distribuuntur,

6. Et externarum usus.

Cap. 24.

nostrum esse personam nobis assignatam bene effingere, non verò eligere: si mendicum agere te voluerit, fac eam personam ingeniosè repræsentes; item si claudum, si principem, si plebeium: item in illis quæ accidunt, fac ut non postules ea accidere ut vis; sed potiùs ita omnia evenire, ut Deus vult.

7. Hic meremur beatitudinẽ.

Itaque verum est illud Ambrosij: Beatitudo hîc præparari potest, possideri non potest. Eam verò præparari labore, non requie rectè monet S. Augustinus: *In Festo S. Laurentij.* Non est, inquit, requies, ubi quæritis eam: beatam vitam quæritis in regione mortis; quomodo enim beata vita, ubi nec vita? quamdiu in corpore velut in quodam ergastulo detinetur animus, tamdiu quocumque se vertat, si rebus & eventibus bene uti velit, id sine labore nunquam assequetur. Vnde rectè S. Bernardus: *Declamat. sup. er Ecce nos.* Nemo nostrûm nisi in carcere, sine cruce interim nemo: quod ipsum S. Teresiam docuit Christus, dum illi dixit; tempus fruendi hîc non esse, sed laborandi & inter labores amandi. Vides, inquit, S. Paulum semel dumtaxat raptum ad cœlum & ibi gaudia cælestia prælibasse, cæterùm in laboribus assiduis vitam traduxisse: vides idem me institutum tenuisse, & semel dumtaxat in monte Thabor alsquid jucunditatis gustasse: cùm me vides inter brachia matris, non existimes absque doloribus illam meis amplexibus frui: habet gladium Simeonis, quo ejus anima transfoditur: adfert præterea exempla Anachoretarũ, qui non requiem in solitudine, sed patiendi pro Christo materiam quæsierunt, quam jejuniis aliisque corporis castigationibus, & continuis cum Dæmone & veteri homine certaminibus sunt assecuti: unde concludens ait: Crede filia, quò plus ferenda Pater meus alicui tribuit, eò majori illum amore prosequi: & quod ego amoris in te mei luculentius argumentum dare possum, quàm si eorum, quæ pro me, dum in terris agerem, elegi, te participem faciam: animo tuo altè imprime verba ista, *Non est servus major Domino suo.* Vide jam quàm bene usa sit sanctissima illa Virgo, quæ nolebat vitam nisi ut pateretur, & exclamabat; Aut pati, aut mori.

8. Orationes sæpe ex-pertæ.

Ex his patet quàm ingens singularium mediorum ad finem æternum multitudo unicuique nostrûm sit in promptu, si illis bene uti velimus: videmus aliquos vel uno die sexies mille amoris actus ingeminasse, alios uno pariter die toties & ampliùs vota renovasse: alios versiculum *Gloria Patri*, alios petitiunculam orationis Dominicæ, *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, ad singulas

gulas respirationes pronuntiasse, laborioso quidem conatu & potenti fretos Dei auxilio ; sed cui Deus subministrando non est defuturus, si nostris ipsi partibus non desimus.

Alia verò media, quæ in rerum nobis adversantium bono usu consistunt, quàm frequentia, bone Deus ! Dat Deus nonnullis certamen forte, ut vincât, dat dæmon, dat naturæ nostræ corruptio, dant homines quibuscum agimus, dant res creatæ cæteræ corpori incommodantes : ut meritò dixisse videatur Job: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala etiam cur non suscipiamus* tanquam potiora ad promerendam æternam lauream media, & adjumenta.

CONSID. III.

Quàm multi malè utantur mediis ad salutem procurandam nobis datis.

1. Stulti qui & quam multi. *Eccles.*

MOnet nos Spiritus sanctus, ne simus de numero stultorum, quos innumerabiles esse ait: *Stultorum infinitus est numerus.* Quod & ipse Tullius licet cæcus inter stultos advertisse videtur, dum ait : Stultorum plena sunt omnia. & antè Cleon, dum dixit : Stultitia majore ex parte dominatur. An non stultum existimares, qui candelam multis aureorum millibus emptam quærendæ aciculæ, aut paleæ gratiâ consumeret? an non similes, qui lumen rationis & mentem à Deo datam, & vitæ insuper portionem pretiosissimam rebus vanis aut lusibus consumunt? *L. 9 Epist.*

2. Qui creaturis abutuntur.

An non inter stultos numerares illum, qui ut famulo, quem amat, aut equo, cujus amore capitur, bene sit, fortunarum, & status, imò & vitæ periculum adit? an non id agunt, qui peccati gravioris periculo se exponunt, ut corpori animi mancipio & velut vectori faciant satis?

Stultum procul dubio eum censeres, qui negotiandi caussâ in aliud regnum iter faciens, pecuniis se onerat, quæ isthic nihil valent ; imò propter quas qui illas deferunt, capitis discrimen incurrunt : quot operibus vanæ gloriæ verme corrosis, aut alterius perversæ intentionis notâ deformatis nos per dies singulos oneramus, quæ non tantùm in cælo pretio carent ; sed ob quæ etiam pœnæ & supplicia reponentur? & propterea stultorum numerum meritò augemus.

3. Qui divina liberalitate non utuntur.

Fac aulam regiam variis arculis plenam, quarum aliæ gemmis magni pretij, aliæ auro refertæ sunt, in solatium pauperum, qui intro-

intromittentur ; aliæ verò rebus nihili oculos externâ ſpecie delinientibus in miſerorum ſtultorumque decipulam, ad quod etiam faciunt hinc inde imagines, ſtatuæque collocatæ oculorum illecebræ, & oblectamenta. Fac beneficio regio in aulam iſtam pauperem intromitti, ut exiguo tempore inde exportet, quod levandæ paupertati conducibilius judicarit : illum verò oculorum detentum voluptate tempus deterere, & tempore conſumpto, inde æquè pauperem, atque intromiſſus fuerat, detrudi : an non meritò ille ſuam accuſaret dementiam, quòd tantâ levandæ paupertatis in omnem vitam opportunitate uſus non fuerit? Hæc plurimorum mortalium eſt ſtultitia, qui ſenſuum blanditiis illaqueati gratiæ divinæ ultrò oblatæ, & ad opus excitati non cooperantur, & divitiis æternitate totâ perennaturis miſerabiliter excidunt.

Declamat. ſup. Ecce nos.

Non poſſum prætermittere quinque genera hominum, quorum ſtultitiam nobis depingit S. Bernardus. Vidi, inquit, aliquando quinque viros, quidni Phreneticos arbitrer? primus ſiquidem buccis tumentibus marinam maſticabat arenam : ſecundus ſulphureo adſtans lacui, exhalantem teterrimum, fætidiſſimumque geſtiebat haurire vapo-

4. Stultus quintuplex apud S. Bernardum.

rem : tertius fornaci incubans vehementer accenſæ micantes ſcintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur : quartus ſupra pinnaculum templi reſidens, levioris auræ ſpiritum aperto attrahebat ore, & ſi quo minus influere videretur, flabello ſibi ventum ipſe ciebat, ac ſi totum ſperaret aërem deglutire : quintus ſeorſum poſitus ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus, & maximè : proprias enim carnes incredibili quodam ſtudio fugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miſeratus homines, cauſamque miſeriæ ſciſcitatus à ſingulis, unâ omnibus eſſe reperi; validiſſimam utique famem ; in primo auri & argenti, in ſecundo voluptatum carnis, in tertio ſanguinis & vindictæ, in quarto vanæ gloriæ, in quinto propriæ exiſtimationis, quam cæteris deſpectis, ex ingenij animi dotibus, & actionibus undequaque corradere nititur : & in hoc ſtultè, quia iſtis anima miſerè occupari poteſt, repleri non poteſt : vis pervenire ad ſummum bonum, incipe iſta tranſilire.

Sed ad ſubtiliores in mediis aut admittendis aut abjiciendis decipulas, quibus animæ ſelectiores, & virtutis ſtudium profeſſæ capiuntur, videamus. Hujus rei exempla Abbas Moyſes complura profert in medium, dum primò

5. Alij in S. Scriptura ſtulti.

ex

ex Scripturis sacris Saulem placandi Dei per sacrificium cupiditatem Samuelis præcepto, & obedientiæ ostendit prætulisse, & malâ electione Deum, quem conciliare sibi putaverat, contra se irritasse; & Regem Achab, dum parcendo Bennadab Syriæ Regi clementiam affectat nec Dei mortem & sanguinem captivi Regis deposcenti morem gerit, deinde morte inexpectatâ, & cruentâ castigatum, ut meritò in mediorum electione ad exposcendum divinum lumen sit adhibenda humilis & supplex deprecatio.

Collat. V. c. 3.

Collat. 2. c. 21.

Biduo Abbas Joannes jejunarat, & cùm ad refectionem accederet, apparens dæmon specie Æthiopis, atque ad ejus genua provolutus; Indulge, inquit, quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque vir ille tantus, & in discretionis ratione perfectus, sub colore continentiæ incongruenter exercitatæ intellexit, se ob hoc calliditate diaboli circumventum, taliqúe distentum jejunio, ut lassitudinem non necessariam, imò etiam spiritui nocituram fatigato corpori superponeret; atque ad hæc devitanda præter orationem etiam senioris consilium exquirendum censet.

6. Etiam in piis exercitiis reperitur stultitia.

Atque hunc omnem malum usum mediorum, quæ alioquin bonitatem induere possunt, ab aliqua radice vitij nondum in nobis edomiti provenire alibi ostendit: verbi gratiâ cùm in solitudine constituti adventum fratrum vel breviſſimam eorum moram, cum quadam æstuantis animi anxietate suscipimus, inesse in nobis vivacissimum impatientiæ fomitem noverimus. Cùm verò cujusdam fratris speramus adventum, si eo pro necessitate aliqua demorante, vel tacita indignatio nimiam ejus culpaverit tarditatem, & mentem nostram immodicæ expectationis solicitudo turbaverit, iræ atque tristitiæ manifestè in nobis residere vitia conscientiæ nostræ probabit examen. Item si fratre codicem ad legendum vel aliam aliquã rem ad utendum postulante, aut nos illius petitio contristaverit, aut illum negatio nostra repulerit, dubium non est nos adhuc avaritiæ seu philargyriæ laqueis impediri.

Collat. 19. c. 11.

7. Et hæc stultitia abundo mita passione oritur.

8. In omnem virtutis exercendæ occasionẽ paratos nos esse oportet. *In parvis serm.*

Quot, bone Deus! similes bene agendi opportunitates, & media augendæ in nobis divinæ gratiæ, gloriæque promerendæ per dies singulos sese offerunt; quæ à viris vigilantibus, & suarum affectionum dominis sedulò arripiuntur! Dixi *viris* suarum affectionum dominis, qui seriò dicere possunt Deo, ut ait S. Bernardus, in omni occasione: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*; quia, inquit, invenire est homi-

nem semel quidem paratum, non tamen secundò: si dixerit ei Deus: *Ejice ancillam & filium ejus*; dico autem opera carnis, non cunctatur: si dixerit: *Immola mihi filium tuum, quem diligis Isaac*, hoc planè jam patienter audire non potest, ne fraternæ utilitatis aut unitatis gratiâ spiritualis videatur studij sustinere detrimenta; cùm tamen, ut notat, in hoc sacrificio non Isaac, sed aries contumaciæ juguletur.

CONSID. IV.

De bono usu temporis.

1. Tempore utendum. *Eccl.* 1, 4.

HOc summopere inculcat nobis Spiritus sanctus, hoc SS. Patres, hoc ipsa ratio. Fili, inquit, conserva tempus, & devita à malo: quomodo quæso conservabis prætervolantem nisi bene utendo: Quemadmodum, inquit S. Basilius, fieri non potest, ut decursum fluvij sistas, ac aqua ejus ad res necessarias uti possis, nisi in primo occursu ubi se objicit, hauris: ita neque tempus: propterea idem Spiritus sanctus vocat tempus unius diei bonum donum; *Non defraudaris à die bono, & particula boni doni non te prætereat*: non permittas ut dies bonus, & donum Dei singulare vel exigua sui particula aut portione prætereat sine fructu, & sic defraudaris ab emolumento, quod inde tibi provenire poterat: & hoc est quod S. Paulus monet: *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Quid habes quæso de tempore, nisi quod præsens est? nam præteritum tibi periit, futurum nondum adeptus es: vigila ergo, & præsenti bene utere.

Hom. de fame & siccit.

Eccles. 14. 2. Est bonũ donum.

Gal. 6.

Nec obstat quòd Apostolus suadeat nos cautè ambulare, & tempus redimere, quoniam dies mali sunt: malos enim dies appellat, quia tentationibus, & periculis tum ab hominum malitia, tum à dæmonum infestationibus obnoxios, uti rerum transeuntium dispendio temporis compendium faciamus, monet; ementes Deo vacandi, animæque consulendi tempus, tum amicitiæ humanæ, quæ nobis bonas horas interdum suffuratur, tum fortunarum jacturâ: quomodo enim tempus malum, aut dies mali esse possunt, qui motu solis & lunæ conficiuntur, sublimi intelligentiâ moderatrice, & Deo luminaria ista magna, ut sint in signa & tempora, & dies & annos, ut Moyses loquitur, in firmamento cæli collocante? Malos nos dies facimus malitiâ peccati, cùm illis ad voluptates aut iniqua lucra, aut artes pessimas abutimur, aut otio inerti comburimus: malos longè alia malitia, quæ est afflictionis, rerum adversarum

Ad Ephes. 6. 3. Dies mali qui dicuntur.

sarum incursu excitata sæpiùs efficit, sed quos patientia & cum divina voluntate conformatio aureos facit.

Omnium sapientum communis est sensus, nihil pretiosius esse tempore. Cælites ipsi, ut aliquando B. Mechtildi dixêre, felices nos vel eo nomine arbitrantur, quòd singula temporis momenta in augmentum amoris gloriæque divinæ possimus impendere : è contrà, quod maximè apud inferos damnatos torquet, ut viro sancto unus ex illis significavit, est temporis rei tam pretiosæ levibus de causis facta, dum viverent ab illis jactura.

4. Male homines tempus profundunt.

Inter hujus sæculi sapientes, si Senecam audimus, quantum tempori pretium ponat, jure mirabimur. Cum velocitate temporis, inquit, utendi velocitate certandum est, velut ex torrente rapido nec semper casuro citò hauriendum; singuli tantùm dies, & per momenta præsentes sunt.

De brevitate vitæ c. 9.

Cap. 1.

Sicut amplæ, & regiæ opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur; at quamvis modicæ, si bono custodi traditæ sunt, usu crescunt; ita dicit de tempore judicandum: vitâ, inquit, si scias uti, longa est.

Cap. 2.

Omnia licet ingenia, quæ unquam fulserunt, in hoc unum consentiant, nunquam satis hanc *humanarum mentium caliginem* mirabuntur. Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit, vitam unusquisque quàm multis? Adstricti sunt in continendo matrimonio, simul ad temporis jacturam ventum est profusissimi in eo, cujus honesta avaritia est.

Et quàm bene hoc notavit, quod passim accidit, ut tempus & vitam, quam ire non intelleximus, transisse sentimus, & tum demũ velimus incipere vivere cùm desinendum est, uti contigit nepoti S. Brigittæ, cui illa cum horologio arenario, quod propemodum effluxerat, apparuit, ostendensq; quàm parum arenæ restaret, tantum, inquit illi, tibi restat vitæ: vide ad mortem te pares : si bene usus fuisses gratiis donisq; à Deo tibi concessis, longiùs vitam produxisses, gloriamque divinam amplificasses. Cùm ille emendationem promitteret; Serius est, inquit illa, & disparuit.

Rectè S. Bernardus monet non esse amittenda tempora, & lucra perdenda : quia tempore nihil pretiosius, etsi nihil à plerisque vilius æstimetur, cùm nunquam reditura momenta nemo sibi periisse causetur : ac proinde subjungit : Sede, computa quid diebus singulis acquirere valeas; certus equidem apud Deum nullum omnino bonum irremuneratum fore, & sicut non capillum de cor-

Declamat. Eccè sucr.

pore), sic nec momentum de tempore periturum.

5. Quis in vano animam accipiat?

Monet idem fratres de monte Dei Carthusianos, ut non in vano accipiant animam suam; quam in vano accipit, qui nō vivit eâ vitâ, propter quam animam accepit: quâ vitâ demum vivitur, dum continua intentionis actio ad intelligentiam Dei dirigitur, & indefessa affectio in amorem ejus: ut nulla unquam inveniat servum Dei dies, imò nec hora, nisi vel in exercitij labore, & proficiendi studio, vel in experientiæ dulcedine, aut fruendi gaudio: & quidem hæc esse potest alterna solitariorum occupatio, quos aliorū virtutem & gloriam vult admirari, qui ambidextri fortissimi (sicut Ahod ille judex fortissimus Israël, qui utraque manu utebatur pro dextra) quamdiu licet, amant intus vacare charitati contemplandæ veritatis, & cùm necessitas vocat, vel officium trahit, promptissimè vicem mutant, pro veritate adimplendæ charitatis.

In Ioan.

6. Qui prætextu virtutis tempus perdit. *l.* 10.

Ama, & fac quod vis, ait S. Augustinus, tempus bene impenditur, dum amori sancto donatur: sed cave ne amor tui, non Dei te foras educat, & incidas in illud vitium, quod à Cassiano notatur: Honestas, inquit, morbus ille (acediæ scilicet) ac necessarias suggerit causas fratribus, salutationes exhibendi, visitationesque infirmorum, vel eminus, vel longiùs positorum: quædam etiam pia ac religiosa dictat officia, v. g. hanc vel illam parentum præsidio destitutam juvandi, pietatis opus esse eam frequentiùs invisere, magisque oportere in his operam impendi, quàm infructuosè in cella consistere: atque hæc quidem non sunt reprehendenda, nisi fiant interdum, uti fieri posse S. Pater Ignatius annotavit, tædij vitandi gratiâ, temporisque fallendi, quod acediæ vitium est.

7. Qui nihil certi sectantur. *De brevit. c. 2, 3.*

Inter temporis malos dispensatores eos ponit Seneca, quos nihil certum sequentes, vaga & inconstans, & displicens sibi levitas per nova consilia jactat: qui in ultimos annos differunt sana consilia, & tum vivere velle incipiunt, cùm desinendum est. Floruit sub Aëriano Similis vir fortissimus, qui postremū vitæ septennium vacatione impetratâ in agris per ocium & quietem transmisit, proinde moriens sepulchro inscribi jussit: *Similis jacet hîc, cujus ætas multorum quidem annorum fuit, septem quamvis tantum annis vixerit.* Catonis sensum vellem multi induerent, qui inter tres pœnitentiæ occasiones, tertiam ponebat; si dies quandoque inanis & otiosa foret transmissa.

Callim. l. 11, ep. 2.

Plutarch. in ejus vita.

CON-

CONSID. V.

De nonnullis impedimentis profectus spiritualis.

1. Impedit profectū spiritualem ignoratio sui.

PAuca hîc seligam ex multis. 1. Est ignorantia sui, & cæcitas in iis quæ concernunt miserum statum interiorem: ut meritò de illo dicatur: *Comederunt alieni robur ejus, & ipse nescivit, sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignoravit.* Ose. 7. Apoc. 4. quæ omnia ostendunt statum interiorem debilem, & infirmum; & quod maximè dolendum, istam miseriam non cognosci, quod accidisse videmus Episcopo Laodiceæ in Apocalypsi, qui dicebat: *Dives sum & nullius egeo*, & nihilominus coram Deo erat *pauper & nudus, & cæcus*, & propterea verè *miser & miserabilis*, cui propterea suadetur, ut emat aurum ignitum, & collyrio inungat oculos. Possunt illi dicere quod Vates Regius: *Ad nihilum redactus sum & nescivi.* Psal. 72. Hęc porrò ignorantia provenit ex eo quòd effusi in exteriora, interiora nostra non scrutemur, ut oportet, & aliorum de nobis bona existimatione contenti simus, cùm tamen illa falsa sit, ut patet in altero illo Episcopo, de quo ibidem dicitur: *Nomen habes quòd vivas & mortuus es.* Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Sumus ex illis, quos notat Seneca, qui neminem tardiùs conveniunt, quàm seipsos, qui ad alia semper evolant, quia secum esse non possunt; quibus multum proderit S. Bernardi monitum, ut frequenter anima ad se redeat, advocet rationem, convocet affectus, seipsum verbis conveniat, increpet minis, solicitet monitis, urgeat accusationibus: quia, inquit, cor meum dereliquit me, & necesse habeo ad meipsum, imò ad alterum me loqui, atque id interim tanto amplius, quanto sum minùs adhuc reversus ad cor, reversus ad me, & unitus mihi ipsi.

De tranq. c. 12.

In sent.

Quid verò in hoc regressu in teipsum propterea facere debeas, habes speciatim digestum à Richardo à S. Victore, viro in istis perspicacissimo. Primum est, inquit, ut redeas ad teipsum, intres ad cor tuum, discas æstimare teipsum. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris: quid fueris per naturam, quid modò sis per culpam, quid esse debueris per industriam, quid esse poteris per gratiam; hæc porta, hæc scala, hic introitus, iste ascensus, hac intratur ad intima; hac elevamur ad summa.

L. 3. de contemp.

2. Nimia animi mollities.

Secundum impedimentum est nimia animi mollities, nimia erga nos indulgentia, ac quod inde sequitur, non satis frequens de nobis

Ibidem. bis victoria, dicimus enim quod ille apud S.Bernardū: Ego quod possum, possum, & nihil ultrà; tu si hîc sis, aliter sentias: sibi consuunt inutilia perizomata foliorum, nec audiunt illud Apostoli; *Omnia possum in eo qui me confortat*: in hoc summum ad profectum momentum ponebat S.P. Ignatius, & post eum S.Xaverius, si homo se semper vincere conaretur: & si bene attendis ad Christum in Apocalypsi Episcopis ibi nominatis vias ad perfectionem aperientem; videbis illum omnes ad vincendum præmio aliquo provocare. Atque ad hoc non spectandum, quid ex te possis; sed Dei subsidium semper petentibus in promptu esse: nam qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, quia scilicet à sua, quæ potiùs infirmitas est, quàm fortitudo, transibūt in participatam Dei fortitudinem: sicut Paulus, qui expertus dicebat: 2.*Cor.*10. *Cùm infirmor, tunc potens sum*; ut & illi Israëlitæ, de quibus dictum est: *Heb,*11. *Convaluerunt ex infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.*

3. Inconstantia. *In octo punctis.* Tertium impedimentum est inconstantia; quam stultorū propriam, ait S.Bernardus: Stultis, inquit, nihil diu placet; nam tales quod non habēt cupiunt, & quod habent, fastidiunt; inchoata ante consummationem deserunt, & inchoanda ante tempus apprehendunt: quod vitium nostræ naturæ esse advertit Seneca: Judicia nostra non tantùm prava, sed etiam levia sunt; fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus; petita relinquimus, relicta repetimus, alternæ inter cupiditatem nostram & pœnitentiam vices sunt. & alibi: Præcipitamus, inquit, vitam nostram præsentium tædio, futurorum desiderio: remedium hujus inconstantiæ est primò agenda ordinare, & stabilire, ut monet S. Bonaventura, quid primò, quid secundò, quid tertiò sit faciendum, nisi fraternà charitate, aut aliquà necessitate aut obedientiâ Majoris aliquantulum retardentur: in quatamen actionum ordinatione consilium Senecæ, & Epicteti sequendum mihi videtur: Ille, Æstimāda sunt, ait, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ: debet enim semper plus esse virium in latore, quàm in pondere; necesse est enim ut opprimant, quæ ferente majora sunt. Epictetus verò, Si personam, inquit, quæ vires tuas superat, indueris, non solùm eam indecorè geres, verùm eam quoque, quam sustinere posses, negliges: proverbium est: Ne matri plus filiorum sit, quàm lactis: hinc est illud monitum S. Augustini: quando aliquis non valet quod vult,

Ep.30.

De mysta Thom.

De moquil.

Ep.116. Ep.260. vult, definat plus velle, quàm valet : quod secutum se ostendit S.Bernardus : Quoniam, inquit, quod volumur, non valemus, id velle cogimur, quod possumus.

Constanter itaque tene quæ præmissâ oratione prudenter ordinaveris ; & cave hîc artes dæmonis : Vide, inquit S. Ephrem, ne te interrumpat inimicus cùm volueris legere, tædium tibi adferens, teque in mentis distractionem conjiciens, ac dicens: Fac primùm rem istam, quoniam & exigua est, sicque postmodum securior leges : hæc autem omnia suggerit, ut te ab occupatione impediat, & abducat, Id S. Pater Ignatius etiam advertit, monetque esse proprium dæmonis, ex rebus longè positis disturbare propinquas, & ex spe majoris boni futuri, neglectum boni minoris, quod est ad manum, invehere. Hanc inconstantiam mirum in modum damnabat S. Antonius : Monachus, ajebat, si paucis diebus laborat, & iterum relaxatur, & rursus laborat & inde negligit, hic nihil agit, nec patientiæ perseverantiam obtinet.

De patientia & conf. sæculi.

Incitâ PP. l.7.c.27.

4. Ingratitudo in Deum. 83.in Cant.

Quartum impedimentum est, ingratus erga Deum animus sibique complacens, & arrogans ea sibi quæ Dei sunt : unde rectè monet S. Bernardus ; ut omnis anima quærens Deum, noverit se præventam ab illo, & ante quæsitam, quàm quærentem, ne magnũ bonum in magnum sibi detorqueat malum : sic enim, inquit, de magnis bonis mala oriri non minima solent, cùm facti eximij de bonis Domini, utimur donis tanquam non datis, nec damus gloriam Deo : ita profectò, qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum : verè & absque dubio, eò quisque pessimus est, quo optimus, si hoc ipsum quo est optimus, adscribat sibi.

CONSID. VI.

De gravitate peccati mortalis.

1. Peccati mortalis malitia petenda ex Dei odio.

PEccati mortalis malitia ex Dei æstimatione metienda, non ex hominis perverso judicio, qui bibit velut aquam iniquitatem, qui committit illud propter pugillum hordei, & fragmen panis: Deus verò ejus gravitatem ex pœnis, quæ hactenus pro peccatis inflixit ; ex Filij sui, qui illa in se susceperat, tormentis acerbissimis, ex punitione apud inferos æterna luculenter ostendit : nihil aliud bonitas illa odit, quàm peccatum. Sapientiæ 11. dicitur, *quia nihil*

nihil odiſti eorum quæ feciſti. & Vates Regius ſimiliter canit: *Odiſti omnes operantes iniquitatem.* quod odium in punitione Angelorum patuit: ſi quis enim gemmam ingentis pretij, quam amaret unicè, ob guttam veneni inſperſam confringeret, & in ventos aut ignem diſpergeret, diceretur meritò venenum illud graviter odiſſe; hoc fecit Deus in Angelis, quos etſi ob excellentiam naturæ ſummopere diligeret; peccantes ferre non potuit.

2. Quod oſtendit in punitione Adami.

Adamum verò, quem ita amabat, ut terrarum Dominum pacificum conſtitueret, eique ad ſingularem voluptatem locum delicioſiſſimum omni oblectandi animi & corporis ſupellectile inſtrueret; ubi peccati virus infecit, continuò in exilium abjecit, & ad ſpinas tribuloſque corpus, animum verò ad multorum ſæculorum lachrymas damnavit, poſteritatemque iiſdem ærumnis involvit; quem propterea diem quo & Adamus peccavit, & ipſos eodem infecit, poſteri omnes exercentur, ut unus ex illis dicat: *Maledicta dies in qua natus ſum.* & alter exclamat: Utinam pereat dies illa, dies nebulæ, & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, dies quam fecit Adam, quàm fecit inimicus, qui dixit: *Aperientur oculi veſtri.* Et tamen quid fecit Adam ſi cum tuis peccatis ejus peccatum conferatur? non fuit ille ſeductus, ut mulier, ſed hujus amore ſubverſus: optaſſet ſervare mandatum, quod ſibi utile noverat, niſi mulieris amor ad conſentiendum uxorium virum impuliſſet, quem multa etiamnum cæleſtis vindictæ exempla retinebant; nec enim mulier, quæ jam comederat, aliquid à Deo pœnæ perſenſerat, & tu poſt Dei in peccatores iram tot ſuppliciis conteſtatam peccare non deſinis. Sed vide quomodo creſcentibus peccatis, creverit etiã in Deo odium peccati, cũ propter illud dicat: *Pœnitet me feciſſe hominem,* nec tantum pœnitet, ſed & dolet reſervato dumtaxat exiguo octo animarum manipulo tanquam novi mundi ſeminario.

Ieremi. 20.

S. Bernard. in vigilia Nativitatis.

3. In Chriſti paſſione. *Ad Gal. 3.*

Verùm nihil æquè oſtendit odium Dei, quo fertur in peccatum, quàm innocentiſſimi Chriſti, qui hominum in ſe peccata ſuſceperat, abjectio, & ignominiæ ac crudelitatis plenum ſupplicium: unde dicit Apoſtolus: *Factus eſt pro nobis maledictum:* quia *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Omnis, inquit Anſelmus, etiam Filius: maledictus autem non à quocumque, ſed à Deo, ſicut lex loquitur: niſi enim Deus odiſſet peccatum & mortem noſtram, non ad eam ſuſcipiendam & delendam Filium ſuum mitteret. Quanta ergo malitia peccati, quæ Chri-

Christum, in quo benedicendæ erant omnes gentes, fecit ad horam maledictum Patris: qui enim, inquit, semper benedictus est in sua justitia, maledictus ad horam fieri dignatus est propter delicta nostra in morte susceptа. Si Christus maledictum ob aliena peccata, quid eris propter propria? cogita verba illa contra peccatores fulminanda: *Ite maledicti.*

4. In supplicio damnatorum. Atque hæc maledictio Dei punitioque æterna mirum in modum exaggerat Dei in peccatum odium. Deus, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, naturâ quam amat, quia peccato infecta est, odio supplicioque prosequitur sempiterno, & aliud argumentum quærimus malitiæ peccati? quæ bonitati divinæ quodammodo vim infert, ut ad istam pœnæ æternitatem ex justitia descendat de suo bonus, ut ait Tertullianus, de nostro justus?

5. Item ex effectu. Adverte præterea gravitatem peccati ex aliis annexis. 1. Si omnes homines & dæmones conspirarent in perniciem alicujus, & ut cum Job egerũt, omnia, quę in crudelem animum cadere possunt, tormentorum genera in illum exercerent, non tantam illi perniciem crearent, quantam ipse sibi, dum mortaliter peccat; quia cætera mala, sunt mala inferioris ordinis, naturamque dumtaxat lædunt; peccatum est malum superioris ordinis: malum scilicet Dei, quem de medio tolleret, nisi Deus esset omni telo impenetrabilis.

6. Cum fecerit ex Angelo dæmonẽ, S. Chrysostomus lib. 23. p. 3. c. 10. §. 6. Præterea peccati fœditas tanta est, ut major nec à Deo quidem concipi possit: non tantùm quia à Spiritu sancto vocatur tenebræ, quibus nihil tetrius, sed quia destruit omnem animæ pulchritudinem, quæ illi inest à gratia, & nescio quam teterrimam maculam inurit. Alanus Anglus Dominicanus, qui dæmonis horribiles formas æger aspexerat, dixit postea, si ignis accenderetur magnitudine totius terræ habitabilis, sibique daretur optio, potiùs se per ignem tam vastum transiturum, quàm dæmones iterum videret. B. Ægidius S. Francisci discipulus, ad horrendam speciem dæmonis sibi oblatam, tanto terrore correptus est, ut loquendi facultatem prope amitteret, & corde dumtaxat rogare Dei auxilium posset, experiretur-que verè dixisse S. Franciscum, satanæ formam tam esse immanem & horridam, ut nemo ad spatium Dominicæ precationis, possit eum salvâ vitâ intueri, nisi divinitus confirmetur; & tamen quidquid oculis nostris ab illo tetri & horrendi objicitur, umbra est & velut exterior adumbratio turpitudinis, quam à peccati malitia contraxit, naturalibus in eo

manentibus integris : quod si Deus omnium, qui in peccato mortali sunt, deformitatem obviis quibusq; velut reducto velo spectandam daret, non esset qui non continuò velut à terribili spectro oculus fugeret, ut contigit viro nobili, cujus Dominicus horrendam ob peccata animæ speciem precibus suis populo, qui præsens aderat, manifestam fecit, omnibus propterea se in fugam conjicientibus. In primitiva Ecclesia, qui post susceptum baptismum lethali culpâ se fœdarant, omnes ferè (ut notat ex Areopagita, & S. Cypriano Cornelius à Lapide) à dæmone corripiebantur, ut ex tam deformis hospitis, qui per baptismum & confirmationem expulsus fuerat, regressu, animæ peccantis turpitudo notaretur, hominesque à peccando deterrerentur.

In Act. Apost.

De erud. Principis. l. 3. c. 8.

Vilitatem verò ejus collige ex his verbis S. Thomæ : Si in mortali peccato sumus, in inferiori sumus statu, quàm canis, vel porcus, vel bufo, cùm simus debitores duplicis mortis, temporalis scilicet & æternæ; illa verò unicam mortem debeant, habeamusque miseriam culpæ & pœnæ : stultitiam verò hujusmodi hominis ibidem declarat hac similitudine ; sicut non est mirum si miles, qui castrum habet supra rupem inexpugnabile contra Dominum suum se erigat ; valde fatuus verò ille censendus esset, qui de palea domicilium extructum incoleret, & rebellare auderet : sic homo fatuissimus est, cujus habitatio corpus scilicet ad calorem febrilem in ignem redigitur, nec ad ejus incinerationem ignis requiritur, si contra Deum se erigat, & peccando ad pœnam repetendam provocet.

7. Hominē deprimit infra canes.

Meritò ergò Vates Regius peccatum mortale vocat delictum maximum, quia maximum bonum avertit, & maximum malum illudque sempiternum accersit. Meritò sancti viri non tantùm pœnas atrociſſimas hujus vitæ, sed inferorum etiam cruciatus elegerunt potiùs quàm mortale peccatum admitterent. Utinam plerique, qui propter unicum peccatum mortale apud inferos lugent, hanc maturè mentem induissent!

CONSID. VII.

De peccato veniali.

1. Peccatum veniale quam enorme.

TRia examinanda mihi proposui. 1. Peccati venialis apud Deum & animos Deo plenos æstimationem. 2. Eorum multitudinem. 3. Eorum ignorationem.

Dei de peccato veniali judicium

Peccati venialis odium petendum ex ejus punitione.

cium petendum est ab ejus in hac & in altera vita punitione : cùm enim Deus justus & non puniat citra condignum, cùm unicũ peccatum veniale severissimè ab illo castigatum videmus, meritò de peccati malitia aliquam inde cognitionem haurire possumus; quemadmodum si patrem aliquẽ filium sibi amantissimum ob aliquam inobedientiam satellitibus triduò virgis acerbissimè lacerandum tradere conspiceremus, judicaremus continuò illam inobedientiam, quæ filio fortè levis videtur, à patre homine sapientissimo, & æquissimo non levem haberi. Ita cùm in Scriptura sacra conjugem Loth versam videmus in statuam; gravis apparet punitio; sed si quæris causam : ea est unicus aspectus curiosus civitatis incendio non sine morientium clamoribus & complorationibus pereuntis. David numerari jubet populum in eo nescio quid de tam amplo in numerosum populum dominio voluptatis & gloriæ captans, & mox quot miserorum mortes Angelo percutiente inde consecutæ? Propheta sanctus ab altero Propheta ad comedendum invitatur, & nimis credulus, quasi Deus mandatum revocasset, à leone occiditur. Hos omnes venialem tantùm culpam admisisse cum multis existimo. Plura sunt hujusmodi divinæ animadversionis ob venialem culpam argumenta in veteri instrumento, & nonnulla in novo, quæ etsi nobis deessent, ipsæ purgatorij pœnæ, quibus venialia castigantur, quæ omnia martyrum tormenta acerbitate superant, satis ostendunt quàm Deo sit odiosa venialis peccati deformitas.

2. Et Sanctis in cælo.

Jam verò quod ad Sanctos attinet, qui cum Deo regnant in cælo, non existimo quemquam illorum esse qui non mallet cælesti domicilio deturbari, & vivus in illis purgantium flammarum vorticibus ad Dei arbitrium volutari, quàm veniali culpâ contaminari : si enim inter Sanctos, qui in terris, caliginoso loco, degunt, unus è solitariis petiit à dæmone malo hospite potiùs vexari, quàm vanæ gloriæ afflatu infici; si alter lepram petiit, & impetravit ejusque putredine totus contabuit, ut læsæ leviter charitati in proximum faceret satis, si Magdalena de Pazzi omnes omnium carnificum cruciatus passuram se potiùs diceret, quàm vel minimum ordinis sui statutum non servaret inviolatum; multò magis credendum est beatos illos, qui quàm Deo cordi puritas omnis sit, & quàm è contra exosa omnis impuritas, in illo cælesti lumine propiùs intuentur, omnia potiùs subituros tormenta, quàm veniali culpâ inquinarentur.

3. Et justorum in terra,

Complorationes Sanctorum ob admissam culpam venialem, quantum in illa mali delitescat, apertè loquuntur. Notæ sunt lachrymæ S. Catharinæ Senensis ob verbum temerè prolatum, B. Veronicæ ob levem oculis evagationem sacrificij tempore permissam; Alphonsi Rodrigues ob rhedam cranseuntem temere & volatili oculorum jactu curiosè conspectam : nec credo quemquam illorum in his fletibus excessisse (ut rectè de se ostēdit Maria Ogniacensis, dum moneretur ut in simili causa à fletu sibi temperaret) sed habuisse oculos nostris longè perspicaciores; quibus quanto lachrymarum diluvio culpa venialis digna esset, propiùs agnoscebant. Nec mirum, cùm omnes omnium mortalium, quæ unquam à die prima mundi huc usque profluxerunt lachrymæ, ad unicam peccati venialis labeculam delendam non sufficiant, nisi Christi sanguis accedat.

Hinc S. Bernardus eos, qui iis vitandis non invigilant, injuriosos & blasphemos in Spiritum sanctum esse pronuntiat. Cavete deinceps, inquit, ne quis parva reputet, si quamlibet parva scienter delinquere convincatur : nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere; non est magnum si in his maneam venialibus, minimisque peccatis: hæc est enim dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. En quanta judiciorum de peccatis venialibus diversitas: tepidus ea levia, & minima, & curâ indigna judicat, hîc verò S. Bernardus quanta ? Ita B. Rogerius auditus est sæpiùs dicere, se tantâ curâ vitare quodlibet veniale peccatum, quantâ vitaret maximum mortale; & S. Hieronymo teste Paula Romana sic levia peccata plangebat, ut illam criminum ream crederes. Ita idem homo, ait S. Gregorius, dum igne compunctionis incalescit, & à torpore suo tactus afflatu divinæ contemplationis evigilat, quæ levia antè crediderat, mox ut gravia & mortifera exhorrescit.

In conversione S. Pauli.

31. Mor. c. 1.

4. Quanta illorum venialium malitia.

Sed quod maximè hîc considerandum videtur, est istorum peccatorum in homine justo multitudo. *In multis*, inquit Jacobus Apostolus, *offendimus omnes.* ubi verba illa pensanda, *in multis*, & *omnes.* Quis non contremiscat, inquit S. Augustinus, cùm audit Apostolum dicentem *Omnes?* imò verò quis non se cum metu & horrore circumspiciat, cùm legit S. Xaverium Indiarum Apostolum, virum tam sanctum, tam circumspectum, & tanto lumine cœlesti præditum in Epistolis dicentem se precibus totius Societatis

tatis referre acceptum, quod se innumerabilibus peccatis scatere cognosceret? cùm audit etiam Prophetam Regium dicentem: *Psal. 39.* *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem; multiplicatæ sunt super capillos capitis mei?* quis numerat capillos capitis sui? inquit S. Augustinus; multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum; minuta videntur, sed multa sunt: magna præcavisti, projecisti molem, vide ne arenâ, hoc est minutis istis peccatis obruaris.

5. Et ignorantio. *In Psal. 9.* Sed quod magis timorem auget, est, quod ista peccata ignorentur. S. Augustinus agens de Samuële; quærit quid in illo erat obnoxium punitioni divinæ, ut dicatur tam de eo, quàm de Moyse & Aarone: Vindicas in omnes affectiones eorum? Samuel, inquit, quid fecit infans ad templum datus? omnes ætates suas inter sancta Dei Sacramenta peregit, ab ineunte ætate famulus Dei: nihil unquam dictum est de Samuele, nihil ab hominibus. Noverat ibi fortè aliquid Deus quod purgaret, quia quod perfectum jam videtur hominibus, illius perfectioni adhuc imperfectum est. Quòd deinde probat exemplo peritorum artificum, qui noverunt quid desit operi, quod à vulgo perfectum judicatur: sed aliud, inquit, judicat oculus imperitus, aliud artificis regula.

6. Quam graviter punita. Abbas ex Ordine Cistercienſi, ut exemplo esset suis, ad laborem communem cum cæteris discesserat, datâ curâ, ut si aliquis è Monachis æger peius haberet, per vicarium à se constitutum extremùm inungeretur, quod minoris momenti arbitrabatur, quàm ut domi propterea remaneret; alius interim ex eodem cœnobio recèns defunctus ad Abbatem à Deo mittitur hæc nuntiatum: Quia officio tuo in juvando tali moriente defuisti, injungit tibi Deus, ut septem Psalmos pœnitentiales pro hac negligentia persolvas.

Sed longè mirabilius est quod de P. Antonio Cyrnè viro sanctissimo Capucino narrat Flores Seraphici, qui ob sublimis orationis donum, & vitam austeriſſimam, multaque miranda opera omnibus venerationi fuit: hic post mortem, uti promiserat, apparuit valetudinarij curatori; dixitque se pœnam damni gravissimam pati ob culpam, quam non adverterat, quam si cognovisset, numquam à se committendam, brevi tamen se æternis gaudiis porituram: interea in terra corpus ejus summis afficiebatur & honoribus, & contactu cæcutientē sanabat. Dices: An ergo ita ignoranter peccatur? Audi, quæso, hâc super

Fol. 264.

7. Etiam ignoranter commissa. *Pal. 28.*

re Bellarminum super illum versum, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Pulchrè, inquit, in Hebræo legitur ad verbum: Ignorantias quis intelligit? ubi opponit ignorantiam intelligentiæ, demonstrare volens, esse difficillimum cavere peccata, quæ ex ignorantia committuntur; quia tamen verè peccata sunt & caveri potuerunt, addit orationem, *ab occultis meis munda me.* Ita ille.

CONSID. VIII.

De morte.

1. Rapimur ad mortem.

AD mortem raperis, mi homo, & velociter raperis, & insensibiliter, & incerto ac dubio exitu, ac parum ad illam dispositus; hæc quatuor propiùs consideremus.

Velociter.

1. Velociter raperis; quia æquè concitato cursu, ac sol ipse, qui dies tuos facit, circumagitur, quē constat rapidiùs volui, quàm faceret celerrimi volatus hirundo, quæ spatio unius *Miserere*, vigesies totum orbem terrarum circuiret. Ut hanc vitæ nostræ velox simul, & instabile curriculum nos oblivioſi mortales utcumque apprehenderemus, illam Spiritus sanctus cum rebus fugitivis, & instabilibus comparare voluit, nebulæ, vento, fumō, hospiti unius noctis, nuncio, navi poma portanti, imagini in speculo transcursim apparenti, & similibus: ipsimet insipientes hujus rei non ignari dicunt: *Transibit* Sap. 2. *vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est à radiis solis.* Ut rectè dixerit S. Augustinus; hoc totum quod nobis sæculum videtur, punctum est, & quod tibi tardum est, in oculis Dei breve est.

2. Insensibiliter.

2. Maximè mirandum est nos raptum illum non sentire: jam pars vitæ abiit, & morti propiores jam sumus, & tamen non sentimus, nec quid desit aut supersit, anxiè inquirimus; similes homini, qui tot nummos gestaret in bursa collo appensa, quot annos esset victurus, quorum tamen annorum numerum ignoraret, ille quidem satis adverteret singulis annis bursam nummo uno decrescere, quot tamen restarent, nesciret: aut qui cereum ardere conspiceret, quo finito moriendum sibi esset; videret quidem cereum quotidie minui, sed quia ejus quantitatem & durationem ignorat, ad ista dispendia non attendit. Sed hujus incuriæ & oscitantiæ humanæ luculentum exemplum habemus in Rege, cujus miserum statum Deus aliquando S. Brigittæ ostendit. Sedebat Rex in globo vitreo coronatus, supra glo- L. 2. c. 6.

globum pendebat gladius tricuspis horribilis, qui singulis momentis levi motu, eoque imperceptibili, ut solet index in horologiis, globo vitreo, ut illum distringeret, appropinquabat; ad dexteram stabat Angelus*, ad sinistram diabolus, ictum gladij, & vitrei globi rupturam expectantes, ut Regis animam exciperent: audiebaturque dæmon horribili voce inclamans: Quousque erit istud? ecce ambo insequimur prædam unam, & ignoramus, quis erit victor. Intellexit ex Deo Brigitta, globo vitreo vitam Regis repræsentari, gladio verò mortem: ego verò satis mirari non possum Regis istud in re tam fragili, brevi frangendâ, tam securam sessionem. Damocles assentator Dionysij, ab illo ad cænam adhibitus, cum supra caput gladium setâ æquinâ appensum vidisset, metu imminentis periculi deterritus à cibis Regis abstinuit: aliter verò ille ensis supra caput Regis pendulus sensim movebatur ad certam perniciem inferendam, ac proinde Damoclis gladio longè formidabilior: ut mira sit hominum væcordia, qui in pari cum illo Rege constituti discrimine rebus caducis immersi obtorpescunt tanquam beatæ æternitatis securi.

Cicero in Tuscul.

3. Incerto successu

3. Quod verò mortem maximè reddit formidabilem, est, ut notat S. Augustinus, quod sequitur mortem: nescit enim homo an amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta; præsertim cùm de nobisipsis judicium nostrum sit fallacissimum: est enim via quæ videtur homini recta; novissimè autem ducit ad interitum. Arcana Dei clausa mortalibus, etiam ipsis electis. Suspecta sunt, inquit sanctus Bernardus, ut non desinant dignè timere, qui nondum dignè amare didicerunt. Fac alicujus perduellis filios Regis imperio currui impositos velatis oculis duci velocissimè, anxioque quò ducantur, aurigam rogare, quò tandem illos abducat, illumque respondere: Vespere scietis: an scilicet ad palatium pulcherrimum in monte constitutum, an verò ad vallem terribilem igne & sulphure fumantem, draconibus immanissimis refertum, ad homines ex cruciâdos ibi collocatis; quantus timor miseros illos incesseret, & quantum illi magis ac magis angerentur, quò propiùs ad terminum accederent? S. Honoratus morti proximus, astantes his verbis compellavit: Videtis quàm fragile habitemus hospitium, quolibet vivendo ascenderimus, illinc morte detrahimur, ab hac necessitate neminem honores, neminem divitiæ liberant: sic vitam agite, ne vitæ extrema timeatis,

boni an mali status.

L. 5. de consc. c. 4.

S. Hilarius serm. de ejus vita.

tis,& hoc quod mortem appellamus, quasi commigrationem expectetis : mors pœna non est, si non ad supplicia deducit : dura quidem est carnis animæque divulsio ; sed multo durius, in gehennæ flammis erit carnis animæque consortium, nisi in omni vita generositatem suam spiritus recognoscens, bellum corpori, & corporalibus vitiis certamen indixerit : hoc itaque agite, hanc vobis Honoratus vester, hæreditatem relinquit, supremo halitu suo ad hæreditatem vos regni cælestis invitat : nullus mundi hujus amore teneatur. Optimum est ut voluntate fastidias, quo te vides necessitate cariturum.

4. Malè comparat. *Ep.* 108.

4. Vide quomodò ad mortem paratus sis, ne sis sicut ille Thomas, de quo S. Bernardus, qui non securus hinc exiit, quia malè securus vixit : vide ergo tu an qualibet horâ paratus sis mori. Scias commodatò te vitam accepisse, & velut precariò vivere. Audi, inquit S. Augustinus, Deum tibi dicentem : Non tali conditione accepisti vitam, quasi tempora tibi certa sint; quando voluero, & cùm dixero, Migra, paratus esto: ergo fac tibi omni tempore interrogationem illam Dei ad Adamum : *Adam ubi es?* non in quo loco, ait S. Ambrosius, sed in quo statu, quo te deduxerint peccata tua, ut fugias Deum tuum? Addo ego, ut jamjam mori & coram illo comparere pertimescas ? quid foliorum umbras quæritas ? quid peccatum aut abscondere, aut palliare desideras ? quin potiùs te accusas, & condemnas, & ad sanguinem Christi lavandus accurris, cùm bonam mortem nihil impediat nisi peccatum ?

Psal. 14.

De Parad. c. 14.

Igitur incipe hîc mori malis habitibus tuis. Propior, inquit S. Ambrosius, est saluti qui moritur, ut resurgat, quàm ille qui vivit, ut moriatur : emenda dum tibi emendare & corrigere permittitur; si hîc emendaveris, illic requiescès. Non te dulcia mundi hujus, sed amara delectent; grave enim fel movere consueverunt. Non ille jucunda quærebat positus in regno, qui eligebat mortem Sanctorum.

In Ps. 37.

2. sequere consilium Francisci Sales : qui illud Psalmistæ, *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & posteriora ejus in pallore auri*, nobis bonam ad mortem præparationem suggerere existimat. Dormire phrasi scripturæ est mori : si ergo soliciti sitis, ut inter medios cleros, hoc est duas sortes & vias Sanctorum mortem subeatis ; quæ sunt humilitas, cum fiducia in Deo, ut per humilitatem sentiatis vos inferorum supplicia promeritos, & per fiduciam in Dei misericordia, qui dives est in omnes qui invocant

cant illum, vos salvandos firmiter speretis, quia plus habet ipse bonitatis quàm vos malitiæ; tum volabitis pennis argenteis innocentiæ, & ultima vitæ vestræ operientur auro charitatis. Humilitas sine fiducia in Deo, injuriosa est illi & degenerat in pusillanimitatem: & fiducia sine humilitate periculosæ præsumptioni januam aperit. Ita viri sanctissimi se pararunt ad mortem, ita Cardinalis Bellarminus, qui extrema in ægritudine Deum verbis illis ex canone Missæ depromptis rogabat: In quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte. Ita P. Leonardus Lessius magno ardore animi dicere solitus erat verba hęc in secretis orationibus Missæ: Fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te nunquam separari permittas.

Ep. 3. epist. ultim.

Incipe hîc, & nunc viam hanc Sanctorum ingredi, nec in crastinum differ. Quid, inquit Ambrosius, in crastinum differs? potes & hodiernum diem lucrari: cavendum enim est ne & illum non teneas, & hunc amittas; non exiguum detrimentum est horæ unius: & una hora totius vitæ portio est. Fac ut dicere possis quod Ethnicus dixit: Nullum diem non tanquam ultimum aspexi. Denique fac quod B. Petrus Damianus in Epitaphio suo insculpsit, Vive memor mortis, quò semper vivere possis. & S. Augustinus, Præveniendus, inquit, est dies, qui prævenire consuevit.

Seneca Ep. 94. Serm. de temp.

CONSID. IX.

De Iudicio particulari & universali.

1. Judicium instituetur.

HIc ab oblivios mortalibus fidem maximè attentam & excitatam requiro; quis enim, si quæcumque de hoc judicio proponuntur, sibi persuadeat, non continuò è veterno teporis evigilet, & rationes suas citò disponat, nec in diem mortis differat, ne cogatur tum dicere, sicut nonnemo, qui morti proximus, dum moneretur, ut gauderet, quòd de exilio abiret in patriam, respondit: Hoc bene: si rationes in judicio reddendas bene composuissem; sed de tot malè gestis mihi conscius, causam habeo unde potiùs angar, & contremiscam, quàm gaudeam.

De quo.

Consideremus ergo quis judicandus, de quibus, à quo, quomodo, & quo exitu.

1. Quis? homuncio, quò ad naturam, secundùm Aristotelem, imbecillitatis exemplum, temporis spolium, inconstantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum verò pituita, & bilis: secundùm

Apud Stobæum.

cundùm mores, judice S. Bernardo, homo de humo, limus de limo, oneratus peccatis, irretitus vitiis, pruriens concupiscentiis, in omne vitium proclivis, plenus confusione & ignominiâ, qui nudus & solus ad judicium trahetur solis operibus comitantibus; quæ juxta S. Bernardum dicent: Opera tua sumus, non te deseremus; sed tecum semper erimus, & tecum pergemus ad judicium.

In meditationibus c. 2.

2. De quibus ratio in illo tribunali exigetur. 1. Constat de omni otioso verbo constat de omni jactu oculi, constat de omni temporis momento. Ita SS. Patres loquuntur, ita exigit ratio istius judicij exactissima, qua exactior haberi non potest; quod verum non esset si de minutissimis non inquireretur, aut aliquid ob exiguitatem omitteretur; tum enim exactius & accuratius judicium, aut inquisitio institui posset: hinc Josaphat cùm à Barlaamo de hujus judicij examine instruitur; ac de minimis etiam cogitationibus (quas per capillos, quos Deus in numerato habet, significari intelligebat) reddendam esse rationem cognoscit, totus horrore concutitur: & quid mirum? cùm vir sanctissimus Agathon in extremis constitutus, apertis, & in eundem locum defixis oculis tres dies integros steterit, rogatusque ubinam cogitatione versaretur, respondit: In conspectu Dei sto. & rogatus ulteriùs an timeret: respondit, se quidem sedulò servandis Dei mandatis studuisse; sed hominem se esse: & unde scio, inquit, an opera mea placita sint Deo: alia enim esse judicia Dei, alia hominum. Quod etiam alij sanctitate non inferiores senserunt: inter quos unus cùm de proximâ requie gratulantem, &, ut cùm cælo receptus esset, sui recordari dignaretur, postulantem audiret, oculos & corpus semimortuum erigens, junctis manibus cum lachrymis exclamavit: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: atque hac voce lamentabili pronuncians adstantibus ingentem complorationem excitavit. Meritò ergò solitarius ille, alterum ridentem aspiciens, dixit: Brevi ante Dei tribunal judicandi comparebimus, & tu rides!

2. Bona quæ.

Jam verò attentiùs perpende mecum à quo judicandus sis. Ab eo, de quo dicitur: Quia lux est, & in quo tenebræ non sunt ullæ. Jam nosti quàm lux invisa & odiosa sit peccatori: omnis enim, qui peccat, odit lucem: & quidem tenebræ illum non comprehenderûnt, sed ipse tenebras comprehendit, & quidquid sub illarum velo latet, in publicam omniû lucem producit: hic ille est, qui tibi

A qua

tibi & aliis dixit per Prophetam: Existimasti iniquè quòd ero tui similis? ut tua omnia peccata in tenebris ignorantiæ & silentij relinquam, sicut tu facere solitus es? minimè verò: arguam te & statuam contra faciem tuam, omnesque tuas fæditates tibi obtrudam. Videmus aliquando arculas in foribus templorum excipiendis ingredientium nummulis in templi fabricâ appensas, in quas quòd si pueri per lusum lapillos, aut paleas, aut lutum congesserint, ubi tempore suo illæ aperiuntur, spectantibus & pudorem simul & bilem movêt. Opera tua servire debent æternæ in cælo fabricæ, quæ felicitate te nunquam terminanda excipiat, beet, & reficiat; quis horror dum conscientiam tuam velut arculam aperiet Deus, si non tantùm straminea, sed & lutulenta opera tua ibi inveniat, & tibi exprobret. Tela est vita tua, quæ operibus quotidianis intexta, temporis volubilitate simul ipsa convolvitur: illam statim à morte explicabit totam Christus Judex, & quot figuras deformes, quot neglectas telæ portiones, quot fætida animalia intexueris, tibi ostendet; quantò pudore tuo! quantâ pœnitudine! præsertim cùm nec filum perperam ductum non sit, sine condemnatione, & horrore tum à judice, tum à teipso conspiciendum. Deus totus auris est, & audit ea in corde cogitantis, quæ non audit ipse qui cogitat; totus oculus est, qui omnibus locis & momentis præsentior est tibi, quàm tu tibi ipsi, qui omnia intima penetrat, observat tibi aliquando in judicio repræsentanda. Crede ergo eum tibi judicem futurum, quem teste S. Ambrosio occulta non fallant, indecora offendant, & honesta delectent.

4. Sed quomodo judicium instituet? Audi Danielem. *Iudicium sedit, & libri aperti.* Libri, inquit Ambrosius, aperti sunt, non atramento scripti, sed vestigiis delictorum, & flagitiorum inquinamento: aperietur liber conscientiæ tuæ, liber cordis tui, culpa tua recitabitur: vide ne dicat tum Judex: Ego scripsi tabulas tuas (tabulæ enim cordis per Spiritus sancti gratiam inscriptæ fuerunt tam in Baptismo, quàm in aliis Sacramentis) cur delesti apices meos? Ego scripsi dona mea, quomodo delesti munera mea, & scripsisti opprobria tua? nónne corpus meum pro te obtuli? nónne mortem oppetivi? hænè referuntur gratiæ? hoc profecit sanguis meus? & alibi: Quanta, inquit, prodentur, quæ latere credebam? quis pudor, quæ confusio erit mihi, cùm is, qui alios profitebar docere, ipse in eo deprehendar, in quo alios arguebam?

4. Quomodo. *In 1. Psal.*

L. de fer. c. 4.

De vanit. sæculi.

bam. Similia nobis inculcat S. Augustinus: Dicet tum Judex: Ego te manibus meis de limo formavi, ego tui misertus carnem assumpsi, contumelias & verbera pro te sustinui; quid tibi facere debui & non feci? ostende nunc quid passus sis pro me, imò quid boni egeris pro te? S. Chrysostomus dicit Christum ostensurum ambitiosis ludibria sua, purpuram & arundinem, qui ne contemnerentur, & conculcarentur Christum conculcarunt: avaris loca clavorum & fontes sanguinis, delicatis flagella, vindicativis & invidis lanceam, & acetum; gulosis pigris crucem. Quanto hæc improborum terrore peragentur, paret ex iis, quæ de judicio legimus Apocalypsis 6. Reges terræ, inquit, & Principes, & tribuni, & divites & fortes, & omnis servus, & liber absconderunt se in speluncis & petris montium, & dicent montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?

5. Quo successu. *Serm. 2. de SS. Petro & Paulo.*

5. Sed quis tandem erit hujus judicij ex tuis? Qualis fuerit exitus vitæ tuæ, talis erit & judicij. Omnino, inquit S. Bernardus, necesse est præsentis vitæ finem futuræ cohærere principio, nec tolerabilis ibi dissimilitudo est: sicut enim, si quis duo sibi, ut ita dixerim cinctoria consuere, aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quæ sibi copulanda sunt capita uniformiter parat, ne dissideant à seipsis: ita dico vobis, quantumlibet extiterit conversatio spiritualis; si carnalis fuerit consummatio nostra, vitæ illi spirituali non cohæret, nec caro & sanguis regnum Dei poterunt possidere: hisce ergo novissimis nostris sedulò nobis providendum est, ac audiendus Moyses id nobis exoptans: *Vtinam saperent*, inquit, *& intelligerent ac novissima providerent!* Ista scientia secundùm S. Bernardum non multorum, sed paucorum est; multi enim, ut ait Apostolus, confitentur se nosse Deum, factis autem negant: non enim ita se omni impuritate polluerent, si Christum Dominum venturum scirent & formidarent. Vigilarent utique, & non sinerent, tam graviter perfodi conscientias suas. Jacitur, ait quidã, semel alea tantùm, sed jactu irrecuperabili & inemendabili, & de tenebris transitur ad tenebras: itaque omnium curarum hanc summam esse puta, sapienter disponere præsentia, recogitare in amaritudine animæ præterita, & futura solicitè providere: atque ad ista frequenter à Spiritu sancto postulare spiritum sapientiæ, intelligẽtiæ, & consilij.

Serm. 3. in vigil. Nativ.

CON-

CONSID. X.

De inferno.

1. Descende in infernũ vivens.

SUnt qui nolunt hanc considerationem instituere : cùm tamen optimum sit illis, ut descendant viventes, ne eò descendant morientes descendant, inquam, considerationē quâ nulla potentior ad continendam in officio animam, & cupiditatis vires infringendas. Zenon Abbas cùm iter faciens fame urgente ad olera aliqua ex agro proximo colligenda tentaretur ; dixit cogitationi suæ : Fures suppliciis obnoxij sunt, videamus an tu ignem sustinere poteris. & aliquot dies sole torreri se passus est; cumque diutiùs ferre caro recusaret; Video, ait, te pœnis ferendis imparem esse ; ne ergo id agas unde illas in caput tuum accersas. Vult etiam S. Augustinus, ut cogitatione ignis inferorum ad vitanda peccata, & opera bona excitemur. Timeamus, inquit ; ignem palea timet; amplexaris peccata, & delicias carnis tuæ, stipulas ad te congeris; non erit iste ignis sicut locus tuus, quò tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid voluerit, qui hoc minatur : minatur inimicus tam leve malũ, & facis malum; minatur Deus æternum malum, & non facis bonum?

In Psal. 49.

Videamus ergo quis futurus sit cruciatus corporum ; deinde quis animorum ; tertiò quanta desperatio. De corporum tormentis hoc in genere dici potest, quod una similitudine explicat S. Anselmus : Sicut ferrum ignitum omni suâ parte continet ignem, sic mali omni sui parte apud inferos dolorem patientur: discurre per sensus : morbos oculorum medici numerant ferè ad trecentos, quos omnes simul coacervandos ibi existima. Legisti aliquādo aliquos terribili alicujus spectri aspectu mortuos : ibi dæmonũ horribilibus formis vexandos, mortemque propterea habituros in votis tibi persuade. Olfactum jam quantas à tot putentissimis corporibus manans fœtor cruciabit? Mezentius, & post eum Macrinus Imperator, viventes homines mortuis alligabant, donec vermibus & fœtore conficerentur : sed ludicra sunt ista, si cum damnatorũ corporum graveolentia, quam declinare nullo modo possunt, conferantur, quorum vel unicum, vastissimum aëris spatium pestilenti odore corrumperet, hominesque ibi degentes suffocaret. Auditum verberabunt, & contondent ululatus, & gemitus, ac in Deum blasphemæ voces, mutuaq; convicia

2. Quis in inferno cruciatus corporis. *Simil.* 56.

& improperia. Gustum verò torquebit non tantùm æterna fellis amaritudo, sed liquati plumbi infusio, uti nonnullis ad inferorum domicilia deductis ostensum fuit: sed potissima cruciamenta erunt in sensu tactûs, qui diffusus per totum corpus in omni ejus parte atrocissima quæque patietur, quæ cogitatione potiùs, quàm verbis à me comprehendi possunt: si fames, si insomnia, si frigus, & calor, si capitis dolores, nervorum contractiones, si membrorum luxationes, & mille aliorum generum tormenta cogitando percurras, eaque omnia in unum corpus damnati congeras, aliquid adumbrasti; sed parum omnino ad tormentorum istorum, quæ in uno corpore accumulabuntur, acerbitatem ex æquo concipiendam.

3. Quis animi.

Jam cruciatum animæ inspiciamus. Primus & maximus est privatio visionis Dei. Si sola, inquit S. Augustinus, immineret separatio à facie Dei, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illo dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet æternitate, & impunitate peccati, plangere se deberent; sed quid loquar? aut quibus loquar? hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis utcumque sentire cœperunt, noverunt, quod dico, quanta pœna est, tantummodo à facie Dei separari.

Sed de pœna animæ audiamus Bernardum cum Eugenio loquentem, & tria mala animæ damnatæ explicantem. Primum *voluntatis* semper cum Deo dissentientis; cùm enim Deus sit inconvertibilis, & indeclinabilis, ac ordiri necesse est ut hæc in illam impingens conquassetur, & conturbetur, & suæ semper aversionis & pravitatis pœnam ferat. Quid enim, inquit, tam pœnale, quàm semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquã non erit? quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic necessitati volendi, nolendique, ut ad utrumlibet jam sicut non nisi perversè, ita non nisi miserè moveatur? in æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit? dignè omnino, ut qui ad nihil unquam afficitur quod deceat, ad nihil unquam quod libeat evadat; atque hoc est admirabile supplicium voluntatis. 4pos.

4. In voluntate.

Jam verò de *intellectu* & *memoriâ* audi eundem differentẽ. Quid, inquit, tam invisum obscœnis, flagitiosisq; mentibus, quàm lux, quam non poterunt declinare, quę ipsorum turpitudinem omnibus discooperiet, ut pro multitudine intuentium sit confusio multa. At nullus de tanta numerositate

5. In intellectu & memoria.

sitate spectantium molestior oculus suo cujusque non est aspectus sive in cælo, sive in terrâ quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minùs possit, quàm seipsum: hîc est *vermis*, qui nunquam moritur, memoriæ præteritorum: semel injectus, vel potiùs innatus per peccatum hæsit firmiter nequaquam postea avellendus: nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, escâ utique inconsumptibili, perpetuat vitam.

Quis ad hæc non perhorrescat, cùm ipse sanctus exclamet: Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem: horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis: hæc est *secunda mors*, quæ nunquam peroccidit, semper occidit: quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum? mortem quidē hanc mortis beneficio finire, & evadere vellent; sed frustrà: invocabunt mortem, & non veniet. Apoc. 9.

Intueamur propiùs hujus tormenti à memoria provenientis magnitudinem. Constat, inquit, animam immortalem esse, nec aliquando absque sua memoria vivere, ne non animam aliquando esse contingat; itaque durante animâ durat & memoria; sed qualis? fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida, & neglecta: quæ priora transierunt, & non transierunt: transierunt à manu, sed non à mente: quod factum est, factum non esse non potest: proinde etsi facere in tempore fuit, feciſse in sempiternum manet: non transibit cum tempore, quod tempora transit: in æternum ergo necesse est cruciet, quod perperàm te egisse in æternùm memineris. Omne quod Deo aversum est, homini ipsi adversari necesse est; ut sit tum sera querela, *O custos hominum, quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* Non est tunc quòd veritatem dissimulet ratio, aut rationis intuitum anima declinet membris avulsa corporeis, & in sese collecta; & carens sensibus, per quos conjuncta corpori exire solebat à se, & ire in eam, quæ præterit, mundi hujus figuram? Iob 7.

Æternitas verò, & tot malorū nunquam finienda duratio summum malorum est: hinc enim desperatio, & quædam rabies & furor: mors in votis, ac in nihilum redigi summum beneficium est: sed & hoc negatur. Quidam Romanus pedore carceris, & miseriis prope confectus Tiberium rogavit, mortem citò inferret. Respondit ille: Nondum tecum redij in gratiam. quasi diceret: Nondum ita amici facti sumus, ut hoc tibi beneficium conteram: nec est quod animatis id tribuat.

Cæterùm hîc iterum repeto, quod

quod initio dixi, etsi omnia ista supplicia gravissima sint, Deo tamen, cæloque privari, omnibus illis acerbius futurum ex virorum sanctissimorum sensu: nam præter S. Augustinum suprà allatum, tam luculenter id asserit S. Chrysostomus, ut mille gehennas inferorum cum illa privatione non putet esse comparandas. Novi, inquit, quòd plurimi tantùm gehennam pertimescant, ego tamen illius gloriæ amissionem multo amariùs quàm ipsius gehennæ dico esse supplicium: & si aliquis mille ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo: *Non novi vos.* atque hæc est sententia D. Thomæ & plurium Theologorum, quia est privatio summi boni, cùm omnis pœna sensus bono dumtaxat inferiori, quod est incolumitas propria, illos privet.

Hom. 24. Matth.

In 4. d. 21. q. 1.

CONSID. XI.

De Purgatorio.

1. Purgatorij. *In Ps. 37. Serm. 4. tom. 10.*

GRavissimas esse pœnas Purgatorij tum auctoritas sanctorum Patrum, tum ratio declarat. S. Augustinum si audimus; Gravior, inquit, erit ille ignis quàm quidquid homo potest pati in hac vitâ: & amplius in aliquo sermone, in quo duriorem futurum ignem illum asserit, quàm quidquid in hoc sæculo pœnarum sentire, aut videre, aut cogitare quis possit. Quod ipsum adfert & probat S. Thomas in 4. S. Gregorius in Psal. 3. pœnitentialem ad illud Prophetæ dicentis, *Domine ne in furore tuo arguas me.* ita loqui Prophetam existimat: Scio futurum esse, ut post hanc vitam alij flammis expientur purgatoriis, alij subeant sententiam æternæ damnationis: sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem; non solùm in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo purgationis purgari.

2. Duplex pœna, damni & sensus. *In 4. d. 21. q. 1.*

Ad quod benè concipiendum distinguenda est duplex pœna purgatorij: una damni, qua retardatur anima à visione Dei: altera sensûs, quam utramque etiâ in minimo gradu excedere maximam hujus vitæ probat hoc modo S. Thomas: Quantò aliquid magis desideratur, tantò ejus absentia est molestior: atqui affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam, est intensissimus; tum quia non retardatur mole corporis, tum quia tempus fruendi summo bono jam advenit, nisi aliquid impediret;

diret; hinc de retardatione, quam culpâ suâ vel negligentiâ anima posuit, summop re dolet, eique magis, quàm ignis supplicio cruciatur.

3. Deo displiceat reus utriusque pœnæ.

Jam mecum considero, quantum displiceat Deo is qui socordiâ suâ pœnas illas sibi accersit quàm Beatæ Virgini, Angelo custodi, patronisque parum sit gratus, & sibi uni quàm injuriosus. Displicet quidem Deo, cujus natura bonitas, quem ad tantum supplicium irrogandum contra propensionē suam inducit; mallet enim Deus culpam non esse, quàm eam pœnâ persequi, de suo semper bonus, de nostro justus; idcircò tam sæpè ac seriò nos monet, ut fugiamus à facie arcûs, hoc est, justitiæ peccata ferientis, & castigantis, ad quod gratiam ipse prærogat.

4. Quem mallet habere in zelo.

Deinde quàm libentiùs videret Pater filij amantissimus filium suum inter delicias cælestes laudum cantica cum cæteris beatis ingeminantem quàm inter flammas gementem, & serò nimis væcordiam suam in cupiditatibus frænandis incusantem. Denique si amor patriæ differt specie, ut quidam volunt, ab amore multoque nobilior est, & præstantiâ anteit, Deoque gratior est, quis non videt Deum optimū maximum, qui amat, ut ametur, & amoris in suis filiis flammas ardentissimas optat accendi, hanc amoris & laudis retardationem à filij negligentia & socordia profectam ægris oculis non aspicere?

5. Et B. Virgo.

Idem esto judicium de B. Virgine, quæ Deum intentissimè amari & laudari unicè desiderat, quæ sanguinem Filij ad delendas culpas & pœnas illis debitas impendi à miseris hominibus optat & procurat, quantum potest, qui dum id à nobis negligi per nescio quam vesanam incuriam videt, & ob id inter flammarum incendia retardari, non potest non miserari simul & stultitiam nostram incusare. Quod ipsum & Angelum custodem & cæteros Patronos nostros malè afficere existimo, & unà simul ad nostri commiserationem, & socordiæ simul detestationem omnes provocari.

6. Gaudent dæmones ob dilatā ejus felicitatem.

Dæmonibus verò etsi non detur in hominem tam sæviendi facultas, non deest tamen gestiendi, & de pœnis nostris ac gemitibus, ac retardatione à possessione gloriæ exultandi materia, cùm eos, quos in sedes, quibus exciderunt, evehendos norunt, per tot cruciatus & lamenta promoveri tam lentè contuentur: cumque ipsi suis artibus socordiam istam, ob quam punimur, aluerint, aliquem victoriæ qualiscumque gustum, & fructum hauriunt.

Ipse se accusat.

Quàm verò seipsum desidiamque suam accuset homo, qui

tantillis cupiditatibus tantum malorum emerit, qui quod exiguâ patientiâ, & corporis castigatione devitare, & redimere poterat, tam multiplicatis in centuplum tormentis & doloribus persolvere cogatur, quis non videt? Rectè S. Bernardus mollitiem animi, quâ hîc aspera declinamus, quibus peccatis facere satis possemus, vocat crudelem misericordiam, qua mutatis, inquit, non effugitis pœnitentiam, quia malum impunitum esse non potest, & quod non punitur hîc propriâ voluntate, alibi punietur, in quibusdam fine, & in quibusdam cum fine, sed longè acerbiùs quâ hujus vitæ tempore. An aliquis non haberetur insanus, qui cùm posset exiguo dispendio omnia quæ vel scelerati, vel Christi Martyres in hac vita passi sunt, declinare, id refugeret, cum tamen isti tormentorum Oceano brevi se immergendum cognosceret? Id agunt, qui sibi in hac vita parcunt: nunquam enim, ait S. Augustinus, & ex eo S. Antoninus, in carne tanta inventa est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres, & multi nequiter iniqui tanta sæpè sustinuerint supplicia.

In declam. Ecce nos.

L. 1. de pœnitentia.

Anno 1583. n. 9.

Expertis credendum. Wadingus in Annalibus suis ita loquitur: Alter è fratribus languens ex fluxu sanguinis petivit animæ suæ, ut moreretur. Apparens ei Angelus Domini dixit; propterea illi inflicta fuisse hæc mala, ut peccatis satisfieret, dari illi optionem, ut integro anno illa patiatur, vel per diem unum crucietur ignibus purgatoriis. Optavit ille secundum: munitus sacramentis moritur, ad purgatorium descendit; ibi dum per horam unam cruciatur, annum se ibi detentum conqueritur: sed Angelus unam dumtaxat horam elapsam asserit, corpus adhuc jacere insepultum. Rogavit pactum rescindere liceret, plures annos se paratum morbi dolores perpeti. Impetrat & corpori redditur, narravitque astantibus, quos ab obitu brevi illo tempore passus sit cruciatus. De alio similia legimus apud S. Antoninum p. 4. tit. 14. c. 10. ubi habet quæ hîc narro.

7. Pœnarum purgatorij gravitas.

Vide verò quàm levibus de caussis hominum quidem opinione, sed non Dei judicio, non horam, sed dies, & menses aliqui in istis ardoribus pœnas atrocissimas dederint. Congerit nonnulla ex ordine S. Dominici, S. Antoninus, nonnulla etiam Zacharias in annalibus Capucinorum, & ex nostra Societate Lancitius in suis opusculis: ac primus quidem, concionatorem magni zeli, qui veste gemmis respersa ob animas ad Christum adductas, & monile gestans in pectore ob rectam intentionem, coronâ aureâ gloriæ redi-

redimitus apparuit, uno tamen mense luxit in purgatorio ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, & verba solatij cum illis habita: alter tibias adustas socio ostendit, quòd satis magnam curam in referendis ad sartorem veteribus caligis non habuisset: alter, quòd somni conciliandi gratiâ vinum purum bibisset; alter verò, quòd nimio affectu collectaneis suis adhæsisset; alter brachiis adustis, quòd balneum sine licentia ingressus esset; alius Joannes nomine concionator insignis septem dies se in istis ignibus cruciatum dixit, quòd in gratiis Deo referendis non eam, quæ exigitur, curam attulisset, & captandis confabulando recreationculis, & aliquibus commodis corporis nimium studuisset: alter insignibus item talentis præditus licet facie fulgidâ & collo aureo, apparuisset, pectus tamen & latus totum combustum ostendit, quòd ad nova ædificia nimium ardorem animi attulisset, & ob ista in precibus distractiones passus esset.

De P. Antonio Cyrnè, viro sanctissimo, & prodigiis claro suprà mentionem feci, qui visione ad tempus aliquod privatus pro culpa defectu vigilantiæ non cognita.

Alter verò, ex eodem Capucinorum Ordine, Bernardus nomine, virginitatis custos integerrimus, meritorum plenus, & miraculis illustris, quòd Superiorum voluntati, qui ut corporis castigationes moderaretur, eum monuerant, non acquievisset, septem dies à Dei visione retardatus est: alij ob fabulas & verba jocosa in mediis flammis cum stupore sunt visi.

Inter nostræ Societatis homines ob nimium in studia non necessaria ardorem, pœnas ibi luisse unum aliquem; alterum ob nimiam in vocatione vacillationem severè & diu castigatum fuisse legimus: hæc ed majorem in vitandis venialibus curam adhibendam meritò socordiæ nostræ excitandæ sufficere mihi videntur.

CONSID. XII.

De Timore sancto.

TImor, quem præcedentes considerationes excitant, est potissimùm timor pœnæ & servorum stimulus, quos è torporis lectulo nõ timor offensæ servilis, sed scuticæ aut baculi exsilire compellit: hîc de timore sancto agimus, qui cum charitate conjunctus est, & magis offensam Dei pertimescit, quàm pœnam, neque tam à se castigationem avertere conatur, quàm cavere ne oculos ejus offendam, benevo-

1. Timor duplex servilis & filialis.

lentiam minuat, & tam amantis Patris lædat charitatem: quia Altiſſimus odio habet peccatores; non enim Deus hominibus iraſcitur, ſed vitiis, quæ cùm ſublata fuerint, non erit quorſum pœnam intentet.

2. Quæ filialis effecta.

Timor ergo ſanctus duo operatur. 1. Fugam peccati cujuſlibet, quia illud Deo exoſum eſt & abominabile, qui ut illud deſtrueret, carnem induit, & acerbiſſima tormenta ſponte paſſus eſt, Apoſtoloſque mundum peragrare juſſit, ut illud eliminaret, omnemque ſibi amiciſſimum ſi contingat illo contaminari, continuò abdicat, & exhæredat. Neque odium Dei in hoc ſiſtit, ſed minimas etiam labeculas perſequitur, quas propterea timor ille ſanctus malis cæteris, neque tantùm morte ipsâ, ſed inferorum etiam cruciatibus graviores exiſtimat. Nota ſunt S. Anſelmi verba, ſi hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & neceſſariò uni illorum haberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem: mallem enim purus & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere. His principiis inſtitere Martyres: habueruntque ante oculos illud Chriſti: *Nolite timere eos qui poſſunt corpus occidere; ſed eum timete, qui poteſt corpus & animam, mittere in gehennam*: quod etiam in peccatis venialibus apud viros ſanctos locum habet, eorumque animus medullitus inſidet, nullo alio timore evellendum.

Fuga peccati.

De ſimilit. c.190.

3. Curas vitandi dæmonum inſidias.

2. In periculis & dæmonũ inſidiis declinãdis omnibuſq; actionibus, quàm poteſt perfectiſſimè faciendis magnam timor ille filialis operatur vigilantiam, de qua proinde ſolitus erat dicere B. Ægidius, eum, qui illo deſtitutus eſſet, certum habere ſuæ perditionis argumentum; neque aliquem in extremam perniciem prolapſurum; qui priùs hunc timorem non tenuerit, quod is qui nihil timet, nihil ſibi videtur poſſidere, quod poſſit amittere; qui enim, ait S. Macarius, theſauros per loca latronibus infeſta ſecum defert, gaudet quidem propter opes, ſed multum metuit propter latrones, quos ut effugiat, omnem curam & ſolicitudinem adhibet.

4. Vita hominis navigatio.

Comparabat S. Syncletica vitam noſtram navigationi, per loca alia aliis periculoſiora, & hos de die & in luce, illos de nocte & in tenebris curſum inſtituere, & prius Religioſis, poſterius ſæcularibus competere: ſæculares tamen metu periculi vigilare, & opem inclamare, ut ſalvent navim ſuam, quod etiam ſæpè aſſequuntur; Religioſos verò omnis metus expertes, ut minus vigiles & atten-

attentos ob nimiam securitatem naufragium sæpè facere.

Vigilat ergo amor sanctus super pericula, quæ ab aliis falsis timoribus impendent. Quot enim ex iis, qui virtutis studium profitentur, dum minora damna timent, majorum & meliorum jacturam faciunt? timent contemptum hominum, & à constanti proposito tantisper deflectunt, nec advertunt animum, ad illud monitum Job: *Qui timet pruinam, irruet super illum nix*; quia scilicet per minoris mali fugam majus sibi malum accersit, dum contentionem hominum declinans, à Deo, quod longè gravius est, despicitur: rectè enim Boëtius: O gloria, gloria, quid es aliud, quàm in millibus hominum inflatio quædam aurium; & quid ad Deũ omnium mortalium approbatio? Timet religiosus ne aliquid ad necessitatem corporis desit, & ab arctâ paupertatis semitâ devius humanis subsidiis huic malo occurrere nititur; nec videt minorum metu, paternæ Dei providentiæ se miserè subtrahere, & majoribus multò miseriis involvi: hæc omnia mala & pericula devitat. Timor sanctus, qui nihil aliud præter Deum, timere didicit.

Job 6.

De cons. fol.

5. Timor præpostorus Religiosorum.

6. Voluptas aquæ turbidæ.

Hanc malè, beneque timentium imaginem descriptam habes in sequenti parabola. Invitati erant complures ad regales nuptias: dum iter faciunt sitique acriter urgentur, contingit, ut ex iis non pauci ex aqua turbida & fœtenti, quæ occurrebat in via, haurire tententur; dehortantur alij quòd hoc regi foret ingratum, quòd vesperi confecto itinere pretiosis liquoribus copiosè reficerentur. Unus tamen inter cæteros, aliorum rejectis consiliis, se fœtida aquâ ingurgitat; qui dum ad januam Regij palatij comparet, quòd ore fœtorem eructaret, expellitur, & à Rege in carcerem detruditur, pro levi voluptatula gravius opinione suâ plectendus. Ita plerisque mortalium accidit, quos timor sanctus à rerum caducarum cupiditate coërcere non potest, qui dum timore minorum incommodorum se venialibus inquinant, hìc, vel in futuro suprà communem æstimationem castigantur.

Vigilat deinde Timor sanctus super dæmonum tendiculas, & mille artificiis implicatas machinationes. Bestia, quæ in Apocalypsi dicitur habere septem cornua & decem capita, varias nocendi artes in dæmone repræsentat, qui adjuratus à B. Jordane Generali Ordinis S. Dominici; ut nomen proferret, se mille dolorum artificem appellari, pronuntiavit. Incautos pisciculos à mergulis ex improviso corripi vidit

7. Dæmoni multæ nocendi artes, quas eludit Timor sanctus.

aliquando, ita S. Martinus juxta ſtagnum obambulans & mergulorum inſidioſam rapacitatem admiratus, ita nobiſcum agere dæmones ſuis inſinuamus. Vigilant ergo Sancti contra tam verſipellem & crudelem adverſarium, æmulanturque animalia, quæ ab Ezechiele viſa ſunt plena oculis ante & retro: timent quidem infirmitatum humanarum conſcij, ſed Dei protectione freti ac ſubnixi contemnunt: cùm S. Franciſcus in oratione poſitus catervas dæmonum ſuprà in tectum domus cum ſtrepitu tanquam ſibi nocere volentes aſpiceret, continuò exiens & ſignum crucis ſibi imprimens dixit: Ex parte omnipotentis Dei dico vobis dæmones, ut quidquid vobis permiſſum, jam in corpore meo exerceatis, libenter omnia ſuſtinebo; cùm enim majorem inimicum corpore meo non habeam, de illo pro me ultionem capietis.

8. Eſt fons perfectionis.

Vigilant denique ſuper perfectionem actionum ſuarum; ſicut ſponſa, quæ accuratè ſpeculum explorat, ne quid in ſe diſpliceat amato. Ita dicebat Job: Verebar omnia opera mea, ne quid ſcilicet illis ſe immiſceret, quod oculos amantiſſimi Patris offenderet. Huic timori ſancto rectè innocentiam perfectam tribuit S. Bernardus: Timor Dei, inquit, generat ſuiipſius diſcuſſionē, diſcuſſio cognitionem, cognitio pœnitentiam, pœnitentia dolorem, dolor confeſſionem, confeſſio emendationem, emendatio purgationem, purgatio puritatem, puritas innocentiam perfectam: hinc illum appellat fontem vitæ, cujus aqua etſi minus ſapida, optimè tamen refrigerat animam; addo ego, & abluit, aut ſaltem impedit, ne ſordes actionibus noſtris adhæreſcant. Unde rectè illum Abbas Jacobus lucernæ comparat; quemadmodum enim lucerna, inquit, obſcurum cubiculum illuminat, ita & timor Dei, ſi in cor hominis venerit, illud totum luce perfundit, omneſque veritates ac mandata Dei docet, & ad illa obſervanda compellit. *Beatus enim vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Hinc Eccleſiaſtes quaſi in unam concionum ſuarum ſummam colligens, dicit: *Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo.* quaſi diceret; hoc quoque, ut homines ſimus, ſine illo amittemus, inquit S. Chryſoſtomus. S. verò Auguſtinus, quia ſine hoc nihil eſt; Petrus verò Damiani vocabulum quidem hominis habemus, ſed eſſe hominis ſine illo non habemus. S. Antoninus verò, per hoc, inquit, homo habet verè eſſe hominis, quod eſt eſſe cum ratione: Bellarminus verò ait idem eſſe ac ſi diceret Eccleſiaſtes,

Dom. 1. poſt Epiph.

12. 13.

De incomprehenſibili Dei natura, De civitate Dei l. 22. c. 3. Lib. 1. Epiſt. 17. P. 4. tit. 14. c. 6. In Pſ. 33.

stes, in hoc consistit tota perfectio hominis, & omne ejus bonum in hac vita situm est. Meritò itaque unumquemque nostrum S. Paulinus monet hoc disticho:

Scire volens in qua rerum sis parte locandus,
Discute quid timeas, quidnè sit id quod amas.

CONSID. XIII.

De contritione.

I. Quàm grata Deo contritio.

TRia nunc de contritione consideremus. 1. Quàm sit Deo grata. 2. Quàm homini salutaris. 3. Quàm non adeò difficilis.

Ac primò quidem cùm contritio sit actus Deum amantis, & malum, quod ejus amicitiam destruit, super omnia mala detestantis, ac ejus benevolentiam & reconciliationem sincerè ambientis, eamque in posterum nunquam violare proponentis, satis patet, talem hominis actum Deo esse acceptissimum, cùm in veteri testamento proclamet: *Ego diligentes me diligo*: & *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; & in novo: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Ubi homo à mendacio ad veritatem amandam convertitur, quis dubitat, quin amantissimè uti filius prodigus in Euangelio ad oscula, & amplexus admittatur? *Veritas*, inquit Vates Regius, *de terra orta est, & justitia de cælo prospexit*: Quæ justitia? inquit S. Augustinus: nempe justitia Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit: ignoscamus, quia ipse agnoscit, conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar ego ad eum liberandum. Quare, quæso, nos Deus tum non amaret, quandoquidem, ut ait ibidem S. Doctor, cùm cœperimus odisse peccata, tum odium peccatorum incipiat nos similes facere Deo, quia hoc odimus, quod odit Deus; imò per contritionem ob eandē causam odimus, ob quam odit Deus: quod Deo non potest non esse gtatissimum, qui sibi similes, suæque voluntati conformes non amare non potest.

Enimverò cùm S. Paulus Corinthiis ita loquitur: Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo. Reconciliamini Deo: quasi diceret: hoc est quod nos ex Christi personâ rogamus, hoc est quod per nos ipse obsecrat, ut cum Deo redeatis in gratiam: quis meritò sibi non persuadeat, eos Deo longè esse acceptissimos, qui huic obsecrationi aures præbent, & de peccatis contriti novam cum Deo pacem ineunt.

Prov. 8.

Ioan. 14.

Psal 84.

Cùm

2. Patet in pœnitentia Achab.

Cùm in libris Regum poſt necem Naboth Achabum Eliæ comminationibus perterritum ad facti pœnitentiam convolare intueor, & Deum hac ejus mutatione quaſi lætitiâ geſtientem, ſimul Eliam ad ejuſdem ſpectaculi & lætitiæ communicationem invitare conſpicio; prorſus inducor ut credam Deum ſpiritus contribulati, & cordis contriti & humiliati ſacrificio plurimum delectari: ſive enim Achab verè indoluerit, ut exiſtimat cum gravibus viris S. Chryſoſtomus; ſive tantum externâ ſpecie, ut cum S. Gregorio cenſent complures alij, rectè nihilominus cum eodem S. Gregorio inferri poteſt, multum placere Deo veram contritionem, cùm fucata & adumbrata ejus oculis non diſplicuerit.

3. Quàm homini utilis.

Jam verò quàm ſit fructuoſa & homini ſalutaris hæc contritio, ex eo patet, quòd hominem à morte funeſtiſſima ad vitam longè humanâ præſtantiorem, & ad omnia filij à Deo adoptati, jura revocat, & de fœtentiſſima cloaca cælo pulchriorem & omnibus rebus creatis divinæ Majeſtati amabiliorem reddit. Impetrarat hanc cuidam Palmerinæ peccatis odij deformatæ Catharina Senenſis, & continuò migrantem ex ejus corpore animam tanto decore & pulchritudine radiantem vidit, etſi illa nondum Dei viſione frueretur, ut nullis poſſit verbis exprimi, dixeritque ad illam Chriſtus: Quis non omnem laborem meritò perferat, ut poſſit tantæ pulchritudinis creaturam lucrari.

Stat, ſtabitque Dei facta per Ezechielem promiſſio: *In quacumque horâ ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Si non recordatur, ergò abolitæ, ac profligatæ, amplius non ſunt: ergo per contritionem ſucceſſit in earum locum gratia, qua nihil excellentius, nihil pretioſius, nihil fructuoſius homini excogitari poteſt; quanta enim bonorum affluentia gratiam comitetur, quis dicendo complecti poſſit?

4. Dæmonibus diſplicent, L. 4. c. 7.

Vidit aliquando S. Brigitta dæmones triumphare, quòd animam peccatis obſitam jamjam ſui juris futuram crederent; ſed cùm B. Virgo minimam contritionem illi impetraſſet, magno cum ejulatu aufugientes adverſarios conſpicata admirabilem mutationem, Deo, animoque illi congratulata eſt,

5. Quam facilis.

Videamus nunc, an adeò ſit difficilis contritio, ut quidam arbitrantur. Conatus ſum in principio hujus tractatus oſtendere amorem Dei ſuper omnia non habere eam in exercitio difficultatem, quam plerique opinantur; cùm ergo præcipua pars contritionis

tionis in hoc amore peccati displicentiam operante consistat, sequitur illam plus habere facilitatis, quàm vulgus existimat.

Non deest illi auxilium divinum, cùm Deus parator sit ad illud largiendum, quàm homo ad recipiendum, & nos potiùs desimus gratiæ, quàm illa nobis desit: cùm autem humana voluntas non modò bonum simpliciter; sed etiam summum bonum naturali propensione, teste Aristotele, appetere videatur; nihil deesse videtur nisi eligendi ratio; cùm enim illa non fiat nisi ex præcognitis, juxta ejusdem sententiam, quia nemo eligit quod ignorat, restat ut maxima difficultas contritionis in eo versari videatur, quòd non satis advertat peccator, quantum inter Deum & res cæteras discriminis intersit, ac inde fiat ut tanta Majestas, tam eminens bonitas, tam eximia sanctitas rei vilissimæ postponatur: hoc verò quàm homini Christiano, quem radius fidei illustrat, facile sit vincere, quis non videt? Si quidem, inquit S. Chrysostomus, Ethnicus esses & præsentia tantum admirareris, fortassis multum esset difficultatis; homo autem cælum expectans, & ea quæ sunt in cælo, dicis quomodo rerum caducarum cupiditatem repellam? Si auro proposito & lapidibus pretiosis, dicerem: Concupisce plumbum; diceres: Quomodo id possum; si autem dicerem? Ne concupiscas, hoc multò facilius esset. Non admiror eos, qui caduca despiciunt, sed qui cælestibus caduca præponunt: hoc enim est animæ multa ignavia repletæ, nec muscis & culicibus præstantioris, humique repentis. Quid dicis? vitam hæreditaturus es æternam, & dicis: Quomodo contemnam præ illa præsentem? Vestem accepturus regiam, dicis: Quomodo contemnam præ illa pannosam? in Regis ingressurus palatium, dicis: Quomodo pauperem casam despiciam? non sunt illæ res æquè amabiles.

6. Cæcitas hominum æterna caducis post habentium.

Cùm ergo contritio in eo sita sit, ut Deum tam amabilem rei caducæ posthabuisse plurimum doleas, ejusque amicitiam rebus omnibus anteponas; si quanta sit Dei præ cæteris rebus amabilitas utcumque agnoscas, facilè utramque ab animo tuo impetrabis: præsertim cùm amicitiam suam Deus offerat.

Tres illi Imperatoris aulici, de quibus S. Augustinus, qui lectâ vitâ S. Antonij rerum omnium affecti despicientiâ, solius Dei a more succensi fuere; magnam in hoc facinore experti videntur facilitatem: unus enim ex illis iratus sibi & in amicum oculos conjiciens, ait illi: Dic quæso, omnibus istis laboribus nostris,

Confess. l. 8. c. 6. 7. Excussa ab eis Augustini amicis.

noſtris, quò ambimus pervenire, quid quærimus ? majórne eſſe poterit ſpes noſtra, quam ut amici Imperatoris ſimus ? amicus verò Dei ſi voluero, ecce nunc fio. Agnoſco cum S. Auguſtino ignorantiam, & difficultatem in bono, ab inflicta à Deo ob peccatum Adami in omnes poſteros pœna profluere, nec ab illo malo quemquam niſi Dei gratiâ liberari poſſe; ſed ſimul agnoſco cum Paulo, non ſicut delictum, ita & donum, quod per Chriſtum in nos abundantiùs promanavit; quo & ignorantia depellitur, & difficultas magnis, & continuis auxiliis ſublevatur; ut meritò, ſi ad Deum non convertamur, hoc non tam difficultati, quàm ignaviæ noſtræ, imò inſaniæ imputandum videatur. Quid eſt, inquit S. Bernardus, quod homines ad peccandum inſtigat, niſi ignorantia boni quod perditur, & mali quod peccando acquiritur ? Amittitur peccando optimus Deus, acquiritur pœna gehennalis, quorum commutationem nullus appetit niſi prorſus inſanus : hanc ignorantiam & inſaniam diſturbavit Chriſtus Sol juſtitiæ tanquam præclari luminis cereus in hujus mundi carcere illuminatus & accenſus, ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, & de facto experiantur, ut ait idem Bernardus, iſto lumine non tantùm ignorantiæ tenebras diſſipari, ſed & amorem quo difficultas vincatur, accendi: quid enim amanti difficile ? Andreas Naddini Senenſis homo ſceleribus coopertus, & vel ipſum confeſſionis nomen abhorrens, orante S. Catharinâ ad Chriſti apparentis & amorem benevolentiamque ſpirantis conſpectum totus abit in lachrymas, cordeque conteritur, & confeſſione animum expiat atque felici morte defungitur. Parem effectum in duobus latronibus ob ſuppliciorum acerbitatem, dæmonumque continua incitamenta propè jam in deſperationem prolapſis, unicus ſortitus eſt Chriſti conſpectus, ut eorum deinde contritio, & patiendi alacritas omnes in admirationem raperet. Si tam facilè ad Chriſtum in terris agentem appropinquabant Publicani & peccatores; cur non æquè facilis ad illum jam pateat acceſſus? S. Auguſtinus, quàm facilè hoc ſacrificium ſpiritus contribulati; & per conſequens contritionis Deo offeratur, indicare videtur his verbis: Intus, inquit, habeo victimam, quam immolem; intus habeo thus, quod imponam; intus habeo ſacrificium, quo flectam Deum meum; Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.

De paſſione c. 8.

8. Damnum peccati ex jactura ſummi boni, & reatu ſummi mali. *Idem ſerm. 3. de vig. Nativit.*

9 Chriſti conſpectus peccatores convertit.

In Pſal. 41.

CON-

CONSID. XIV.

De Communione.

1. Quanta Eucharistiæ excellentia. Orat. 38.

RECTÈ dixit aliquando Christus S. Catharinæ Senensi, hominibus parum cognitam esse magnitudinem hujus Sacramenti: cùm anteà Petro dixisset de eodem, cùm illi ablutionem pedum præmitteret: *Quod ego facio, tu nescis modò scies autem postea*. S. Gregorius Nazianzenus vocat Deum pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, qui subobscurè sit adumbratus, non ex iis quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum sunt, priusquam teneatur, & concipiatur effugiens, partem mentis præcipuam, eamque perpurgatam ad instar fulguris celeriter transeuntis collustrans: ut per id quod de illo comprehendimus, nos ad se trahat, & per id quod non comprehendimus, admirationem sui excitet, magisque desideretur, & desideratus purget, purgansque nos divinos efficiat, ac tum cum talibus tanquam cum familiaribus conversetur, Deus diis unitus, & cognitus. Quæ omnia cùm venerabili Sacramento conveniant, meritò à S. Thoma dicitur: *Tibi se cor meum totum subjicit, quia te contemplans totum deficit.*

2. Ad illam accede Fide humili.

Itaque humili fide, spe firma, & charitate inflammatâ ad hoc cæleste epulum accedendum. Primùm ergò humilis fides adferenda: quia, ut ait idem Nazianzenus post Salomonem, melior est pauper ambulans in simplicitate sua, inops sermonis, & scientiæ (qui verbis simplicibus, Christi scilicet, & sacræ Scripturæ innixus) in illis tanquam in parva & tenui rate salutem assequitur, quàm insipiens, qui disputationibus & argumentis ineptè confidit, & rem omni sermone sublimiorem differendò imminuit, ubi argumentorum infirmitas, est quædam extenuatio atque diminutio veritatis. Quid in cælum provolas, cùm pedes sis, inquit, quid manu aquam, cælum palmo, terramque omnem pugillo metiris? Vide ne propter animi elationem, penniſque propter volatus sublimitatem liquefactis miserè corruas. Crede, crede, ait S. Augustinus, fidelis es, non rationalis; in hoc enim ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit. Hæc fides mira operatur in anima, & spei ac reverentiæ, amorisque ardentissimi est fundamentum, hominemque à cogitationibus terrenis, ad cælestes & divinas elevat; unde sanctus Martialis ad Burdigalenses scribens, hanc escam ait in fide perfecta totam esse cælestem.

Idem orat. 26.

S. Aug.

C. 3. & 4.

3. Spe firma.

Spes verò ubi meliùs anchoram figat, quàm in hoc venerabili Sacramento? Tria potiſſimùm ſperanda nobis proponuntur, remiſſio peccatorum, gratia neceſſaria ad bonas actiones, perſeverantia in bono uſque in finem, quæ ſola coronatur. Quod attinet ad primum, etſi hoc Sacramentum non ſit Sacramentum mortuorum, ſed vivorum, quis tamen ſibi non perſuadeat Chriſtum, ſi quæ ignoratæ & involuntariæ ſuperſint peccatorum tenebræ atque reliquiæ, ut ſolem benigniſſimum, illas diſſipare? quis non credat, dum ſuſcipitur, (ut olim à Zachęo) ab anima omnibus ejus nutibus obedientiſſima, & obſequentiſſima, nec aliud quàm ejus amicitiam reſpirante, etiam dicere: Hodie ſalus huic domui facta eſt? cur non in hoc convivio audiat anima de præteritis peccatis ſemel confeſſis, & ignoratis anxia, quod Magdalenæ dictũ fuit: Vade in pace? De venialibus quotidianis Tridentini Concilij auctoritas ſufficit, ſive illa immediatè dicas remitti, ſive per actus amoris, ad quos excitandos auxilia ſubminiſtrat. Vide, quæſo Aſſuerũ in Eſtheris convivio amore ſimul, & vino incaleſcentem in profuſam etiam dimidij regni largitionem, & funeſtæ contra Judæos ſententiæ commutationem ultrò ſe dilatantem, ut meritò ſimilia ſperandi in hoc ſupremæ dilectionis epulo anſam habeamus.

4. Quid eam corroboret.

Irrigari verò tum animam cæleſtium gratiarum imbribus, quibus revireſcat, & novis virtutum actionibus floreat, ſanguis ipſe Chriſti, quo tunc animæ hortulus imbuitur, mihi perſuadet. Benedicitur Jacob à Patre, ubi nares ejus veſtium fraternarũ fragrantia afflavit, cur nõ idem tum præſtet Pater æternus, dum illi omnium virtutum odoribus refecta Filij ſui humanitas pręſentatur? Rectè rogat S. Anſelmus, quibus convenientiùs fructum ſuæ mortis tribueret Chriſtus, quàm iis, pro quibus ſalvandis hominem ſe fecit? Addo & pro quibus alendis ſeſe in cibum dedit? Quid miſericordius, inquit, intelligi valet, quàm dum peccatori tormentis æternis deputato, & unde ſe redimat non habenti Deus Pater dicit: Accipe Unigenitum meum, & da pro te: ipſe verò Filius: Tolle me, & redime te. Hoc ipſi nobis dicunt, quando ad Chriſtianam fidem, & hoc epulum nos vocant & trahunt. Quid etiam juſtius, quàm ut ille, cui datur pretium majus omni debito, ſi eo, quo par eſt, datur affectu, dimittat omne debitum? E quibus verbis Anſelmi collige, quantum ex hoc Sacramento, in quo nobis Chriſtus cum theſauris ſuis conſigna-

tur,

tur, tum ad debitorum remissionem, tum ad subsidia gratiæ impetranda habemus præsidij & adjumenti.

5. Contra dæmonem S. Chrys. hom. 45.

Dæmonem times tanquam serpentem calcaneo tuo, & in bono perseverantiæ insidiantem? fugiunt illi Christum, ejusque solium in Eucharistia, in quo Rex de illis triumphator cælestium militum coronâ cingitur; fugiunt ejus domus vestibulum, cujus postes tam sancto sanguine rubescût: paravit in conspectu nostro mensam adversus eos qui tribulant nos: non ferunt tartarei isti leones flammas ex hoc Sacramento erumpentes.

6. Contra merum cæcitatis spiritualis.

Times cæcitatem animis à peccati corruptione offusam? Christum habes, qui est lux mundi; ad quem te mittit Vates Regius, dicens: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Quem Joannes Damascenus vocat carbonem ignitum illuminantem corda, qui & melle Jonathæ & felle Tobiæ in eum finem plus habet virium; ut sicut cibus pomi vetiti aperuit primorum parentum oculos in malum, ita hic in bonum: est collyrium, ad quem cæcitatis interioris discutiendæ gratiâ mittimur in Apocalypsi; est panis, in cujus fractione Emauntis peregrini magistrum suum & cælestium secretorum Doctorem agnoverût.

7. Contra fomitem peccati.

Fortè fomitem carnis (qui nihil est aliud, quàm inclinatio naturalis ad bonum sensibile habens annexam deformitatem ad rectam rationem) pertimesces, & meritò; quia nihil æquè firmitatem animi & perseverantiam in bono concutit, & labefactat: sed ipsius aculeus multum debilitatur, & infringitur per hoc Sacramentum: cùm proprium cibi sit, ut assimilet comedentem, & pro præstantia qualitatum, quibus posset, cor contra venenatos humores corroberet, atque ad eos discutiendos vires subministret. An non ad præsentiam arcæ truncatis manibus corruit Dagon? an non ad tactum fimbriæ fluxus sanguinis stetit in fœmina?

Sermone in cœna Domini.

Denique S. Bernardus ita de hoc singulari beneficio loquitur: Ibi animus seipso altior effectus, quanto magis sursum tollitur, tantò magis extenuatur, ita ut omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam evaporans, totus spiritualis hominem in homine exurat.

8. Æternæ gloriæ consequelæ.

Ultimum & primarium spei objectum est gloria æterna, cujus pignus in hoc Sacramento habemus; cùm dicat Christus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hinc S. Bernardus Ecclesiam & simul animam justi compellans, dicit: Gratulare sponsa, gaude, incomparabiliter præs-

Ibid.

dentem habes, & Rectorem sponsum in præsentis exilij militia; pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter sponso uniaris in patria. Hîc reverà quasi dulce præludium & jucunda desponsatio, ibi nuptiale convivium, & beata fiet conjunctio, cùm de fide ad speciem, de mensa ad mensam, de Sabbatho ad Sabbathum, de calore panum ad æternalis convivij calorem transibimus; interim deliciari & gaudere debemus in Sacramento altaris. Cur non præstet hic cibus quod alius, qui per quotidiana accretionis augmenta perducit hominem ad statum perfectum & consummatum? Cibus iste, ait idem Sanctus, non est datus ad ruinas hujus vitæ, quæ vapor est ad modicum parens, sed ad æternam vitam animæ conferendam; illuc reducit hominem, unde traxit originem.

9. Fundata in amore Dei in nos triplici.

Sed ad præcipuum hujus Sacramenti bonum ac præcipuam ad illud sumendum dispositionem, quæ in ardentissimo amore consistit, veniamus; ad illud enim demum accedes, si Sancto Bonaventuræ credis, cùm totus alteratus, & ignitus fueris: est enim, *Ibid. sup.* juxta Bernardum, amor amorum: ubi animus boni Sacerdotis, inquit, seipso altior effectus, conatur, festinat, ascendit, crescit desideriis. Ut hoc assequaris, institue apud animum tuum triplicis in Deo erga nos amoris commemorationem, ut S. Mechtildem Christus ipse docuit. 1. Amoris æterni, quo Deus nos dilexit, ac deinde creavit, tot defectus nostros præsciens. 2. Amoris inæstimabilis in passione Christi. 3. Amoris inscrutabilis, quo nostri solicitus singulis momentis nobis, bonoque nostro intendit. Quis tanto amori respondeat? bonâ voluntate, & amandi desiderio, id quod hac in parte deest, supplere nos oportet. Debes, inquit Deus Mechtildi, Sanctorum merita, & desideria tibi sumere, ac si omne desiderium, & omnem amorem, quo unquam corda Sanctorum flagrarunt, haberes, sicque in altissimo amore, quo possibile est cor humanum affici, ad Christum accedere: qui hoc fecerit, ego eum amorem suscipiam, non prout est in illo, sed velut si tantus esset, quantum esse ille volebat.

CONSID. XV.

De imitatione Christi.

1. Christi imitationem imperat Pater æternus. *Matth. 17.*

HAnc Deus suadet, hanc Christus expetit, ad hanc Apostoli nos invitant, hanc à nobis exigit utilitas nostra, imò necessitas: hæc attentiùs consideranda.

1. Pa-

1. Patrem æternum nobis hanc imitationem luculentis verbis suadentem habemus in istis verbis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quæ verba expendens & gustans S. Augustinus ait: Gratias tibi Deus, æterna Virtus; gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & Filium tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Imò verò ex illis verbis colligit S. Cyprianus, eum solum audiendum, & imitandum. Quod Christus debeat solus audiri, Pater etiam de cælo contestatur, dicens: *Hic est filius meus dilectissimus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit.

Oratione de quinque hæresibus c. 7.

Epist. 63. c. 6.

2. Ipse verò Christus, quàm blandè nos ad sui imitationem pluribus locis invitat? In ultimâ, quam habuit cum discipulis suis sermocinatione, cùm dixisset illi Thomas: *Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire!* Respondit: *Ego sum Via, Veritas & Vita.* Meritò, inquit S. Leo, Dominus ipse factus est nobis via, quia nisi per Christum non itur ad Christum: per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis ejus incedit. & alibi: Illa, inquit, currenda nobis est via, quam ipse Dominus se esse testatus est: Via scilicet in forma conversationis justæ, veritas in expectatione rei, certæ, vita in perceptione felicitatis æternæ: ut meritò videatur, ut ait S. Augustinus, interrogare nostrûm unumquemque: Quà vis ire? ego sum via: quò vis ire? ego sum veritas: ubi vis permanere? ego sum vita. Ambulare vis? ego sum via: falli non vis? ego sum veritas: mori non vis? ego sum vita.

2. Christus ipse experit.

Serm. 16. de pass.

Serm. de Epiphan.

Super Matth. c. 5. & super Ioan.

An non ad imitationem suæ humilitatis & mansuetudinis nos provocat ipse Christus: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde?* an non dum ingeminat: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis?* an non dum minatur & suo consortio eos, qui non imitantur, & sequuntur, indignos pronuntiat? dicens: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus?* Nec voluit ipse alium à nobis magistrum quæri: *Nec vocemini,* inquit, *magistri, quia Magister vester unus est Christus*: quem promiserat nobis Deus per Isaiam: *Erunt oculi videntes Præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

Matth. 11.

Matth. 10.

Matth. 23.

Isa. 30.

3. Apostoli suadent.

Jam si Apostolos de via ad perfectionem compendiosa interrogemus,

gemus, quid aliud respondebunt, quàm quod scriptis suis Ecclesiæ toti relictis inseruerunt ? & Petrus quidem, *Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Et quare, quæso, hac nos cogitatione muniri & corroborari vult, quia ut ptiùs dixerat: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* Joannes verò imitationem signũ esse inhabitantis in animâ Christi asserere videtur, dicens: *Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* S. Paulus verò quàm sæpè hoc salutare exemplar Christi proponit? *Estote,* inquit, *imitatores Dei, sicut filij charissimi & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos.* Nec solam Christi dilectionem imitandam, sed ad cæteras ejus virtutes, velut aliquod animæ ornamentum sectandas animat: *Induimini Dominum* Jesum *Christum: & suscipite invicem sicut Christus suscepit vos:* & Corinthios suo exemplo ad Christi imitationẽ accendit: *Imitatores mei estote,* inquit, *sicut & ego Christi.* Quis non illa prima Ecclesiæ capita, totiusque mundi destinatos magistros, qui omnem operam in Christi consectandis vestigiis, virtutibusque exprimendis posuerunt, sibi censeat audiendos, & imitandos? præsertim cùm in eo totius salutis nostræ cardo vertatur?

1. Pet. 5.

Ibid. 2.

1. Ioa. c. 2.

Ad Rom. 15.

Quid enim nobis utilius aut honorificentius potest accidere, quàm quod imitatoribus & sequacibus suis ipse promisit Christus, dicens: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit? Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus?* Quid verò est ministrare Christo, nisi ejus assectam, discipulum, & imitatorem esse, & quid gloriosius & utilius, quàm hac in vita ad æternæ gloriæ societatem cum Christo, & ad honores æternos ab ejus Patre conferendos aditum sibi munire! Quàm parum sapiunt, qui aut ad virtutum assecutionem, aut ad æternam felicitatem adipiscendam aliis viis grassantur: cùm dixerit Christus: *Qui non colligit mecum, dispergit.* & Bernardus: Incassum laborat in acquisitione virtutum, qui eas alibi, quàm in Christo quærit.

4. Et utilitas nostra.

Quid quòd ad hanc utilitatem accedit necessitas: Christi enim nos servos, & imitatores in baptismo professi sumus: ipse tum nos liberaliter in servorum numerum accepit, voluntate nostrâ, & promissione solâ voce factâ contentus; quod meritò admiratur S. Chrysostomus. Servum empturus aliquis, inquit, priùs interrogat, an servire sibi velit, tum an futurus sit utilis inspicit, inutilem recusaturus; at Christus maximum & excellentissimum pretium

5. Imò & necessitas.

L. 3. contra vituperat. vitæ monast.

tium sanguinem suum, priusquam vellemus illi servire, erogavit pro nobis omnibus, & quantumvis improbos recipit sine obsidibus, sine chirographo, solâ voce contentus: Abrenuntio satanæ: atqui *servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.*

6. Quia illam promisimus. De Baptism. l. 2. q. 1.

Hinc S. Basilius audet de baptizato dicere; Irrevocabili pacto se adstrinxit ad hoc, ut Christum sequatur in omnibus: quod & probat verbis Apostoli: *Consepulti* igitur illi sumus *per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*: quæ vitæ novitas consistit in Christi imitatione, & placitis ejus servandis, & comparatione ad circumcisionem, de qua ita loquitur Apostolus: *Contestor iterum omnem hominem circumcidentem se, quod debitor est totius legis servandæ:* quanto magis baptizatus, inquit, debitor est servandi Apostolici dicti, *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus, ad cujus imitationem vitam meam conformo.*

7. Et Christiani nomen arguit. De perf. Christi. ant. forma.

Gregorius verò Nyssenus recte nos hortatur, ut tales nos præstemus, quales requirit istius nominis (quo Christiani vocamur) excellentia: ne falsò vocati Christiani videamur, sed ex vita testimonium habeamus: neque enim quia aliquis ita appellatur, idcircò talis est; sed ubi talis fuerit, tum meritò nomen quod conveniat, accipit: v. g. si arborẽ aut petram, hominem esse dixerim, ideóne erit homo? minimè verò; ita qui se Christianos nominant, priùs oportet, ut sint: erimus verò, si ea, quæ in Christo sub imitationem cadunt, imitemur, quæ verò excedunt, ea veneremur & colamus. Quàm verò perfecta debeat esse hæc imitatio, hac similitudine exprimit: Quemadmodum si pingendi artem disceremus, magister aliquam nobis pulcherrimè depictam formam in tabula proponeret, cujus in sua quemq; pictura oporteret pulchritudinẽ imitari, ut omnium tabulæ ad propositum exemplar pulchrè exprimerentur; ita nobis Christus ad imitandum proponitur; artifex hujus operis voluntas nostra est, colores ad exprimendam imaginem virtutes sunt. Periculum est ne negligentiâ nostrâ à pulchritudine exemplaris ad deformem aliquam personam repræsentandam recedat imitatio, si pro Domini forma effigiem vitij sordidis coloribus adumbremus, oportet virtutum colores puri sint, & peritè commisceantur, ut imago imaginis simus. Quod agebat Paulus: qui Corinthios ita compellat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et Deum Patrem affirmat, eos quos prædestinavit, & vocavit & justificavit, velle esse

conformes imagini Filij ſui, qui eſt imago Patris: denique ſi ab hoc S. Patre quæras quid ſit Chriſtianiſmus, dicet tibi eſſe profeſſionem imitationis JESV Chriſti: ut meritò, qui Chriſtiani dicimur, non aliter quàm Platonici & Pythagorici ſuorum Magiſtrorum placitis adhærebant, & ad illa vitam moreſque conformabant, ita nos in omnibus Chriſtum ſequi, & ad ejus leges & exemplum vitæ curſum inſtituere oporteat, malo noſtro facturi, ſi contrà inſiſtamus. De hoc à vitâ functis ad nos inſtruendos hac de re ad hunc mundum remiſſis monemur. Gosbertus quidam è Ciſtercienſi ordine converſus, ab Angelis ad B. Virginem, quam devotè coluerat, deductus, & ad pedes ejus reſidens, cùm illic mira jucunditate frueretur, juſſus eſt ad corpus remeare poſt tres dies ad eadem gaudia rediturus, uti evenit: id temporis inter cætera aſtantes ita eſt allocutus: Vos, Domini, numeratis annos converſionis veſtræ, alius quadraginta, alius triginta, alius decem: ego verò vobis dico beatum illum eſſe, qui bene uno anno, vel menſe, vel quod minus eſt, unâ hebdomadâ in Ordine eſt converſatus: qui ſcilicet ut alteri converſo Rudolpho ejuſdem Ordinis oſtenſum eſt, converſatione ſuâ Chriſtum expreſſerit; vidit enim ille orans nocte loco patenti, Chriſtum cruci affixum luce circumfuſum, & undecim circa illum ſuis quemque crucibus ſuffixos; cumque ad hoc ſpectaculum ſtuperet, dixit ad illum Chriſtus: Noſti Rudolphe, qui ſint hi, quos circa me vides crucifixos? Reſpondit ille: Novi Domine, ſed quid hoc ſibi velit, non intelligo. Subjunxit Dominus: Hi ſoli ex omni congregatione mecum crucifixi ſunt, vitam ſuam meæ paſſioni conformantes.

Cæſarius l. 11. c. 1.

Idem l. 8. c. 18.

8. Et pro imitationis ratione datur merces in cælo.

Hinc oriebatur in B. Magdalena de Pazzi opinio illa, futurum, ut in die judicij multos conſpecturi ſimus ad altiſſimum gradum felicitatis evectos, quos hîc contemptui, & deridiculo habuimus; quia in altera vita, ad menſuram imitationis & conjunctionis ac conformationis cum Chriſto gloria rependetur: hinc addebat: Etſi ſciret unius verbi pronunciatione, ad majorem Seraphinis gloriam promovendam, quod ex charitate erga Chriſtum, & conformitate ad ejus actiones non manaret, & verbi illius pronunciatio careret offenſa; ſe tamen eam conditionem non acceptaturum, ne Chriſto, qui omnia ex amore in Patrem operatus eſt, eſſet diſſimilis.

CON-

CONSID. XVI.

De imitando Christo in contemptu commoditatum corporis.

1. Imitandus Christus in incommodis.

POssem hîc dicere, quod S. Bernardus Henrico quondam Magistro suo ad imitandum hac in parte Christum moras trahenti: Quid mirum si inter prospera fluctuas & adversa, qui necdum statuisti supra petram pedes tuos? hærebat enim, quòd Christum per aspera gradientem intuens ad eum sequendum satis animi non haberet: quem, ut ait ibidem vir sanctus, si apprehendere cupis, citiùs illum sequendo, quàm legendo consequi potes: quid enim aliud in Euangelio, & Scripturis sacris legimus, quàm Christum, cùm vitam corpori minimè onerosam eligere potuisset, oppositum in nativitate, fuga in Ægyptum, in paupere inter fabriles labores vitâ, maximâ ætatis parte amplexatum esse; atque omnes hasce molestias triennali in prædicando cursitatione & fatigatione, & denique exquisitissimis in fine vitæ cruciatibus concluisse? id scilicet egit, ut nos ad imitandum provocaret, & ad abdicandas corporis illecebras animaret, idque multis de causis.

1. Quia intestinus hic hostis in omnis generis hominibus periculosos laqueos tendit. Quot ex infima sorte hominum exiguis gulæ oblectamentis extrema salutis adire discrimina conspicimus? quis non omni commiseratione dignum duceret illum hominem, qui ut equum adaquet, se altissimo fluminis gurgiti submergendum immittit? Quot inter plebeios promiscuè reperies similes illi virgini, quam describit Petrarcha, quæ cùm mulę insidens iter cum pedisequa faceret, & densam silvam offendisset, in qua duæ se aperiebant viæ, una latronibus infestior alterâ; nullum super hoc à peritis consilium exquirens, frænum mulæ suæ in ejus collum abjecit, ut illa quam vellet, eligeret, quæ rectà in latronum manus illam invexit, miserè ab illis spoliandam, & omnibus afficiendam injuriis. An non id agunt è vulgo plerique, qui in deligenda vitæ ratione, dum carni nimium consulere volunt, ejusque commoditatibus ante omnia servire, multis peccatorum occasionibus, & laqueis se miserè induunt.

2. Ad vitandum salutis periculum.

Nec ab hac vesania longè absunt plerique hominum, qui supra vulgus aliquid sapere videntur, qui etiam ab hac fallaci caruncula in fraudem inducuntur exitu flendo & pœnitendo: quod

3. Insistendo vię tutiori licet magis asperæ.

parabolicè in S. Antonino descriptam legimus. Duo, inquit, fratres, unus sapiens & alter fatuus simul in patriam remeabant: veneruntque ad bivium, ubi à pastoribus loci audierunt viam unam è duabus primo aspectu asperam & horridam, ad patriam quam repetebant certò ducere, alteram verò planam & delectabilem periculosam esse, latronibusque infestam. Asperam quidem è fratribus sapientior inire volebat; sed fatui verbis, & solicitationibus inductus per aliam ingredi consensit. Capti à latronibus, & in carcerē, mortemque obducendi dum simul gemunt, fatuo improperavit sapiens tanquam omnium malorum auctori. Imò verò fatuus, inquit, tibi imputa, qui me fatuum noveras, nec verbis meis acquiescere debueras. Hos duos fratres animam, & corpus repræsentare ait, è quibus anima æternorum & recti conscia ab hac Dalila in sinu dormiente, carne inquam, decipitur, excæcatur, illuditur, & miseriis innumeris circumfunditur: an non uxorius Adam à sua socia, & sanctissimus David ab hac carne voluptatis conciliatricula, & sapientissimus Salomon ab eadem omnium malorum sentina in extremam perniciem præcipites iverunt?

4. Monente id Christo

Vidit scilicet id Christus & suo exemplo medicinam facere voluit, non satis apud omnes Christianos eo quo par est pretio æstimatam: nec contentus exemplo, verbis etiam, & præmio proposito ad eam accipiendam animos nobis addere voluit; dum crucem, quæ in commoditatibus corporis abjiciendis ex parte consistit, utrem maximè salutarē; imò & sequacibus suis necessariò amplectendam sæpissimè prædicavit: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Imò, si Ambrosio crēdimus, eam ut rem sibi maximè amabilem testamento legavit. Author pietatis, inquit, in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens, Apostolis persecutionem, Judæis corpus, Patri spiritum, Virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis verè pœnitentibus crucem commendavit. Hinc audet Apostolus dicere: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Hinc est quod Clemens Alexandrinus dicat, Christianum athletam esse, qui adversus spirituales Potestates depugnet, quæ per carnem nostram operantur vehementes vitiorum & affectionum motus; quā propterea vir sanctus gladium dæmonis appellabat: qui cruce retunditur, & infringitur.

Sum. Pæn.

Gal. 5.

6. Sanctorum SS. Patrum tribus.

SS. Patres ad hanc pugnam con-

conquisitis undique argumentis nos animant. S. Gregorius Nazianzenus à natura & vilitate carnis stimulos addit, quam cœnum, luteam pedicam, plumbum deorsum vergens, feram indomitam, pugnantis materiæ sobolem, ac suæ heræ ac cœlestis imaginis vinculum appello quam rari vincunt & à qua multi superantur.

In carnis vitium adversus carnem.

Ad Martyres.

Tertullianus accersitis, ab Ethnicorum contra illam fortitudine, rationibus, mirum in modum contra nostram mollitiem declamitat: Colloquatur, inquit Spiritus, cum carne de communi salute; timebit forsan carogladium, crucem, rabiem bestiarum summam, ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis: sed Spiritus contraponat sibi & carni acerba licet ista, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò expetita famæ & gloriæ caussâ, nec à viris tantùm, sed etiam à fœminis; & post allata exempla, Lucretiæ, Mutij, Heracliti, Empedoclis, Peregrini, uxoris Asdrubalis, quæ videns maritum supplicem Scipioni, unà cum liberis in incendium devolavit; Cleopatræ, Reguli meretricis, quæ sibi linguam exsecuit in tormentis Lacedæmoniorum puerorum διαμαχίγωσι, addit: quos otiosos affectatio armorum ad gladium locat? certè ad feras ipsas affectatione descendunt, & de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur: jam ad ignes quidam se autoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente consisterent: alij inter venatorum taureas, scapulis patientissimis inambulaverunt. Hæc non sine caussa Dominus in sæculum admisit; sed ad nos & nunc exhortandos, & in illo die confundendos, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ illi affectaverunt pro vanitate in perditionem.

6. Et peccatorum fœditatē. *Hom. 22.*

Alia argumenta à fœditate peccatorum, quæ per carnem committuntur, à nonnullis congeruntur. S. Chrysostomus in Genesim notat à Spiritu sancto homines virtute præstantes carnis expertes dici, homines verò carnales carnem appellari. Cùm Deus dixit: *Spiritus meus non permanebit in homine*, per Spiritum Dei, animam ad Dei imaginem creatam, aliqui intelligunt, quasi Deus pudori duceret imaginem suam in tam vili arcula contineri.

Cyprianus verò hanc carnis fœditatem rerum molestiorum tolerantiâ aliquo modo abstergi insinuat; dum dicit tunc in carne gloriandum, quando cruciatur, quando ferrum ignis & bestias patitur. Illa enim sunt, ait, pretiosa carnis monilia, illa corporis ornamenta meliora.

7. Et conse-

Sed cœlestium bonorum desi-

quendam gloriam cæleſtem.

derio ad exuenda quæ ſunt carnis nos accendi vult Apoſtolus, dum ad Corinthios ſcribens: *Licet*, inquit, *qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen qui intus eſt renovatur de die in diem*: quaſi ab unius corruptione alterius innovatio & robur exſurgeret. Hinc & monet S. Ambroſius eum, qui vult perfectam purgationem conſequi, à corpore & ſenſibilibus ſe diſiungat. Exuat unuſquiſque animam involucris ſordidioribus, & quaſi aurum igni approbet deterſam luto, ſumatque inde alas, quibus ſicut flamma ad ſuperiora dirigatur.

L. de Arca & Noë ſuper Pſal. 104.

Ita docuit aliquando S. Brigittam S. Joannes Bapt. dum corpus comparat nido, quem avis, & maximè pica ex rebus inveteratis componit; ita corpus noſtrum ex materia veteri conſtruitur: cùm pulli jam grandiores alas inducrunt, illos mater ad volandum provocat cibo, voce & exemplo: ita facit Deus, nos ad nidum corporis deſerendum cæleſtium rerum delectatione & guſtu velut cibo, & Scripturarum ſacrarum ſententiis, exemplo denique ſuo ſuaviter allicit, & ad ſublimiora cæli pabula conſectanda, quò longiùs à nido nos avocet, ipsâ ſuavitate ſanctæ conſolationis invitat; ut verum ſit, quod olim ſolitario dixit: Da mihi carnem, & dabo tibi ſpiritum. In medio quodam loco anima conſtituta eſt, inquit Auguſtinus, & legem accepit hærere Superiori, regere inferiorem; quod facere nequit, niſi à meliore & ſuperiore Deo ſcilicet regatur: ſi trahitur & adhæret inferiori, meliorem & ſuperiorem deſerit, nec poteſt regere, quod regebat, quia noluit regi à quo regebatur. Hinc rectè monet animam, ut revocet ſe ab exterioribus ad interiora, & ab inferioribus ad ſuperiora, ut adhærens Deo, inferiora calcare diſcat, ne recedens ab illo, iſta in ſupplicium convertantur. Tanto, inquit alibi, firmiùs gaudebis, quanto eſt ille certior, in quo gaudebis.

L. 2. c. 29.

Pſal. 145.

Pſal. 144.

CONSID. XVII.

De imitatione Chriſti in contemptu Iudiciorum humanorum, & conviciorum.

1. Imitandus Chriſtus in contemptu judiciorū humanorum.

SAtis advertit Chriſtus, qui eſt ſapientia æterna, quantum hominum judicia & linguæ ad timidos mortales à virtutis proſecutione avocandos, aut retardandos haberent momentum; idcircò ſuo etiam exemplo hunc obicem diſturbare, & ſectatoribus ſuis ad illum contemptu ſuperandum animos addere voluit. Primò judi-

cia

cia humana de vili & plebeio suo ortu nihili fecit, quin obscuro loco natus, & fabri filius, & à Nazareth, unde nihil arbitrabantur boni esse, oriundus haberi voluit. Deinde literarum rudis, & omnis expers scientiæ dum publicè ab aliquo diceretur, tacuit. Unde hìc literas scit, cùm non didicerit? Præterea cùm illum contumeliosè Samaritanum, imò & à dæmone obsessum proclamarent; cùm vini potatorem, & seductorem dicerent, imò & infamis cum peccatoribus societatis accusarent; nihil commoveri visus est. Denique cùm furiis agitur, vel furore correptum & vinculis constringendum propinqui arbitrarentur, quasi auribus careret, ne verbulum quidem oppositum: postremò cùm ut malefactor & seditiosus, ac læsæ Cæsareæ Majestatis reus apud Pilatum & Herodem & frequentes hominum confessus peteretur ad supplicium, nihil pro justa sui defensione adferre voluit, stupente Præside, & nonnullis, & arbitror, ex adstantibus, quos invidia non accenderat.

2. Quid fecerunt Apostoli.

Hoc Christi exemplum, quantum in viris gravissimis habuerit ponderis, & quantum in nobis ad judicia vocesque humanas contemnendas habere debeat, videamus. Apostolos lætitiâ perfusos legimus, quòd digni habiti essent pro nomine Christi contumeliam pati. Paulum audimus in contumeliis gloriantem, & ab humano die profecta judicia nihili æstimantem, Gregorium Nazianzenum, dum in Christum oculos convertit, intemperatium linguarum voces atque convicia pro stillantibus pluviæ guttis habentem: Juniperum ad excipienda probra, tanquàm cæli gemmas vestis sinum aperientem: Elzearium ad famulorum falsas delationes, & sinistra inde in propinquo enata judicia obmutescentem legimus. Unde, quæso, in istis fortis, & taciturna, & læta patientia? non aliunde, quàm ab attenta Christi inter similes injurias silentis contemplatione, & exemplo.

3. Et primi Christiani.

Quàm atrocia in Christianos in primis Ecclesiæ incunabulis jactata sint judicia & probra, apud Minutium Felicem, & Tertullianum sigillatim expressa habemus; de nocturnis cœtibus, & post nescio quas cæremonias extinctis luminaribus, impuris congressibus, de adoratione ad poplites Antistitis fœdissimâ, de infante cæcis occultisque vulneribus inter illa sacra occiso, ejusque sanguine ad arctius conjurationis vinculum in commune propinato; de altaribus homini pro facinoribus punito erectis, de crucis ligno ferali adorato, & similibus; quæ

quæ quomodo tulerint Christiani videamus.

Imitantur scilicet Christum, tacent, aut modestè respondent: Primò Minutius has à dæmonibus, qui propagationē fidei verebantur, excogitatas calumnias dicit; ut, inquit, ante exploratam veritatem homines à nobis averteret: naturale enim est odisse, quos times, & quem metuis, infestare si possis. Sic occupant animos, & obstruunt pectora, ut antè incipiant homines nos odisse, quàm nosse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. Idem ferè respondet Tertullianus: Quid iniquius, ait, quàm ut oderint homines, quod ignorant, etiamsi res meretur? tunc enim meretur, cùm cognoscitur an mereatur.

4. Obloquutores sunt fanæ. An non ad exemplum Christi velut ad amussim conformata, & concinnata intuemur, qui ad Pharisæorum crebras, & insolentes, & invidiosas calumnias respondet interdum, & sæpè velut per contemptum dissimulat.

Ranam ferunt si in fontana & limpida aqua collocetur, non coaxare, sed silere; si ad palustrem & turbidam transferatur, à clamoribus non cessare; ita qui Christi in ferendis hominum judiciis, & conviciis taciturnitatem velut in limpido fonte, & patientiæ speculo intuetur, atque in ista contemplatione constanter hæret, quantumcumque provocetur injuriis, facilè silentium servat; ubi verò corruptæ naturæ cæno redditur, continuò clamores clamoribus, & judicia judiciis, conviciaque conviciis reponit.

5. Harum unam ut contempserit Joannes Brevis *In vitis PP. l. 5. c. 9.* Hauserat ex hoc limpidissimo fonte virtutum Christi admirabilem in conviciis animi æquitatem Joannes Abbas cognomento Brevis: cùm enim illum sedentem ante fores Ecclesiæ circumstetissent fratres, & ab eo consilium, auxiliumque super cogitationum suarum victoriam exquirerent, illeque omnibus responsum daret, senex quidam è solitariis superveniens ad hoc spectaculum, invidiâ commotus amarulento scommate Joannem quasi gloriæ humanæ cupidum, & discipulorum concursu gaudentem carpens dixit altâ voce: Ecce Joannes sedet ad instar meretriculæ ornantis seipsam, ut congreget concilietque sibi amatores. Quod Joannes audiens: Sic est, inquit, Abba, & ita res se habet, ut dicis, & hoc ipsum tibi Deus revelavit. Non stetit hîc fenis invidi amarulentia; sed addidit: Verè cor tuum, Joannes, veneno plenum est. Non magis, quàm antè immotus Joannes respondit: Ita est Abba, ut dicis, & ita quidē loqueris, quia exteriora mea dumtaxat conspicis; si quæ

in

in me latent aspiceres, longè plura diceres. Mirati sunt benignum ejus animum universi, & cùm cæteri discessissent, ac unus illum secretò rogasset, an non aliquid perturbationis inter ista convicia persensisset, respondit: Minimè, sed eandem quam lingua & vultu præ se tulerat tranquillitatem, animo etiam se tenuisse.

6. Et S. Florentinus.

Hauserat & Arlottus Florentinus; qui exemplo Christi convicianti dixit, aures suas non esse cloacas, quæ sordes excipiant, easque in animum transmittant; aurium suarum dominium Christi beneficio se assecutum.

Hauserat Dorotheus, quem cùm frater quidam ab infirmaria ad templum usque conviciis esset insectatus, idque rescius Superior delinquentem punire vellet, ad pedes ejus se abjecit, se solum errasse protestatus.

Verum quidem est quod Sapiens dicit: *Calumnia conturbat sapientem*; sed primâ dumtaxat commotione, quæ ad primum Christi patientis conspectum conquiescit. Id aliquando indicavit Apollo inter solitarios ob virtutum studium celebris, qui cùm sanguinem spueret, alteri causam roganti respondit; se convicio alterius commotum, dum illud silentio concoquit, & digere conatur, in sanguinem versum; quem ubi exspuit, animum pristinæ suæ tranquillitati redditum.

Cæterùm homini in Christi imitationem sedulò incumbenti, id accidere persuasum habeo, quod adamanti, cui nec malleus, nec ignis, quòd potis careat, nocere potest, & omne convicium habere se ad instar teli, quo insanus aliquis aut aquam perforare, aut ignem compungere, aut aërem vulnerare vellet: sicut enim, ut ait S. Hilarius, in natura non est aquam forari, aut ignem pungi, vel aëra vulnerari, quamvis natura teli sit vulnerare, compungere, & forare; ita convicia si in hominem passionibus obnoxium inciderint, altè quidem vulnus imprimunt; si verò in animum Christi exemplo & imitatione munitum, tela esse imbellia sine ictu.

CONSID. XVIII.

De imitatione Christi in aliis virtutibus.

1. Imitandus in amore Patris æterni.

VIrtutum aliquæ erga Deum hominem disponunt, aliæ erga seipsum, aliæ erga proximum: longum esset de omnibus exempla ad imitandum ex Christi vitâ proponere, nonnulla tantùm delibabo.

Erga Deum Patrem quantus in Christo amor, quanta voluntatis conformatio, quanta submissio

& obedientia! amorem ostendit, dum ut Patri gratificetur, acerba quæque devorat, & ad durissimã mortem alacriter progreditur: Ora. 14. *Vt cognoscat mundus*, inquit, *quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite, eamus hinc*: nunquam melius amas, quàm dum ut alteri commodes, tibi incommodas; amans anima rubo ardenti & incombusto similis est; nam amoris igne tota inflammatur, & nihilominus spinis laborum, & malorum, undique horrescit; quæ tantum abest ut ab igne consumantur, ut ab illo potiùs custodiri, & conservari, quasi ille spinarum aculeis delectaretur, videantur.

2. Inter vitæ aspera.

Imitemur hunc Christi amorem; & amando, inter spinas hujus vitæ perseveremus: ascendat interim animus noster sursum ad instar ignis: dixit enim Dominus, inquit S. Ambrosius, Surgite eamus hinc; præcipiens, ut unusquisque surgat de terrenis, erigat animam humi jacentem, excitet aquilam suam, hoc est animam suam, quæ sicut aquila alta petat, supra nubes volet, renovatis splendescat exuviis, cælo volatus suos inferat, ubi laqueos incidere non possit.

3. In paupertate.

Erga seipsum quanta in Christo viguerit austeritas, quanta rerum omnium abdicatio atque paupertas Euangelia testantur; præsepe & spelunca, & in Ægyptum fuga & plurium annorum exilium abundè loquuntur; quare quasi colonus futurus es in terra, ait Hieremias, & quasi viator declinans ad manendum, quare futurus es veluti vir vagus? quàm hujusmodi vita multa trahat secum incommoda patet, cùm domicilio careat, ædes muret, & sæpè sub dio, & in montibus, ut Christo contigit, pernoctet; ut propterea dixerit, vulpes foveas habere, se verò non habere ubi caput reclinet. C. 14. Matth. 8.

4. In electione crucis.

Ac licet qui hoc modo paupere m, vagam, & nullo loco consistentem vitam eligat, multa perferre cogatur, crescit tamen Christi erga seipsum austeritas ex electione crucis, de qua dicitur: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* quasi diceret: Cùm potuisset vitam eligere jucundam, & continuâ gaudiorum serie intertextam, elegit nihilominus crucem, & vitam cruciatibus & ærumnis obnoxiam, parvi ducens ignominias, quæ hujusmodi vitam & crucem comitari solent. Qui hoc Christi in se quodammodo odium sunt attentè contemplati; mirum in modum, & ipsi in se exarserunt. Uno Jacopono hîc contentus ero; excitarat in illo dæmon carnis bubulæ appetitum, hic alicunde precario conquisitam in cella appendit, & Hebr. 12.

5. Quod fecit Jacopone.

horâ

horâ prandij illam intuens, deosculatur, ac deinde ad triclinium se conferens, more suo pane & aqua se refocillat: computruit interea caro suspensa viciniamque fœtore cõplevit. Quod superior ubi deprehendit, tanquam rem communitati noxiam gravi pœnâ multat, & Jacoponum in fœtentissimum locum conjicit; ubi cùm gaudio delibutus ex ingenti patiendi pro Christo desiderio caneret; à Christo invisitur, atque his verbis suavissimis compellatur: Jacopone charissime, quandoquidem mei amore hac injuriâ non moveris, nec hanc gravem olentiam horres, ut te solarer accessi: pete quod vis, & impetrabis. Domine, ait, hanc à te gratiam postulo, ut me in locum isto horribiliorem fœtidioremque detrudas, quia hunc parum gravem, & molestum existimo.

6. Mira misericordia.

Plenæ sunt similium in Christi sectatoribus exemplorum historiæ, quas his verbis egregiè describit Cassidorus: His propositum est hostes suos nõ reluctando vincere, sed patiendo superare: triumphus illis omnis est in proprij corporis passione, & tunc adversarios efficaciter vincunt, quando laudabili humilitate succumbunt: cum aliis non habent jurgia; sed semper secum litigant; miserentur omnibus, sibi solis non parcunt, & cælesti charitate inflammati, bona, quæ sibi evenire cupiunt, aliis communicare contendunt re recâ milites Christi, qui duci suo in omnibus similes esse in votis habent. Tales, inquit Gregorius, Dux noster secum ad prædicationis prælium duxit, qui despectâ salute corporum hostes suos moriendo prosternerent, eorumq; gladios non armis, sed patientia superarent.

In Psal.

De cæteris virtutibus, quæ nos disponunt ad alterum, duæ vel tres seligendæ mihi videntur. 1. Obedientia, quam cibum suum esse dixit, quod illâ ipse ut homines cibo aleretur, & oblectaretur. 2. Humilitate, & mansuetudine, quas velut prima scholæ suæ elementa sectatoribus suis proposuit, dum dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Obedientiam, quam Christus præstitit Patri non solùm ejus operibus expressam, sed ejus etiam ore testatam habemus, dum dicit: *Quæ placita sunt ei, facio semper*: quam verò exhibuit Josepho, & matri, Lucas docet: *Erat*, inquit, *subditus illis*; quàm deinde Pilato verba illa Petri indicant: tradebat, judicant, se injustè, & Christus ipse Pilatum habuisse super se potestatem datam illi desuper agnovit, cui proinde est obsecutus.

7. Obedientia.

Matt. 5. 11.

Descendit Christus de cælo, ut obediret: *Descendi*, inquit, *de cælo,*

Ioa.6. *non ut facerem voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* atque ut servum se docilem, promptum & obedientem ostenderet, dicit Patri: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi*, vel, ut Psal. 39. S.Hieronymus vertit, *perfodisti mihi*; quia servi apud Hebræos aurium perfossione notabantur. In vitæ suæ decursu, quam sæpè dixit; nondum venit hora mea, & tempus meum nondum est paratum, ut ostenderet, etiam momenta sibi designata ad aliquid agendum obediendi studio observare; morti verò propinquus dicit: *Non quod ego volo, sed quod tu; & inclinato capite tradidit spiritum*; Hebr.5. ut meritò dixerit Apostolus: Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam, & consummatus didicit, inquam, & expertus, quantas vires habeat ardua subeunda obedientia, & in ea consummatus & perfectus, nobis eandem perfectionis assequendæ normam reliquit; qui propterea, ut ait S. Bernardus, maluit vitam ponere, quàm obedientiam perdere. Declam. super, Ecce nos.

Ad hoc obedientiæ exemplar fingi formariq; debemus, si Deo grati esse cupimus; cùm post charitatem primum ei inter virtutes locum det ipse Christus apud S.Brigittam. Charitas, inquit, est quasi arbor, de quâ omnes virtutes procedunt, inter Lib.6. c.120. quas primatum tenet obedientia, pro qua ego ipse subire crucem & mortem non dubitavi, adeoque ad instar fructus suavissimi mihi placet, & ille mihi amicissimus, qui velle suum alienæ voluntati integrè subjicit. Idem nos docet S.Bernardus. Sapiens numularius, inquit, est Christus, cui necesse habemus reddere numum obedientiæ, quem non suscipiet nisi integer sit, & absque falsitate: si discutimus, si dijudicamus, & in hoc quidem, præcepto non obedimus, sed in illo, fractus est numus. Idem alibi dicit eos esse in obedientiæ perfectæ forma, qui ne quidem cor proprium habent: ut scilicet aliquid desiderent ante nutum obedientiæ. Serm. de S. Andrea. In convers. S. Pauli.

Mansuetudinem & humilitatem Christi tot argumentis habemus contestatam & in tam illustri loco positam, ut splendore suo meritò omnes Christi amatores ad imitationem provocet. Ejus descriptionem legimus in Isaia: *Ecce servus meus, suscipiam eum.* 1.Id est, ut Hebræa vox sonat, in ulnas accipiam & fovebo. *Electus meus* in ducem scilicet contra diabolum, *complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* 2.Justitiam, & verũ Dei cultum: *Non clamabit nec audietur vox ejus foris: calamum quassatum non confringet.* 3.Rem vilem, quæ cœpit frangi & Mansuetudine & humilitate.

frangi, non comminuet, & *linum fumigans non extinguet*, licet fumo, oculis & naribus molestiam afferat: id est, imbecilles in fide, spe, & charitate non durè excipiet, nõ abjiciet, sed fovebit, sanabit, & accendet. Non erit tristis neque turbulentus, ait idem c. 62. Christi mansuetudo designata nobis fuit per quatuor animalia: *Agnum*, cujus mansuetudo tum maximè paret, cùm deberet illam excutere, cùm scilicet ad mortem petitur: Unde Jeremiæ ore sic loquitur: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimã. Columbam*; quæ felle caret, nec resistit, sed lapillo aut à miluo impetita, fugâ sibi consulit. ut hunc spiritum mansuetudinis in Christo monstraret, apparuit illa super caput ejus. Messiam illum esse probare vult Matthæus ex illo vaticiniis ante prænuntiato; *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam*: super asinam, inquit S. Chrysostomus, non super equum signum belli, & jactantiæ, sed super animal mansuetum tranquillitatis & pacis amicum, & ad aliena onera portanda paratum: hinc & nonnulli ad Christum pertinere illud Vatis Regii arbitrantur: *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Sic aliquis vir sanctus asinũ se inter fratres reputavit, ut hac cogitatione ad mansuetè cæterorum levanda onera animaret.

Vermem denique se esse dixit Christus: *Ego vermis & non homo*: qui proterenti non resistit, sed se recolligit, & contrahit. O quanta in his omnibus ad imitandum seges!

CONSID. XIX.

De interioris hominis ad exemplar Christi conformatione.

I. Imitandus in interioris hominis cultu.

INterioris hominis pars superior complectitur intellectum & voluntatem, inferior sensum & appetitum: itaque triplex hîc petitur conformatio, in operationibus intellectus, voluntatis, & appetitus inferioris.

Cogitationes Christi quales. *Homil.* 1.

Cogitationum Christi sublimitas, atque præstantia repræsentatur nobis à sponsa in Canticis, dum dicit: *Comæ ejus quasi elatæ palmarum, nigræ quasi corvus*. Elatæ palmæ, & præcipuè germen grati coloris semper virens, & palmæ verticem tegens ac ornans nobis optimè cogitationes Christi, quæ ab ejus divinitate velut à capite vim & virtutẽ accipiebant, erantque proinde prorsus cælestes & divinæ, repręsentant. Tales Christi sectatorem vult habere S. Macarius: Alius, inquit, est Christianorum mundus, conversatio,

mens,& opera: alij enim concutiuntur volubilibus hujus mundi cogitationibus ; Christianorum verò conversatio in cælis est,propter communicationem Spiritus sancti: quia de sursum nati sunt.

2. Quales non.

Non cogitabat Christus de rebus ad corpus pertinentibus, qui de illis à suis sectatoribus suscipi curam vetabat: *Ne solliciti sitis*, inquit,*animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro,quid induamini.* Hinc S.Basilius in regulis brevioribus, arguet eum non tantùm, qui de comedendo cogitat , sed etiam illum, cui memoria cibi fame non stimulante obrepit, arguere hoc animum ad res hujus vitæ plus æquo propensum, & in aliis, quæ Deo grata sunt, negligentem,sed & beatus Nilus Christi sectatorem debere esse ait velut aquilam in sublime volantem, solis aspectu truentem , puriori gaudentem aëre, quæ demum ad terram se demittat,cùm urget necessitas.

Matth.6.

Interrog. 17.

Orat. 3. adv. vitia.

Ut has Spiritu sancto plenas cogitationes assequamur, orandum ait S. Bernardus, ut cor mundum creetur in nobis : quod utique fiet,si Spiritus divinus fuerit in visceribus nostris in nobis & erga nos sanctus , erga proximos rectus , erga Deum principalis : qualis scilicet fuit in Christo; qui nec de proximo unquam sinistrè præter rationem judicavit, nec superfluis cogitationibus in seipso locum ullum dedit , sed dignas Deo semper aluit : cujus imitationis flagrans desiderio S. Theresia frequens tres illos versiculos repetebat: *Cor mundum crea in me Deus , & spiritum rectum innova in visceribus meis; ne projicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me; redde mihi lætitiam salutaris tui , & spiritu principali confirma me.*

Serm.3. de Spiritu S.

3. Quomodo gignãtur bonæ cogitationes.

Ad hanc superiorem mentis partem pertinet intentio , quæ à Christo dicitur oculus & lumen; quia etsi actus sit voluntatis ; ordinantis tamen & illuminantis intellectus actionem præsupponit; quàm verò in Christo illa excelsa,simplex & constans extiterit, patet ex ipsius verbis, quibus non semel id variis occasionibus est protestatus : nihil aliud ille in actionibus suis spectabat , quàm maximam Dei gloriam : in hac omne studium collocasse se dicit, dum Patrem alloquens : *Ego te clarificavi* , ait , super terram, *opus consummavi,quod dedisti mihi.* Quid porrò illud est ! nimirum , *Vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti* JESUM *Christum* ; hinc paullò pòst dicit : *manifestavi nomen tuum hominibus* , hoc est, gloriam tuam,& quidquid in te gloriosum est , potentiam tuam,beneficentiam , & singularem erga homines charitatem : hunc scopum

4. In recta intentione quæ in Christo sublimis.

Ioan.17.

pum culumniantibus Judæis habere se ostendit, dum dicit: *Honorifico Patrem meum*: hunc & discipulis dum de Lazari morbo loquens: *Infirmitas*, inquit, *hæc non est ad mortem*; sed pro gloriâ Dei, quàm verò altissimâ intentione id quæsierit, in eo clarè ostendit dum omnibus vitæ bonis se exuit, & acerbissimis malis se induit, ut gloriam istam amplificet. Imitare tu, & hoc unum; Dei scilicet gloriam, in omnibus specta; quidquid habes vitæ, & spiritus, in id impende, & pro illius amplificatione nihil malorum perhorresce, quod in Apostolo Paulo virisque Christum proximè imitantibus expressum vides.

Ioan 8.

5. Ex accurata.

Non erat tantùm sublimis in Christo intentio, sed accurata, & ad minima quæque descendens, ut nullus ictus oculi, nulla respiratio, nullus corporis motus ab illa non sanctificaretur. Hanc à S. Gertrude exegit aliquando Christus Dominus, adeoque gratam habuit, ut præter suam in Eucharistia præsentiam nullibi libentiùs, quàm in Gertrudis corde sedem figere se Mechtildi affirmaret,

6. Ex charitate orta, 2. 2. q. 23. a. 6.

Prætereà hanc intentionem charitatis filiam esse oportet, quæ in eo fidei & spei longè præstat, ut notat. Thomas, quod illæ boni aliquid à Deo consectentur: charitas verò ita Deum attingit, ut in eo sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Ac propterea illi convenit, quod Ambrosius de vera pronuntiavit amicitia, non esse vectigalem, & Nazianzenus ὁδοὺ θεωτικὴν viam, qua divini efficimur, quia opera etiam minima nō ad instar virgæ Midæ, aurea simpliciter, sed divina prorsus efficit.

L. 3. de Off. c. 2.

Hinc S. Bernardus duo illam habere dicit, charitatem in intentione, veritatem in electione; quia eligit, quod Deo placet, & ex solo Deo placendi desiderio id agit: ut meritò dicat Ambrosius; Intentionem pretium rebus imponere. Voluit Christus ab Israelitis primogenita sibi offerri: cor est primogenitum, primaque ejus operatio est intentio finis; ad hanc vigila, si, ut monet Chrysostomus, ad rectam amussim. omnes tuas actiones exemplo Christi velis dirigere, ne si hoc negligas, magna vitæ tuæ portio tibi pereat.

L. de præcepto.

In Ps. 72.

7. In memoriæ usu.

Pertinet ad hanc partem memoria, semper in Christo plena Deo: quam imitaberis, si cum Davide dixeris: *Providebam Dominum in conspectu meo semper*, & dici de te possit quod de Moyse S. Paulus, *Invisibilem tanquam videns sustinuit*, quia Dei invisibilis præsentiâ animatus ad adversa quæque fortiter subeunda animum obduravit.

Psal. 15.

Hebr. 11.

Per Dei præsentiã.

Quod Christiano homini mirum

rum in modum in votis esse debet. Barlaam tam præsentem Deũ habere se professus est, ut si mentem à Dei præsentis intuitu vellet avellere, non sine violentia id ab illa impetrare posset, & nostris temporibus fuisse legimus, qui spatio plurium annorum exiguo spatio septies dumtaxat Dei præsentis memoriam amiserint, eamque continuò recuperarint. Hoc videtur pro Apostolis Patrem deprecatus Christus in ultima cœna, imò & pro nobis omnibus, dum dixit: *Non pro eis tantùm rogo, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Impetravit hoc à Christo S. Lutgardis, cui cùm ille tertiò dixisset: *Pete quod vis, & dabitur tibi.* Tum illa: *Da mihi*, inquit, *cor tuum.* Ad quod Christus respondit: *Imò potiùs da mihi tuum.* institit nihilominus illa, & dixit: *Imò da mihi cor tuum attemperatum cordi meo.* quod & factum. Dicamus & nos Patri: Posside memoriam meam, & reple illam præsentiâ tuâ. Dicamus Filio: Posside intellectum, & eleva illum sanctis cogitationibus. Dicamus Spiritui sancto: Posside voluntatẽ meam, & illam inflamma sanctis affectionibus: ut hoc modo aliquam cum Christo similitudinem assequamur.

Ioan. 17.

3. In sensu

Jam de parte inferiori, sensu scilicet interno, & appetitu & utriusque in Christo operationibus aliquid dicamus, ut ubi plurimum turbarum in nobis plerumque existit, ad ejus exemplar, ejus adjuvante gratiâ, componatur. S. Augustinus de humanis in Christo affectionibus agens: Ipse Dominus, inquit, in forma servi agere vitam dignatus humanam, adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit: neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus: verùm ille hos motus, ita cùm voluit, suscepit humano animo, ut cùm voluit, factus est homo. Habemus nos eas ex humanæ conditionis infirmitate, non autem ita Dominus Jesus, cujus & infirmitas fuit in potestate: quomodo verò Christum in istis aliquomodo imitari possimus, tum exemplo S. Pauli, tum aliis Scripturæ sacræ exemplis ostendit.

interno & appetitu.

L. 14. de Civitate Dei c. 9.

Quatuor illas, quas Virgilius expressit, dum dixit: *Hinc metuant, cupiuntq́, dolent, gaudentq́.* Nobiles Christi primis temporibus, & nostris sectatores ad Christianæ perfectionis formam regere sunt conati, adeò ut mater à septenni puero hoc ipsum exigere ausa fuerit: cùm enim ille quòd contra Deos blasphemasset, Romæ ab Asclepiade Præfecto, tortoribus virgis cædendus præsente matre

matre traditus esset, & inter verbera cunctis ad cruciatum flentibus, ille exhaustus, se sitire diceret: Mater eum increpans dixit; Christianum cedere non debere, aquam vitæ in Christo sufficere, fontem illum perennem esse proximum, calicem infantium Bethleemiticorum esse exhauriendum: nolebant illi metuere nisi peccatum, nec extra Deum ejusque voluntatem quidpiam concupiscere: de Deo offenso dumtaxat dolere; & in illo ac de illo gaudio affici. Amorem tuum reformando perfectam Christi imitatorem assequeris, si Augustino credis: Amor enim, ait, inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est: proinde mala sunt ista, si malus est amor, bona si bonus. Ita ille. *Lib. 1.*

CONSID. XX.

De Sacrificio cruento Christi in cruce morientis, & quid illud à nobis exigat.

1. Cruenti cruentis Sacrificij dignitas ex offerente petita.

QUis offert illud Sacrificium? Christus Deus homo, Sacerdos, & victima; ex quo pater magnitudo hujus sacrificii, cùm offerente & re oblata nihil majus ne à Deo quidem excogitari possit: si omnes Angeli corpus passibile assumpsissent, & pro me redimendo in crucem acti essent; imò si omnes Sancti, quorum eximia virtus omnes in admirationem rapit, idem crucis, mortisque supplicium pro me subiissent; tantum dignitate à Christi sacrificio differrent, quantum vermiculi mors ad omnium Angelorum, & Sanctorum mortem comparata. Nulla enim finiti ad infinitum est vel esse potest proportio.

2. Ex modo offerendi.

Quomodo illud Sacrificium offertur? Admirabili charitate, summos inter cruciatus, & gratis: vide illum amoris alis volantem ad hoc sacrificium peragendum. *Erant*, inquit Marcus, *in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos* JESVS, *& stupebant, & sequentes timebãt*; nimirum desiderij pennis ad passionem rapiebatur: dilatio ipsa cruenti istius Sacrificij, ut fit in rebus ardenter concupitis, animum angebat. *Baptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor* (S. Ambrosius legit *angor*) *usquedum perficiatur.* Videmus aliquem febri ardentem, haustum frigidæ instanter expetere, differre tamen, usquedum hora, quâ possit bibere, à medico præscripta sonuerit, interim exclamare: O quàm sitio! quàm intùs ardeo! Ita Christus. Hinc Petro passio-

Matth. 16. nem impedire volenti, & dicenti: **Abſit à te Domine, non erit tibi hoc: dixit vultu** ſevero: *Vade poſt me Satana*, ſcandalum es mihi; non enim ſapis quæ Dei ſunt. Vocat illum Satanam, hoc eſt, adverſarium; vocat ſcandalum, hoc eſt, offendiculum & obicem, quod rem ſibi deſideratiſſimam impedire, & amoliri vellet; dicit non ſapere quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum; qui cruces à ſe & ab amicis avertere, officioſi hominis eſſe arbitrantur: cùm è contrà vellet Chriſtus omnes ſuos in eundem ſecum crucis amorem concurrere. Hinc S. Ambroſius verba illa Chriſti, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* ita explicat, quaſi Chriſtus diceret: Anima mea donec mors veniat, triſtitiâ conſumitur, quia ita illam deſidero, ut ex ejus abſentia triſtitiam ingentem ſentiam: & hoc ſenſu quidam dictum ab illo Judæ exiſtimant, *Quod facis, fac citius*; quaſi febri æſtuans, hauſtum aquæ peteret, quo refocillaretur. Sacrificabat ſe quotidie Chriſtus coram Patre ſuo in ara cordis, ſe ad mortem pro humano genere offerens; ſed intereà ad holocauſtũ in cruce totis votis anhelabat; quod illud ſciret Patri gratiſſimũ, & ad hominum redemptionem à Patre conſtitutum: quod prævidiſſe videtur Vates Regius, dum dicit: *Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.* quaſi diceret: Acceptet Pater tuus, Deus tuus omnia ſacrificia tua, quæ toto vitæ decurſu, tum intus, tum extra multa eaq; acerba tolerando ipſi obtuliſti; ſed holocauſtum mortis tuæ in cruce illi cæteris gratius ſit, ſicut quò animal perfectiùs & pinguius immolatur, eò ſacrificium eſt illi gratius: unde Danielem orantem audimus: Sicut in millibus agnorum pingium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo, ut placeat tibi: hæc ſignificant illa holocauſta medullata, hoc eſt, plena medullâ charitatis, quæ Propheta oblaturum ſe dixit; ſed quæ Chriſtus perfectè adimplevit.

L. 7. in Lucam.

3. Ex quotidiana oblatione.

Pſal. 19.

Quantos verò inter cruciatus hoc ſacrificium obtulerit Chriſtus, vel ex illis ejus verbis, *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*, intelligi poteſt, cùm tum inimico odijs omnibus exacerbato poteſtas in eum, quem odit, ſæviendi traditur, ſatis patet, quid à tali odio in omnem ultionis exercendæ rabiem effuſo expectari debeat: præter alios hominibus ignotos cruciatus, qui inde in animum ejus redundarunt; unde exclamat: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit, ut ne angelica quidem intelligendi vis eò penetrare poſſit, idque Deo ſoli videatur eſſe reſervatum.

4. Ex circumſtantiis cruciatũ.

Sed

5. Ex gratuita oblatione.

Sed quod mirum in modum Sacrificij hujus præstantiam auget, & extollit, est, quod id gratis offerat, solius Dei honore & gloria, & animarum, à quibus honor ille incrementum accipiat, salute contentus. Nemo plus tribuit, quàm qui sibi nihil relinquit, ait Ambrosius : sed amplius aliquid mihi largiri videtur, qui seipsum donat, nec suum emolumentum spectat, sed alienum commodum; hoc ipso solo contentus, quòd benefecerit.

Videamus nunc quid tanti Sacrificij beneficium, à nobis, quibus maximè profuit, exigere videatur: haud dubium quin ingentem animi ardorem & generositatem ad acerbissima quæque ad imitationem pro honore Patris æterni subeunda; quod egregiè ab iis præstitum, qui hoc grati animi vinculum propiùs inspexerunt. Aspice inter cæteros, quos ignes in Theodoro Martyre, de quo Gregorius Nyssenus : qui dum fides in Christum, ejusque exemplum ante oculos obversatur, extantque ex altera parte carnifices, & tormēta, exclamat: Qui vulnerat, corpus incidat; qui verberat, laceret; & qui cremat, flammam adjiciat, & qui his verbis offenditur, linguam exscindat.

6. Ex fructu quem debemus colligere.

Intuere inter cōfessores S. Ambrosium, qui contra Arrianos pro Christo depugnans, illos ultrò ita compellat : Si patrimoniū affectatis, invadite; si corpus, accurrite: vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est.

Vvadingus ad annum Christi 1298.

Rogatus aliquando Jacoponus, quid Jesv Christi amore ferre paratus esset ; respondit: Ex animi mei sententia desidero, ob Christi amorem, summâ mentis tranquillitate sustinere in hac vita omnes labores, ærumnas, angores, molestias & dolores quæ verbis exprimi, aut animo concipi possunt: nec id satis; velim etiam simul ac ex vita hac migravero, cacodæmones ad inferos animam meam rapiant, ut ibi pro omnibus igne purgante detentis justitiæ divinæ faciam satis; præterea gratissimum mihi erit, si omnes, quorum causa, ista sustinuero, priusque quàm in cælum veniam, æterna felicitate donati, illuc tandem me clementer admisso universi in unum congregati objectarent, pro tormentis omnibus eorum causa toleratis, se mihi prorsus nihil debere : Ex animo enim cupio pro omnibus nullo meo emolumento horrenda quæque perpeti, unico æmulandi Christi studio, qui nullâ spe præmij tanta pro nobis pertulit, ut nos exemplo suo doceret sine remunerationis spe aliis esse benefaciendum. Ira ille generosus Christi imitator, & pro gloria Dei fortis athleta.

Quòd ſi tam altos animos induere non potes, quotidianos ſaltem labores & ærumnas Deo in ſacrificium offer, & dic cum S. Auguſtino: Tibi ſerviat, quidquid utile puer didici; tibi ſerviat, quod loquor, & ſcribo, & lego, & numero. & poſtea Dei oculos teſtes appellans; Vides, inquit, in corde meo, quia ſic eſt, ut ſacrificem tibi famulatum cogitationis & linguæ meæ. Adde ad iſta ſacrificium laudis, quo honorari ſe dicit Deus, in ara cordis tui eum amando, admirando, & deprædicando thus laudis accende: ignis holocauſti ſemper ardeat in corde tuo, qui opera, & quæ accidunt adverſa, in ſacrificij materiã convertat: neque enim, ut ait S. Leo, tua largitas de muneris penſatur pondere, ſed de benevolentiæ quantitate; nec diſcrepat fructus operum, ubi eſt par affectus operantium.

L. 1. Conf. c. 15.

Pſal. 49.

In appar. Dom.

CONSID. XXI.

De Chriſto Victore, & Triumphatore per Reſurrectionem, & Aſcenſionem ſuam in cælum.

1. Chriſto reſurgenti

PRimum quod Chriſto reſurgenti, & in cælum aſcendenti debemus, eſt de ejus victoria, triumphoque quantum animo capere poſſumus gaudium: hoc enim ipſe Apoſtolis dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado.* Amantis enim eſt de bonis amici æquè gaudere ac de ſuis; imò interdum magis, præſertim in Chriſto, quem majori quàm nos ipſos amore proſequi oportet. Ad hoc gaudium occaſione Reſurrectionis & Aſcenſionis nos invitat Vates Regius, dum Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem, per quam arca humanitatis ejus elevanda erat, prævidens uſurpãſque verba à Moyſe dici ſolita, dum arca ad iter proſequendum in deſerto in humeros à Levitis tolleretur, dicit: *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.* quod quam facilè feliciterque à Chriſto conficiendum erat, oſtendere volens, addit; ſicut deficit fumus, deficiat, & ſicut fluit cera à facie ignis; nam & à vento facillimè fumus diſpergitur, & cera ab igne conſumitur; quantum verò gaudium inde nos concipere oporteat ſubjungit, *& juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitiâ*: hoc eſt, omnibus gaudiis, ut ſpiritualibus epulis non tantum reficiantur, ſed exultent, & delectatione lætitiaque circumfluant, imò externo cantu id oſtendant; pergit enim nos omnes ad id

debemus gaudium

id excitare, dicens : *Cantate Deo Psalmum, dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* quasi diceret: Illi qui jam super occasum, super omnem corruptionem victor ascendit, epinicia canite, & omnia ad id conducentia parate: qui est jure naturæ Dominus, & hostibus jam prostratis liberum quodammodo dominatũ est assecutus. Nec hac excitatione contẽtus, ne fortassis aliquis ab hostibus nobis timor remaneat; *Exultate*, inquit, *in conspectu ejus*, nec velut orphani, aut destitutæ viduæ timeatis: ille enim Dominus hostium victor & triumphator, Pater est orphanorum, & vindex viduarum, cujus conspectu turbati illi diffugient: ut meritò illius, & nostra causâ lætandum sit.

2. Majus quã pater prodigi conceperit.

Si Pater prodigi ob receptum filium non victorem, sed à dæmonibus victum, & quot flagitiis, tot vulneribus coopertum dixit alteri filio: Epulari & gaudere oportebat, quia alter ille, qui perierat, ad vitam, quodammodo novam revocatus erat; vitam, inquam, caducam & mortalem, & miserrimis casibus, hostiumque periculis expositam: quid nobis in hoc Christi resurgentis & ascẽdentis triumpho faciendum? Ecclesia Matrem Christi, quam jam ob Christi victorias Reginam appellat, ad omnem lætitiam invitat. Regina cæli, inquit, lætare alleluia. Currus Dei, inquit idem Vates, decem millibus multiplex, millia lætantium: quidni nos simul inter illa lætantium millia triumphantis Christi currum lætantes comitemur? Noluit aliquando temporibus Tertulliani miles Christianus ad Imperatorum donativum accipiendum coronatus lauro, ut cæteri milites, accedere, sed coronam manu gestans ante Tribunum comparuit, rogatusque cur id contra cæterorum morem faceret; respondit: Christianus sum; jussusque continuò in carcerem duci; cumque ob illud factum ab aliis commilitonibus, inter quos plures erant Christiani, carperetur, occasionem dedit Tertulliano Romæ tum agenti de corona militis librum scribere, ubi fusè ostendit, non licere Christianum in hac vita coronatum incedere: nisi fortè coronâ Christi ex spinis confertâ. Licet tamen nobis de corona gloriæ, qua Christus, morte devictâ, & dæmone debellato, in resurrectione redimitus est, quamque deinde cælis intulit, insigniter gaudere, ad quod gaudium per tot congeminata *Alleluia* ab Ecclesia Matre nostra provocamur.

2. Alterum quod à nobis exigere videtur Christi resurgentis, & cælos ascendentis triumphus, 3. 2. Gratulationem.

eſt congratulatio; jam enim illæ perditam oviculam unicè dilectã, luporum dentibus ereptam, humeriſque ſuis impoſitam, omnem nempe juſtorum turbam è limbi miſerijs liberam ſuorum meritorum humeris ac virtute ſubnixam cælis invehit, & meritò nos omnes, Angeloſque ſibi felicitate viciniores invitat, ut olim in parabolâ: Congratulamini mihi de mortis meæ fructu tam deſiderato, qua & corpus meum ad inſtar agni tormentorum & mortis acerbiſſimæ lanienâ laceratum divinitatis meæ potentiâ velut humeris glorioſum reſumo & cæleſtibus delicijs totâ æternitate fruiturum ad ſublime palatium reveho, unaque amantiſſimas juſtorum animas velut gregem ſelectum in æterna paſcua mecum reduco.

4. Majorem quàm amici Tobiæ teſtati ſunt.

Venerunt ad Tobiam Achor & Nabath ejus conſobrini, cùm oculorum lumen filiumque cum conjuge ingenteſque cum illa divitias recepiſſet, congratulatum de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus. Venerunt & ad domum Zachariæ vicini & cognati poſt editum in lucem Joannem Baptiſtam, ut de tanto beneficio ſterili huc uſque matri cõgratularentur: ſed & Franciſcus Xaverius, ubi noſtrorum operâ amplificatum Dei honorem hominumque ad meliora converſiones audiebat; ſolebat dicere; eſſe quod inde Chriſto Domino gratularemur. At longè potiorem gratulandi materiam in ejus Reſurrectionis, Aſcenſioniſque triumphis habemus.

5. Aut triumphantibus Romanis.

Imperatoribus triumphantibus applaudebant nõ tantùm amici & propinqui, & milites; ſed quicumque ex urbe aliiſque Italiæ locis ad ſpectandum confluebãt, non tantùm voce, ſed etiam eleganti habitu & plerumque albâ veſte induti diemque iſtum lætiſſima feſtivitate celebrabant: & quid quæſo iſta triumphantium Imperatorum pompa unquam habuit, ſi cum Chriſti ſolemnitatibus conferatur? præſertim cùm Chriſti lætitia æterna ſit; & novis ſemper acceſſionibus glorioſior lætiorque futura, cùm plures & plures triumphato dæmone cælis inferentur beatorum numerum aucturi? At verò in illis alijs Imperatorum triumphis erat à tergo qui diceret: *Reſpice poſt te, hominem te eſſe memento*: erat & appenſum currui tintinnabulum, & flagellum, quibus ſignificabatur, eum in tantam calamitatem incidere poſſe, ut flagris cæderetur, & capite damnaretur; hi enim cùm ad necem ducerentur, tintinnabula geſtare ſolebãt, ne quis inter eundum, contactu piaculo ſe obſtringeret.

Tertull. in Apol.

Zonaras apud Baſnag.

Tertium quod Reſurrectio & Aſcenſio

6. Vitæ novitatem. Rom. 6.

Ascensio Christi à nobis expostulat, & vitæ novitas, & cælestis conversatio: quomodo Christus, inquit Apostolus, surrexit à mortuis in gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: & sequenti capite vult ut serviamus in novitate spiritus; ut nimirum abdicata malè agendi consuetudine, nonos ad virtutem animos sumamus; nescit enim, ait S. Gregorius, veteras cere, qui semper per desiderium studet inchoare: quid tibi cum operibus mortuis, quæ ab Adamo, per peccatum moriente, propagata in te propaginem suam multiplicant, qui novâ vitam, veteri illa profligata, cum Christo resurgente instituisse debueras? *Si consurrexistis cum Christo*, inquit idem Apostolus, *quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Audi Augustinum quomodo id facturus sis. In rebus corporeis, inquit, aliud sunt pedes, aliud scalæ, aliud pennæ; intus autem & pedes, & scalæ, & pennæ affectus sunt, & bonæ voluntates; peccata omnia aut facit malè ardens cupiditas, aut malè jacens timiditas: transiliat unusquisque omnia ista, erigat scalas suas, exerat pennas suas, transiliat omnia quibus teneri potest in terra, vilem habeat mundum, & omnia quæ delectant in mundo. Uno verbo alibi dicit: Amando Deum

22. Moral. c. 4.

Psalm. 38.

ascendis, amando sæculum cadis; ascendit ad cælestem Hierusalem omnis qui proficit; cadit ab hac omnis qui deficit: unde fit, quod ait alibi: Iter tuum voluntas tua est; amando ascendis, negligendo descendis: & quanto plus amaveris, tanto plus ascenderis. Nec putes ad ascendendum opem tibi defuturam: ipse Christus faciet tibi gradus, quibus ascendas, ipse disponet ascensus in corde tuo; propierea enim & resurrexit & ascendit, ut nisi obsisteres, te ad novam vitam cælestemque conversationem eveheret, ut dicere posses cum Apostolo: *Nostra conversatio in cælis est:* ascensio enim ejus prævenit nostram, teste S. Bernardo, posteà secuturam. O quantam apud Christum gratiam iniremus, si unusquisque hunc ex ejus Resurrectione & Ascensione fructum decerperet! Alphonsus Rex, non tam quòd hostes vincere & sciret, & posset, gloriabatur, quàm quòd victis consulere didicisset: longè amplius Christus, qui hoc unum habet in votis, ut ad nos amplissimus ex victoriis fructus derivetur: quod tum fiet, si cum resurgente ad novam vitam resurgamus, & cum ascendente ad cælos ascendamus: ibi enim sit mens, ait S. Augustinus, & hic erit requies, & nihil crus sentit in nervo, ubi animus in cælo est, ait Tertullianus.

Psalm. 126 Psalm. 85.

CON-

CONSID. XXII.

De Spiritu sancto, ejus necessitate & operatione.

1. Quanta nobis necessitas Spiritus sancti.

1. NEcessitatem ostendunt verba illa Pauli: *Nemo potest dicere, Dominus Iesu, nisi in Spiritu sancto.* Confirmat hoc S. Gregorius, qui ad vitæ æternæ meritum nihil à corde nostro prodire posse asseverat, nisi Spiritus sanctus, qui electorum cordi ad bene vivendum præsidet, illud operetur. Sed & S. Augustinus quidquid cælum & terrena ad sanandum regendumque hominem congerant, nihil profuturum proclamat; nisi Spiritus sanctus operetur intrinsecus, & interiore gratiâ mentem regat & agat. Adfert ad hoc egregiam cõparationem S. Chrysostomus: Da mihi, inquit, navim paratam, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nusquam esse Spiritum venti; nónne tardat omnis quantuscumque est apparatus? ita si desit Spiritus sanctus, otiosa sunt omnia.

1. Cor. 12.

l. 2. moral. c. 42.

C. de civit. Dei 15. c. 6.

De adorando Spiritu.

Sed & Basilius hanc Spiritus sancti necessitatem aliâ similitudine amplificat. Quemadmodum si nocte lucernam tollis è domo, supereſt, ut nihil videant oculi, nihil operentur vires, nec agnoscatur rerum dignitas; sed per ignorantiam aurum æquè conculceretur, ac si ferrum esset; ita in intelligibili gubernatione impossibile est illã insititiam manere vitam absque Spiritu sancto. Sed cui non cæcutit rationis oculus, satis advertit, sicut membra corporis absque spiritu vitæ illa vivificante moveri non possunt; ita nec interiorem hominem posse vel unicâ mentis aspiratione ferri ad cælestia, nisi Spiritus internus vitæ spiritualis calorem subministret: rectè enim S. Gregorius habitare in corpore animam, inquit, probant vitales sensus corporis; habitare in anima spiritum, probat vita spiritualis.

Orat. de Spiritu S.

ibi supra

2. Quanta ex eo utilitas.

Jam videamus quàm magna operetur in in nobis ille Spiritus: Primò, si eundem S. Gregorium audimus, in igne & columba nobis monstratus est, quia omnes quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentes exhibet. Fons vivus dicitur, quia sordes abluit, hortum animæ rigat, & concupiscentiæ calorem refrigerat. Vnctio dicitur, quia donis suis loculenta; quæ à lapsu Adami inflicta nobis sunt vulnera, suis donis curati stultitia laboramus in judicando, hebetudine in cognoscendo, præcipitatione in diligendo, pusillanimitate in pervincendis difficultatibus, nescio qua insensibilitate

litate in Dei cultu, superbiâ & tumore in occasionibus: Unctione sua Spiritus sanctus stultitiæ vulnus dono sapientiæ temperat, hebetudinis & ignorantiæ dono scientiæ & intellectus, præcipitationi medetur dono consilij, pusillanimitati dono fortitudinis; durum cor dono pietatis emollit, superbiam timoris sancti oppositu elidit: ad hunc modum qui Spiritus sancti gratiam assequuntur, fiunt per timorem Dei humiles, per pietatis studiũ misericordes, per scientiam discreti, per mentis fortitudinem liberi, per consilium cauti, per intellectum providi, per sapientiam maturi. O quàm meritò Ecclesia sæpissimè multiplicat: Veni, veni; ut videlicet tam insignes fructus in filiorum suorum cordibus producat.

Tract de Spiritu S. S. Cyprianus tria à Spiritu sancto promanantia distinguit; Suspirationem, Inspirationem, Aspirationem. Suspiratio est, qua ad illum velut absentem desideriis suspiramus. Inspiratio est, qua jam Spiritus sanctus, per motionem internam se animo nostro præsentem sistit. Aspiratio verò est, qua ipse per desideria cælestia mentem nostram ad superna elevat; atque hæc tria à Spiritu sancto causam habere & effectum, & materiam & proventum pronuntiat.

Denique S. Bernardus vult, ut minimam boni cogitationem ab illo promanare agnoscamus. *Serm. 32. in Cant.* Cùm bona, inquit, in tuo animo volui sentis, non tuam putes esse cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetam dicit: *Ego qui loquor justitiam.* Bonum quod cogitatur, Dei vocem, non cordis prolem existere existima, & non tantùm periculosè, sed damnabiliter errari, dum quod Dei est in nobis, damus nobis, putantes Verbi visitationem nostram esse cogitationem.

Vide & alium Spiritus sancti effectum, à venti navim in altum promoventis similitudine adumbratum. Ut enim dum ventus à portu paulatim navigium in altum promovet, paulatim etiam terræque urbesque recedunt, & tandem ex oculis disparent; ita dum Spiritus sanctus humanæ mentis implet vela, & ad cælestia evehit, rerum caducarum cogitationes & affectus evanescunt.

3. Quid nobis agendum ad illius receptionem.

Restat ut quid ex parte nostra ad Spiritum sanctum impetrandum conservandumque adferre nos oporteat, cùm ipsius Sancti gratia discutiamus. 1. Infigenda est animo magna tam præstantis doni æstimatio, ut quod de Sapientia dicitur, hoc de Spiritu sancto dictum existimemus, tribusque bonorum generibus quæ apud mortales in prætio sunt, illum

1. Æstimandum donum. *Sap. 7.*

lum longè anteponamus. 1. Honoribus. Ita unusquisque nostrûm apud se sincerè dicat: præposui illum regnis & sedibus. 2. Opibus. Divitias nihil esse duxi in comparatione illius. 3. Bonis corporis. Super salutem & speciem dilexi illum.

4. Purgandus animus. *Serm 5. de Ascens.*

2. Purgandus est animus à carnis rerumque caducarum amoribus: rectè enim S. Bernardus ponderans illa Christi verba, *Nisi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos* ait: Si hæc ita sunt, imò quia ita sunt, audet aliquis de cætero, qui carnem fovet, qui in carne seminat, carnem sapit, illam sperare gratiam spiritus vehementis, quam, ut Veritas ipsa testatur, nec cum ipsa Verbi carne percipere Apostoli ullatenus potuerunt? Errat omnino si quis cælestem illam dulcedinem huic ceneri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri hujusmodi posse illecebris arbitratur.

Dum Elizæus duplici spiritu Eliæ donari peroptavit, noluit hærere in Jericho, etsi id Elias videretur dissimulanter permittere: Jericho verò lunam sive inconstantiam & mutationem significat. Noluit etiam remanere in Galgalis, quod Vallem veterem sonat, imò neque in Bethel, quod domum Dei designat. Ita tu si abundanti Spiritus sancti gratiâ locupletari desideras, instabilitatem animi in boni prosecutione devita, veterem hominem, malosque ejus habitus odio habe, imò nec cælestibus consolationibus nimis adhærescere: Christum sequere, ejusque vestigiis, à quo Spiritus sanctus mittitur, constanter insiste.

3. Amplificandus est sinus mentis ingentibus desideriis, atque hac in re imitandi Apostoli in oratione, votisque congeminandis, constantes, & assidui. Audi Bernardum: Oportet ut sancti desiderij ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam ipse venturus est, & sic præparet locum Domino. Sanctus verò Augustinus, Sicut, inquit, cùm nosti quàm magnum est, quod accepturus es, & vides quia angustus est sinus, aut saccus, ut illud capiat, extendendo facis capaciorem; sic ait desiderio extendi dilatarique oportere sinum animæ. Imò verò ab ipsomet Spiritu sancto spiritum hominis ampliari, & angustias suas deserere, egregiè alibi describit. Contemne, inquit, spiritum tuum, accipe spiritum Dei: nec timeat spiritus tuus, ne cùm cœperit in te habitare spiritus Dei, angustias patiaris in corpore tuo; non ille excludet spiritum tuum; noli timere. Si divitem aliquem hospitio excipias, pateris angustias; ubi maneas tu non invenis, ubi lectus illi paretur,

5. Concipienda desideria. *Serm. 3. in Cant.*

Tract. 5. in Ep. S. Ioan.

Serm. 5. de verbis Ap.

paretur, ubi conjux, ubi filij, ubi familia. Quid ago? inquis, quò eo? quò migrabo? Suscipe divitem spiritum Dei, dilataberis, non angustiaberis: dices hospiti tuo: Dilatasti gressus meos subtus me; quando hîc non eras, angustias patiebar; implesti cellam meam, non me exclusisti, sed angustiam meam.

6. Conservanda ejus gratia.

4. Conservandus est Spiritus sanctus & omnino in corde nostro retinendus. Quomodo id fiet? Si nimirum ab illo te regi sinas, eique voluntatis tuæ frænа committas; si dicas cum Sponsa in Canticis: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quasi diceret: Ille Spiritus sanctus, qui totus amor est, totus charitas, venit ad me, & intendit mihi, ut bene mihi sit ab ejus gratiâ, & præsentiâ; ego vicissim intendo, ut in omnibus illi morem geram; ille saluti meæ, ego ejus voluntati: ille mihi, & non alteri (immundo scilicet) quia una sum columba ejus, ego illi & non alteri; nec enim audire volo vocem alienorum. Vocatur à Regio Propheta spiritus rectus; obliquas igitur intentiones, & curvos in terram affectus fuge, si illi placere exoptas. Vocatur Sanctus; noli igitur locum contaminare, in quo sedem figit, quod est cor tuũ: columba est, quæ tœtore fugatur. Vocatur Spiritus principalis, dominari vult, & alium præponi sibi non patitur. Regit, inquit S. Cyprianus, componit, consummat, & perficit quas inhabitat mentes, & corda quæ possidet, nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos possederit, quos gladio potentissimæ virtutis accinxerit. Vides hoc in sancta Theodosia octodecim annorum virgine, quæ cùm visitaret Martyres in carcere, & pro se eorum preces rogaret, illis orantibus audita est vox de cælo: Ego illam oleo athletæ inungo, & spiritu meo confirmo, ad cruciamenta omnia vincenda. Capta ab Urbano Præside, dum cruciatur: Exurge, inquit, Urbane, nullo de parato mihi prandio, ferculo me fraudes; excruciata, in mare projecta, leonibus objecta, tandem decollata, & tum visa columba auri splendore pulchrior cælum conscendere, scilicet tota S. Spiritus fuerat habitaculum.

CONSID. XXIII.

De Deo Vno & Trino amoris objecto & exemplari.

CHristi Victoris & Triumphatoris consideratio ad corda nostra sursum amoris pennis elevanda; Spiritus sancti deinde, qui Amor est, & per quem charitas in corda hominum diffusa est,

contemplatio, ad eadem in nobis amoris incendia instauranda valuêre plurimum. Nunc ad ipsum totius amoris fontem Deum Unũ & Trinum, fidо simùl & amandi desiderio facem præferentibus propiùs accedamus.

1. Circa Deũ ne sis curiosus scrutator,

1. Itaque servandum quod Gregorius Nazianzenus nos monet: Ego, inquit, in his quæ omnem elocutionem humanam superant, nihil curiosè scrutor, ne mihi accidat, quod visui, dum in radios solares dirigitur: quantò enim quis plus & diligentius videre voluerit, tantò magis sensu lædi-tur: & dum illum intimè cernere & perfectè cognoscere desiderat, etiam illo, quod percipere poterat, ob sensum nimiâ luce hebetatum, privatur. Ab hac curiosa scrutatione nos aliâ comparatione deterret Spiritus sanctus: Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria. Si de modo dicendi, quo sacra Scriptura contexitur, dicat S. Augustinus, quamvis omnibus sit accessibilis, pauciſſimis tamen esse penetrabilem, quid de supremo earum objecto, qui Deus est, censendum?

Prov. 25.

Epist. ad Volusium.

2. Procedendum ergò lumine fidei, quod accenditur nobis per ipsius increati luminis revelationem in Scripturis sacris, & cum S. Ambrosio dicendum: Ego te, Pater æterne, Filiumque tuum, & Spiritum sanctum incircumscriptum, inæstimabilem, inenarrabilemque legi frequenter, credo libenter, & ideò æstimare non possum; ut examinare te possim! vel potiùs relicto examine, & solâ fide credendo, ut te amare super omnia valeam. Monet quidem Spiritus sanctus: Altiora te ne quæsieris: jubet tamen altiora te, Deum nempe Unum & Trinum amare, cùm dicit: *Diliges Deũ tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua.* Credimus homini rustico, viro bono & rusticationis perito, de villæ alicujus pretio, & soli bonitate ac fertilitate judicium ferenti, & sententiâ ejus nixi, villam emimus, pretium solvimus, illamque nostram facimus; & Deum de naturæ suæ præstantia & amabilitate in Scripturis sacris multa dicentem, nosque ad amorem sui invitantem, an non multò magis audiendum censebimus? Scriptura sacra, & creaturæ ad hoc sunt, inquit S. Augustinus, ut ipse quæratur, ipse diligatur, qui hanc creavit, & illam inspiravit; quin & de totius Scripturæ sacræ scientia alibi loquens: Hæc, inquit, scientia nihil præcipit nisi charitatem; nihil culpat nisi cupiditatem: quidquid ergo ad hoc pertinet, proprium ejus est; quidquid autem ad hoc non pertinet, fictum esse cognoscas.

L. 5. de fide.

L. 2. de Trin.

L. 3. de doctrina Christiana.

Quod

2. Deus est qui est. Psal. 101.

Quòd si Scripturæ sacræ locum, & sententiam aliquam à me quæris, quæ omnium maximè ad excitandos in cordibus nostris amoris ignes facere mihi videatur; ex multis unum seligam, quæ ad gustum meum facit; illa est, quâ Deus dicit Moysi: *Ego sum, qui sum.* quam expendens S. Augustinus, ait: Hoc est nomen tuum, hoc est totum quod vocaris; non est tibi nomen ipsum esse, nisi quidquid est aliud, tibi comparatum inveniretur non esse verè. Hinc est quod S. Ambrosius ibi suprà dicat, fieri injuriam Deo dum rebus creatis comparatur, etsi præferatur: Ego te, Pater, si majorem omnibus dixero, injuriosè te tuis operibus comparavi.

3. Quomodo provocet amorem nostrum.

2. Deus amando infinitò se ipsum, exemplo suo quàm maximè ad omnem amorem in se solo collocandum nos provocat: ipse suam infinitam essentiam vi intelligendi infinita à se indistincta comprehendit, ad hujusmodi comprehensionem nos non invitat, quam beatis spiritibus quantumcumque sublimibus negatam scimus: imò cùm ad illum propiùs cognoscendum accedimus, videtur tenebras ponere latibulum suum, verumque esse experimur quod dicit Clemens Alexandrinus: Deus res quædam est, captu ac venatu difficilis, semper recedens, & à persequente procul se semovens: at verò, ut ametur, suo illo infinito quo se amat amore nobis præit, & ut aquila ad volandum pullos suos, ita nos ad amandum, cùm ipse totus sit charitas, mirum in modum appropinquantes allicit, & sibi adhærentes arctissimis vinculis ligat. Hoc advertens S. Augustinus, exclamat ille: O æterna Veritas, vera charitas, & chara æternitas! ad te suspiro die ac nocte. Suspirat, & iltis suspiriis obtinet quod quærit, evadit cor ejus admirabile divini amoris domicilium, ac post mortem ab incorruptione servandum Angelo traditur. Sigiberto deinde Episcopo Lugdunensi post longas preces ad impetrandum aliquid reliquiarum sancti Augustini ad Deum fusas pyxide crystallinâ auro gemmisque distinctâ inclusum ab eodem tutelari Angelo donatur, ac dum in hymno *Te Deum* in gratiarum actionem decantatur, ad illa verba *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* palpitare & exaltare conspicitur Deo ad tanti viri celebrem in amore sancto memoriam hominum animis imprimendam, in corde ejus post quinque ampliùs annorum centurias tam admiranda amoris divini argumenta manifestante, Dum ille viveret à Trinitatis comprehendêdo mysterio à puero cocleari totum mare in exiguâ

fossam exhaurire satagenti deterretur ; non verò ad illa infinitæ charitatis divinæ, quàm proximè poterat, accessione, à qua tantos amoris ignes concepit, repellitur.

4. Etiam ut Trinus.

Non tantùm Deus Unus, sed & Trinus nobis luculentum amoris exemplum præbet. Amat Pater Filium, amat & Filius Patrem: & Spiritus sanctus amor est, à Patre Filioq; mutuâ sui dilectione productus ; amant se Spiritu sancto, qui propterea nexus ac vinculum Patris & Filij appellatur: arctissimum vinculum, & quò arctius, eò suavius, & delicioſius, quod Patrem & Filium non in unam tantùm voluntatem, sed in unam quoque naturam & Deitatem devincit, vinculum indissolubile, quod nulla discordia, nulla mors unquam divellet. Ad simile quidpiam per Spiritus sancti gratiam aspirare possumus ; cùm enim Spiritus sanctus sit Charitas increata, & omnis charitatis initium, primus amor, & sancti magister amoris, ejus motu instinctuque ad amorem nostrum augendum niti ferrique meritò possumus, & hoc sanctissimum inter Patrem & Filium charitatis vinculum, quantum potest humana mortalitas ejus auxilio imitari.

P. Alvarez de Paz l. 3. 3. p. decade 10. Cent. 89.

5. Etiam in operationes ad extra.

Jam si amorem totius Trinitatis ad extra conspicis, quàm excellentia per omnes res creatas exempla reperies ! Verè dixit Gerson Deum optimum, unam omnibus vocem quodammodo indidisse, Amo. Quid verò mirabilius, quàm Patrem ita mundum immundum, ingratumque dilexisse, ut Filium suum daret : ita verò Filium in amando tam perfido ac perduelli inimico cum Patre concurrisse, & mortem acceptasse, & Spiritum sanctum cum duabus personis in tanti amoris contestationem conspirasse. Verè dictum à Joanne, *Deus charitas est* : verè dictum à Nazianzeno : Si quæratur quid sit Deus, Charitas est, eumque ait hoc nomine maximè delectari : delectemur & nos, & charitatis erga ipsum & proximum viscera induamus.

CONSID. XXIV.

De beneficiis Dei, quibus ad ejus amorem allicimur.

6. Quomodo amandus Deus ob beneficia.

1. HAmus amoris est beneficentia ; sed si non amares, nisi illa præcederet, Deum non amares, sed quod ab illo in tuum commodum redundat boni: talis est canum in Dominos amor, talis infantulorum in nutrices, talis parasitorum in beneficos & lautos ad mensam invitatores : si beneficiis bene uti vis, ibi amorem tuum ne fiste, sed ad ipsum unde fluunt mentem attolle, & ex illis quàm

quàm bonus sit agnosce, eumque propter tam insignem naturæ præstantiam, quam tanta beneficiorum profusio testatur, singulari amore prosequere: à rivulis quibus ille prata tua irrigat, ad ipsum fontem ascende; ibi amantem redama, & te vicissim in gratiarum effunde, quas talis bonitas meretur, actionem. Si amare pigebat, inquit S. Augustinus, saltem redamare non pigeat: nulla enim major est ad amorem invitatio, quàm prævenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, noluit rependere.

De Catechizandis rudibus c. 4.

2. In quibus considera

Considera ergo in beneficijs Dei ea quæ consideranda monet S. Bernardus: Vide quo modo, inquit, imò sine modo à nobis Deus amari meruit, qui prior ipse dilexit nos, tantus, tantùm, & gratis, & tantillos & tales; ego tria tantùm obiter discutiam: nimirum, Quis, Quantum, Qualibus beneficus fuerit.

Quis det.

Quis? Deus scilicet, qui nominari potest, æstimari non potest; qui nullius indigens seipso felix, ut benefaceret, hunc mundum condidit, quod solo naturæ lumine duce vidit Seneca: qui Lucilio suo scribens; rogat, quæ Deo mundum faciendi causa fuit? & respondet: Bonitas. Bonus est. Bono nulla cujusquam boni invidia est: fecit itaque quod optimum potuit: in quo postremo Dei omnipotentiam ignorasse se ostendit. Quod verò tanta majestas, & tam felix, ad homunculos demerendos ita se effuderit hoc demum plurimum habet admirationis. Alexander Macedonum Rex gloriari solebat, à nullo se beneficijs victum: cujus in hoc fastum retudit Diogenes, cùm sibi ab illo nec dari quidpiam posse ostendit nec eripi. Hoc solum Deo competit, cujus omnes auxilio indigent, & cujus Majestas ad infimos quosque juvandos benignissimè descendit. Alphonsum Aragonum Regem celebrât Historiæ, quòd militis vulnus sudario suo obligarit; quòd, ut rustici hominis prolapsum sub onere asellum sublevaret, ex equo descenderit, & cœno altè se induerit: auget scilicet hoc beneficium regia dignitas, quæ benefaciendi desiderio eousque se demisit. Sed quid hæc ad Deum, ejusque in homines propensam munificentiam? Dixit aliquis, solius sapientis esse, beneficia conferre; nec à stulto se accepturum. Habemus in Deo, Majestatem, Omnipotentiam, Beneficentiam, cum summa Sapientia conjunctam; quin ergo ob ingentia ejus in nos collata dona, tam excellentem benefactorem omni benevolentiâ, amoreque, & grati animi significatione prosequimur?

Epist. 64.

Quan-

2. Quid de tunc.

Quantum verò beneficiorum cumulum in nos congesserit, quis recenseat? Cælum, terram, maria, orbem universum conspice, & velut primum illorum atonum intueberis: ab æterno tibi bene voluit, in tempore quod voluerat munificentissimè est executus, & ut loquitur Propheta, coronavit te in misericordia & miserationibus, ut in quæcumque oculis conjeceris, occurrentem plenâ manu tuum benefactorem aspicias, ut bene æstimatâ Dei in nos indulgentiâ confiteamur necesse est, nos illi in delicijs fuisse & esse: neque enim necessitatibus tantùm nostris à Deo provisum est, usque ad delicias amamur. Hoc vidit Gentiũ Philosophus Seneca & alij. Jam si ad Incarnationis Christi, & redemptionis humanæ beneficium contemplãdum assurgimus, meritò cum Augustino sentiemus, qui pro tantis beneficijs Deum non amat, duplicem infernum mereri. Idem est cœlitum judicium; nam sanctorum aliquis dixit aliquando S. Brigittæ: Si pro una hora, qua in mundo vixi, mortem pro Deo sustinuissem, ac iterum revivíscens, idem pertulissem, nec sic amori Dei erga me correspondere potuissem. Sed & B. Agnes eidẽ sanctæ pro aliquo Episcopo deprecanti dixit: Si quid pro eo Deus fecit, quodvè ei impendit, ipse attentè perpenderet, nunquam Dei amor in ejus pectore extingueretur. Quin & sanctus Petrus memor beneficij, quo post trinam negationem à Christo in amicitiam receptus fuit, ut ad totius orbis conversionem nec labori, nec vitæ vellet parcere, nec coram tyrannis, vel inter flagella mortemque ipsam posset obliviscí; ut ipse S. Brigittæ dixit, addens Deum in mente, & ore, & opere dulcem sibi semper fuisse & reliqua præter Deum amara. Tantùm potest ad amoris ignes excitandos, conservandosque unius beneficij pro dignitate ponderatio. *l. 3. c. 19.*

4. Quibus

Jam quales sint, in quos tam plenâ manu sua Deus beneficia conferre videamus: Homo quilibet, si corpus spectes, totus à nativitate morbus secundùm Democritum, cujus sensum probare videtur Hippocrates, saccus vermium, & sordium, quas oculere & terræ infodere jubebantur Israëlitæ, dum in deserto peregrinarẽtur, ne castra inficerẽt: si Reges, & Principes fœminas miramur, quòd erga homines lepra fœdissimâ contaminatos, quos horrere solent mortales, tam humaniter se habuerint, ut aliquæ earum saniem è naribus, alijsque ulceribus exsuperint, ut Cuanus, qui leprosum hoc facto sanavit Catharina Senensis, & S. Kave- *Epist. ad Damasum. Beda in Januar.*

Xaverius: alij verò illos in thalamo collocarint, ut Elizabetha Princeps fœmina; alij in humeros sustulerint, vestemque regiam sanie respersérint, ut Eduardus Angliæ Rex, quâ quæso admiratione supremæ Majestatis, sub quâ curvantur qui portant orbem, erga leprâ peccati omnibus morbis longè fœtentiore infectos humanitatem & munificentiam prosequemur? Verum non hîc sistit divina Bonitas, non solum viles & miseros, sed etiam inimicos, & perduelles, beneficijs suis locupletat, & quod mirabilius est, eos quos donis à se collatis in sui dedecus & opprobrium, & benefactoris injuriam abusuros prævidet: undique, ut Seneca, humano generi convicium fit, publica querela est beneficia, perijsse: & pauciſſimos esse qui de benemerentibus non invicem pessimè mereantur: & cùm ex eo genere simus, filij Enoch, hoc est oblivioſi, & ingrati, nos tamen Deus optimus beneficijs obruit, ut fiat, quod ait Sapiens, vincat Sapientia malitiam, & tanti amoris excessu, & in benefaciendo perseverantia nos ad amorem sui provocet: hamus enim & magnes amoris est beneficiorum assiduitas.

CONSID. XXV.

De via ad amorem Dei per desideria & petitiones.

RECtè S. Bernardus hanc viam magni æstimat, & ad eam amplectendam hortatur. Sicut fides, inquit, ad plenam cognitionem, sic desiderium ducit ad plenam dilectionem: atque ut de fide dicitur: *Nisi credideretis, non intelligetis*: sic dici æquè non absurdè potest: Si non desideraveritis, non perfectè amabitis. Imò nos eò capaciores judicat S. Augustinus, quantò id quod fideliùs credimus, speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs. *Epist. 78. 1.* Amor augetur desiderijs.

1. Itaque aspira, sed magis corde, quàm ore: valentiores enim voces, ut ait S. Gregorius, desideriorum, quàm verborum: dic ergò cum Davide: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & liberator meus*: Hebraicè Racham desiderium intensum ostendit, quasi diceret: Amem te, Domine, ex intimis visceribus meis. Dic cum eodem: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Hebraicè, tecum socium non volui super terram. Dic cum Sponsa in Canticis: *Trahe me post te, & curremus in odorem unguentorum tuorum.* Dic cum Samaritana: *Domine da mihi* *Psalm. 17* *Cant. 1.* *Ioan. 4.*

hanc aquam, ut non sitiam in æternum: Da mihi aquam quæ fiat in me fons salientis in vitam æternam: aqua nimirum est gratia, & charitas.

2. Noli esse contentus simplicibus desiderijs; sed ad hunc amorem obtinendum offer quantùm potes: imitare Maffæum socium S. Francisci, qui ut virtutem aliquam, quam in S Francisco adverterat, à Deo impetraret, precibus ardenter insistens, ab Angelo rogatus, quid ad eam obtinendam dare vellet, duos oculos obtulit, quo ardore id est assequutus, ut Angelus illi diceret: Habebis quod petis, & nullum oculorum amittes. Imitare S. Bonaventuram, cujus sunt hæ ad Deum aspirationes: Tu te mihi dedisti, & à me cor meum petis; sed quantum est hoc, Domine mi, qui tam excellens es? Si haberem cor majus omnium simul hominum cordibus, & Angelorum affectus, & quod plura corporalia & spiritualia contineret, quàm cælum empyreum, ipsum totum tibi tribuere deberem, & adhuc tanto Domino munusculum parvum & quasi nihil esset; quantò magis illam parvam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo, & totaliter in te ponam: hoc enim permaximum est mihi, quod cor meum habere dignaris: nónne ego stultus essem, si de cætero applicarem alicui creaturæ, cùm Deus meus velit illud habere? & jam nolo in meipso remaneat, sed volo totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te: melius est ut cor meum maneat in æterna jucunditate, in divina Majestate, & immensa bonitate, quàm in mea fragilitate; in tua Deitate? quàm in mea iniquitate. Si hoc habere, inquit, Contemplative, multùm cupis, multùm corde desideres, & multùm ore postules, & desiderium animæ tuæ tribuet tibi Deus, & voluntate tuâ non fraudaberis; sed mentem elevans in se, benedictionibus dulcedinis te prævenict, & tanquam coronâ lapidis pretiosi semetipso mentem tuam circumdabit.

2. intensis.

Wadingus in Annal.

In stimulo divini amoris p. 2. c. 3.

Neque desideranti & hoc modo postulanti negabit sui amorē Deus; qui ultrò clamat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Verum est, hunc ignem donum esse Dei; hoc ut nobis altè animis nostris imprimat, dicit S. Augustinus: Prorsus donum Dei est diligere Deum; sed audi quid adjungat; ipse ut diligeretur donum dedit, qui non dilectus dilexit.

Cogita ergo illum tibi dicere quod Samaritanæ: *Si scires donum Dei, & quis est qui loquitur tecum, tu forsitan petisses ab eo, & ille dedisset tibi aquam vivam*; quam deinde

inde petenti libenter & copiosè exhibuit, dum illam fide illuminavit, & ab illicito amore abductam, ad veram Dei dilectionem traduxit.

3. Adjuncta aliqua mortificatione.

Quòd si ad tuam petitionem aliquam corporis castigationem adjungas, ô quantum hac via, ad obtinendum quod postulas, momenti adferes! S. Thomas, ut in difficilibus quæstionibus lumen acciperet, ad orationem jejunium adhibebat, & tu ad gemmam charitatis omni scientiâ pretiosiorem dono impetrandam aliquid laboris, aut pœnæ non libens absorbebis? Procus in Belgio dum puellam ambit in conjugem, cùm ab illa audiit se demum voti sui compotem fore, si iter Hierosolymitanum conficiat, & confectæ peregrinationis testimonium luculentum referat; conditionem accipit, laborem tam longinquæ viæ animosè exhaurit, & conjugio potitur: Tu, qui Regis supremi filiam charitatem tuam facere desideras, ut ad eam tibi dandam Patrem inelines, ân non omnia tibi pertentanda, & devoranda meritò existimas?

Audi Sponsam in Canticis tam pretiosæ gemmæ cupidis mortalibus dicentem: *Si dederit homo omnem substantiam pro charitate, quasi nihil despiciet eam.* Vide quid profana cupiditas in Sichemi filio, quid obtinendæ Michol in Davide fecerit, & si tantum virium habuit cœnosa, & fugitiva voluptas, quid à te impetrare debeat divinæ charitatis laudabilis ambitio?

Sermone 2.

An non meritò idem sentire debes, quod amoris divini desiderio incensus David, dum dicit: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima ad Deum fortem vivum?* An non legisti Lysimachũ? Siti accensum pro aquæ turbidæ haustu regnum prodegisse, & tu si verè divinæ charitatis siti laborares, an non cætera, quibus detineris, à te continuò, ut illam assequereris, abjiceres?

4. Excussa omni socordia.

Hanc socordiam in miseris mortalibus fert Deus ægerrimè, & per Prophetam conqueritur, quòd derelicto fonte vivo, fodiant sibi cisternas dissipatas, quæ siti extinguendæ continere non valent aquas: conqueritur præterea non tantum apud homines in amore & desiderio non esse, sed prorsus in oblivione: cumque puellæ recularum suarũ ut ornamenti capitis & fasciæ pectoralis recordentur, è contra apud populũ suum in perpetua sint oblivione. Flebat hoc quoti dianis lacrymis Jacoponus, & cùm rogaretur à fratre, cur id ageret, respondit: Quia Amor non amatur: imò quia non desideratur, non postulatur, sed quasi res parvi

Ieremiæ.

momenti oblivioni traditur. Tu si sapis ab hoc insanorum numero te exime.

CONSID. XXVI.

De Amore Dei puro & simplici.

1. Amor purus.

VT ad hunc amorem perveniatur, à multis fæcibus, & vinculis cor humanum purgandum est, & expediendū de utroque impedimento hîc agemus. Fæces voco quidquid quisque nostrûm ab amore nimio sui, rerumque terrenarum immunditiæ contrahit: expurganda sunt hæc omnia, si amori Dei locum dare volumus: *Mundamini*, ait Isaias, *qui fertis vasa Domini*; quantò magis cor purgandum, ut charitatis, quæ vasis Domini longè pretiosior est, domicilium esse possit: nos ipsi si liquor pretiosus vasi infundendus est, illum diligenter priùs tergi purgarique volumus; hinc est illud sæpè ab Augustino repetitum, Funde ut implearis. In speculo impurgato rerum imagines intueri non possumus, ait S. Maximus, & cor nostrum Spiritu sancto, qui amor, implendum illustrandumque non speremus, nisi peccati carnisque affectiones, ut fæces sordesque Deo odiosas abjiciat. Unguentum suave & optimum est amor Dei, inquit Basilius, quomodo Deus illud in cor fæculentum infundet. De senibus, qui à quotidiano aspectu deambulantis Susannæ in concupiscentiam ejus exarserunt, dicit Scriptura: *Everterunt sensum suum, & declinarunt oculos suos ut non viderent cælum*: neque enim possumus simul videre superiora, & oculos in ima fugere: unum relinquas oportet, ut altero fruaris.

Cap. 52. Daniel. 13.

Solitarius jam provectæ virtutis, & Deo charus, quotidie albo pane miræ suavitatis mirique saporis cælo ad ipsum delato alebatur: vanæ gloriæ titillatione à Deo parum abijt, & in seipsum revolutus est: exinde remissior factus, cogitationibus habenas laxans, etiam sordidis inter cæteras locum dedit; unde & panem aliquantulo sordidiorē accepit. Admiratus est, & tristior intellexit inde socordiam suam argui, & cordis immunditiam sibi repræsentari: nec tamen inde resipuit, & fædas imagines sibi objectas, uti parerat, non rejecit; unde tertio die panem sordidissimum, aridissimū, & quasi à muribus, vel canibus corrosum super mensam invenit: scilicet contaminatæ conscientiæ tale debebatur alimentum; neque enim candor cælestis commisceri talibus impuritatibus poterat, & amor purus impuri cordis cloacā detestatur. Sed

Rufinus in vitis PP. l. 2. Pelag. c. 46. 2. Panis tertio die pessimus impuritio.

3. Amore proprio tenetur homo Seneca de vita beata.

Sed aliunde etiam præpeditur amor ne ad Deum, ut par est, evolet; habent ejus inimici vincula, quibus volutum ejus impediunt, & in inferioribus captivum detinent: ubi jam adhuc luctamur, nec omne amoris proprij vinculum exuimus; habemus quò amor iste sanctus in actibus suis retardetur: alij, inquit Philosophus, alligati sunt, alij astricti, alij districti; hic qui ad superiora progressus est, & se altiùs extulit, laxam catenam trahit, nondum liber, jam tamen pro libero.

Ibidem.

Longè meliùs Apostolus, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*: Spiritus sanctus scilicet, qui amor est, hominem in libertatem asserit, ab omnibus amoris proprij, quantum fieri potest in hac vita vinculis expeditum: quid enim deesse potest homini extra omne desiderium posito? quid extrinsecus opus est ei, qui omnia non in se, ut ait Seneca, ex fastu stoico, sed in Deo collegit? Demetrius Cynicus eousque Philosophum sapientem extulit, ut negaret sapientem egere; quin & ipse ita contra omnia desideria pugnabat, ut quod sibi interdixerat habere, interdiceret & poscere: sed ista vanæ gloriæ tintinnabula, aut potiùs, ut Tertullianus vocat, mancipia non moremur; dicamus solum amorem Dei purum & simplicem Deo solo contentum esse,

Ibidem.

& dicere cum Propheta: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ.* Simplex multis rebus fugitivis se implicat, sed ab omnibus se explicat; & in unum Deum omnia colligit, pro Deo & propter Deum, omnia agit, oculo vigili, sed simplici in eum semper intentus: ut meritò dicere possit cum sancto Francisco; Deus meus, & omnia. & cum sancto Augustino hoc unum rogare: Inspira in me opus sanctum, ut te cogitem; compelle ut faciã; suade ut te diligam; confirma ut te teneam; custodi ne te perdam; quia nimirum simplex, & indivisum cor in unum Deum suspirat & aspirat, & in eo conquiescit.

4. Purus amor est felicitas hujus vitæ.

Purus amor & simplex, hujus vitæ felicitas est, quia bonum summum, quo felices in hac vita efficimur, cum tranquillitate possidet: nulla cor hujusmodi amoris domicilium turbare, nulla inquinare potest cogitatio; rectè enim Marcus Eremita. Quemadmodum ignis in aqua durare non potest, sic nec fœda cogitatio in corde Deum amantis: qui per amorem Deo conjunctus est, & in cor Dei quodammodo receptus extra teli jactum est; & contra hujus vitæ tumentes fluctus non vulgari anchorâ utitur; cùm enim secundùm S. Thomam se-

curitas nihil aliud sit quàm à timore perfecta animi quies; qui unum Deum purè & simpliciter amat, quid aliunde timere potest, cùm invito nemo Deũ possit eripere?

Demetrius Antigoni filius Megarâ captâ, Stilponis domum indemnem servari voluit. Admonitus Stilpo, ut rerum, quas amisisset, indicem daret respondit nihil se perdidisse. Idem dicet amore puro & simplici præditus, qui cùm Deum habet, omnia habere se existimat. Hinc Petrus Ravennas: Ama, ô homo, Deum; sed ama totus, ut possis omnia sine labore vincere. Potes, inquit S. Augustinus, aurum perdere & nolens, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem; bonum verò, quo verè bonus es, nec invitus arripis, nec invitus amittis: Atqui hoc bonum est Deus, qui amore puro & simplici ac rebus creatis impermixto possidetur. Bias omnibus amissis dicebat: Omnia mea mecum porto: pectore enim illa gestabat, non humeris, ut ait Valerius Maximus, nec oculis videnda, sed æstimanda, quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt. Melius & luculentius S. Paulus dum in certamẽ quidquid ubique est, quodammodo provocans exclamat: *Quis nos separabit à charitate Christi?*

De verbis Domini.

Ut ad hunc amorem purum & simplicem pervenias, obtura aditus, quò inferre se solent ea, quæ puritatem hanc inquinant; aures in primis occlude, vel spinis muni, aut potiùs athletas imitare, quibus munimenta quædam aurium, quas ἀμφοτίδας appellabãt, apponere ad ictus evitandos, in more positũ fuit. Oculos vela, ne variæ rerum imagines aliquid amori puro damnosum imprimãt: sed super omnia supra cordis custodiam invigila; & audi Sapientem; *Omni custodia serva cor tuum.* Vide an aliqua re delecteris, & non Deo vel propter Deum. Quamdiu possum, inquit S. Bernardus, ex aliqua alia re consolationem aut jucunditatem accipere, nondum audeo dicere dilectum nostrum intimum ardentissimi amoris sinum possidere: & S. Bonaventura fratri ad purum amorem aspiranti pro fundamento hoc assignat, ut omnem omnium creaturarum consolationem desperet.

De interioris domus c. 19.

Inter Opuscula tom. 4.

CONSID. XXVII.

De amore magnanimo, forti, & generoso.

1. Amor magnanimus quis. Orat. 4.

TRia hæc distinguo. 1. Nazianzenum sequor dicentem: In iis rebus, quas audacter aggre-

aggredi convenit, magnum & præfidentem animum gerere magnanimitatis est; sicut è contrà languere, ac periculum detrectare, timiditatis, & ignaviæ. 2. Sequor S. Augustinum, apud quem lego fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facilè perferētem: atque hæc duo hoc modo distincta lego apud S. Thomam, apud quem virtus sive magnanimitas, est summus conatus virium nostrarum ad agendum; fortitudo verò summus conatus ad sustinendum. 3. Generosum voco amorem dignum genere suo, unde ortum trahit, Deo nempe, ac inter amores maximè nobilem ac cæteris præstantem: ita vina generosa dicimus, quæ aliis præstant; & virtutem generosam Tullius dicit, quæ quidquid serpit, statim respuit: jam hæc tria in amore sancto ad imitationem acendam consideremus.

L. 1. de moribus Manich. c. 15.

Opusc. 61. de dilect. c. 23.

2. Tusc.

2. Exempla ex vet. Testamento.

Amoris magnanimi naturam in variis, quas sacræ paginæ nobis suggerunt, exemplis in promptu est cognoscere: habemus Davidem pro tuenda Israëlitici nominis dignitate Deique honore ingentibus animis capitis discrimen singulari cum Goliatho certamine adeuntem: habemus Moysem cum obstinato Rege Ægypti pro libertate populi decertantem: habemus Danielem inter calentes vino Regem, ejusque ministros, extremam omnium perniciem tribus verbis obvolutam clarè, & intrepidè denuntiantem: habemus eundem apertâ fenestrâ observantibus æmulis contra legem de capite ab Imperatore latam, Deo supplicantem, & ob id in lacum leonum conjectum: habemus tres pueros Regis Chaldæi divinitatem affectantis furorem, & minaces flammarum globos contemnentes: habemus denique Matthathiam ejusque prosapiæ ingentes in bellis animos, & trophæa de prostratis hostibus erecta: ut quicumque amoris magna aggredientis & constanter exequentis pro Dei gloria patrieque salute intrepidi; & vitæ prodigi exempla desiderat, ab ipso supremo numine in istis sacris paginis posteritati ad imitationem expressa & commendata reperiet.

3. Ex novo.

In novo Testamento ubi Christus vexillum magnanimitatis erexit, quid non aggressi sunt Apostoli, qui nomen Christi portarunt coram Regibus, & populis & linguis? quid non eorum imitatores, Athanasius contra fidei & Trinitatis perduelles, Basilius contra Valentem, Gregorius contra Julianum, Ambrosius contra Arrianam Jezabelem, contra similem Chrysostomus, & sexcenti alij, quos amor in Christum magnanimus & fortis ad auden-

audendum supra humanam conditionem, & ad ferendum supra mortalis hominis infirmitatem excitavit : cumque hæc omnia omnium oculis expositа legantur; unum tantum non ita decantatum, excellens tamen & rarum hîc considerandum proponam. Anastasius Imperator audiens Episcopum quendam Oeniandum nomine, virum eloquentiâ & sanctimoniâ celebrem, sed hæreticorum, quos fovebat Imperator, adversarium esse maximum, eum promissis ad suas partes trahere conatus est: sed vir sanctus : Tu potiùs, inquit, ô Imperator, ad orthodoxos transi, ne dum impiorum hominum Severi, Eutychis, Dioscori opiniones amplecteris, æternis ignibus addicaris. Simul que Imperatoris chlamydem apprehendens : Hæc vestis, ait, te post mortem, Imperator, non sequetur; sed pietas, & virtus : Ecclesiam, quam redemit Christus sanguine suo, vexare desine : indoctus es, nec Ecclesiæ decreta intelligis, impostoris tantùm, & scurrilibus calumniis terres : satis tibi dignitatis sit, quòd Imperator es: antistites Ecclesiæ vexare noli. Obmutuit ad hæc pudore suffusus Imperator: Episcopus verò licet pauperrimus ne obolũ quidẽ ab Imperatore accipere voluit; libertate ac magnitudine Christianâ fidei dumtaxat ac pietatis rationem habens, terrenaque calcans omnia.

Sigonius l. 16. hist. Imp. Occ.

Jam quis amor fortis sit videamus; cumque hîc in gravibus & acerbis pro Christo perferendis consistat, facile assequi ratiocinando possumus, mollitiem cum hujusmodi amore non posse consistere, qui duris & asperis alitur, & augetur. Hanc compendiosam ad amoris perfectionem viam dicebat esse S. Pater Ignatius. Ridebat Deus, inquit Tertullianus, dissecabatur malus (id est diabolus) cùm Job immundam ulceris sui redundantiam magnâ æquanimitate distringeret, cùm erumpentes inde bestiolas in eosdem specus & pastus foraminosæ carnis ludendo evocaret. Cur quæso inde voluptatem capret Deus cætera mansuetissimus? quia nimirum cor patientis amoris igne succensum, ab istis doloribus hujus sui amoris alimenta sumebat. Arbores, inquit S. Chrysostomus, quò magis à ventis agitantur, eò sunt fortiores & densiores. Idem homini Deum amanti accidere existimemus; Amorem fortem rupi, quæ fluctibus tunditur, & erecta semper in cælum verticem suum porrigit, rectè comparaveris, quàm nec tonitrua & fulgura, nec undarum latratus, nec incumbentes venti tantillum movent, ut possis inscribere pro elogio. Nec fulmine, neç

4. Quis fortis.

C. 14.

5. Ejus symbolum. In Epist. ad Hebræos.

nec flamine, nec flumine: resistit enim istis omnibus, ut dura cautes undique intractabilis: imò secundùm S. Chrysostomum, quò vehementiore impetu in illam fluctus ruunt, eò magis infringuntur & disparent: ea enim improbitatis simul & virtutis natura est, illa dum bellum infert, opprimitur; hæc dum bello vexatur, clariùs effulget. Hominem Dei amantem, ut columnam depingit S. Gregorius Nazianzenus, dum S. Hieronem alloquens: Ita te geris, inquit, ut fortitudinem velut in columnâ sculptam omnibus spectandam proponas. Amor ille sanctus ubi homines ἀπερίσπαστα ψυχῆς, ut vocat Chrysostomus, invenerit, animæ inconcussæ, eos ferèdo firmiores, sublimiores, invictos, & inexpugnabiles reddit. Adde ut alibi vocat, adamantinos, quòd duritiâ adamantem imitentur, cujus natura ferro & ignibus est inexpugnabilis, utriusque semper victrix, ut ait Plinius.

Ep. 7. ad Olymp.

Ep. 5.

L. 37. 6. Ejus idem.

Cùm satis hæc esse possint ad amoris sancti generositatem declarandam, non possum tamen non eam illi appingere, quam Sapienti suo tribuit Seneca. Generosa, inquit, res est, conari alta, tentare, & mente majora concipere, quàm quæ etiam ab ingenti animo adornatis effici possint: qui sibi hæc proposuit: Ego mortem eodem vultu audiam, quo videbo: ego laboribus, quanticumque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus: ego divitias, & præsentes & absentes æquè cõtemnam: ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem: ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium; ego sic vivam, quasi sciam me alijs natum, & naturæ rerum (hoc est Deo) hoc nomine gratias agam: quo enim genere melius negotium meum agere potuit? Unum me donavit omnibus, uni mihi omnes. Ego amicis jucundus, inimicis mitis & facilis, exorabor antequam roger, honestis precibus occurram. Vtinam, qui Deum fortiter generoso amore prosequi conamur, ad ista nos conformaremus!

CONSID. XXVIII.

Quomodo per amorem fiamus similes Deo.

TRitum est illud Philosophi: Amor similes invenit, aut facit; rogavit aliquando Clemens VIII. unum è Cardinalibus suis, quos in administratione muneris publici maximè probaret; respondit ille, qui Dei viva sunt simulacra, aliquos similes reperiri existimans. Modus eò perveniendi duplex est: unus petendo, alter

1. Amor similes facit. *Henric. Farnes. de Principe.*

alter ad id omnem cum Dei gratia, contentionem animi adferendo. Primùm insinuat nobis S. Leo interpretans verba illa Petri 1. *Sancti estote, sicut & Pater vester cælestis sanctus est.* Præcipit, inquit, sanctitatem, & modum ejus acquirendæ: quasi diceret Deus: Me diligite, & ab ijs quæ mihi displicent, abstinete: facite quod amo, amate quod facio: & cùm difficile esse videtur quod jubeo, ad jubentem recurrite, ut unde datur præceptum, præstetur auxilium; non negabo opem, qui tribui voluntatem: & dum Christus pollicetur Patrem cælestem daturum spiritum bonum petentibus se, satis ostendit, ad obtinendam aliquam cum Deo similitudinem, quam spiritus ille bonus secum adfert, supplicatione gradum fieri.

Sermone 8. de Jejunio 7. mensis.

2. Petendo.

Jam verò quid industriæ & contentionis Deo, auxiliante, ad rem tam excellentem assequendã adferre possimus, inspiciamus. S. Basilius qui dixit Christianismum in Dei similitudine consistere: Ex creatione, inquit habemus, quod simus secundum imaginem Dei: voluntate acquirimus, ut simus secundùm similitudinem; additque id Deum nostræ industriæ diligentiæque reliquisse, ut ad nos aliquid inde honoris redeat: cùm enim imaginem aliquam egregie ad Protolypi imitationem depictam intuemur, non tam imaginem quàm pictorem laudamus; quò itaque, inquit, miraculum meum fiat, mihi reliquit, ut in similitudinem Dei fiam. Si verò quæris ab illo quomodo ista Dei similitudo, quam miraculum appello, acquiratur: acquiris, inquit, eo ipso Dei similitudinem, quò bonitatem assumis. Magni viri, ajebat Petrus Aldobrandinus Cardinalis, non nascuntur: sed virtute fiunt: quasi licet, quod in Deo præstans est, quantum cum Dei gratia possumus æmulari conamur, ad quod nos exhortatus Apostolus, dicens: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.*

Hom. 10. in Hexam.

3. Vt simus Dei similes est nostræ industriæ.

Deus sibi sufficit, seque ipso beatus est: ita esto tu solo Deo cõtentus: nimis avarus est, cui Deus non sufficit: non potest res te inferior reddere meliorem aut beatiorem; onerare potest, felicitare non potest; ad id quod supra te est, & ad bonum bonorum ascende, illi te conjunge, illo fruere: perière superbus Angelus, & deceptus homo, qui aliâ viâ ad beatitudinem grassari voluerunt.

† Si nobis Deus sufficiat.

2. Deus in sui contemplatione, amoreque conquiescit, nullius alterius contubernium requirit; & tu cum Deo, quantum potes, conversare; alterius, ut animum releves, societatem ne ascisce: intra potiùs in gaudium Domini tui

§ Si nihil aliud animus poterit ipsum.

tui: fac ut Philosophi dictum; qui de solitario dixit, eum aut Deum esse aut bestiam; approbes, & vera Dei imitatione Deum aliquem in terris, ubi aliud charitas non exigit, repræsentes.

Id assequeris si Arsenium imiteris: hic ab Abbate Marco requisitus, cur adeò fugeret homines, respondit: Scit Deus quia diligo homines; sed cum Deo pariter & hominibus esse non possum: supernæ virtutes unius sunt voluntatis, homines verò & multas habent voluntates & varias, & ob hoc Deum relinquere, & cum hominibus esse non possum. Vnde & alius ex illis sanctis in eremo solitarius, cùm viso homine, fugeret, & ille alter clamaret: Expecta me, quia propter Deum te sequor: respondit ille: Et ego propter Deum te fugio. Sed ne in hoc solitudinis amore contra charitatem peccemus, audiendus est S. Augustinus: Otium sanctum, inquit, charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati.

l. 9. de Civit. c. 19.

6. Si sis immutabilis per constantiam.

Deus est immutabilis: *Ego Deus, & non mutor*; quàm magna, & multa in hoc mundo Deus operatur, unus semper & in se indivisus, & imperturbatus. Hujus immutabilitatis considerationem animabat se Gregorius Nazianzenus, dum ab æmulis Constantinopoli exagitaretur: Duo hæc, inquit, superari nequeunt, Deus, & Angelus; tertius Philosophus in materia materiæ expers, in corpore incircumscriptus, in terra cælestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se ferens præterquam animi magnitudine: Philosophum verò se appellat Gregorius, quia sapientiæ, & virtutis, Deique se amatorem, & imitatorem profitebatur. Hinc & Epictetus noluit ab eo quod semel fuit, mutari; pauper erat, oblatas divitias recusavit; servus erat, libertate donari noluit; existimans, ait Simplicius ejus interpres, omnem humani animi perfectionem conversione ad Deum, ejusque conjunctione absolvi, & consummari.

7. Si liberalis.

4. Deus in gubernatione mundi imitandus: extra munificus, & in se tranquilus. Rector universi Deus, inquit Seneca, in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum undique in se redit: idem nostra mens faciat, cùm se ad externa porrexit, sui potens ad se redeat, & devinciat sibi summum bonum; quod ipsum est fons omnium bonorum: semper cum tranquillitate fluens, inexhaustus: ita tu quidquid habes nec sordidè tibi serva, nec sine judicio prodige: semper ante oculos ha-

be illud : Beatius est dare quàm accipere, & munera tua, non numero aut pondere, aut accipientis æstimatione, sed ut Deum dumtaxat imiteris, & pro illo, & propter illum in alios expende.

8. Si patiens.

4. Patientiam ejus imitare, ut monet Tertullianus, qui florem hujus lucis, inquit, æqualiter super justos & injustos spargit, sustinens ingratissimos, ludibria actuum & manuum suarum adorantes, nomen cum familia ipsius persequentes, luxuria, avaritia, malignitate, iniquitate quotidie insolescentes: ut sua patientia sibi ipse detrahat: plures enim idcirco Deum non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nescivit. Si aliquando cum Davide, & Elia aljisque divini honoris zelatoribus tabescis & zelo tuo aliquid concedendum putas, etiam Deum in hoc imitare, & sis, ut monet S. Augustinus, ita criminis persecutor, ut sis hominis liberator.

Epist. 52.

De Trinit. l. 8. c. 6. & serm. 266. de temp.

5. Denique ita homines ama, ut Deum illos amasse, & amare conspicis. Ama improbos ut boni sint; ama probos, quia boni sunt: qui enim, ait Augustinus, amat homines, illos debet amare, aut quia justi sunt, aut ut justi sint, sic enim teipsum amare debes, aut quia justus es, vel ut justus sis; hoc enim est Deum amare in proximo, aut quia in illo, aut ut sit in illo.

CONSID. XXIX.

De diffedentia sui, & confidentia in Deo.

1. Amor acquiritur diffidentia sui.

VT ad hanc amoris sancti perfectionem citiùs & securiùs homo perveniat duabus alis opus est. 1. Ut de se diffidens omnia putet se posse in eo qui eum confortat, adeoque à se abjiciat suarum virium præsumptionem, & pusillanimitatem. 2. Ut consinuâ erga Deum animi grati significatione novos semper ex illo omnis boni fonte rivos aperiat. De primo hîc agemus, de secundo proxima consideratione & ultima sicque triginta considerationibus finem imponemus.

Sine qua amor non potest acquiri.

Primò ergò charitatem rem tam sublimem esse tibi persuade, ut ad illam pertingere viribus tuis non possis. Petrus dum ad Christum super aquas graditur, ad venti flatum malè apprehensum, submersionis periculum incurrit; deinde dum sibi præfidens inter vitæ discrimina amorem in Magistrum testari vult, & quid ei accidat præsès observare, ad vocem ancillæ in exitium ruit: an tu ad Christum per tot amoris proprij oppositos fluctus & flatus, & ad ejus amorem perrepturum te putas, nisi tibi diffidens ad id Dei auxi-

auxiliatrice manu proveharis? Mulieri in Apocalypsi dantur alæ duæ ut volare possit; sponsa in Canticis non ascendit nisi innixa super dilectum suum, & tu quomodo sine alis, aut divino fulcimine ad charitatem, quæ Christianæ perfectionis supremum culmen tenet, temerarius evadere, eamque obtinere te posse existimas? Non acceditur, inquit Augustinus, ad altitudinem Dei nisi per humilitatem, & cui propinquat subditus, longè ab eo recedit elatus: per humilitatem ad sublimia gradus est. & S. Gregorius: Nisi quis à seipso deficiat, ad eum qui supra se est, non appropinquat. Sed neque sine diffidentiâ sui amor Dei conservatur; nisi enim illa fuerit præposita, appositа, oppositа, & postpositа, omnia ex manibus extorquet superbia. Propter jactantiam, inquit S. Ambrosius, Pharisæus illa etiam quæ jam habuerat, amisit: nihil ei tot genera virtutum uno vitio decolorata profuerunt. Homo dum sibi sufficere confidit, ab eo, qui verè ei sufficit, deficit. Si à S. Basilio, S. Paulino alijsque humilitas conservatrix custosque virtutum habetur, multò magis charitatis, quæ virtutum regina est. Dictum est aliquando à Tullio: Nervus, atque arcus sapientiæ, est non temerè credere: & hoc quidem, si de nimis facile erga alios credulitate agitur, meritò probatur; sed multò magis habere locum debet contra nimiam de viribus nostris, sapientiæque, aut industriæ, præfidentiam, præsertim cùm de cælestibus donis aut habendis, aut conservandis, qualis est charitas, quæstio instituitur.

2. Nec conservari.

In sententiis.

Hom. 32. in Euang.

In Psal. 43

Prosper in sent.

Ep. ad Celantiam.

Sed quantùm per tui diffidentiam à te recedis, tantùm oportet, per filiorum cordibus inditam à Deo confidentiam ad Deum ipsum accedas: Quomodo enim, qui præcepit, ut diligas Deum tuum ex toto corde tuo, & inferorum pœnas minatur si non feceris; tibi deerit, si ejus gratiæ confisus ad illud præceptum implendum te accinxeris? Scio, & credo Christo dicenti: *Non potest homo accipere à se quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo*; sed etiam cùm dicentem audio: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Et posteà: *Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Scio non obventurum hoc donum segni & vecordi, cùm mox addatur: *Qui viceris, possidebit hæc, & ego ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Satis etiam intelligo naturam gratiæ, de qua ut rectè ait S. Leo: Gratia si non datur gratis, vel accipitur, gratia non est. Scio animam quæree Deum non posse, nisi præveniatur, ut quærat. Utamur ergo ad hunc amorem

3. Sed confidentia in Deo.

Ioan. 3. Apoc. 2.

4. Anchorâ duplex ad eum obtinendum spes in Deum.

morem obtinendum duplici anchorâ, ut monet Epictetus: nec enim, inquit, navem unâ anchorâ, nec vitam spe unâ niti decet, & pedibus & votis ea perambulanda sunt, quæ fieri possunt: à Deo is petendus & omnino sperandus, & ad te etiam cum Deo ejusque gratia aliquid adferendum. Primò te totum in Deum projice: etsi enim saniſſimus tibi sit oculus, videre tamen sine subsidio lucis non potes: scis Deum Patrem luminum, scis Filium lucem esse mundi, in tenebris es, nisi ab illis radios suos communicantibus colluſtreris. Nosti te pestilenti frigore à primi parentis lapsu afflatum, cælestem flammam concipere non posse, nisi ignis ille cælestis te accendat. Noli tamen in hac cognitione obtorpescere: altiùs mentem attolle ad illum, qui dat omnibus affluenter & nihil improperat, cujus Filius nos ad audendum excitat. Petite & accipietis; cujus vates invitant: *Accedite & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* & alter ejus præco: *Respicite*, inquit, *Filij nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino.*

Imò verò cur tam multi ad Deũ accurrentes non fuerint confusi, rationem solam adfert Propheta; quia speraverunt in illo: *In te speraverunt*, inquit, *Patres nostri: speraverunt, & non sunt confusi.* Hinc Mathathias dum animos filiorum morti proximus ad propugnandas leges patrias, ac in Deo sperandum accendit, ubi multa exempla qui sperantes in Domino ab eo auxilium, viresque contra res adversas, hostesque formidolosos acceperunt, præmiisq; sunt honestati; adfert tandem hoc epiphonema: Et ita cogitate per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur: atque hæc est prima anchora, quam Apostolus vocat firmam & tutam, & ad quã confugere Hebræos suos hortatur.

Alia anchora est tua cum Dei gratia ad hunc amorem consequendum diligens cooperatio: Nulla enim, ait Ambrosius, sine labore virtus, quia labor processus est virtutis. Voluit Deus asinam in oblatione permutari ovẽ: asina laboriosum animal, ovis fructuosum: quia fructus laborem sequitur: Quære ergo Dominum, quære in noctibus, quære in cubili: vult enim te omnibus invigilare momentis, vult januam mentis tuæ patentem invenire: explorat si cor vigilat, excitat dormientem; mittit manum per cavernam, ut surgat, & si seriùs surrexerit, derelinquit: vult ut quærat, etsi pallij amittendi ac verberum periculosè exponat; donec tandem inventum teneat, nec dimittat

5. Et cooperatio tua, *Lib. de Cain & Abel.*

mittat amplius. In his omnibus, diligentiæ in amante quærendo præmia, & negligentiæ damna depingi Patres existimant, quæ utinam eorum animis, qui se amoris divini candidatos profitentur, altiùs insiderent: plures germanos, & sinceros Dei amatores haberemus. Hanc utramque anchoram in rebus agendis adhibuit S. Pater Ignatius, qui tantam diligentiam providentiamque ad eas ex sua parte attentus adferebat, quasi ex se uno, suaque vigilantia & conatu res tota penderet; atque ita deinde Deo ejusque bonitati omnia committebat, ac si nihil ad earum felicem successum attulisset. Damnavit aliquando Deus solitarium, qui cùm ab altero sene viro sancto ad alicujus virtutis consecutionem preces postulasset, ipse suâ socordiâ earum fructum impediebat.

In vitis PP.

CONSID. XXX.

De gratiis Deo agendis.

1. Feris gratitudo cordi est.

INgratum animum odêre & belluæ. Notæ sunt Leonum in Andronicum, Gelasium repensæ pro beneficio accepto vices, quarum exemplum etiam vidit sæculum nostrum, cùm Leo in America cum alia bellua dimicans adjutus à Lusitano, eum deinceps, quasi valor patronum & defensorem secutus est; & cùm in Europam redeuntem excluſus à nautis comitari non posset, nando benefactorem prosecutus est, donec fluctibus haustus periit.

2. Et nobis fit.

Cùm primò beneficium accipimus, perpetuam spondemus ejus memoriam, & cum Davide dicimus: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*: paulatim dein obliviscimur, vel naturæ vitio, vel voluntatis. Tiberius Cæsar, cùm quidam illi diceret: Meministi: antequam plura proferret: Non memini, inquit, quid fuerim: solam præsentem fortunam aspici, & narrari volebat: quàm multi illi similes: cùm tamen eos pessimos & ingratissimos vocemus, qui eo devenêre, ut obliviscantur. Ingrati & immemoris pœna apud Persas constituta fuit teste Xenophonte, & Philippus Macedo ingrati hospitis frontẽ stigmate inussit.

L. 4 de beneficiis.

Vt ergò tam invisum, & exosum Deo vitium, qui Deum revereri, & amare volumus, evitemus, videamus, quæ sint grati animi partes, ut illas diligenter impleamus: quinque mihi videntur: 1. Beneficia agnoscere. 2. Æstimare. 3. Gratias habere, & agere. 4. Referre. 5. Nunquam obliviſci: atque harum exempla ex Davide gratissimi animi Vate & Rege petamus.

1. Vi-

3. Beneficia agnoſcendo.

1. Vide quomodo beneficia agnoſcat, quæ etiã à paucis agnoſcuntur, & cum gratiarum debita actione recoluntur, ut notat Bellarminus: nempe protectionem Dei ex utero matris, cùm Deum invocare non poſſet: *In te*, inquit. *confirmatus ſum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus*: quomodo verò ſigillatim exponit, dum dicit: *Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus*; omnes, inquam, etiam minimas, quas non ſemel tantùm tribuit, ſed retribuit, & unam ſuper aliam exaggerat: quas & duplicis generis agnoſcit, ſcilicet à malis liberationem & à peccatis, & quæ illa comitantur, & conſequuntur: deinde bonorum omnium congeriem: Propitiatur, inquit, iniquitatibus, ſanat omnes infirmitates, redimit de interitu. Deinde verò coronat in miſericordia & miſerationibus, & replet in bonis deſiderium.

Pſal. 70.

Pſal. 102.

4. Æſtimando.

2. Quam verò illa æſtimat, qui ſolam ſui memoriam apud Deum admiratur, & ſummi beneficij loco reponit: *Domine quid eſt homo, quòd memor es ejus?* imò & omnes ad id æſtimandum invitat: *Conſitemini*, inquit, *Domino, & memoriæ ſanctitatis ejus*. quaſi diceret: agnoſcite, æſtimate, laudate memoriam ſanctam ejus, quòd rem tam vilem & ſordidam dignetur tam ſanctâ memoriâ, nec illam velut indignam abjiciat, quod & ſanctus Franciſcus maximi æſtimavit, & Daniel, dum prandium in lacu leonum accepit, eſt admiratus.

5. Gratias agendo.

3. Quas gratias habeat, agatq; notum eſt; habet dum beneficij memoriam gratâ mente retinet, recolitque, illudque magni æſtimat, & quando verbo, vel ſignis exterioribus beneficium deprædicat, ſeque obſtrictum teſtatur, tum gratias agit. Maximas tibi ago, inquit Tullius, majores etiam habeo: & promiſcuè unum alteri adjungit, ſubjungitque ut dicat: Maximas tibi gratias & agere & habere debemus, & alibi habere & agere ſe dicit: quid porrò hac in parte à nobis Deo deferendum ſit, doceat nos idem Prophetа Regius: Quoties illum dicentem audimus: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo?* quæ verò eſt hæc confeſſio niſi laudis & gratiarum actionis, quam altè cordi impreſſit, & linguâ deprædicat?

Pro Mor. Pro Cæc.

6. Et referendo.

4. Quàm verò in referenda gratia ſit ſollicitus, vide: ipſe ſeipſum interrogat: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* & cùm ſatis noſſet Deum omni bonorum copia circumfluentem nullius egere; dixiſſetque, *Deus meus es tu*; ſcio quia bonorum non eges: tria ſe facturum pollicetur corde, ſcilicet, ore, & opere gratias ſe relaturum, alioſ-

liosque omnes ad idem faciendum se provocaturum. *Exultabit*, inquit, *cor meum in salutari; cantabo Domino qui bona tribuit mihi, psallam nomini Domini altissimi*; quasi diceret; Gestiet cor meum ob salutis à te obtentæ beneficiũ; illudque ore deprædicabit; & manu atque opere citharam pulsando me memorem & gratum testificabor.

7. Nunquam obitendo. *Psal.144.*

5. Denique memoriam æternam pollicetur: *Laudabo*, inquit, *Deum in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu fuero. Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæculum sæculi.* monetque alibi animam, ut ab oblivione beneficiorum sibi caveat: Noli oblivisci, inquit, anima mea omnes retributiones ejus. & meritò, quia, teste ipso Tullio, nemo gratiarum immemor, est gratus inventus. *De invent.*

Duo insuper ad grati animi significationem erga Deum observanda mihi videntur.

8. Omnia Deo ut bonorum fonti accepta referendo,

Primum, ut omnia ab illo velut ab omnium bonorum fonte, in nos derivari beneficia existimemus. Dixit aliquando Tranquillinus Martyr Agestio Præfecto, à quo ad adorandum solem tanquam erga mortales beneficum invitabatur, idem illum agere, ac si navibus frumenta adferentibus, non verò Regibus beneficium annonæ esset adscribendum. Sed & S. Augustinus monet, ut dum aliquid ab homine accipimus, ad hominis conditorem mentis oculos elevemus; cùm enim homo ipse sibi salutem adferre non possit, cur dum aliquid salutare ab illo accipimus, non potiùs ad Deum, unde rivulus iste profluxit, quàm ad hominem, qui canalis dumtaxat est, oculos reflectimus.

9. In rebus difficilibus gratitudinem profitendo.

Alterum est in rebus difficilibus, & facilibus parvis magnisque hoc unicè spectemus, ut nimirum pro beneficiis grati simus, quod à primis Christianis exegisse videtur S. Paulus, dum in omnibus gratias eos agere voluit, & abundare in gratiarum actione. S. Pater Ignatius cùm linguam non calleret, & nihilominus eum ad rudes principiis fidei instruendos charitas urgeret, dicebat: Conferam in Dei laudem hoc quidquid est, quod ut illi redderem, ab eo accepi. S. Cyprianus, ubi lecta illi fuit de capitis diminutione sententia, respondit: *Deo gratias*. hortatur propterea S. Augustinus, ut verba illa *Deo gratias* semper usurpemus; & S. Hieronymus, ut semper dicamus *Benedictus Deus*: mirum est tanti saporis fuisse breves illas gratiarum actiones, ut Augustinus dixerit, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius aliquid posse: & nostris temporibus extiterit vir sanctus, qui millies uno die illa

Ad Thess.5.

Sup.77.

Sup. Eplan. ad Eph.

repetierit. Sed & Eccleſia mater à Sp:ritu ſancto inſtructa in ſacrificio Miſſæ proclamare profiteriq́ue Sacerdotē graviſſimis verbis voluit invitato ad idem præſtandum adſtante populo, dignum & juſtum eſſe nos ſemper & ubique gratias agere. Quis, quæſo, hoc aſſequatur ? niſi ſit ex iſtis quos deſcribit paucis ſanctus ille eremi incola, qui divinitus quantus eſſet Pater Ignatius, quem ante animo deſpexerat, edoctus, multa dixit ſapienter, ac inter alia hoc à Patre Bartolo ciratur; mundanos facere circulum, & ab amore ſui ad amorem creaturarum verti, & ad Deum redire, utroſque in circuitu ambulare, malos malo, bonos bono. L. 1. fol. 260.



Differ-

Dissertationes de nonnullis Virtutibus Amori sacro Subservientibus,

AUCTORE

P. PETRO PENNEQVIN

è Societate IESU.

1. De Humilitate.
2. De Fiducia in Deo.
3. Media ad Perfectionem actionum conducentia.
4. De Oratione.
5. De animi tranquillitate & Pace.
6. Sedecim stimuli ad Perfectionem sectandam.
7. De quotidianæ Patientiæ Exercitio.

Ad Lectorem.

ANimus mihi est, amice Lector, bonarum cogitationum tibi suppeditare materiam; ex quo enim primus Parens scientiam boni & mali per comestionem pomi vetiti affectavit, & nuditatem corporis consutis ficuum foliis tegere conatus est, aliud vulnus, ut 1. Cogitationum levitas unde.

notat S. Ambrosius l. 6. Hexam. c. 6. accepit evagationem scilicet mentis, cui vanis cogitationibus, quasi folijs mederi frustra nisus est; quod & in posteros propagavit, qui per vanas mentis aberrationes, quasi folia simul consuentes, non tamen animi nuditati remedium adferunt, quàm novum malum sibi accersunt vanæ curiositatis, & infructuosæ delectationis.

S. Augustinus l. de Religione monet unumquemq; nostrùm, ut cogitationes nostras abducamus à caducis, & ad meliora convertamus: Non ergo, inquit, summa quæramus in infimis, nec ipsis infimis inhæreamus: judicemus ea, ne cum ipsis judicemur: id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema; ne cùm in novissimis prima quærimus, à primis inter novissima numeremur.

2. Quodobjectu dignum cogitationis humanæ.

Christus ipse S. Brigittam de hac hominum in cognoscendis, audiendisq; rebus novis vana prurigine monitam voluit l. 6. c. 27. Quid te delectat, inquit, audire opera mundanorum, & bella procerum, & cur tali auditu inani occuparis, cùm ego sim omnium Dominus, nullaq; delectatio sine me in pretio habenda sit. Si cupis audire facta magni Domini, si considerare opera magnalia, deberes utique audire, & considerare facta mea, quæ intellectu incomprehensibilia sunt, cogitatione stupenda, & auditu admiranda.

3. Peccator injuriam facit Deo.

Audi quæso iterum S. Augustinum, nos, quantum in vanis istis affectionibus, & curiositatibus periculi lateat, admonentem tract. 2. in c. 2. Ep. S. Ioa. Quemadmodum si sponsus faceret sponsæ suæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret, quàm sponsum, nónne in ipso dono sponsi adultera deprehenderetur, quamvis hoc amaret, quod dedit sponsus. Ad hoc utique arrham dat sponsus, ut in arrha sua ipse ametur: ergo Deus dedit tibi omnia, ama illum qui fecit ista.

4. Voluptatum siliquas optando instar pori.

Sed quantum sibi noceat hujuscemodi hominum genus, Christus ipse luculentâ similitudine apud S. Brigittam l. 7. c. 29. ostendit. Invitarat Magnus Dominus plerosq; ad convivium, & ecce ingrediuntur quidam caput & os habentes porcinum, & accumbentes mensæ tùm Dominus illis de melioribus cibis dare vellet, recusarunt grunnientes ad instar porcorum, & sibiquas postularunt; quod non ferens Dominus, & sua pretiosa edulia ita haberi contemptui indignum ratus, eos de loco convivij

vivij per famulos expelli jussit nullo posthac inter amicos locò habendos. Ita agere solet Deus cum illis, qui mundi hujus siliquis pasci malunt, quàm virtutum deliciis degustandis animum applicare.

Deus verò tanquam Pater benignissimus quomodo nos, ut pueros malè sensatos rebus inutilibus nimium addictos ab illis ad saniora paulatim alliciat, egregiè explicatur à S. Chrysostomo hom. 2. in Acta Apost.

Quemadmodum cùm videmus infantem plorantem, semperq; cupientem aliquid à nobis accipere, quo illi nihil est opus; tum occultato eo, quod concupiscit, ostendimus illi manus vacuas, & dicimus: Ecce non habemus: si puer instet plorando dicens se esse delusum, ab eo discedimus dicendo: Vocat me talis, & aliud quidpiam ejus loco, quod concupiscebat, damus, volentes illum avocare ab eo quod maluisset accipere, laudantes illud quod damus. Hoc fecit Christus cum Apostolis, dum voluit suam præsentiam illis subtrahere, & Spiritum sanctum submittere, quo maximè indigebant: ita Deus nobiscum agit, dum aliquid minus utile, quo à majoris boni assecutione impedimur, nobis aufert, ut solidioribus afficiamur: ita velim, Lector, te à vana & curiosa, parumque fructuosa occupatione paulatim abstractum ad virtutum cognitionem ex salubri lectione hauriendam, affectumq; inflammandum, applicare animum: quam gratiam, ut tibi mihiq; præstet Deus opto, & voveo.

5. Quomodo Christus res perituras è memoria & voluntate nostra eradat.



1. DISSERTATIO.

De Humilitate.

PRudentes hujus sæculi dum altum ædificium moliũtur, eousque terram eruunt, dum ad solum firmum perveniant: ita qui perfectioni spirituali acquirendæ dant operam, virtutum ædificium supra nihilum Humilitatis, quo nihil solidius, construunt, se nihili æstimantes, & ut pro nihilo ab alijs habeantur, apprimè curantes. Deus uti de nihilo mundum aspectabilem condidit, ita ut in animo hominis novum mũdum spiritualem creet, nihilum Humilitatis in illo requirit, quo seipsum pro nihilo reputet, & talis ab alijs haberi desideret.

1. Humilitas Deus requirit ab hominc.

Nihil ferè in Sacra Scriptura frequentiùs inculcatur, quàm humiliatione ad exaltationem gradum fieri. Nunquam apud Deum gratiam, & magnam æstimationem tibi colliges, nisi teipsum summopere despicias. In profundum tui nihili descendas oportet, si ad virtutum culmen velis ascendere. Hinc S. Gregorius nos studioscè supra cogitationes propriæ æstimationis vigilare vult; si securè ambulare volumus, quia dum videt Deus aliquid intus, quod mentem elevat, permittit foris invalescere quod deprimat. Propterea Augustinus cavendam superbiam dicit, ne homo, dum quod Dei est, deputat suum, amittat quod Dei est & redeat ad suum.

l. 26. mor. c. 1.

Dent. 8 gratiæ 3. Grad. 11.

Climacus, pudor, inquit, est de alienis ornamentis gloriari, extremæque dementiæ de donis attolli: si quæ ante nativitatem habuisti virtutum bona, de illis solis gloriare: nam quæ post generationem habes, ea tibi largitus est Deus, sicut & ipsam nativitatem. si dicas te conatum & industriam attulisse; respondebit Apostolus, illa etiam Dei dona fuisse: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?* Non tua sunt, sed Dei, quæ utenda dedit, grande olim fœnus exacturus: en quo gloriandi materia desinit, in metus, in severa judicia, ut cui plura data sunt, ab eo etiam plura repetantur.

2. Merito: quia nihil habes in

Si phiala crystallina radijs solis illuminata, pulchritudinem quam ab illa radiorum collustratione recipit, sibi suæque industriæ tribueret, graviter insolesceret, & quod suum non est, stultè sibi arrogaret; multum accresceret ejus impudentia, si non tantùm lucem, sed etiam substantiam suam à sole accepisset: idem nobis accideret, si de aliquo gloriaremur, qui omnia à Deo accepimus, & ex nobis

nobis sumus mera privatio omnis boni.

§. I.

Quantum conferat ad virtutem Humilitatis acquirendam amare, sectari, vel saltem patienter ferre contemptum sui.

3. Amor contemptus via ad humilitatem.

ITa senserunt omnes in hujus virtutis palæstra exercitati, quorum omnium una eademque vox est, duas sorores esse Humiliationem, & Humilitatem; & hanc in aliquo loco sedem non figere; nisi soror præcesserit, & locum præpararit, aut saltem ubi comiter non fuerit admissa.

Vidit hoc Zacharias Monachus Abbatis Moysis discipulus, super quem Spiritum sanctum gratiarum suarum imbres copiosè effundere Magister ejus viderat: qui interrogatus de via compendiosa acquirendi humilitatem, & cum illa reliquarum virtutum chorum; cucullum suum humi abjiciens, pedibusque proterens, dixit; Religiosum ad illarum virtutum consummationem nunquam perventurum, nisi eodem modo fuerit conculcatus, ac despectui habitus.

Alter è solitariis illis senibus in virtutum stadio viris palmaribus, interroganti, qua via brevi ad perfectionis culmen evaderet; suasit ut Senem aliquem severum, austerumque quæreret, atque in ejus se traderet disciplinam, à quo quotidie duriter tractaretur, & sub quo reprehensiones & increpationes continuas biberet, ut mel & lac. Cujus sententiæ subscripserat ille alter, qui inter injurias, & contemptus exultabat; dicens: Hi sunt qui nobis proficiendi materiam suppeditant; illi enim qui nos laudant, nobis non parum impedimenti, & damni adferunt.

Anub cum septem sociis iter instituës hi, cùm noctu ad fanum idolorum veniissent, ibi quieverunt; ipse verò statuam lapideam manu & voce flagellans, & ab illa postmodum injuriæ veniam petens, interrogatus à soçiis, quid sibi vellent ista; respondit statuæ similes esse oportere ad opprobria, contemptusque tolerandos, si simul habitare & pacificè, & fructuosè virtutibus comparandis studere proponerent. Fuit hic communis illorum sensus & apud omnes magni nominis, sanctimoniæque viros pro virtutum omnium fundamento est habitum, ut si abesset, cætera parum firma existimarent. Hinc cùm aliquis ex fratribus magno illi Abbati Sisoi diceret: Cùm examino meipsum, video Dei præsentiam me-

memoriæ meæ adhærentem: Non est, inquit, magnum hoc, ut mens tua cum Deo sit, magnum est autem, si teipsum infra omnem creaturam videas.

Sed & S. Thomas ille oculatus virtutum arbiter, dicere solitus est, hominem, qui contemptum ferre non possit, etiamsi miracula faciat, non esse pro sancto, aut magnæ virtutis viro habendum.

4. Et certum sanctitetis argumentum,

Habebatur vir solitarius inter Eremicolas non vulgariter sanctus; Episcopus loci ut virtutem ejus exploraret, misit aliquem ad id prudentiâ & rerum cælestium cognitione probè instructum; hîc tumultuariè, & militari quodammodo ausu solitarij cellam ingressus, jubet ocreas sibi extrahat: qui despici & probro affici se arbitratus severo vultu interrogavit, an nosset quis esset. O nō es sanctus, ut aliqui putant, ait tum ille explorator; quandoquidem oblatam humiliandi te occasionem non accipis. Aliter se gessit, similem humiliandi se occasionem nactus Constantinus presbyter, qui in contemptoris amplexus advolavit, eumque amanter est exosculatus; dicens, neminem hactenus veriora de se elocutum.

S. Gregor. dial.

5. *Wadingus.* Humilis injurias pro gemmis accipit.

Beatum Juniperum (quem tanti faciebat S. Franciscus, ut fratribus suis diceret: Utinam de hujusmodi Juniperis integram silvam haberemus!) tacitus despicientiæ, & vituperiorum amor accendebat, ut cùm ab aliquo afficeretur opprobriis, fimbrias pauperis lacernæ expanderet, diceretque: Amice projicias hîc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis, imple ne timeas. ita approbria & injurias appellabat.

Dum in Lusitania S. Xaverius navigationem Indicam præstulatus, & interim saluti animarum procurandæ sedulò dat operam, & virtutum suarum odorem latè diffundit; quòd inde plausum, & approbationem potiùs quàm injurias & contemptum referret, graviter angebatur, dicens si insectationibus & opprobriis diutiùs careret, videri sibi, nequaquam Deo fideliter militare: hac una spe se consolans, fore, ut quod in Lusitania frustra quæreret, brevi in Indiis copiosissimè reperiret.

Eadem est cæterorum qui sanctitate floruerunt sententia, adeò ut Abbas Pastor homini ad perfectionem tendenti humilitatem æquè necessariam esse diceret, ac respirationem.

§. II.

§. 2.

Quantum Christus contemptum amaverit.

6. Christus humilitatem amavit.

HOc punctum attentè perpendi à Christi sectatoribus vult Apostolus, cùm Christi amor & electio, qui eligere bonum & reprobare malum supra cæteros novit, apud homines sanæ mentis ingens pondus habere debeat.

1. Dum mundum nascendo ingreditur à Bethlcëmitis repulsam patitur, & stabulum pauperum, ac animalium receptaculum eligit.

2. In Ægyptum fugit, tanquam imbecillis qui fugâ sibi consulere debeat.

3. Fabri filius, & ejusdem cum patre opificij haberi voluit; ut aliquis de plebe homuncio, qui victum quotidianum labore manuum sibi comparat.

4. Verba, quæ contemptum secum adferunt omnis generis ferre dignatus est. 1. Detractoria, famæque injuriosa; dum blasphemiæ illi notam inurunt: dum illum ut peccatorum amicum, ut vini potatorem, & legis Moysis violatorem, seductorem populi, & cum dæmone commercium habentem traducunt. 2. Derisoria, dum ejus verba, & dicta non semel exsibilarent tam Pharizæi, quàm tibicines, aliique de plebe, & qui de cruce pendentem milites observabant. 3. Contumeliosa dum tam sæpè in os illi obtrudunt, Dæmonium habes, Samaritanus es, & alia hujusmodi, quæ hominem innocentem, & summæ ergo omnes mansuetudinis, ac beneficentiæ insigniter lædunt.

5. Factis ludibrio habitus; ad supercilium montis à concivibus, ut inde daretur in præceps, deductus; à propinquis tanquam furens ad vincula quæsitus, à populo lapides quæritante non semel ad mortē petitus: deniq; proditus, vinctus, tractus, colaphis & verberibus oneratus; flagellis, virgisque ignominiosè sectus, homicidæ posthabitus, regiis insignibus per ludibrium illusus; nudus denique in crucem actus, & aliquot horarum spatio ab omnis generis hominibus summis, infimis, omni contumeliâ opprobrioque violatus, ingenti animi æquitate, & modestiâ sustinuit universa: exemplum dans nobis, ut sequamur vestigia ejus.

6. Proditorem amicè compellavit, infidum, & sui non amicitiam modò, sed etiam notitiam abnegantem benevolè respexit, & ruentem tenuit ac sibi reddidit; pro inimicis acerbissima con-

geminantibus deprecatus est, & ab eorum capitibus cælestę fulmen avertit, latroni regni societatem promisit: & quorsum hæc omnia? *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: & hoc unum, quasi cæterorum documentorum caput à me vos discere volui; quia mitis sum & humilis corde.

§. 3.

Imitandi Apostoli in humiliationibus sectandis & amplectendis.

7. Et Apostoli. 1. c. 4.

VErba S. Pauli omnium quasi Apostolorum nomine prolata meritò pensiculatè considerandа sunt, ut quæ ad materiam, qua de agimus, summopere facere videantur: ita Corinthiis scribit: *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Singula verba quæso mecum pondera. *Facti sumus*, inquit, Dei scilicet voluntate, qui nos ad virtutum culmen, cæliqúe honores, per hujusmodi humiliationum salebras ire voluit. Neque facti sumus apud unum aliquem, aut etiam aliquam hominum multitudinem; sed *omnium* apud summos & infimos, notos & ignotos, apud eos, quos beneficiis ultrò obstrinximus; temerè & sine causâ. *Tanquam purgamenta hujus mundi, & peripsema*: hoc est, tanquam sordes, quæ absterguntur ab ea re quæ circumcirca mundatur & abraditur tanquam excrementa & fæces, & colluvies generis humani; mortalium omnium contemptissimi, & abjectissimi, digniqúe habiti, quiab hominum consortio expungamur & ejiciamur. Sed quomodo tantam abjectionem tulerunt Apostoli? hoc opus, hic labor est.

8. Tres ad perfectam humilitatem gradus.

Tres gradus te facere oportet, antequam ad tam perfectæ humilitatis culmen evadas. 1. Est, ut tametsi ad primum vituperij assultum commovearis, & inflictum vulnus multum sentias; rem tamen totam silentio concoquas, nec apud aliquem te exoneres, & conquerendo solatium emendices. 2. Est, ut primò utcumque concussus statim ad te redeas, Deo pro humiliatione gratias agas, & pro contemptûs auctore remunerationem & gratiam aliquam brevi mentis elevatione deprecеris. 3. Vero & sedato, tranquilloqúe animo contemptum excipias, tibi quasi de accepto beneficio gratuleris, auctorem pro benefactore recognoscas, utque iste contemptus ad plures propagetur si sine Dei offensa fieri possit, desideres, & à Deo petas, hoc totum in lucro reponas, & Deo gratus,

gratus, tibi de similibus eventis congratuleris.

9. Modi ad eum tendendi cogitare bona à Deo, mala à nobis esse.

Atque ut ad hanc perfectionem attingas, poterunt tibi sequentia subsidio esse. Primò considera in te bona & mala reperiri, & bona quidem tam naturalia, quàm quæ naturæ vires excedũt, à Deo profluere, eumque velut parentem & auctorem agnoscere; mala autem & præsertim vitia, tua esse, & ad te vnicè pertinere: ut proinde, te quasi vitiorum fætentem sentinam, aut cloacam aspicere debeas: cumque vitio dedecus, contemptio, & vituperium adhæresçant; tibi etiam hæc omnia deberi certò persuasum habeas, si à veritate, quæ Deo est acceptissima, tantisper exorbitare nolis.

8. Tres ad perfectum humilitatem gradus.

Hominis laudem esse Dei injuriam.

2. Hinc etiam efficitur, cùm laudaris, contra justitiam peccari, cùm id in te laudetur quod Dei est, non tuum, & nescio quod latrocinij genus committatur.

10. Contẽptum nobis debitum amemus pro peccatorum satisfactione.

3. Diffiteri non potes, Deum justum esse, & virtuti præmium, vitio verò pœnam necessariò rependere: tu ergò cùm totus ex vitijs conflatus sis, vel in hac vitâ, vel in alterâ, ex justitia puniendus es, vide an non satius utiliusque tibi sit, ab hominibus hîc despici, conculcari, & omni approbriorum genere denigrari, quàm ad alteram vitam hæc omnia differri; cumque Deum priùs eligere, & te hîc omnibus ludibrijs, & abjectionibus castigare conspicis, & gratias habe, & has humiliationes pro beneficijs accipe.

Vt antidotum contra superbiam.

4. Spiritus sanctus in sacris paginis ad nostri despicientiam nos hortatur, hoc Euangelia nobis persuadere conantur, hoc Apostoli Petrus & Paulus in suis Epistolis inculcant. Medicis peritis, qui morborum nostrorum remedia suggerunt, fidem habemus; malorum nostrorum ferè maximum est superbia, eaque plerumque occulta, & nobis parum cognita; & quia contraria contrarijs curari solent, cælestes illi medici, despicientiæ amorem, & inter opprobria patientiam tanquam singulare contra superbiam antidotum suggerant; cur non illud cum gratiarum actione, & ambabus, ut ajunt, manibus accipimus?

11. Vt Christi dilectum.

Amare te Christum profiteris; ama ergo quod ille amavit: amor enim similes invenit, aut facit: ille cùm posset aliâ viâ incedere, per medias contẽptus & opprobriorum sordes, licet innocens & peccati omnis expers, ingredi voluit; & luto, quasi vestimento induit: omnes sibi amore amicitiaque conjunctos, ad idem iter invitavit: eum qui plurium opprobriorum insignibus decoloratus appareret, inter sibi charissimos præ-

cipuum locum habere voluit. An te inter illos numerari tibi glorioſum eſſe non cenſes? An non rogas? An non ardentibus deſiderijs efflagitas?

12. Si in facimus, ſumus dæmonis aſſeclæ.

6. Si deſpici, ſi vilis haberi refugis, ſi ad aliquem tui contemptum excandeſcis, & de vindictâ cogitas, meritò malè de te ominari debes, & inter Dæmonis aſſeclas, qui caput eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, numerare; atque eandem, cum illo alijſque ſuperbis caſtigationem pertimeſcere. Diabolus ob ſolam abjectionis & deſpicientiæ fugam è cælo in æternum exitium ruit; Adam ab eodem in ambitionis barathrum conjectus, de Paradiſo voluptatis in ærumnas innumerabiles peſſum abijt: cur tu eadem à tua ſuperbia non times? te miror, quorum inſaniam imitere, eorum exitus non perhorreſcere. Heronem poſt partem ætatis in eremo cum virtute tranſactam ſuperbiæ aurâ peſtilente afflatum, atque ob id à Deo derelictum, per varia vitiorum genera volutatum, vix demum in fine pœnitentiæ anchoram inveniſſe legimus.

Bolland. c. 32.

Exempla.

Alter Valens nomine, pluribus annis cum laude in ſolitudine cõſumptis, Dæmonis fallaciæ, ſui nimia exiſtimatione tumens, januam aperuit, & ab eo deceptus, ac in vitia præceps datus, vix tandem carcere incluſus, vinculiſque conſtrictus, ac Religioſorum adjutus precibus, poſt annum reſipuit. Sed maximè formidabilis eſt Heronis miſerandus exitus, qui cum in ſumma abſtinentiâ, & orationis aſſiduitate, cæterarumque virtutũ ſtudio quinquaginta duos annos exegiſſet, de ſe præſumens, ſuoque præfidens judicio, à Dæmone illuſus, angelorumque miniſterio ſe ſuſtendandum ratus, in altiſſimum puteum ſe præcipitem dedit, & membris omnibus luxatus, triduo, nullo pœnitentiæ, aut reſipiſcentiæ argumento, miſerabiliter obijt.

Idem.

Caſſianus coll. 2. c. 5.

§. 4.

Ob Humilitatis defectum gratiarum fluenta impediri.

13. Superbia gratias impedit. *Hom. 4. ſup. Pſalm. Qui habitat.*

IN hac aſſertione conveniunt Sancti Patres: Quid eſt, inquit S. Bernardus, quod inceſſanter orantes & ſupplicantes non poſſumus ad eam, quam deſideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus factus eſt Deus, aut inops, aut impotens, aut inexorabilis? abſit hoc, abſit; ſed ipſe cognovit figmentum noſtrum: ne fortè, ut antè dixit, elationis vitium incurramus, ſicut enim iſte corporeus ſol, licet bonus ſit & valdè neceſſarius, tamen

men fervor ejus si temperatus nō fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet; nec est solis culpa, sed infirmitatis; sic etiam sol justitiæ est. In eandem sententiam gravibus verbis concurrit S. Bonaventura: Non est mirum, inquit, si inopes simus virtutū, cùm matrem & custodē virtutum scilicet humilitatem, tam alienam à nobis sentiamus. Quid enim causæ est, quod ille, qui dives est in misericordia, Pater cæleſtis; qui etiam pro dilectione, quâ dilexit nos, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quid, inquam, causæ est, quod nos tam inopes gratiarum & virtutum reliquit, quasi non sit ei cura de nobis? Nimirum aut desidia nostra in causa est, quod non instanter quærimus eum, ut debemus; aut superbia, quia etsi quærimus instanter, videt tamen Deus nos pronos esse, ut inde extollamur, & fieret nobis ipsa donorum ejus sublimatio altioris occasio ruinæ.

Lib. 1. de Profectu Rel. c. 33.

Hinc bene ratiocinatur S. Augustinus: cùm Deus naturâ suâ sit liberalissimus, consequens esse, ut gratiæ denegandæ causa ab homine, non à Deo; concedendæ verò non ab homine, sed à Deo petatur: causa autem cur Deus illam non det, est, quia homo sibi dona ejus arrogat, inde extollitur, laudem captat, & Deo furatur, quod Dei est. Fons verò hujus arrogantiæ est Amor proprius; quia enim homo in rebus creatis amat se quàm maximè, ideò aliena bona sibi arrogat, & fingit esse sua, suâque industriâ parta: mala verò sua dissimulat, quasi non sua; parva bona attollit, magna mala diminuit, & abscondere nititur. Cùm verò maximus Dei hostis sit amor proprius, quid mirum si hosti perfido donis suis cum summa injuria abutenti, non patrocinetur; manumque in largiendo contrahat & superbię materiam subtrahat Deus?

Lib. 4. contra Iulian. c. 3.

14. Simile à Cibo.

Hoc ipsum familiari similitudine explicat S. Gregorius: Bonus cibus, inquit, quibusdam nocet, non vitio sui, sed stomachi: è contra venenum interdum prodest, dum cum alijs compositum sumitur, ut in theriacâ; ita malis virtus nocet, dum inde extolluntur; bonis interdum vitium prodest, dum inde humiliantur. Hinc antè monuerat, ut gratijs & virtutibus cautè utamur nihilque inde nobis arrogemus: Deum enim, quia de medicamento vulnus facimus, ipsum facere de vulnere medicamentum; ut qui virtute percutimur, vitio curemur, & qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes adhæreamus.

Lib. 34. mor. c. 17.

Lib. 33. c. 11.

Nec alicui hoc mirum videri debet; cùm enim Deus sit pru-

15. Ne superbus ijs abutatur in damnum suum.

dentissimus architectus; cur quæso, gratiarum suarum domicilium supra arenam ædificet, quod continuò vento superbiæ concussum in præceps iturum prævidet? cùm vino cælesti ad rerum æternarum amorem segnes mortalium mentes velit allicere; cur copiosè illud in eos effundat, quos temulentiâ de recta ratione dejectos, inde sibi plaudere, laudes captare, & benefactoris oblitos, seipsos gloriosè videt supra cæteros attollere? an non esset hoc insano gladium porrigere, & rem pretiosissimam luto, sordibusque Deo cælitibusque odiosis miscere; nullo fructu, sed in miserrimam, & nunquam satis deflendam abutêtis perniciem?

§. 5.

Quomodo Vir humilis in subitis humilitationibus se gerat.

16. Sensa animi in humiliationibus.

IMitatur Regium Vatem, qui in similibus quadruplici cogitatione velut armaturâ se communit. 1. Deum omnium eventuum, præterquam peccati, auctorem intuetur, & dicit: obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amove à me plagas tuas: quasi dicat: Libenter contumelias, & opprobria, quæ tu paternâ severitate ordinasti, excipio: amove tantùm plagas tuas, hoc est, excæcationem, obdurationem, & similes, quibus ut judex, non ut Pater, peccatores obstinatos persequeris. 2. In te spem omnem, inquit, meam collocavi, ac commisi tuæ bonitati caussam meam. 3. Ne dum commoveor, supergaudeant inimici, & propter impatientiam meam lætitiæ, & consequenter peccandi occasionem accipiant. 4. Quia propter peccata, in flagella non tantùm linguarum, sed verborum sum paratus; semper enim de peccato expiando cogitabo, & quomodo pro illo satisfacere possim, ero solicitus.

Psalm. 38.

Psalm 37.

17. Non se excuset humiliatus.

De vitia Solitariâ.

Hinc S. Bernardus nos monet, ne (cùm sine scandalo fieri potest) nos excusemus; sed accusemus potiùs, & confiteamur, & qui magni nominis umbram, & personale quoddam figmentum perfectionis apud homines induimus, conscientiæ nostræ cognoscentes paupertatem non usquequaque recedamus à veritate, & veritas liberabit nos.

Nec aliquibus grave videtur hoc ex animo confiteri; sed cùm hoc ipsum ab alijs nobis objicitur repentino quodam vulnere ita interdum percutimur, ut tacere aut dissimulare non possimus, in quo defectum humilitatis prodimus. Audiamus hac de re S. Gregorium. Indicium veræ confessionis est,

l. 22. mor. c. 10.

est, inquit, si cùm quisque se peccatorem dicit, id de se etiam alteri non contradicit: quod si superbè defendimus, liquet quod peccatores nos ex nobis fictè dicebamus: superbiæ quippe vitium est, ut quod de se fateri quisque quasi suâ sponte dignatur hoc sibi ab alijs dici dedignetur.

18. Si potest tacere sine scandalo.

2. Si fortè ullius culpæ tibi conscius non es, quæ tibi imponitur, ob quam nihilominus nigro carbone apud innocentiæ tuæ ignaros, ob silentium tuum notaris: si nihil inde scandali oritur, nec divinæ gloriæ aliquid decedit; perge & obfirma te in silentio tuo, Dei testimonio apud conscientiam tuam fretus, & subnixus: vel potiùs Dorothei consilium & exemplum sequere. Profectò, inquit, si quis se cum Dei amore diligenter examinet; nunquam omnino se insontem inveniet: videbitque vel facto, vel verbo, vel specie, aliquam à se occasionem datam: quòd si in nullo horum tum se sontem inveniat, profectò alio tempore, vel in re eadem, aut dissimili peccasse se reperiet. S. Theresia, à qua plurima humilitatis exempla meritò peti possunt, dum in ipsam probra jacerentur, ad Dorothei consilium hoc addebat, ut diceret, minima esse, & prope nulla quæ jactabantur, si pro ijs, quæ in ipsa opprobrijs digna latebant, conferrentur. Verè sanè Dorotheus accusationem sui perpetuam humilitatis germanam filiam appellat.

Praxim singularem, dum ab hominibus haberis despectui, accipe à S. Bonaventura: quibus places, inquit, attribue eorum benevolentiæ, non tuæ probitati: quibus autem displices, attribue tuo merito, & cogita: Si in tantillo illis displices, sic ut exteriùs tuam vilitatem possunt cognoscere; quid facerent, si radicitùs perspicerent omnia vitia tua, & peccata, & inhonesta tua? mirum si te non ejicerent, aut lapidarent. Pro me loquor: nunquam enim à fidelibus ita despectus sum sicut sum despicabilis in veritate: unde non debeo indignari, cùm aliquando despicior; sed mirari, & reputare beneficium Dei, quod non omnibus sim odiosus. Addit deinde; cùm tibi detrahi intelligis, non movearis; quia si verum est quod dicitur; non est inconveniens hoc loqui homines, quod tu facere ausus es: si autem verum non est, non nocet tibi eorum locutio. Ut si albus esses, & aliquis diceret te nigrum esse, quid obesset tibi?

De inst. novit. c. 10. 19. Ex doctr. S. Bonav.

Quàm excellenter te contra omnes humiliationis assultus armares, si ejusdem sancti mentem indueres, qui in stimulo amoris ita loquitur: Ut Deum placare possim,

Psal. 1. c. 7.

20. Et ejusdem proposito.

possim, scio quid faciam: afficiam me undique pœnalitatibus & angustiis ; & me tanquam lutum fœtidissimum conculcabo, abominabor me sicut stercus; & ero intolerabilis mihi ipsi : in mea confusione & dejectione, & conculcatione, sive à me, sive ab aliis illata lætabor, & exultabo, cùm apperuerit ignominia mea. Et quia non sufficio me detestari; contra me universum cœtũ creaturarum congregabo, & à qualibet confundi, & puniri desiderabo, quia earum contempsi creatorem : hîc erit mihi thesaurus desiderabilis, super me pœnas & opprobria aggregare, & eos intimo corde diligere, qui me adjuverint in hoc facto: omnem consolationem, & honorem vitæ præsentis horrebo, & velut hostes Blandientes habebo. Credo firmiter, quòd, si sic fecero, aperietur super me miserum & indignum divinæ pietatis thesaurus.

§. 6.

Quomodo anima humilis expediat se à vana gloria.

21. Homo nullus est, nullam

PRimò altè menti imprimit, quod Catharinæ Senensi Christus dixisse perhibetur : Filia si noveris, qui ego sim, & quæ tu sis, beata eris : Ego sum qui sum, tu es quæ non es : hãc cogitatione laudem mereat. Surius in ejus vita frena facilè conteres omnes laqueos inimici. Et verò quomodò quis sibi persuadeat nihilum aliquid laudis mereri?

Hinc meritò S. Bernardus animam, quæ se in veritate invenerit, & secum non dissimulat, sed statuit se ante faciem suam, impossibile esse arbitratur, ut vanè extollatur. Nónne, inquit, anima se intuens in luce veritatis, inveniet se in regione dissimilitudinis, & suspirans misera, quàm jam latere non potest, quod verò misera sit, clamabit cum Propheta ad Dominum : *In veritate tua humiliasti me.* Nam quomodo non verè humiliabitur in hac verâ cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fœce infectam, cœcam, curvam, in firmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic excellentia oculorum? unde levare caput? nónne magis convertetur in ærumna sua dum configitur spina? Convertetur, inquam, ad lachrymas, convertetur ad gemitus, converte- Serm. 36. in Cant.

vertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.*

In sententi. Quàm verè dixit S. Augustinus: Memor esto ne extollaris; memor autem eris si teipsum respexeris. Quomodò extolli potest, qui tot profundissimæ despicientiæ causas in se reperit? dignus es misericordiâ; non laude, aut extollentia. Quid enim, inquit, tam dignum misericordiâ, quàm is qui miser est, & qui se talem agnoscit, & profitetur; & quid tam indignum misericordiâ, quàm superbus miser?

Mattimè aliorum comparatione. In vitis PP. Hinc cum Abbati Isidoro diceret cogitatio: Quia magnus es: tunc ipse sibi respondebat: Nunquid talis, qualis Abbas Antonius, vel aliqui Patres, qui Deo placuerunt? sed & Abbas Moyses cùm vanæ gloriæ pulsaretur assultu, se humiliabat, ut dæmonum nullus ad illum propiùs accedere auderet: interrogabat se, an omnia Dei mandata implesset, an inimicos diligeret, de eorum bono gauderet; an illud Christi implesset; ut cùm omnia fecisset, diceret: Ego servus inutilis sum, denique an se omnium maximum peccatorem agnosceret: si eò non pervenisset; non habere unde gloriaretur.

Hoc ipsum suggessit Josaphato insignis ille Magister Barlaam, ut cùm arrogantes cogitationes à dæmone suggererentur, salutiferam hanc doctrinam ad instar clypei obtenderet: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quoniam id quod facere debuimus, fecimus.* Deinde quotam partem eorum, propter quæ Deo obstricti sumus, persolvimus? quàm multum ab ejus cruciatibus perferendis, remoti sumus? quæ si tulissemus, quid inde tamen beneficij in illum à nobis redundasset? quod enim est servi beneficium, si ea perferat, quæ Dominus pro ipso perpessus est?

23. Opponendus vanæ cogitationi cõtemptus sui.

S. Bernardus contra vanam gloriam contemptu pugnabat; dicebatque: Non propter te cœpi, nec propter te desinam. & ad Deum conversus exclamabat: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* & cùm laudaretur, dicebat: Quid ad ista dicemus, nisi quia vani sunt filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum? laudamus mendaciter, delectamur inaniter, ut & vani sint qui laudantur; & mendaces, qui laudant. Alij adulantur, & ficti sunt; alij laudant, quod putant, & falsi sunt; alij utrorumque præconiis gloriantur, & vani sunt. Non qui seipsum commendat, nec quem homines commendant, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

Ep. 18. & 42.

Sanctus verò Bonaventura va-

Stimuli p. 3. *c.* 10.

næ gloriæ insaniam hoc modo reprimit: nónne de alienis stultum est gloriari? cùm ergo cuncta sint à Deo, si de aliquo gloriaris, comprobas te esse stultum: si autem hæc ignoras, te comprobas esse cæcum. Audi ergo, insane: si gloriari vis, & stultus apparere non vis, exclude quæ non sunt tua & de reliquis glorieris: sed certè si omnia non tua excluseris, in nihilum redigeris: ergo de nihilo gloriare, si non vis incurrere vanitatem. Sed dicis: In me nolo laudari, sed tamen cupio ab omnibus commendari: sed ô impie latro! audi: nónne stultum est, largissimo Domino furari, quod sibi charissimum est: nempe gloriam suam, cùm ipse dixerit; *Gloriam meam alteri non dabo*? Hinc Guilielmus Episcopus Parisiensis dum vana gloria sensus titillat, exclamandum ait: O gloria, recede, & vade ad Deum, ad quem solum pertines.

Et ignorantia.

Sanctus Gregorius tum temporis ad propriæ ignorantiæ, & cæcitatis accusationem prosiliendum esse ait, quæ nobis persuadet id esse quod non est; & rem coram Deo abominabilem, nobis ut laude dignam repræsentat: quod uni è suis Monachis aliquando non sine gravi castigatione ostendit S. Pacomius: cùm enim observasset, illum ob majorem cæteris in confaciendis nattis diligentiam, vanam gloriam sucupari, easque in cellulæ suæ ostio posuisse, ut à transeunte observarentur; jussit continuò nattas illas tanquam dæmoni, non Deo dicatas comburi, & Monachum aliquot dierum ab aliis separatione mulctatum, & à cibo abstinentem pœnitentiam agere.

Hinc est quòd hanc pestem vanæ gloriæ tam occulto insidiantem plurimum semper exhorruerint, timuerintque oculati illi virtutum in Eremo athletæ. Certè Apollonius cùm à Deo mitteretur ad Gentilium conversionem, munus istud deprecatus est, ne non satis contra vanam gloriam fortis, ejus vento raperetur in præceps: cumque in eum finem orationi insisteret; ecce vox de cælo dicit illi: Mitte manum tuâ ad cervices tuas, & quod comprehenderis, constringe, & sub arenâ obrue: at ille sine mora injectâ manu ad cervices suas apprehendit quasi parvulum Æthiopem; eumque clamantem & dicentem: Ego sum superbiæ dæmon; sub arenâ defodit: quo exemplo docemur vanam gloriam contemnere, & ab oculis nostris in terram, aut potiùs nihili nostri chaos abscondere.

Exemplo multorum Russinus l. 2. c. 7.

II. DIS-

II. DISSERTATIO.

De Fiducia in Deo.

1. Fiducia in Deo quibus nitatur.

HÆc velut columnis quatuor firmis & inconcussis innititur: Dei scilicet bonitate, misericordia, & omnipotentia: tum Christi meritis: Deinde B. Virginis ac Sanctorum intercessionibus: Denique Dei promissis.

Bonitatem Dei mirum in modum testatam facit vox Patris, quâ Pater noster esse, & appellari voluit. Cùm in hanc lucem nascimur, non eligimus Patrem mortalem arbitrio nostro; sed eum qui nobis obtingit, accipimus: si unicuique nostrûm eligendi patrem daretur optio; non puto quemquam è nobis futurum, qui non patrem omnibus naturæ & fortunæ donis instructissimum eligeret: vellemus illum prudentem esse, qui nos regeret; bonum, qui singulariter amaret; opulentum, qui benefaceret; potentem, qui protegeret, & mala averteret; clementem, qui cum delinquentibus mansuetè ageret. Hæc omnia in nostro Patre cælesti luculentè congesta habemus: Sapientiam ejus infinitam mundus ipse, ejusque gubernatio manifestat: Bonitatem ejus, quia nec cogitatione comprehendi, multò minus sermone explicari potest. Sanctus Thomas hac amplificatione utcũque adumbrare nititur: Si omnes Angelici Spiritus creati, & qui creari possunt, in explicanda, describendaque Dei bonitate, omnem suæ mentis aciem simul conferre vellent, & oceanus illis esset pro atramento, & quanta-quanta est cæli vasta extensio pro pergameno; ubi illam scribendo totam implessent, vix dimidium Bonitatis divinæ describendo explicassent: & cùm vox expeditior sit, quàm scriptio; si stellæ omnes, & omnes guttæ maris verterentur in voces, obmutescerent citiùs, quàm particulam tantæ Bonitatis pro merito declararent: & cùm cogitationes sint magis expeditæ, quàm voces; si omnis arenæ pulviculus, & omnia grana sementis verterentur in corda, quæ tantæ bonitati penitissimè cognoscendæ se explicarent; citiùs cogitando rumperentur, quàm decimam partem tantæ bonitatis attingerent: Ecce quantæ Bonitatis Patrem habemus, qui nobis bona omnia procurat: & ut id nobis sit persuasissimum verbo, & facto, & ingenti beneficiorum profusione, & continuatione contendit. Hinc monet nos Christus, ne Patrem vocemus super terram; quia nobiliorem Patrem habemus in cælis: cujus comparatione, is,

2. De Bonitate. *Opusc. de Beatitud.*

qui nos in terra genuit, etsi opulentissimus sit, & liberalissimus; nullus tamen est, & Patris nomen non meretur. Imò à Christo mali Patres appellantur; cùm dicit: *Si vos cùm sitis mali*, (comparatione scilicet Patris cælestis) *nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Ex quo audet dicere S. Thomas; omnem bonitatem creatam, tam eorum qui sunt in cælo, quàm eorum qui degunt in terris, divinæ Bonitati comparatam, malitiam esse, hoc est bonitatis nomen non mereri.

Luc. 11.

Opusc. de beatit. 2. principali.

Quantum verò beneficium sit tanti Patris filios esse, dum ostendere vult S. Leo, dicit; illud reliqua Dei dona excedere, atque in eo admirabilem bonorum copiam reconditam esse. Sed & S. Joannes hoc pro immensæ charitatis argumento à nobis recognosci vult: Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater: ut filij Dei nominemur, & simus: filij tanto Patri amantissimi, quos habet in delicijs, & quorum bono perpetuò invigilat. Patres terreni infirmi, & restrictæ facultatis, ac potentiæ id facere non possunt; exhauriuntur eorum facultates, & ne sibi tandem deficiant, timent: at verò Deus, cujus thesauri infiniti semper redundant, liberali profusione ditescit potiùs, quàm vel tantillum de opulentia sua diminuit. Unde S. Basilius ejus cum fonte comparationem mancam, & insufficientem esse arbitratur; quia tantum de fonte à multis hauriri potest, ut tandem exarescat: illius proinde munificentiam multò meliùs cum fonte igneo, quàm cum aqueo conferri; à quo si omnis multitudo lumen & calorē sumit, tantum abest ut exhauriatur, quin potiùs diffundit se & multiplicatur: si tali fonti mens & rationis usus cōpeteret, quàm libenter omnibus luminis sui & caloris copiam faceret! Atque hæc est caussa, cur Deus de paucitate ad se pro impetrandis beneficijs accedentium conqueratur; & à Propheta proclamari velit: *Accedite & illuminamini.* & ipsemet: *Qui sitit, veniat.* Neque deterrere nos debet malitia nostra, quasi filij loco excideremus; quia tam bono Patri parùm obsequentes extitimus; nam & filius Prodigus post opes paternas dissipatas audet dicere: *Surgam, & ibo ad Patrem*: & accidens ad genua, *Pater*, inquit, *peccavi in cælum, & coram te*: quomodo enim in suprema miseria peccati desineret esse Pater, qui Pater misericordiarum appellari dignatus est?

Serm. 6. de natvit.

1. Ephes. c. 33. & omnipotentia.

Hom. 1. de Baptismo.

4

In omnibus igitur anxietatibus, & angustijs ad hunc Patrem, qui Pater etiam totius consolationis dici voluit, confugiendum est,

In illius sinu quiesce.

est, qui nos magis amat, quàm ipsi nosmet amamus, & omnimoda benefaciendi ac succurrendi pollet potestate. Imitandus hac in re Christus Dominus, qui cùm eò miseriarum redactus esset, ut clamaret: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me*; paulò pòst fiduciâ admirabili vitam, animamq́, suam Paternæ curæ committit, exclamans: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Quantum tranquillitatis & pacis in hac filij erga Patrem cælestem fiducia reperiat animus, expertus est Philippus secundus Hispaniarum Monarcha, qui supremæ ægritudinis tempore verba quæ sequuntur, à filia sua Elizabetha, ex Blosij Enchiridio sæpiùs sibi legi voluit: fortè hocte angit, quòd ignores, quomodo te migrantem Deus excepturus sit, utrum ad æternam paradisi requiem, an ad transitoriam purgatorij pœnam: non est necesse aliquid horum scias: sicut tibi placet dulcedo divinæ misericordiæ peccata dimittens; ita displicere non debet pulchritudo divinæ justitiæ peccata expiantis. Perfecti viri, quò digniùs emendare possent, quidquid in benignissimum Redemptorem suum commiserunt, parati essent non solùm ad Purgatorium, sed & ad infernum descendere, si divinæ Justitiæ decor id omnino exigeret; ista certitudo tibi sufficiat, quòd habeas Dominum pijssimum (addo ego, & Patrem amantissimum) qui potest, & vult salvare te, si humiliatus confidas in eo, non in te. Multũ illi placemus, dum voluntatem, ejus ita diligimus, & providentiæ ipsius tam plenâ fiduciâ in spiritus humilitate nos committimus; ut etiam nescire gaudeamus, quid ipse circa nos agat.

Dixit aliquando Deus S. Lutgardi: Si intelligas hæc verba, *Portio tua ego sum*, nihil aliud requires; & reliqua tibi auferri facilè permittes, dummodo me retineas. Experimur ubi eò pervenimus; veram esse S. Augustini sententiam: Quisquis Deum, non seipsum amat, verò se amat; qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: displicentes amati à Deo sumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. *In sent.*

Secunda Columna Fiduciæ, Iesus Christus.

MAgnum ad Fiduciam incitamentum est Mediatoris nomen, quod Christus jure optimo promeritus est: dum tanto dispendio suo humanum genus Patri reconciliavit, & medius inter Iustitiam pœnas pro peccatis exigentem; & hominem multis 5. Mentis Christi Mediatoris.

titulis reum se constituit; pro illo fecit satis; ac magnam deinceps timendi materiam sustulit, majoremque fidendi ansam suppeditavit.

Et Advocati.

2. Voluit etiam Advocatus appellari, quia causas & lites, quibus ob crimina admissa de capite nostro agitur, agendas suscepit, & nullam unquam perdidit omnibusque, qui negotium suum illi commiserunt, absolutionem semper obtinuit. Quin imò illis operam & subsidium offert, qui vel ignorantiâ, vel socordiâ capitis periculum negligentes illud non requirunt, ut fecit Samaritanæ, Zacchæo, & pluribus alijs, atque in hoc se delectari ostendit, ut fame prope enecti, ad opiparæ mensæ conspectum solent recreari.

L. 5. c. 186. Patet raro exemplo.

Rem admirabilem ex processibus pro canonizatione B. P. Francisci Borgiæ desumptam narrat P. Nirenbergius in ejus Patris vita Hispanicè conscripta. Dum Pater Franciscus iter haberet per aliquod Hispaniæ oppidum, intellexit virum nobilem de vitâ periclitari, & tamen nolle confessione, & accusatione Peccatorum se ad mortem disponere: positis Pater ante crucifixi, quam secum ferebat effigiem genibus, Christum suppliciter rogat, vellet homini misero succurrere. Audivit Christus ejus preces, dixitque iret ad ægrum; se in habitu medici compariturum, & dum ad confitendum peccara hominem inducere conaretur, simul opem se laturum: quod & præstitit, quamdiu Pater hominis pertinatiam frangere & confessionem persuadere nisus est. Quod dum frustra sit, disparuit, & paullò pòst etiam Pater domum repetit, atque ibi ante Crucifixum prostratus ardentiùs, quàm antè deprecatur, sibique salutem animæ istius donari efflagitat. Tum ad illum Christus: Vt videas, inquit, quàm miseri istius hominis salus mihi cordi sit; vade & me in effigie ad illum defer. Redit itaque ad ægrum Pater, & Crucifixi effigiem ostendens, per immensam, quam ejus caussâ Christus in cruce moriens testatus est charitatẽ, illum etiam atque etiam rogat, ut beneficio sanguinis pro se effusi, uti velit; dumque ille non flectitur, ecce omnia crucifixi vulnera, sanguine manare incipiunt, & Christus ipse voce intelligibili in medium adferens ea, quæpro ejus salute passus est, monet ut in bonum suum ea convertat: cũque hic in pervicacia perseverat, tum avulso à cruce brachio, sanguinem è latere suo defluentem manu corripiens, illud in ejus faciem projicit, dicens: Quandoquidem in tui salutem hoc sanguine uti non vis, sit ille tibi in con-

condemnationem ; tum miser blasphemans continuò expiravit. Quis ad tantæ charitatis iteratam demonstrationem, & ad spem in tam benigno, & munifico patrono collocandam, non excitetur. Quis in ejus vulneribus & cruce ingens sibi constitutum præsidiũ non videt ? quod exemplo opilionum Arabiæ faciendum monet B. Franciscus Salesius : In Arabia, inquit, dum cælum obnubilatur, & tonitrua, fulguraque, & fulmina congeminantur, Pastores se gregemque suum subter Laurum deducunt, ut ejus ramis ab omni injuria defendantur ; ita nos dum res adversæ minantur & ingruunt, ad sanctæ Crucis umbraculum confugere oportet, & fidendum, Deum amanti, & in Christi meritis spem collocanti omnia prosperrimè ad animæ salutem cessura,

In cap. an. mans. 6. c. 5.

Auctor est S. Theresia, ut cùm paupertatis nostræ, & imperfectionum nostrarum consideratio nos angit, tum iis omissis & quodammodo oblivioni traditis, reservatâ quadam in genere peccatorum memoriâ nos in divinæ misericordiæ sinum abjiciamus, ut cùm solvendo non simus, ipse misericordiâ, qua erga peccatores utitur, supplere dignetur : additque quandam personam (arbitror ipsammet fuisse) cùm angeretur nihil sibi suppetere quod Deo offerret, Christum pro anxietatis istius levamine suos omnes dolores & labores illi donasse, monuisseque, ut illos tanquam jam suos æterno Patri præsentaret ; à quo tempore ita recreatam, & locupletem illam fuisse, ut tanti doni oblivisci non posset, cujus vel sola memoria novos semper animos adderet.

7. Confirmatur doctrina S. Theresiæ,

Et cujusdam alterius.

Simili ferè cogitatione animabat se alius ; dicebatque sibi : si homo opulentus & liberalis alicui pauperi mille ducatos testamento legasset, eosque in fida amici manu, quoties pauper peteret, numerandos certâ quantitate deposuisset ; pauper ille, etsi tanto munere indignus, legantis testamento confisus, ad illam eleëmosynam obtinendam tanquam jus ad illam habens audacter accederet, & si aliquis objiceret indignitatem, illumq; vellet ideò repellere, meritò responderet ; pecuniam illam non à se exigi, quasi meritis suis debitam ; sed alterius bonâ erga se voluntate obsignatam, ut quoties ejus qui legavit nomine eam peteret, continuò sibi numeretur : ita ferè nobiscum egit Christus, dum dixit : *Petite & accipietis* ; ita nos docet mater nostra Ecclesia, tam sæpè in petitionibus suis repetendo : *Per Dominum nostrum* JESVM *Christum*.

Proprium est Patrum, qui divitiis

vitiis abundant, optare sibi superesse liberos, in quos illas transfundant : ita Christum libenter baptismi & pœnitentiæ Sacramento novos quodammodo filios acquirere ait S. Macarius; ut de gratiarum suarum thesauris, quos tam copiosos morte suâ comparavit, illos locupletet; & dum non ditescunt, illorum culpæ negligentiæq; id esse tribuendum.

Hom. 2.

8. Et P. Balthaz. Alvarez. *In ejus vita c. 39.*

P. Balthazar Alvarez sequentibus considerationibus velut de cælo inter meditandum immissis mirum in modum ad fiduciam in Christo collocandam animatum se sensit. 1. Si aliquis, ajebat, te offendisset, & culpam suam agnosceret, & ad omnem se satisfactionem offerret, ac inde futurum emendationem promitteret; rem tibi gratã faceret, & si tuo ad id auxilio opus haberet, illudque rogaret, perlubenter impenderes. Præterea si ab illo plurimum diligi optares, tecumque velles ut arctam firmamque iniret amicitiam : si ad hoc tuo subsidio egeret, illudq; à te etiam atque etiam flagitaret; continuò illud largireris, quia illum amas, & ab illo singulariter amari desideras: an non tantumdem de Christo tibi polliceris, qui amore tui mortuus est, & paratior est ad suas gratias tibi erogandas, quàm tu ad illas petendas, & optandas.

S. Chrysostomus ad fiduciam obtinendæ remissionis peccatorum hac similitudine nos excitat: Si aliquis debitorem suum ob decem obolos compingeret in carcerem; & superveniens amicus potens & dives, non tantùm illos decem obolos pro incarcerato persolveret ; sed majorem auri & argenti summam pro illo deponeret, illumq; è carcere eductum & magnifico currui impositum in domum suam deduceret, decem obolorum debitum amplius illi nocere non posset : ita nobiscum egit Christus, qui tantum amplius persolvit, quàm debiti nostri ratio exigebat, quantum aquæ guttulam oceani valitas excedit.

9. Similitudine à soluto debitore. *Hom 10. in Epist. ad Rom.*

Neque hîc se continuit Christi erga nos liberalitas ; sed fecit quod aliquis Monarcha erga pauperem impensè munificus, qui ejus debitis persolutis, insuper apud aliquem amicum ingentem pecuniæ vim seponeret, ut quotiescumque pauper subsidio egeret, & Regis nomine à depositorio pecuniam peteret, abundè illi suppeditaretur: Meritò sanè tanta erga pauperem illum Regis humanitas, non tantùm in ejus animo amorem erga Regem; sed magnam etiam fiduciam excitaret.

10. Et alia à ligno arquisitanti.

Hæc altè imprimenda memoriæ, & cogitatione frequenter versanda sunt, præsertim ubi animus,

mus, peccatorum & infirmitatis suæ conscius, & vacillans velut folium aut arundo vento timoris huc illuc agitatur: quod B. Franciscus Salez, qui à rebus occurrentibus pios ad virtutem sensus & motus facilè hauriebat, hoc eventu didicisse se narrat. Vidi, inquit, ab aliquo tempore puellã rusticanam, situlam aquâ plenam capite gestantem, in cujus medio lignum aliquod posuerat: rogavi quid illud lignum ibi ageret: respondit illa, ibi positum fuisse, ut motum aquæ sisteret, ne effunderetur: tum ego mecum ait: Ergo Christi crux in medio cordis mei collocanda est in posterum, ut affectus & motus illius attemperet, & contineat; ne in angores aut mentis perturbationes se diffundat. Alia epistola hoc ipsum seriò magis inculcat: Ne maneamus, inquit, in nobis, sed mente, intentione & fiduciâ domicilium figamus in aperto latere Christi; nam sine illo nihil possumus, & licet possemus, nollemus tamen aliquid sine illo aggredi: Totum in illo; Totum per illum, Totum cum illo; Totum propter illum habere nos oportet; Totũ nostrum ipse est. Ep. 9.

II. Et Salmeronis judicio de vulnere

Ad hoc valet plurimum pia Patris Salmeronis cogitatio, qui ait, Christum voluisse, demum post mortem sibi lanceâ latus aperiri; ut ostenderet charitatem suam tormentorum & ipsius mortis atrocitate extinctam non esse, sed fortiorem morte fuisse, neque velle se propter acceptas injurias à benefaciendo desistere; sed se illis, à quibus tam indignè habitus fuerat, asylum ac locum refugij construere in corde suo, ubi se ab ira Patris æterni, & Justitiæ divinæ pro tanto scelere pœnas repetentis gladio absondant, imò ut aditum ad gratias, & thesauros, quos moriens acquisivit, per illud panderet: quod ipsum S. Thomas Apostolus nos docuit. lateris Christi.

Ubi enim plus mente, quàm manibus in Christi vulnera, & apertum latus ingressus est, exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Quibus verbis fidei, amoris, fiduciæque plenissimis, à se quodammodo egreditur, in tam boni Magistri & Domini arbitrium clientelamque totus abit jam securus. Quid enim timeret sub Domino, Deoque tam potente, tam amante? Dominus aliquis inter homines vel canem suum contra fustem verberantis defendit, & caniculam à Molossi dente protegit: quantò magis Christus contra dæmonum insultus clientes suos tuebitur? Ad Domini jussum latratum cohibet importunus canis, quantò magis ad Christi imperium hostis tartareus in medio nocendi ardore

subsistet? *Data*, inquit Christus, *mihi est omnis potestas in cælo, & in terra*; ut proinde quælibet furia, quantumlibet infesta & minax, cùm volet ille, dicere cogatur illud Isaiæ: *Dominus Deus noster silere nos fecit.*

12. A peccatis nostris auditenda cogitatio.

Platonis discipulus obturare jussit fenestras, è quibus prospectus erat in mare, ne à quiete studijs necessaria à turbulenti & furentis maris intuitu avocaretur: ita à rebus, quæ nos turbant, avertere oculos nos oportet, & in solū Iesum, ejusque vulnera, quæ pacem mundo attulerunt illos cōvertere. Petrus dum obtutu fixus hæret in Christo, calcat mare; dum oculos in flantem ventum detorquet, submersionis periculum incurrit. Idem solet timidis mortalibus contingere, dum ad discrimen magis, quàm ad Christi tutamen, & potentiam attendunt. Quantum verò ejus vulnera in nos amorem testentur, audiendus est ipse loquens S. Brigittæ, dum illam ad amorem, & fiduciam, sui erga illam amoris testimonio provocare contendit: Tu autem, inquit, filia mea, dilige me toto corde, non sicut filium aut filiam seu parentes, sed plusquam aliquid in mundo: quia ego, qui creavi te, nulli membro meo peperci ad supplicium pro te, & adhuc tantâ charitate animam tuam diligo, ut potiùs quàm eâ carerem, adhuc iterum, si possibile esset, pro ea cruci affigerer. Utque eam potentiùs ad utrumque, amorem scilicet & fiduciam, accēderet, addit: magis paterer cor meum vulnerari & dividi, quàm te carerem. Simili te amore à Christo velim tibi persuadeas, cùm ipse eidem sanctæ dixerit: Talis mihi etiamnum voluntas est, qualis fuit pendenti in cruce; idem enim sum modò, qui tunc fui, quando latroni misericordiam petenti peccata omnia dimisi, & cæli portas aperui. *lib. 1, c. 11.*

Ad Christi amorem in nos. *1. cap. 1.*

Hoc ipsum colliges ex ratiocinatione S. Thomæ: qui S. Lucæ verba ista expendens, apud quem Christus dicit: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.* Notabile, inquit, est, quod non dicit se emisse; sed inveniisse, licet pretioso sanguine & asperâ passione genus humanum. (quod per drachmam illam significatur) compararit; ita scilicet generis humani redemptionem desideravit, ut hoc modo illum posset recuperare, & ad beatitudinem, ad quam creatus erat, revocare inventionem reputarit. Similiter notabile est, quod omnes Angelos convocat ad cōgratulandum, non drachmæ, nec homini; sed sibi: quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina ab ejus invētione depēderet: & quasi sine ipso beatus esse non posset. *Opusc. 63. de Beatit. cap. 7.*

Hunc

13. Quem metiare ex Dæmonis odio in nos.

Hunc Christi erga nos amorem persuadere etiam potest alia ratio à Dæmonis in nos odio petita. Quis enim inficiari audeat odium Dæmonis in hominem, ab amore Christi erga eundem infinitis parasangis superari? Si Diabolus, teste S. Petro, tanquam Leo circuit quærens quem devoret, credendum est attentiùs vigilare Christum, ut succurrat & protegat: si tantus est ad perdendum hominem ardor in Dæmone, ut dixerit aliquando, si extaret à terra in cælum cuspidibus acutis armata columna, se corpore passibili assumpto lubenter per illam perrepturum vulneribus plagisque concidendum, ut unicam animulam secum ad inferos pertraheret; quid non aget Christus, ut unicam ad cælos evehat? Ecce quantam in amico tam sincero, tam potenti, tam erga salutem nostram propenso fidendi materiam habeamus.

Et similitudine adumbra.

Fac filium Regis tanto miserum aliquem amore prosequi, ut in medias flammas insiliat, ut illum semivistulatum inde eripiat; imò cùm intelligit miserum judicis sententiâ ad rogum damnatũ esse, nec inde liberari posse, nisi ipse licet regis filius flâmis illis cõ cremetur; eam libẽter conditionem acceptare, & incendio alterius loco consumi. Quis tantam charitatem non admiretur? Quòd si deinde ille Regis filius virtute divinâ revocaretur ad vitã; quàm quæso illum amaret, omnibus officijs, & gratiarum actione prosequeretur, miser ille, qui ejus beneficio, & crudeli morte rogum evasit; quàm illi fideret, si in aliquo ejus operâ subsidioque indigeret, præsertim si amorem non mutasse, sed potiùs auxisse, & materiam illum demonstrandi ũde quaque quærere intelligeret? Hæc omnia, si propiùs aspicias, in Christo singulariter locum habere reperies.

Tertia Columna Spei, & Fiduciæ B. Virgo.

Recte advertit S. Chrysostomus, eum, qui ab Imperatore aliquid obtinere desiderat, nec ad illum audet accedere, ad fratrem Imperatoris, aut alium ex aulicis Imperatori charis se convertere, ut ejus interventu, & favore id impetret, quod intendit: tum verò Imperatorem aulico suo dicere; In tui gratiam, id concedo quod petitur, alteri illi alioquin non daturus: ita nobiscum Deum agere existimemus, cùm nobis omni beneficio indignis, ad B. V. aut alterius sancti pro nobis intercedentis preces aliquid à Deo conceditur.

Hom. 4. operis imperfecti. 14. B. V. Patricinio.

In annalibus Minorum duarũ

Quæ est scala alba.

scalarum fit mentio, unius rubræ & alterius candidæ, atque per hanc, quæ B. V. repræsentabat, securiùs & faciliùs in cælum ascendi significatum est, quàm per alteram, qua Christus Mediator simul & Judex designabatur. B. Virgo se Matrem misericordiæ esse, & haberi velle tum S. Dominico, tum alteri ex ordine Cluniacensi testata est. 1. Quia misericordiam ipsam, qui est Christus, orbi peperit, & lacte suo aluit. 2. Quia miserorum Mater est: sicut Pater pauperum dicitur, qui illis affectu patrono prospicit. Quis nostrûm est, qui inter miseros se non numerat, imò omnium se miserrimum non agnoscit!

Vidit aliquando vir singularis virtutis inter Carthusianos Beatam Virginem pro miseris mortalibus apud Filium intercedentẽ: cumque Christus ipsi respondere mortales ipsos tam salutis suæ esse immemores & incurios, ut misericordiam non peterent: subintulit illa: Etsi non petant, sunt tamen miserabiles, & auxilio indigent, vellentque alicunde succurri; ego verò, quæ misericordiæ Mater sum, illis deesse non possum. Hoc ipsum S. Brigittæ oranti his verbis luculentè ipsa declaravit: Ego sum, inquit, Regina cæli: Ego Mater misericordiæ: Ego justorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deum. Nullus est adeò maledictus, qui quamdiu vivit, careat misericordiâ meâ, quia propter me leviùs tentatur à Dæmonibus quàm alioquin tentaretur. Nullus ita alienatus est à Deo, nisi fuerit omnino maledictus, qui si me invocaverit, non revertatur ad Deum, & habiturus sit misericordiam.

Et peccatorum advocati.

L. 6. c. 10.

15. Cujus misericordiam nemo non experitur.

L. 1. c. 13

Quantumcumque homo peccaverit, inquit, si ex toto corde, & verâ emendatione ad me reversus fuerit, statim parata sum recipere revertentem: nec attendo quantum peccaverit, sed cum qualiqui intentione & voluntate redit: Ego vocor ab omnibus Mater misericordiæ, & verè misericordia ejus fecit me misericordẽ. Ideo miser erit, qui ad misericordiam, cùm possit, non accedit: ergo filia veni, & absconde te sub mantello meo. Quis ad tam mollia verba totus non liquescat? Sed audiamus Hugonem de S. Victore, qui in eundem finem audet dicere: Impossibile est, ut Virgo sciat nostras miserias, & non succurrat & S. Bernardum, qui ait, non esse locum, qui abejus excludatur misericordia. Cui consentit S. Epiphanius, & S. Ephrem: omnesque sunt in ea sententia; cùm Christus in cruce ei S. Joannem tanquam filium assignavit, nos etiam omnes ejus benevolentiæ commendasse; ac si diceret: Quod pro me, Mater, habes

Part. 2. in Cant. c. in ipsi.

habes commiserationis, id totum in miseros mortales transfunde, eosque filiorum loco habe. Quis in tanti Filij erga nos benignitate, & in tam bonæ Matris erga filium, nosque miseros benevolentiâ anchoram spei firmam & inconcussam sibi constitutam non putet? Hæc aliaque attentiùs considerans vir doctus & pius Laurentius à Ponte, ad omnem salutis rem B. Virginis patrocinio committendam ita se animat: Si Maria per peccatores, & ut illos salvet, facta est Mater Dei (nequeenim si nemo peccasset, opus erat incarnari Filium Dei) meritò mihi & similibus sublata est desperandi propter peccatorum enormitatem occasio, cùm tale nobis subsidium sit in promptu. Alterius viri Sancti hæc erat ad B. V. familiaris deprecatio: O Virgo clementissima, quæ novem mensibus Deum misericordiæ in utero tuo gestasti, quæ plusquam novem menses lacte tuo pavisti, unde misericordissima effecta es, & multo libentiùs misericordiam erogas quàm parens, lacte gravida pupulo suo ubera porrigat; Tibi sanguinis sui thesauros filius tuus concredidit, ut eos pro libito dispensares: Tu ut sanguis ille pro mortalibus effusus fructum faciat, unicè desideras, & procuras, hominum cum Deo mediatrix. Hoc ipsum est, quod unicè à te peto, ut multi misero Dei misericordiam, & cum illo reconciliationem firmamque usque ad mortem amicitiam impetrare digneris. Ora tu similiter, & votorum compos fies.

Tom. 2. in l. sap. c. 1.

16. Perituro alias mundo, nisi ipsa intercederet.

Dixit aliquando S. Dominicus in celebri, quam habuit Parisijs, concione; Si omnes Sancti à nobis alieni essent, & ad preces nostras surdi, & adamantini; Mariam tamen semper nobis misericordiæ sinum expansuram: ipsa etiam B. Alano dixit, jam pridem mundum ob scelera periturum fuisse, nisi precibus suis iratum numen placaret. Hominibus aliquando imaginem B. V. lacrymantem admirantibus, dixit Dæmon per os energuminæ, quæ verbis sacris in eodem templo adjurabatur. Stulti estis qui has lacrymas admiramini; dudum mundus miserabili ruinâ absorptus esset, nisi preces ejus obsisterent.

Quarta Columna Spei.

Promissiones Dei.

17. Et divinis promissionibus.

SI vir aliquis opulentus, & inter cæteros mirè liberalis in vestibulo domus suæ tabulam appendi juberet, cui inscriptum esset omnibus egenis cujuscumque cõditionis, ad eam domum accedentibus

tibus copiosam eleëmosynam donandam : accurrerent procul dubio omnes pauperes, præsertim si opulentum illum hominem in promissis suis serium & fide dignum agnoscerent : Ecce Christus simile quidpiam proclamat & per præcones suos Euangelistas scripto edici jubet: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nota verbum *Omnes*, quia neminem excludit ; neque morbum malúmve aliquod excipit ; sed omnibus quocumque malo laborantibus levamen promittit: non deest illi ad sublevandum virtus & facultas ipse se promisso voluntario ad id adstringit; mentiri aut fallere non potest, quis ergo verbis ejus fidem non habeat? quis de subsidio optimè non speret?

18. Quomodo occurrendum cogitationibus pusillanimitas. *L. 3. de cons.* Ex judicio Gersonis.

Hinc est quòd doctus ille simul & pius Cancellarius Gerson cogitationibus ad pusillanimitatem aut desperationem nos solicitantibus respondendum esse dicit, nos velle Deo obedire, qui pluribus sacræ Scripturæ locis nos in suo subsidio spem collocare jubet, ac proinde Deum ipsum hoc modo compellandum: Domine Deus, præcipis, ut in rebus dubiis & calamitosis ad te confugiam, meque totum omnia que mea tibi committam ; ecce id modò facio ex intimo corde, meque in clementiæ tuæ & bonitatis sinũ projicio: neq; fallax est, neq; crudelis præsertim postquam tot promissionibus erga eos, qui in te sperant, fidem tuam obligasti.

Philonen si audis, virum gravissimum & prudentissimum, dicet tibi expertem rationis eum esse, qui in Deo non confidit ; eum enim, qui nec ratiocinari potest, nec agnoscere veritatem, rationis compotem minimè habendum: atqui fieri non potest, ut qui Dei bonitatem, potentiam, sapientiamque, uti par est, apprehendit, is in Deo fiduciam non collocet ; addo ego, qui ad ejus in promissis fidelitatem attendit, habere in illa firmissimum spei fundamentum.

Egregiè pluribus in locis animos nostros ad æterna speranda ex promissionum Dei consideratione erigit S. Augustinus. Quoniam peregrinamur, inquit, miseri adhuc sumus, & quo redituri sumus in spe beati, & quo cum redierimus in re beati. O beati! Putamus erimus nos sic ? Quid sumus, ut ibi simus : mortales, projecti, abjecti, terra & cinis: sed qui promisit, omnipotens est. Erigat se humana fragilitas, non dicat: Non ero, qui promisit, Deus est, venit ut promitteret, apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam : attulit nobis de illa regione bona, & in regione nostra per-

pertulit mala: promisit tamen nobis quòd ibi futuri simus unde venit, & ait: *Pater volo, ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum.* Non credis? crede, crede, plus est, quod fecit, quàm quod promisit: incredibilius est, quod mortuus est æternus, quàm, ut in æternum vivat mortalis: jam quod incredibilius tenemus: Non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui vivit in æternum?

Ep. 351. 20. Ex S. Bernardi.

Adolescens nobilis Hugo nomine, invitis parentibus, Claræ-vallem avolarat, hunc dum per epistolam instruit S. Bernardus, hæc adfert inter alia: Quantum potes, confabulationes hospitum declinato, quæ dum aurem implent, evacuant mentẽ; disce orare Deum, disce supplices oculos in cœlum erigere, & Patri misericordiarum miserabilem faciem repræsentare in omni necessitate: impium est sentire de Deo, quòd continere possit super te viscera sua, & avertere aurem suam à singultu tuo, vel clamore; & quare hoc? quia promisit? *Invoca me, & ego exaudiam te.* In his Dei promissis etiam pro temporalibus spem esse collocandam ostendit B. Apollonius, qui famis tempore jussit sportas, è quibus panes pro Monachorum refectione desumebantur, adferri in medium; & audientibus omnibus fratribus, & populi multitudine dixit magnâ voce: Nunquid non potens est manus Domini hæc multiplicare? Hæc dicit Spiritus sanctus: Non deficiet panis in istis sportis donec de frugibus novis omnes satiemur; quod & factum: unde commotior diabolus ei apparens, dixit: Nunquid Elias es tu, aut unus ex Prophetis, & Apostolis, qui hæc facere ausus es? Ad quem Apollonius: Quid enim? an non Prophetæ & Apostoli homines fuerunt qui nobis hanc in Deum fidem tradiderunt? an verò tunc illis præsens aderat Deus, nunc autem absens est, & peregrè profectus est? absit: Deus omnipotens est, & quæ potest, semper potest.

In vit. PP. fol. 463. & 750.

III. DISSERTATIO.

De actionibus perfectè concinnandis.

§. I.

Quàm multæ actiones nullius aut parvi sint pretij.

1. Actiones triplicis generis.

ACtiones nostræ triplicis sunt generis. 1. Aliquæ sunt actiones alicujus virtutis: ut orare, Sacramenta obire, jejunare, stipem erogare, corpus macerare, con-

concionari, & similes. 2. Aliæ sunt merè naturales, ut dormire, comedere, se recreare, amicos invisere, vendere, emere, manibus laborare, ceteræque hujusmodi. 3. Aliæ sunt inclinationi naturali contrariæ, ut pati frigus, æstum, famem & sitim, capitis dolorem, aliamvè corporis molestiam, amicorum mutationes, inimicorum opprobria, & dicteria, mores insulsos eorum qui nos attingunt, aut nobiscum conversantur aliaque ejusdem generis.

Rarus est, qui has omnes actiones perfectè obeat propter Deũ, meritoque à S. Hieronymo dictum est: Cunctorum in carne justorum imperfecta perfectio est: & à S. Bernardo: Nescio si hic gradus à quoquam in hac vita perfectè apprehenditur, ut se homo diligat tantùm propter Deum: asserant hoc qui experti sunt: mihi fateor in hac vita impossibile videtur illum apprehendere.

Contra Pelag. c. 4.

De dilig. Deo & Ep. 11.

2. Mores hominum sunt mendacium.

Quantus verò sit numerus eorum, qui seipsos in actionibus quærunt, & externâ dumtaxat specie virtutem mentiuntur, in die demum judicij manifestabitur. Horribile est in hoc genere, quod S. Euthymius cognomento Magnus suis discipulis narrare solebat, habeturque in ejus vita 20. Januarij: Erat quidam in civitate vir ut putabat vitæ eximiæ; qui magnam sibi comparasse cum Deo familiaritatem credebatur, revera autem frequenter seipsum exulcerans, & occulto cordis motu contaminans, cogitationibus assensum præbendo, quamquam non opere ipso, cogitatione tamen facilè peccabat. Gravi tandem morbo correptus, jumque ad ultimum redactus spiritum, animam agebat: Ingens totâ urbe fit comploratio, plangit omnis ætas; cuncti pro eo si fieri posset, emori exoptant, satius rati id subire, quàm viri celeberrimi excessum spectare. Interea Contemplativus quidam urbem ingreditur, gravem illum & publicum luctum animadvertit, audit populum cum ejulatu ita inclamantem: O Sanctus! ô Pater! ô Salvator noster, cujus ad Deum deprecatione salvandi eramus. quæ cùm ille audiret, & spectaret, ad eum & ipse properat benedictionis accipiendæ impulsus desiderio. Ut propiùs accessit, cernit primores civitatis, clerum, & Episcopum omnes facem manibus gestantes, & corporis pompam præstolantes: ut verè propiùs turbam submovens ad jacentem est ingressus, reperit illum paulùm adhuc spirantem; videt verò spectaculum, ut visu horridum, ita auditum luctuosum: videbatur enim sibi videre ignitum quendam tridentem ad illius cor penetrare, & inde animam violenter & crude-

Apud Bollandum c. 10.

Patet horribilitas exempla hypocritæ.

crudeliter evellere, & simul vocem de cœlo audire: Quemadmodum anima illa ne diem quidem unum me sinit in se quiescere, ita nec tu cessabis illam dilaniare, crudeliter discerpere & excruciare. Cùm hæc fratribus retulisset Euthymius, monebat omnes, ut attenderent & actionibus suis invigilarent & semper ad animæ excessum essent parati: alia enim hominum, alia verò Dei sunt judicia. Cùm S. Brigitta in quodam cum Deo colloquio cõcionatorem laudaret, quòd ejus prædicatio multis saperet; dixit illi Christus, illaudabilem apud se illum esse, quòd masticaret stramen, & fugeret caudam serpentis, quæreretque flores perituros, hoc est non eâ intentione qua par est ad id munus accederet, nec intus gustaret panem æternum, nec intraret in cor divina Sapientia; sed prudentia Diaboli, qui dixit: Comedite, & aperientur oculi vestri, & nescio quos mundi flores in ore frequentiùs versaret. Malam actionẽ meritò Christus cum eadem sancta agens cõparat pomo intus à verme corroso, qui Diabolum repræsentat, qui ad instar vermis nucleum pomi primò comedit, inde relictis ibi stercoribus, totum pomum pervagatur, donec totũ corrumpatur & fiat inane; nucleus est bona voluntas & desideriũ in actionibus Deo placẽdi, hunc diabolus corrodẽs, cor totũ vitiat vanis affectionibus, & omni bono evacuat.

L. 6. c. 38.

3. Concionatoris vani.

l. 1. cap. 12.

Secundùm Aristotelem ad actionem bonam duo requiruntur. 1. Ut fiat à cognoscente. 2. Ad bonum finem cæteriscque debitis vestiatur circumstantijs, quod facilè non obtinebit, qui in agendo præcipitat, & considerationi locum non præbet. Imitandi proinde qui ad scopum sagittas jaciũt: qui priùs hærent, & collimant. Quàm multæ actiones, ob duplicis hujus conditionis neglectum, in se debiles, & apud Deum exigui pretij miseros mortales illudunt! cùm juxta S. Chrysostomum, sicut gemma aliqua pluribus obolis longè præstat, & strenuus ac robustus miles multis infirmis & mancis est præferendus; ita excellens actio multis imperfectis meritò sit anteponenda. Quod etiam egregiè advertit aliquãdo S. P. N. Ignatius, qui in Epistola, quâ nostros ad perfectionem hortatur, eos ad maximam in operibus etiam bonis excitat attentionem: tum quia non sufficit opera per se bona facere, sed oportet ea bene facere: tum quia rarum aliquod & eximium facinus sexcentis vulgaribus minutisque antecellit, & exiguo tempore eum virtutis gradum homo strenuus & fervens assequitur, quò piger multis annis non potest

Mor. 2. c. 4

4. Quid ad bonam actionem requiratur.

In 1. Act. Apost.

De perfect. Religios.

5. Fervor eã perficit.

adrepere. Sed & P. Claudius Aquaviva rem valde deflendam esse ait, si in ijs, qui virtutis studium profitentur, è centum actionibus, quibus per diem occupantur, nonaginta novem defectu attentionis & fervoris, eâ perfectione careant, quam alioquin si diligentia, solertiaque adesset, possent adipisci.

6. Vt sint fructus Deo digni.

S. Basilius, ubi aliquos ætatis adultæ baptismo initiarat, eos monebat, ut jam se velut arbores, transplantatas in hortum Ecclesiæ, aspicerent, quas fructum Deo gratum proferre oporteret, ne sicut ficus Euangelica infructuosa, à Christo maledicta exaruit; ita divinæ Majestatis iram incurrerent: nec satis esse, fructus ferre verme peccati non corrosos; sed maturos, dignosque qui tali Domino præsententur, esse exhibendos, hoc est actiones suis numeris, quantum fieri potest, absolutas. S. Augustinus non uno loco observat nos in rebus, quæ corpus, ejusque vestitum & habitationem spectant; meliora semper quærere, & si frumentum loco humido corrumpatur, ad superiorem siccioremque transferre: cur non idem in actionibus nostris usurpamus? Eodem ferè argumento utitur S. Chrysostomus; Si alicui, inquit, unâ manu offerretur aurum & alterâ plumbum, illique diceretur: Elige plumbum: Quî possum? diceret; an vis ut me tali electione non esse sanæ mentis ostendam? id tamen sæpè facimus, dum actiones, quas aureas exhibere possimus, per incuriam, & inertiam plumbeas; imò lutulentas Deo obtrudimus damno per omnem ætatem irreparabili: quod enim in his maximè mentem ferit, est, quod, quales hîc nunc existunt, tales totâ æternitate futuræ sint, suaque repræsentatione pulchra vel fœda dolorem nobis vel gaudium parituræ.

§. 2.

Media quædam ad Perfectionem actionum conducentia.

MAgnificiendum hîc illud sacrificantibus accini solitum: Age, quod agis: quasi dicerent: Omnes animi vires collige, & applica ad bene agendum id quod habes præ manibus. Huic enim rei infidiari solet Dæmon, qui vel præteritorum recordatione, vel futurorum solicitudine solet disturbare attentionem ad præsentiam: satis enim advertit, cùm mentis nostræ facultas valde sit limitata, si illam dissipet & in multa dividat, minorem ad præsens opus vigilantiam allaturam.

7. Dæmoni actiones interturbare inito occurrendum.

Ita

Ita ergo te gere ac si unicum haberes negotium, in quod proinde totus incumbe, non aliter quàm si ab illa actione tua salus, imò omnium hominum dependeret. Imitare in hoc genere Christum, cujus vita, ut ait S. Augustinus, disciplina morum est, qui vel minimum opus ita exequi solitus fuit, ac si ad Dei gloriam, mundique salvationem nihil aliud ab ipso exigeretur; & hoc ipsum vt sui sequaces agerent docuit. Cūque vera in agendo prudentia, ex ejus doctrinâ quærenda sit, secundùm Bernardum, quod egit & docuit hac in parte meritò, altè in animum demittere, & opere exequi te oportet. Dixit aliquando Dæmon, ad eundem campanæ sonum, quo monachi convocabantur ad orandum, se ad templum convolare, ut hanc ad orationē, vel cantum attentionē alienis cogitationibus interverteret, visusque est uni repræsentare calcem & lapides ad ædificationem cellulæ, quàm moliebatur; alteri speciē mulieris, quam aliàs viderat, & alijs alia obtrudere, prout animos suaviter à præsenti opere abducēdos judicabat. Propterea Dei adjutorium festinatò in principio precum horariarum invocatur, ut divina bonitas Dæmonis tam vigilantis, & ad disturbāda bona opera festinantis molitiones gratiæ suæ subsidio præveniat.

De vera Religione cap. 16.

In Cant. Serm. 22.

Monuit Christus ipse B. Magdalenam de Pazzi, ut nullum opus adoriretur, nisi priùs animo collecto oculos ad cælum levasset, auxiliumque desuper evocasset. S. Carolum Borromæum tertiò se mane dum surgeret, cruce signasse legimus: id ipsum per diem usurpandum non sine profectu sunt qui suadeant: ac primò quidem signando te, actum fidei exerce, ad credendū Deum Trinum & unum, & Christum cruci affixum; secundâ crucis efformatione, ut in spem te erigas subsidiumque à Trinitate per crucifixi merita fidenter efflagites; tertiâ verò, ut ad honorem SS. Trinitatis, & Christi pro te in cruce mortui, opus quod aggrederis, offeras; nec hæc præludia operis nimis longa existima: sunt enim quædam velut dispendia, quibus ingens operis ut fructus compendium emitur: est in plerisque rebus non parum damnosa festinatio. In operibus merè naturam spectantibus; ut sunt dormire, comedere, ambulare, & similibus triplex operantium genus distingui solet: 1. Eorum qui supra naturam non assurgunt, qui comedunt, ut famem dumtaxat expellant; dormiunt, ut fessum corpus sublevent; quod ipsum etiam bruta animantia instinctu naturæ faciunt. 2. Eorum, qui humano modo operantur, qui ista faciunt,

8. Attentione, & invocato Dei adjutorio.

Frequenti signo crucis.

9. In actionibus naturalibus quotuplex intentio.

ut laboribus, quos habent præ manibus, pares esse possint. 3. Eorum qui fidei supernaturalis lumine ad opus accedunt, & comedunt, aut dormiunt, ut instauratis corporis viribus Deo meliùs famulentur. Quod licet duobus primis longè sit præstantius, quia tamen in motivis fidei non parva reperitur latitudo; expedit, ut ad id quod in hoc genere perfectissimum est, animus enitatur: nimirum, ut quia Deus vult, & prout vult, & ad finem, quem maximè vult, opus tuum aggrediaris. Quemadmodum si aliquem amore sincero prosequeris, ubi intelligis eum aliquid velle, conaris etiam nosse, quomodo id fieri & ad quid velit, ut ejus desiderio quàm perfectissimè facias satis; idque in illo opere exequendo unicè habes præ oculis, ut amici tui servias voluntati, voluptati, utilitati, quando hæc duo postrema in operis executione concurrere & haberi possunt: ita tu unius Dei gloriam, & delectationem in eo quod agis specta: quod ut assequaris Christum roga, ut tuam actionem suis adjungat, & velut inserat, quarumque actionum perfectione illam exornet & elevet: ad hoc & Spiritus sancti, qui totus amor est, auxilium invoca, ut si quæ palea se immisceat, illam continuò igne suo consumat, & puram defæcatamque actionem oculis SS. Trinitatis gratiosam acceptamque efficiat.

10. Pactum cum Christo matutinum actionibus ei illo faciendis.

Atque ut hæc interdiu mentem non minus anxiè solicitent & exerceant, operæ erit pretium, si cum Christo, aut Spiritu sancto; quantum cum tantâ Majestate paciscí potest humana infirmitas, pactum ineas te quoties per diem piè & mente sursum erectâ pronuntiaveris, O JESU! vel ô Spiritus sancte, toties te quam mane prolixè digestam intentionem obtulisti, repetere, æquè ac si profundo cordis amorisque sensu, & conceptis verbis eam pronuntiares. Quantum autem valeat hæc compendiosa repetitio, facilè colliges ex opposito: si enim ita cũ Dæmone aliquis ageret, & id cũ illo de quo aliàs prolixè cõvenit, horis singulis prolato unico verbo renovaret confirmaretque magnum inde peccatorum cumulum conflari crederemus. Præterea si inter homines novas amicitiæ protestationes sæpiùs sincerè, & amico pectore iteratas novam semper gratiam conciliare videmus, multò magis locum id habere apud Deum censendum est, qui omnia ex charitatis magnitudine metitur.

Non desunt qui intentiones specie distinctas multiplicant, ut hoc modo unicam actionem diversarum virtutũ apparatu exarment

ment

ment; quod modò animum in multa minora bona nõ partiatur, improbari non debet; accidit tamen persępe ut quod unitas colligit, multitudo dissipet.

11. Singulæ singillatim Deo offerendæ

S. Gertrudem monuit aliquando Christus ne generali actionũ suarum oblatione contenta esset, sed ad particulares earum species singulatim descenderet. v. g. cogitationes istius diei, verba, passus, gestus, characteres, quos scribendo formaret; bolos, quos in refectione corporis in os ingereret; hausțus, quos faceret; respirationes, aspirationes, oculorum jactus & nutus, omnia quæ inter vigilandum & dormiendum temporis momenta prætervolant, Deo offerret, ut nihil esset, quod charitatis erga Deum sigillo non consignatum, prætерlaberetur: quod ad singula repetere cùm supra mortalium infirmitatem esse videtur, ad pactum de quo jam dixi, recurrendum est, cujus beneficio per diem sæpiùs cum trãquillitate & fervidè oblatio ista iteretur. Unum præterea monitũ te velim, ne nimis anxiè reflectas, an in actionibus magis ac magis perficiendis multum promoveris. Viatorem enim, qui passus numerat, & sæpe quantum itineris confecerit oculis rettò conversis examinat, & an turris loci unde discessit, jam è conspectu abierit, & quantum superst itineris, ab obvijs sæpiùs inquirit, molestum nimis & pueriliter solicitum esse arbitramur: operarium, qui quantum operis absolverit sæpiùs respectat, tempus supervacaneâ solicitudine malè terere judicamus: multum etiam in hoc sæpè hallucinamur, dũ in actionum examine vitia virtute sque confundimus, & opus apud Deum vitiosum inter actiones laude dignas reputamus: uti accidisse legimus viro alioquin sancto, & magnæ doctrinæ P. F. Henrico de Castris Dominicanæ Familiæ religioso; Deiparæ inprimis charo & familiari; cui illa aliquãdo dixit: Statuisti te in pœnitentiæ Sacramento accusare, quod fratrem acrioribus verbis reprehenderis, in quo tamen non peccasti: sed potiùs accuses te oportet de nimis longo ad cœnobij portam cum fœmina colloquio, de nimis tepida exomologesi, & Sacrificio Missæ exiguo fervore confecto: ô quantum est in judicijs nostris tenebrarum!

§. 3.

Singulare adjumentum est, ad actionum perfectionē Dei præsentiam animo circumferre.

Resp. ad interr. 25. 12. Fovenda Dei præsentia.

S. Basilius rectè advertit Auliçum, qui Principem amat, & reveretur, huic rei studere unicè, ut, quod oculis sui Principis gratius esse cognoscit, cæterorum judicijs posthabitis, continuò constanterque exequatur: id ipsum fiet, si Deus ut judex qui de operibus nostris cognoscit, & judicium fert, ante oculos nostros obversetur. Hinc ipsemet dixit Abrahamo: *Ambula coram me, & esto perfectus*; & Sponsa in Canticis; *Pone me sicut signaculum super cor tuum, & sicut signaculum super brachium tuum*; cor cogitationum, affectionum fons est; brachium operum nostrorum instrumentum, utraque sua esse vult, utque arculæ & bulgæ aut sacculo sigillum alicujus appositum, ostendit eum dominum esse pecuniæ aut supellectilis; quæ in illo reconditæ sunt: ita vult Deus omnium motuum cordis, & corporis Dominus agnosci. Hæc Dei præsentia animo altiùs impressa ad instar solis est, qui radijs suis totum locum, quem pervadit, illuminat, & præsentum oculis, quod eripuerant tenebræ, spectandum exponit: unde fit ut, si aliqua ob turpitudinem & deformitatem gravium virorum conspectibus indigna esse loci Dominus arbitretur, ea continuò amoveat, eorumque conspectibus suffuretur; in nobis operatur bene apprehensa Dei præsentia: Aulicus qui coram Rege comparet, aut Comœdus, qui coram illo personam aliquam sustinere debet, omnem oris totiusque corporis habitum & conformationem, motus ipsos, & gestus antè ad speculum explorat, ne vel minimum quid elabatur aut se ingerat quod oculos Regis possit offendere: ita quisquis à Deo maximo exiguis etiam in rebus operibusque spectari se, & adunguem usque excuti seriò cogitat, si tantum Numen reveretur & amat, cavet sedulò ne vel minima actione locutionemvè, ejus lædat aspectum, benevolentiamque diminuat aut avertat.

13. Minutis potius attendendum, quàm expectandæ Heroicæ.

Quoniam verò excellentes, & heroicæ actiones rariùs occurrunt, & minorum exercendarum singulis ferè horis se dat occasio; propterea monebat Moniales suas B. Magdalena à S. Josepho Carmelitana, ut his potiùs perfectè obeundis, quàm aliis præstantiorum expectandis occasionibus attenderent; vitam alioquin nostram

stram absque virtutum exercitatione & profectu abiturum: Deũ in minoribus fidelitatem, curamque majorum gratiarum ad nobiliores virtutes exercendas largitione compensare ; juxta illud Euangelicum, *Quia in pauca fuisti fidelis; & qui fidelis est in minimo, in majori quoque fidelis erit.* Post mortem deinde illa uni ex suis monialibus se videndam dedit, atque inter cætera dixit; Animam Deũ amantem si videret quantum sibi depereat, defectu attentionis, & cooperationis ad Dei gratiam excitantem, tantum inde dolorem hausuram, ut ex ejus magnitudine mortem sibi accerseret. Qui in minimis æquè ac magnis accuratè Dei voluntatem faciunt, ad Angelos imitatione propiùs accedunt, qui æquale implendæ voluntatis divinæ studium in omnibus adferunt; neque curant, qua in re occupentur, sed an quod ab illis exigit Deus, perfectè exequantur: ministri ejus, qui faciunt voluntatem ejus. Res sanè stupore digna, aliquem tantæ esse audaciæ, ut dum Deum præsentem & spectantem animo apprehendit, & velut coràm intuetur; audeat nihilominus vel minimum opus contra ejus voluntatem aggredi ; idem enim est ac si Deo diceret: Domine Deus, video equidem hoc tibi displicere & te mihi offensum iri, si hoc fecero; quia tamen voluptatis sensu rapior, & vim mihi, ut tuæ voluntati obsecundem, inferre nolo; rogo ut etiam hac vice patientiam mecum habeas, si tuo beneplacito præfero, quod mihi collibitum est.

14. Stultitia pravè facientium, quod intelligunt Deum velle,

Viros sanctos legimus minima quæque ad perfectionis regulam exegisse, atque adeò, quantum patiebatur humana infirmitas, in omni cogitatione, & sermone motuque corporis decorum servare conatos, ut nunquam nisi ex subreptione quadam illos exorbitare contingeret, quod de S. Antonio, & nostris temporibus de S. P. N. Ignatio literis proditum est.

15. Cum facilè sit juvante Deo perfectè agere.

Neque est quod hanc exactitudinem homini impossibilem esse arbitremur; rectè enim S. Bernardus ait, Deum, qui sublevat infirmitatem nostram, semper præsentem esse, neque in alio æquè omnipotentiam suam ostendere, quàm dum eos, qui sperant in illo, & ad eum recurrunt, omnipotentes facit: sed & S. Augustinus explicans illa Psalmistæ verba, *Terra dedit fructum suum* : ad divinam quidem misericordiam pertinere ait, ut terra nostra bonum fructum proferat, & obstantes spinas auferat; sed illam semper ad beneficium istud nobis præstandum promptam paratamque esse; imò nos prævenire : atque

Serm. 85. in Cant.

Psal. 66.

que adeò ad illam continuò recurrendum esse, si ad bene agendum attenti & accurati esse velimus. Neque excusabiles nos esse
In 1. Reg. putat S. Gregorius ; quod enim Dei præsentis cogitatio nobis excidat & difficilis ejus continuatio videatur, hoc à culpa nostra procedere, qui in custodia cordis, & sensuum negligentes sumus, oculos huc illuc jacimus, aures rebus vani audiendis apertas præbemus, multum & incircumspectè loquimur, & in comedendo, & dormiendo voluptatem captamus, & post hæc omnia ad familiarem Dei præsentiam putamus admitti. S. Bernardus notat dictũ,

16. Si tacitè cum Deo agamus.

Audi Israël, & tace, ut significetur; taciturnitatem & cum hominibus silentium aditum ad familiaritatem cum Deo aperire: unde monens Hugonem novitium, ut colloquia cum propinquis fugeret, caussam addit ; quia dum aurem implent, mentem evacuant : ob quam etiam caussam, dum cum matronis Romanis seu nimia deferentia, seu delectatione S. Francisca Romana tempus obsumit, ingenti alapâ ab Angelo suo percutitur ; quòd ad Dei præsentis considerationem citiùs animum non revocasset, ejusque non imploraset auxilium.

17. Cujus defectu peccavit Adã.

Rationem cur in actionibus nostris tam sæpè peccemus si à S. Thoma postulemus, respondebit procul dubio id esse ob duplicem defectum, attentionis, & invocationis divini auxilij. Adamum ait peccasse defectu luminis in eligendo, quod illi non defuisset, si attentus ad id quod agendum proponebatur, lumen ad eligendum quod erat melius, à Deo postulasset; quod dum omittit, in illam calamitosam pomi comestionem lapsus est : idem de Eva ratiocinatur S. Chrysostomus, quæ ubi per esum pomi consecutionem divinitatis, à dæmone insinuatæ & suggestæ fortiter apprehendisset, nihil aliud mente obversans, vetitum fructũ ori admovit & comedit : addit S. Thomas nimio desiderio obtinendæ divinitatis impeditum fuisse mentis ejus oculum, ne ad præceptum Dei reflecteret, & attenderet.

Angelos etiam prævaricatores ex inconsideratione peccasse arbitratur, dum ad bonum propriũ nimiâ cupiditate feruntur, nec attendunt aliud longè sublimius bonum esse, ad quod proprium & particulare bonum illos referre oporteret. Hinc Cajetanus monet, dum aliquid agimus, imitandos operarios, qui regulam aut amussim vel perpendiculum adhibent, ut opus illis conformetur; Angelumque dum ad regulam à Deo sibi datam ut ad ultimum supremumque finem suas volun-

voluntates referret, non attendit, & bono proprio, ac si ultimum illud esset, firmiter adhæresci t, à Deo idcirco alienatum, & in se recurvum, æternâ ruinâ miserè sese involuisse. Quod malum ut declinarent Apostoli, audierunt à Christo duo illa verba: *Vigilate, & orate*: quasi diceret: Considerate primò quid agendum & omittendum, & quia ad hoc egetis lumine, orate, ut illud de cælo affulgeat; ne obscuratus nimio voluntatis impetu intellectus, defectu considerationis, in exitium cum illa vos rapiat.

§. 4.

Considerationi præsentiæ divinæ adjungendum in actionibus motivum charitatis.

18. Agendum ex motivo charitatis.

HOc monet Apostolus: ut omnia nostra in charitate fiant. Hoc se maximi facere S. Gertrudi significavit Christus, & minimas actiones charitatis sigillo & charactere insignitas, magni pretij esse apud æternum tribunal asseruit: atque hujus rei ratio ex ipsius charitatis naturâ petenda est: fides enim, & spes, ut notat S. Thomas, etsi in Deum tendant, semper tamen ad nosipsos, bonumque nostrum reflectuntur. Nam ex fide veritatum æternarum cognitio ad nos redit: ex spe boni alicujus expectatio animum delectat, & sustinet: charitate totus homo in Deum abit, in illo figitur, & tanquam in centro suo conquiescit: hinc fit, ut actio à sola charitate profecta, ut notat Nazianzenus, divinũ quid piam hauriat, & quodammodo Deificetur. Optat proinde sanctus Chrysostomus nos ad omnes omnino actiones hoc Deo placẽdi desiderium studiosè adferre & potissimam beatitudinis nostræ in hac vita partem in hoc puncto consistere, hancq, debere esse omnium actionum nostrarum amussim & regulam arbitratur.

In 1. Cor. 12. & 22, §. 23. n. 6.

19. Et aliarum virtutum. *Sib. Dei prac.*

Sanctus verò Bernardus oculo simplici & puro intentionis nostræ in omni actione veritatem & charitatem perpetuas comites assignat; illam, ut eligat quod Deo gratius; hanc ut in ea actione nihil aliud quam Deo placere desideret; & quo desiderium fuerit intentius, eò meliorem futuram dicit, Deoque acceptiorem. Hoc observasse videtur Joannes Soto Societatis nostræ Religiosus, officio sartor, qui motti proximus acum suam, qua usus fuerat in vestibus nostrorum consuendis, tradi sibi postulavit, ut cum ea de vita decederet, & tumulo clauderetur: dicebatque sperare se hac velut clave cælum sibi aperiendũ, eam se Christo offerre velle, quod

quidquid illâ confeciſſet indumentorum, eâ feciſſet intentione, quaſi ipſi Chriſto veſtem apparaſſet, mentis oculis illam ſententiam continuò obverſans : *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quam etiam memoriâ repetens dum portâ aperit B. Alphonſus Rodriguez officio ſuo Collegij janitor, dumque uni Chriſto gratificari, in ea actione ſtudet, ita quod intendebat obtinuit, ut non ſemel Chriſtus ipſe portæ nolam pulſaverit, ut Alphonſo januam aperiendi occaſionem daret. Cantores muſicos in quadam ſolemnitate, quis in canendo vocis modulatione palmam aliis præriperet, decertaſſe narrat Cantipratanus, & unum inter illos tametſi nuncium, quod ſoli Deo incondito ſuo cantu placere ſtuduiſſet, cæteris Deo minimè placere contendentibus, ſibique dumtaxat plaudentibus, prælatum fuiſſe, ait allapſa ad omnium aures de cælo voce ; ex omnibus ſolum raucum à Deo exauditum eſſe.

Notent cantores quàm parum Deo placeat. *L. 3. Apum c. 4.*

20. Abſciſſo omni humani amoris vinculo.

Ut ad hanc intentionis præſtantiam aſſueſcat animus, expediendus eſt ab omni rerum caducarum cupiditate, Deuſque ut in eo nos juvet, etiam atque etiam rogandus, quodque in pluribus ſervorum egit, ut hoc in nobis operari dignetur inſtanter orandus.

Abrahamum unicè ſibi charum, è patriâ, omnique cognatione ſua educit, & quæ inde conſtringere ſolent vincula, abrumpit ; cumque poſteà erga Iſaacum ſingulari amore ferri videt, illum jugulari ſibique offerri præcipit, ut animo ab omnium affectuum impedimentis abſoluto liberiùs, puriuſque Deo famularetur.

Jacob teneriùs præ cæteris filiis Joſephum diligebat, & hac majoris amoris erga illum ſignificatione invidiæ ſcintillam in reliquorum filiorum cordibus excitarat, & quia in hoc ſecundùm S. Auguſtinum, labeculam aliquâ contraxerat, Joſephi amiſſione ejuſque, licet falsò apprehensâ, nece per annos complures à Deo caſtigatus fuit, donec elatâ abſtersâque culpâ, filij amiſſi aſpectu, alloquioque recreatus fuit, puriuſque amare didicit.

Aaronis duo liberi Nadab, & Abiud, ob ignem profanum ſacrificio adhibitum, ad pedem altaris continuò mortui corruunt, ut tam ſevero exemplo operibus noſtris amoris proprij fæces, cum amoris divini puriſſimis flammis miſcere dediſcamus, oculoque puriore rationum noſtrarum radices inſpiciamus. *Levit. 10.*

Conjux Loth Sodomis egreſſa, dum ad Dei præceptum minus attenta retro oculos convertit, & vel flammarũ crepitantium ſtrepitu

pitu excitata; vel ejulantium clamoribus ad commiserationem provocata, inter quos non derant quos aliquo amoris affectu fortè prosequebatur, amori suo temerè obsequitur: in statuam salis transformatur, ut inde ad majorem in actionibus considerationem adhibendam posteritas omnis doceretur.

21. Quinam à Deo relinquantur.

Deus, ajebat S. Theresia, eos, qui ad se auxilij gratiâ in operibus suis non recurrunt propriæ confidentiæ temerè innixos sæpe derelinquit, unde plerumque tot præposteros, sinistrosque actionum eventus aspicimus: quod ipsum in se deplorat S. Bernardus, addens se, dum in sæculo ageret, peccasse sæpiùs præcipitatione in agendo, & ignorantiâ; in monasterio sæpè peccare defectu attentionis & negligentia; idem fateamur oportet, si modum nostrum agendi ad trutinam discutiamus: meritoque Deus continuò à nobis pro remedio est invocandus.

B. Jordanus secundus Ordinis B. Dominici Generalis, ut hoc malum à suo Ordine averteret, B. Lutgardem, cujus virtutes, sanctimoniamque admirabatur, impensè rogavit, ut Psalmum qui incipit, *Deus misereatur nostri*, quotidie, pro se, suisq; recitaret; quod illa lubenter se facturam adpromisit; ipse deinde in itinere Jerosolymitano vitâ functus eidem Virgini lumine circumfusus apparens, seque naufragio è vivis ereptum, & cælo receptum annuntians, rogavit, ut in ejusdem Psalmi recitatione pro suo Ordine, porrò pergeret, tanquam supplicatione pro operariis in vinea Domini fructuosissimâ. Idem ego auctor sum, ut facias quisquis amas ad rectè agendum, duo necessaria à cælesti Rege quotidie impetrare, lumen scilicet, & bene agendi vim atque constantiam.

IV. DISSERTATIO.

De Oratione.

§. I.

De præparatione ante orationem.

QUàm sit hæc necessaria, duobus locis in sacra Scriptura docet Spiritus sanctus. Primus est: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter*; cùm verò inter opera quæ Deum spectant, oratio primum ferè locum sibi vindicet, ne quis maledictionem incurrat, dum ad eam accingitur, socordiam & negligentiam procul ableget necesse est, ut monet S. Gregorius, quę ab amoris erga Deum

1. Præparatio præmittenda orationi. *Ierem.* 48.

L. 9. mor. c. 26.

defectu, & exigua tantæ Majestatis apprehensione manare solet.

2. In quo consistat.

Alter locus est, apud Eccles. *Ante orationem præpara animam tuam, ne sis quasi homo, qui tentat Deum.* Hanc præparationem in duobus consistere, ait S. Chrysostomus. 1. Ut cogitationibus non solùm perversis; sed & inutilibus aditum occludas. 2. Ut Dei Majestatem, tuamque vilitatem bene apprehendas: ad quod Abrahami exemplum nobis proponit Philo Judæus; qui dicebat: *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis?* Cui meritò jungi potest S. Francisci in orando profundissima humilitas, qui id temporis auditus est dicere: Quis sum ego, & quis es tu Domine? Tu abyssus essentiæ, sapientiæ, & bonitatis; ego verò abyssus nihil, ignorantiæ & malitiæ. Tria ergo cogitãda juxta S. Chrysostomi monitum. Quis est qui orat; apud quem orat; & quorsum orat. In quibus si negligenter procedimus, meritò similes erimus homini, qui tentat Deum; qui ideò tentare Deum dicitur, ut explicat S. Thomas, quia de suo non adfert, quod requiritur ad Deum sibi conciliandum, & quod ab eo postulat impetrandum, sicut is, qui copiosam messem à Deo expectaret, cùm ipse priùs nec araverit, nec sementem fecerit. Tentat enim Deum ex mente Jansenij super illum locum, qui quod sui officij est, non facit, & per miraculum à Dei providentiâ expectat, quod intendit, qui proinde væcordiâ suâ Deum potiùs ad iram provocat, quàm impertret, quod desiderat. Hinc S. Eucherius suos monet, ut ante orationem omnia illius impedimenta amoveant, quia quantum diligentiæ ad orationem adferent, tantum ex ea gratiæ & benedictionis referrent.

3. Tria cogitanda, quis orat, apud quẽ, quid petit. *Hom. 9.*

2.2.q. 97. a. 3. ad 3.

Hom. 3.

Maximi semper faciendum existimavi hoc S. Bernardi monitũ; quo ante orationem locum considerationi dandum esse significat: Accedendum, inquit, non irruendum: accedit qui pedem considerationis priùs figit: irruit, qui nullo respectu, nullâ ejus, cum quo agit, habitâ ratione, quasi stupidus contemptim orationem aggreditur; cujus exemplum habemus in Aman, qui Assueri ad iram concitati apprehensione, quasi de sana mente dejectus, nec decori & sui ac Regiæ dignitatis in Esthere memor, ad lectuli ejus pedes corruit, cujus facti insolentiâ Rex commotior eum continuò ad furcam rapi jussit.

4. Considerare accedendum, non irruendum.

In Euangelio dum Pharizæus ille sui Laudator, non tam ut oraret verecundus precator accessit, quàm ut se laudaret; vino superbiæ temulentus irruit, novæ præsumptionis reus, & Deo magis,

5. Pharizæi & Publicani diversus modus diverso successu.

gis, quàm anteà exosus domum miserabilior, & sordidior redijt; cùm è contrà publicanus vix ad Deum accedere ausus, & in templi vestibulo consistens sui accusator, & divinæ clementiæ deprecator, peccatorum indulgentiâ obtentâ, novis gratiarum donis auctior ad sua regreditur. Ex quo intelligi facilè potest illud Psalmistæ: *Oratio ejus fiat in peccatum*; quia scilicet propter orantis indignitatem, atque socordiam, labem peccati in animam secum devehit, & quæ aperiendis Dei thesauris ad instar clavis servire debebat, Dæmoni ad commaculandam animam, eamque ad inferos præcipitandam ansam præbet. Scalam, ait Chrysostomus, à Deo ad cæli conscensum subministratam, hominis negligentia in scalam descensus in puteum abyssi convertit. Cùm viro in aliqua dignitate constituto de rebus magni momenti acturi, ad vestium nostrarum, orisque totius honestam compositionem, & sermonis, verborumque decorum animum advertimus; nec parem cum Deo de salute, æteroque præmio tractaturi diligentiam adferendam censebimus? Qui voce & instrumentis canunt, ne audientium auribus molesti sint, voces cum instrumentorum sono curiosè attemperant: & nos Deo non putamus parum gratos futuros, si linguæ cogitationesque nostræ inter orandum plurimùm discordes nescio quid stridulum ejus auribus ingerunt? Ut hoc malum devitemus, duo ante orationē præmittenda monet Franciscus Suarez. Excitandum primò ingens colendi Dei desiderium, atque ad hoc magna animi submissio, & à divina bonitate ob infirmitatem, indigentiamque nostram humilis, & plena spei dependentia est adhibenda. Secundò ardenter à Spiritu sancto subsidium gratiæ postulandum: cùm enim juxta Apostolum aliquid boni cogitare ex nobis sufficientes non simus, multò magis ad orationem cælesti indigemus auxilio: quod ideircò sæpiùs à Deo orationis tempore postulandum monet S. Chrysostomus, si Dæmoni ad eam perturbandam vigilanti, & omnem accessum pertentanti, aditum præcludere velimus.

Psal. 108.

l. 1. *de orat.*

Hom. 4. *de fide Annæ.*

6. Imitandi musici qui voces cum fidibus temperant, & aptant.

7. Exemplo P. Fabri & aliorum.

Quod accuratè à P. Petro Fabro observatum legimus, qui ad cujusque Psalmi initium oculis ad cælum erectis: Pater cælestis, aiebat, da mihi spiritum bonū. Observatum etiam fuisse arbitror ab illo juveni Religioso in vitis SS. Patrum, ad quem propiùs accedere non audebat Tartareus prædo, quòd inter orandum igneas faculas ex ore vebrare videretur. Id etiam cordi plurimum fuisse vi-

deo S. Coletæ, quæ moniales suas ante officij horarij, & orationis exordium in choro adesse volebat, ut similibus præsidijs se præmunirent, quod & ipsa tantâ attentione factitabat, ut toto orationis decursu, ante Regem gloriæ consistere videretur, eiq; officia horarum eò gratiora forent, quò longiora; quia prolixior inde nascebatur cum Deo sermocinatio, & laudatio.

8. Quinque virtutes in oratione exercendæ.

Quinque potissimùm virtutũ Orationis tempore frequentanda videtur exercitatio. Primò Fidei, quâ Deum præsentem, & nos contuentem, atque ad id quod agimus, attendentem credimus. Secundò Spei, quâ nos tum ad bene orandum, tum ad generatim omnia, quæ ad salutem æternam necessiaria sunt, obtinenda, gratiæ subsidium impetraturos confidimus. Tertiò Charitatis, quam velut orationis nostræ scopum aspicimus, ut nimirum illâ adjuvante intimam & indissolubilem cum Deo amicitiam contrahamus, illiq; placere, & voluntati ejus in omnibus perfectè obsequi possimus. Quartò Religionis, quâ cultui divino procurando, augendoq; inter orandum vacamus impensiùs. Quintò Humilitatis: quæ, velut orationis assecla illam in exordio, in decursu, illam denique in fine comitatur, & pudore suo cohonestat, Deoq; reddit acceptam: semper enim (ajebat Iudith) humilium tibi placuit deprecatio. His quinque virtutibus patientiam, animiq; firmitatem jungendam puto. Nam, si sanctam Theresiam audimus, animo æquè generoso & forti ad orationem accedendũ est, ac si ad subeundum martyrium te accingeres.

Video cruces, dicebat B. Franciscus Salesius, & ad illarum conspectum caro quidem mea contremiscit, & fremit; sed cor meum illas adorat: ita est: Salvete parvæ & magnæ cruces; adeste, ut vos exosculer, & amplectar, indignus, qui vel sub umbra vestra delitescam: quàm bonum est ubivis locorum esse cum Christo: obversatur menti meæ boni latronis cum Christo pendentis anima, cui Paradisi fruitionem isto die Christus promiserat, & ecce è corpore egressa continuò ad inferos ducitur: sed illi infernus, tum Paradisus fuit, quia Christus ibi fuit: sine Deo cæli inferorum loco habendi; cum Deo infernus veri cæli, si non nomen, certè felicitatem sortitur. Vbi tempore orationis inter cruces versaris, nõ tantùm patienter, sed etiam jucundè eas feres; si ad Deum præsentem, & spectantem, tibiq; benevolum animum adverteris. Homo fame laborans, panem etiam aridum avidè devorat, & per-

2. Man. c. 2.

7. Accedendum ad orationẽ & ad crucem.

Epist. 93.

perbeatum se putat, si potest adipisci: ita qui patiendi desiderio accensus orationi insistit, non ille cælestes delicias in illa venatur, sed dummodo Deo placeat, quidquid duri, amariqúe inter orandum occurrit, animo constanti excipit, & exhaurit: tu ad hoc te accinge, & consolationes, deliciasque ad æterna, quæ post hanc vitam sequentur, præmia remitte.

§. 2.

De Oratione vocali.

10. Orationis vocalis bonitas in quo consistat.

PRodest hæc oratio, animumque impinguat, si cum præparatione, & mentis attentione fiat, aliter minimè. Qui vocaliter orat, ait S. Theresia, nec considerat, quem alloquatur, neque quid postulet, neque quis ille sit, qui rogat, etsi labia multùm moveat, parùm tamen orat: qui cum Deo quasi cum plebeio homuncione agit, & quod in buccam venit, nullo delectum attentionemvè effutit, non orat ille; sed potiùs Deum ad iram provocat: atque utinam inter Christianos ad tantam impudentiam, & brutis innatam stupiditatem nemo dilabatur. Non in multitudine verborũ, sed in attentione fervoreque consistit hujus orationis bonitas, & fructus. Cùm in hortulo Gethsemani tribus horis Christus oravit, idem sæpiùs repetijsse videtur; & non tam verba, dictionemque mutasse, quàm in eadem animi submissione, fervoreque perseverasse; quem S. Franciscus, dum dixit noctem integram: *Deus meus, & omnia*, & Masseus ejus discipulus, imitati videntur. Hic enim à mediâ nocte ad usque diei crepusculum hoc solum repetebat: *Domine Deus, da mihi peccatorum meorum contritionem, eorum emendationem, & gratiam pro illis satisfaciendi, secundùm tuam sanctissimam voluntatem*: mane verò post auditum Missæ Sacrificium cantillando dicebat pluribus horis: *Domine Deus, fac quæso, ut te cognoscam, te timeam & te amem.* Inter verò Eremi Patres illos sanctissimos, unus hæc pauca, sed magni momenti & ponderis verba inter orandum proferebat: *Domine, quod vis, & sicut vis.* Duo optabat semper egisse S. Ægidius B. Franciscidiscipulus, dicebatque: Si à mundi exordio, ad ejus usque finem vitam propagare mihi concederetur, toto illo decursu nihil aliud feciſse vellem, quàm Deo primò pro acceptis beneficijs gratias egisse; secundò de peccatis me accusasse & reprehendisse. Virum idiotam, & tam tardi ingenij, debilisque memoriæ, ut orationem Angelicam integrè recitare non posset, cũ juvare vellet S. Brigitta, Deũ rogavit, ut quid cum illo sibi agẽdũ esset, inspirare dignaretur: ref-

11. Varij variorum orandi modi.

12. Placet Deo idiotarum simplicitas.

respondit Deus hominis istius simplicitatem pondentiâ superborum sibi gratiorem esse: seque ejus bonâ voluntate ita delectari, ut olim Euangelicæ viduæ duos obolos Regum opibus prætulerat: eumque qui fide integrâ, sinceraque voluntate tria dumtaxat verba, nempe, JESU *miserere mei*, pronuntiat, sibi magis placere, quàm, qui mille profert nullâ attentione.

L.N.Pæref. cap. 22.

S. Theresiam ut orandi modũ perdisceret, audivit aliquando simplex fœmina, quæ de precandi consuetudine interrogata, cùm aliquot tantum Dominicas orationes se recitare certo numero & attentione respondisset, ita S. Virginem admiratione defixit, ut illi diceret, pergeret porrò. neque ab suo instituto desisteret: optare se à Deo pari orandi gratiâ, donoque potiri. Norunt, inquit, Angeli, qui Regi suo semper assistunt, rustici & ignari opilionis inconditam, sed humilem precationem, alterius hominis literis, & scientiâ instructissimi doctâ & perpolitâ supplicatione, humilitate destitutâ, multò esse acceptiorem: neque quia tam benignus & comis est, & ad me audiendum aditum præbet tam facilem, ego propterea in ubanè cum illo agere debeo; potius illi à me, quòd tam patienter graveolentiam meam toleret, perpetuæ sunt agendæ gratiæ. Eorum omnium, quos Christus in Euangelio sanavit, breves, humiles, & plenas affectus pij supplicationes legimus, ut meritò Psalmista Deum humilium vota, tanquam rem sibi gratissimam respicere affirmavit.

§. 3.

De Oratione mentali.

13. Oratio mentalis duplex brevis.

OMnem orationem, cùm sit elevatio mentis in Deum, mentalem esse oportet; quam proinde duplicem facere possumus; unam brevem, quæ adinstar Sagittæ in altum jactæ, ubi vis impressa se remisit, ad terram relabitur; alteram longiorem, quæ nullo motu labiorum; sed sola mente, sive cum discursu, sive fixo ad contemplationem interiori oculo permistis voluntatis affectionibus sanctisque motibus conficitur.

Brevem illam docuit aliquando S. Brigittam Virgo Dei Mater, cùm illam de modo ad Deum recurrendi in tentationibus instrueret: Miraris, aiebat, te jam *L.6.c.49* senem & provectæ ætatis acrioribus carnis stimulis agitari, quàm dum ætate florente in connubio ageres: id permittit Deus, ut te nihil esse, nec sine filio meo quidquam posse cognoscas, qui nisi te

te præservasset, nullum est in mũdo peccatum, in quod lapsa non fuisses; accipe jam tria ex me tentationum tuarum remedia. Primò cùm te impura cogitatio aggreditur, dicito: Jesu fili Dei, scrutator cordium, adjuva me, ne vanis sordidisque cogitationibus delecter. Secundò ubi te colloquendi incessit desiderium, dic: Jesu fili Dei, qui coram Iudice tacuisti, cohibe linguam meam, usquedum quid, & quomodo loquendum sit, consideraverim. Cùm verò ad laborem, vel quietem, aut comestionem te accinges, dic: Jesu fili Dei, qui vinculis constrictus fuisti, manus meas, omniaque membra mea, & opera dirige, ut singula ad bonum finem tendant.

14. In tentationibus usurpanda

Longior verò mentalis oratio duas actiones, alteram intellectus, voluntatis alteram complectitur; priori supra veritates fidei ratiocinatur; posteriori voluntas, quæ intellectum ad illas veritates penitius examinandas impulit, jubet etiam, ut excitandis pijs inde motibus insistat: si enim dumtaxat in veritate indagãda se occupat, speculatio est, non meditatio aut mentalis oratio, quæ cultum, honoremque Dei, quod actuum virtutis Religionis proprium est, pro fine sibi constituit: cumque, ut bene advertit Richardus de S. Victore, hæc intellectus in inquirendâ veritate, & voluntatis in excitandis pijs affectionibus occupatio labore non careat; hinc fit ut ad honorem Dei suscepta, meriti, & satisfactionis pro peccatis habeat plurimum; ad aliquid à Deo impetrandum virtutis non parum; si enim labor, qui in peregrinatione ad loca sancta, aut in jejunio, alijsque corporis afflictionibus ad Dei gloriam suscipitur, tribus illis effectibus polleat: certè laboriosa mentis operatio, quæ corporis molestijs, & dignitate, & difficultatibus præstat, aut parem, aut etiam majorem mercedem apud Deum æquissimum æstimatorem mereri censenda est. Hugo de S. Victore meditationẽ occupationi hominis in ligno viridi ignem excitantis parem facit: primò ligna ille aggerat, & componit, tum ut ignem excitet, insufflat, & fumi molestiam patitur; posteà ubi fumosi vapores calore abacti, dissipatique sunt, tum demum flammâ erumpente calore simul, & lumine fruitur; demum ubi flamma consumpsit quod potuit, carbones remanient cineribus aspersi, qui aliquid caloris retinent, & fovent; ita peractâ meditatione, & tam lumina in intellectu quàm piæ in voluntate resolutiones ac proposita Deo oblata aliquem in animo vigorem ad bene operandum relinquunt, eò diuturnio-

15. Longior continet duas actiones, intellectus & voluntatis.

nem, quò intellectus veritates illas altiùs impressas, & voluntas pios affectus profundiùs infixos retinet. Aliæ sublimiores orationes, quæ passivæ, aut quietis, & silentij, aut unionis appellãtur, dona sunt Dei singularia, ad quæ animus cum patientia & longanimitate parandus; si negentur, id indignitati nostræ tribuendum; si concedantur, divinæ benignitati; humiliter proinde suscipienda, & pro iis agendæ gratiæ omniaque ad Dei gloriam piis actionibus amplificandam referenda sunt.

§. 3.

De devotione sensibili in oratione.

3 part. tit. 13. c. 6. §. 16

DEvotionem sensibilem vocant suaves aliquos cordis affectus, quibus fidendum non esse ait S. Antoninus, quia in illis etiam interdum reperiuntur, qui peccatis impliciti, nihilominus se ex illis non expediunt, quod in aliquo contigisse ait, qui ad lachrymas usque de peccatis admissis compungebatur, bonisque æstuare videbatur desideriis, neque tamen pompis & vanitatibus sæculi se abdicabat, nec peccata, eorumque occasiones immediatas declinare, in animum inducere poterat. Judæos etiam, Gentilesque in sacrificiis suis cæremoniisque proteneris, quos erga legem suam rituque concipiunt, affectibus ubertim flere ait; Dæmone ut ardentiùs suos errores tueantur, id agente, humoresque commovente. In Hispaniis hæreticum hominẽ ad rogum damnatum, & in carcere cùm à nostris Sacerdotibus mutandæ malæ mentis gratiâ visitaretur, urgereturque, & in ipso deinde theatro medias inter flammas, ingenti perfusum lætitiâ, plenas gaudio lachrymas continenter non sine spectantium admiratione fudisse legimus.

16. Devotioni sensibili non nimium fidendum.

In vita I. Balthazarii.

Devotio vera nihil aliud est, quàm ad Dei cultũ, obsequiumque prompta & fervens voluntas; operis verò bonitatem ab animi fortitudine & generositate potiùs quàm à sensibili fervore æstimandã censent Theologi, quos inter S. Antoninus advertit, nonnullos sensibili dulcedini assuetos, illâ magis, quàm fidei luminibus duci, illamque potiùs, quàm Dei gloriam, virtutumque consecutionem & exercitationem in oratione venari; profectum suum ex illa metiri, cùm illâ abundant, magnos se æstimare; cùm destituuntur, animo frangi. Ne similibus deliciis inescatus animus arrogantiæ veneno inficiatur, eas plerumque vel auferre Deum, vel humiliationis antidoto malignitati inde nascenti occurrere, ut in Ange-

17. Quid vera & solida devotio.

Angelo satanæ S.Paulum colaphizante evenisse legimus.

18. Quid de sensibili judicaret Franc. de Sales.

B.Franciscus de Sales has sensibiles devotiones vento matutino, quem vapores excitant, & cui non fidunt nautæ, quia continuò se remittit, & concidit, comparare solebat: Non in illis verus fervor, sed in charitatis affectu consistit: neque enim secundum Theologos aliud est iste inter operandum fervor, quàm charitatis ardor, quo aliquis non solum in rebus, ad quas sub peccato obligatur; sed etiam in aliis, quæ si negligantur nullam peccati labeculam secum trahunt, Dei solius amore se exercet: ut enim tum bulliri aquâ dicimus, cùm se dilatat, ita tum charitas fervere censenda est, cùm ad opera, quæ supererogationis appellant, se extendit.

Cæterùm seu ferveas, seu ad instar glaciei te sentias; nec oratio tibi sapiat: ne propterea ab orando desiste. Qui ob humores è cerebro defluentes ciborum saporem non percipiunt, non ideò ab edendo abstinent, sed vires cibi virtute reficiunt, etsi ejus gustu minimè recreentur: idem emolumentum ab oratione aridâ & insipidâ, sed constante & perseverante recipies.

§. 4.

De certis casibus, quibus ad orandum homo obligatur.

IN gravi ad peccatum tentatione hominem ad subsidium à Deo postulandum obligari insinuare videtur S.Thomas: agens enim de quibusdam, qui se à tentationis magnitudine superatos in pœnitentiæ tribunali accusant; dicuntque se jejunasse, pugnasse, orasse, & nihilominus sufficienti auxilio destitutos in peccatum consensisse; graviter illos redarguit, quod lapsum in tentationis importunitatem, & cælestis subsidij defectum rejiciant, cùm suam potiùs in evitandis occasionibus negligentiam, & in auxilio petendo inconstantiam, & teporem agnoscere illos oporteret: Deum enim mendacem faciunt, qui dixit: *Clamabunt ad me, & ego exaudiam eos.* & *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* &, *Petite & accipietis.* & S.Paulus: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* unde infert tales non exaudiri, quia tepidè, & sine fiducia ac hæsitantes petunt, neque secum, ut oportet, pugnant,

Opusc.64. 19. Ad orationem obligatur homo in gravi tentatione.

Psal.9. *Matth.11.* *1.Cor.10.*

pugnant, ac in petendo auxilio non satis constanter perseverant; ad Deum cum præsumptione recurrunt, quasi ad primam petitionem exaudiri mereantur, superbiaque sua Deum contra se irritant, ut ab eo potiùs deserendi, quàm juvandi videantur: lapsus ergo ad eorum superbiam & negligentiam est referendus, de qua potiùs accusare se, quàm de Deo conqueri deberent. Ita sanctus Thomas, qui inter alia tardum ad orationē recursum condemnat.

20. Qua si vincitur, sibi adscribat.

Egemus enim ad ea, quæ salutis nostræ sunt, rectè procuranda, ut monet S. Augustinus, divinis auxiliis, quæ non aliter quàm orando, obtinere possumus. Qui proinde alibi nos excitat, ad id, quod possumus, exequendum; & ad auxilium pro iis, quæ non possumus, flagitandum. Unde officio suo deesse censendus est, qui in similibus ad orationem animum non applicat. Quis enim negare audeat, hominem dæmonis impulsu jam in præcipitio lapsûs proximi constitutum, si continuò opem de cælo non imploret, peccare graviter, & aut præsumptionis, quâ viribus suis nimium fidit, aut socordiâ, quâ ad Deum præsentem, & ad juvandum paratissimum non accurrit, labem contrahere? Similem ad orandum negligentiam cum aliis Doctoribus gravis peccati damnat Suarez, Christusque ipse ad illam excutiendam, & ardenter, perseveranterque cæleste subsidium implorandum nos exemplo Amici pauperis tres panes postulantis, & Chananææ pro filia supplicantis hortatur Christus, qui sibi in perseverantia orationis, à qua vinci se patitur, multùm placet. Ne ergo aut tædio, aut diffidentiâ, aut impatientiâ ab orando desiste, dabit Deus, quod petis, vel aliquid melius, ut ait S. Bernardus, perseverantiamque tuam duplici meritò, fructuque coronabit.

L. de Eccl. dogm. c. 6.

L. de nat. & gratia.

§. 5.

De laude Dei.

HOrtatur nos Psalmus, inquit Augustinus, hortatur nos Propheta, hortatur nos Spiritus Dei, hortatur nos ipse Dominus, ut laudemus Dominum. Quid justius? quid dignius? quid gratius? laudate servi Dominum, ut esse mereamini & filij. Si cogeris offerre taurum, aut hircum, aut arietem dignum Domino, & non inveniens satageres, diceres Deo: Volui, & non habui: si linguam non haberes, & verba à te quæreret Deus, diceres etiam fortè: Laudare non possum, quia linguâ careo. Nunc verò, quia cor

Psal. 134. 21. Laudandus homini Deus.

cor quærit, cor inspicit, & intus testis est, judex, approbator, coronator; sufficit ut offeras voluntatem: corde laudas, corde benedicis, corde in aram conscientiæ victimas sacras imponis; & impletur illud; *Voluntariè sacrificabo tibi*: & illud aliud consequenter acquiritur: *Placebit Deo* sacrificium illud laudis, *super vitulum novellum cornua producentem, & ungulas*. Si placuit laus illa, quam Job in afflictione reddidit, Sicut placuit Domino, ita factum est, sit nomen Domini benedictum; hæ sunt gemmæ & divitiæ pauperis: ita solicitè nos ad sinceram Dei laudationem Doctor hortatur: Sed & Deus sacrificium laudis, inquit, honorificabit me; & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. Quid ad nos ad laudandum Deum inflammandos excellentius dici potest, quàm ut summa salutis nostræ in laude Dei collocetur? Audiamus Bellarminum de hoc inquirentem & respondentem. 1. Quia ut laus plena sit, & in conspectu Dei grata, inquit, à corde Deum amante proficiscatur oportet, sitque æternæ beatitudinis inchoata quodãmodo laudatio. 2. Quia si qui simpliciter orat, apud Deum mercedem acquirit, longè plus gratiæ is, qui eum laudat, sibi conciliabit. 3. Quia Dei laudatio animos nostros à terrâ in cælum sublevat, nosque choris immiscet Angelicis. 4. Quia laus ab amore gignitur; nec Deum laudares nisi amares; actum etiam justitiæ, gratique animi exerces; quia laus benefactoris est quædam beneficij compensatio. Concurrit etiam fides, & animi se humiliantis abjectio; hinc illa S Joannis Baptistæ demissio, quâ se dixit indignum qui corrigiam calciamenti in Christo solveret, in magnam Christi laudationem redundavit. S. etiam Augustinus super illud: *Laudate servi Dominum*, audacter pronuntiat servos: si non laudaverint Dominum, superbos, ingratos, irreligiosos futuros.

Psa. 55.
Psal. 68.
Psal. 49. 22. Quia ab hujus laude illius salus pendet.
Psal. 134.

Hugo de S. Victore, Cùm prolixas Dei laudationes in Psalmis legimus, tum ait cor nostrum dicere nobis admirando se amare, & amando admirari: atque hæc est beatorum æterna occupatio, qui eum, quem sempiternè amabunt, sempiternùm etiam cum voluptate laudabunt; nulla erit defatigatio in laudando, quia nulla erit in amando; amor tranquillus & jucundus parem laudationem procreabit; atque inde nostra existet felicitas. Non enim laudares, inquit Augustinus, nisi amares; non amares, si nihil inde haberes; amas & laudas æternum tuum bonum. *Laudate Dominum*, ait Vates Regius, *quia bonus est Dominus*. Breviter, inquit Augustinus,

L. de modo orand. 23. Hæc occupatio beatorum.

ſtinus, explicata eſt laus Domini Dei noſtri: non invenies melius, quod de illo dicas, niſi quia bonus eſt Dominus: ſi tamen intelligas propriè bonum, à quo ſunt cætera bona, omnia enim bona ipſe fecit; ipſe eſt bonus; quem nemo fecit: illo bono ſuo bonus eſt, non aliunde participato bono: ille à ſeipſo bonus eſt non adhærendo alteri bono: mihi autem adhærere Deo bonum eſt; qui non eguit quo fieret bonus; ſed egerunt illo cætera ut fierent bona. Vultis audire, quàm ſingulariter ille ſit bonus? Dominus interrogatus dixit: Nemo bonus, niſi ſolus unus Deus. Hanc ſingularitatem bonitatis divinæ & præterire breviter nolo, & commendare congruè non ſufficio: metuo ne ſi hinc citò tranſiero, ego ingratus inveniar; item metuo ne hoc cùm explicandum ſuſcepero, ſub tantâ Dominicæ laudis ſarcinâ defatiger. Sic tamen fratres accipite me & laudantem, & non ſufficientem, ut etiamſi non impletur illius laudis explicatio, acceptetur laudatoris devotio: approbet me ipſe voluiſſe; ignoſcat non impleviſſe. Ineffabili dulcedine teneri cùm audio: Bonus Dominus: omnia alia bona dico cum ſuis nominibus; dico enim Cælum bonum, Angelum bonum, hominem bonum: ad Deum verò cùm me refero, puto nihil melius dicere; quàm Bonũ: Bonum bona faciens. Sicuti eſt propriè, ſic & bonus eſt propriè. Hactenus S. Auguſtinus qui hoc modò laudare Deum in magnis Dei beneficijs reponit, dum ſuper illud: *Labia mea laudabunt te*, dicit: Non te laudarent labia mea: niſi me præcederet miſericordia tua, dono tuo te laudo, per miſericordiam tuam te laudo. Non enim poſſem laudare Deum, niſi mihi donaret laudare ſe poſſe.

24. Et magnâ Dei beneficium. *Pſalm. 62. Cap. 7.*

Si verò quis quærat de quibus potiſſimùm laudandus ſit Deus, habet à Beatis in cælo degentibus Deumque in Apocalypſi laudantibus aſſignatam materiã. 1. Propter Eſſentiæ ſuæ, & Majeſtatis præſtantiam; quâ omnis laudis principium, & finis conſtituitur, cujus comparatione nihil laude dignum exiſtat, & cujus celſitudo, & excellentia omnem laudum copiam, & laudandi facultatem excedit.

25. Laudis divinæ objecta ſunt ejus attributa.

2. Sapientiam, cui nihil incognitum, nihil abſconditum, nihil impervium, quæ omnia diſponit, ordinat, regit, & omnibus providet, quæ omnis ſapientiæ fons eſt & origo, & cujus comparatione omnis ſapientia, ignorantia eſt.

3. Potentiam, quâ omnia poteſt, cui nemo reſiſtere valet, qui pro menſurâ & beneplacito rebus à ſe creatis aliquid poſſe largitur,

gitur, eorumque vires pro libito auget, minuit, & extinguit.

4. Sanctitatem: omnis labeculæ expertem & incapacem, omnium virtutum perfectione consummatissimam: à qua omnis sanctitas promanat, & quantumvis eximia, si cum illa conferatur, nulla est; sed potiùs imperfectio est.

5. Bonitatem, quâ à se ipso bonus, imò ipsum Bonum, à quo habent cætera quòd sint bona, & cui comparata bona dicenda non sunt; quia nemo bonus, nisi solus Deus: & cui proinde omissis cæteris adhærere bonum est.

6. Majestatem, omni honore, reverentiâque, & adoratione dignissimam; coram qua curuantur, qui portant orbem; cujus unicus nutus omnium Regum terror est; & in quo, & propter quem, & excellentiam ab eo communicatam colitur quidquid veneratione dignum est.

7. Benignitatem, liberalitatem, benevolentiam, ac munificentiâ; quâ velut bonorum omnium fons in res à se creatas inexplicabili gratiarum abundantiâ continenter profluit, nullâ unquam profusione exhauriendus; quâ minima nostra obsequia, licet supremo jure sibi debita, infinitâ mercede compensat.

Adjunge his septem laudum titulis plures alios, quos per sacras paginas sparsos invenies, neque unquam, si fieri potest, eum laudando satieris; cùm hoc sit, quod potissimùm illi debes; & quod totâ æternitate in cælis es redditurus. Imò suadeo, ut ad vota licet impossibilia transilias, optesque; cor tuum cælum Empyreum esse; in quo omnes beatorum omnium laudes sine interruptione personent; imò optes hujusmodi cordium milliones in tua esse potestate, quos in Dei laudibus indesinenter occupes: quæ etsi nunquam effectum sortitura probè scias, habent tamen suum apud Deum meritum, & præmium: præsertim si ab ingenti erga illum amore proficiscantur: si enim tot odiorum & blasphemiarum milliones singulis momentis multiplicari optares, quot contra Deum à Dæmonibus & damnatis apud inferos proferuntur, grande proculdubio scelus admitteres; ingensque supplicium ob tantam Deo irrogatam injuriam promeritus esses. Ita à contrario de laudum votis, etsi impossibilibus, eorumque bonitate, & apud Deum gratiâ, & præmio existimandum est.

26. Et vota etiam impossibilia.

In Rege Davide, eximio Dei laudatore, vota quædam, & desideria laudum conspicimus, quæ etsi vires humanas excedant; hanc tamen habent gratiam, quòd ingentem erga Deum amorem, & gratum

27. Qualia in Davide.

gratum animum, & ad omnia devotum obsequia testentur. Invitat ipse res omnes creatas, ut ad Deum laudandum secum concurrant, & eas omnes, quasi divinæ Majestatis, potentiæ, ac bonitatis precones intuetur; videtur ex omnibus harmoniâ concentumq; efficere velle, Dei laudes continuò personantem: nam, ut ait S. Augustinus, ista contextio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, à summis ad ima descendens, nunquam interrupta, sed dissimilibus temperata laudat Deum: vox quædam est mutæ terræ, ipsa species terræ: mundum istū attende, decorem habet: hîc vivis in isto decore, in ista pulcritudine prope jam ineffabili; vivunt tecum & vermiculi, & mures, & omnia terræ repētia & serpentia omnia ista vivunt tecum in decore isto: quale decus regni, ubi tecum vivent non nisi Angeli? Hactenus Augustinus: idcirco S. Bernardus ad Deum laudandum transferebat se cogitatione in cælum, ut Angelis permistus laudaret Deum; ajebatque nihil æquè repræsentare statum beatorum habitantium in cælis, quàm alacritatem hominum Deum laudantium in terris.

Psal. 144.

Serm. 21. *in Cant.*

V. DISSERTATIO.

De animi tranquillitate, & pace.

PAx nomen est amabile; multis est in desiderio, sed quia non quæritur ut oportet, non obtinetur, & possidetur, ut obtineri & possideri potest. Intelligentia à suis aberrationibus coërcenda, frænanda voluntas, appetitus uterque tā concupiscibilis, quàm irascibilis sub rationis disciplinâ continendi; passiones affectionesque utriusque moderandæ: amori, timori, gaudio, tristitiæ, spei, diffidentiæque compedes injiciendi: ne in diversa rapiantur, & omnia tumultibus misceant.

Primò itaque ab intellectu incipiendum, atque ut fidei ductū, lumenque constanter sequatur, nec alió usquam aberret connitēdum: in quo magnum homini compendium, & emolumentum accedit. 1. Enim actiones merendi vim, & efficaciam accipiunt: sine fide enim impossibile est placere Deo, aut aliquid apud illum gratiæ, gloriævè promereri. 2. Per illam intellectus captivus coram Deo in Sacrificium ducitur, ac ad instar victimæ jugulatur. 3. Ejus operâ, quidquid turbarum exoritur, facilè componitur; præsertim

1. Pax animi obtinetur si intellectus fide regatur.

sertim. Cùm Dei suprema Majestas, ac sapientia; ac summum, quod in homines jus habet, cum summâ clementiâ ac bonitate cõjunctum, ab illâ proponitur, & creditur, nec homini, qui Deum possidet, quidquam decedere, aut nocere posse evidenter ostenditur. Quod cum B. Franciscus Salesius menti altè impressum circumferret, dicebat: Quidquid Deus non est, mihi nihil est: tantaque inde tranquillitate mentis fruebatur, ut nihil unquam illum perturbaret.

2. Ita sentit Chrysost. S. Chrysostomus Olympiadem nobilissimam fœminam variis, ab æmulis exagitatam injurijs, in omnibus ferè Epistolis, quas plurimas ex exilio ad eam corroborandam elucubravit, ad principia fidei, & alicujus mysterij contemplationem pacandæ mentis gratiâ illam remittit, hacque viâ res omnes caducas luto viliores æstimaturam promittit, additq; epistolâ decimâ, quartâ: se semper dixisse & perpetuo dicturum, animam quæ fide nititur, & in ejus lumine ambulat, nihil in mundo timere præter peccatum, ac de nullâ re, quàm de peccato contristari.

Et Bernardus Serm. 4. de Asc. Optat S. Bernardus, ut altas cogitationes, quas fides suggerit, mente circumferamus, earumque præsidio ait nos neque rebus adversis turbandos, neque prosperarum amore irretiendos: idem ante monuerat S. Augustinus, dicens: Ibi sit mens (scilicet per fidem in cælo) & hic erit requies. Psalm. 79.

Sed cùm omnis animi nostri perturbatio ab amore, aut timore profano nascatur: audiendus est idem Doctor, ut quantum contra utramque in Scripturis sacris fide creditis habeamus præsidij, luculẽtè cognoscamus. Corrumpere, inquit, te vult aliquis, ut dicas falsum testimonium: attendisti tu Deum, & dicis in animo tuo: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*: Convertit ille se ad incutiendum metum, damnum, expulsionem, cædes, fortassis mortem: si de Scripturis venit tibi in mentem contra cupiditatẽ, quid prodest homini, veniat etiam contra timorem: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*: perimat iniquitas aliena carnem tuam, dum servet veritas animam tuam.

Dum pax in terra alicujus rei cupiditate aut amore turbatur, elevet quæso fides mentem tuam in Deum, & dicat tibi, quod idem S. Doctor ibidem. Quid amas, ut Deum non ames? Dic mihi, ama si potes aliquid, quod ille non fecit. Circumspice universã creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis visco tenearis, & à dili-

gendo creatore impediaris, nisi ex re, quam creavit ipse, quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? possuntnè esse tam pulchra, quàm ille, à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illū non vides, sed per ea quæ miraris, ama quem non vides: interroga creaturam; si à se ipsa est, remane in illa: si autem ab illo est; non ob aliud pernicioſa est amatori, nisi quia præponitur creatori.

§. 2.

Quomodo pax animi servetur in rebus adversis.

3. Adversa in Dei donis numera,

ERige continuò oculos fidei in Deum præsentem, omnia intuentem, moderantem, & disponentem, ita ut propemodum priùs attendas ad illum, quàm ad malum quod sentis; & crede Prophetæ dicenti: *Non est malum in civitate, quod non fecit Dominus*; malum scilicet pœnæ, non culpæ.

2. Illud malum inter Dei dona numera: sicut Christus calicem amarissimum tot malis opprobriisque redundantem in Patris sui donis recensuit, dum Petro dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis bibam illum?* & Paulus Philippenses monet non tantùm vocationem ad fidem, sed etiam acerba quæque in Dei beneficiis reponerent, ac pro illis tanquam pro donis gratias agerent.

Exemplo Jobi.

Videtur id agnovisse Jobus, dum conjugis insipientiam redarguens dicit: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala etiam cur non recipiamus?* innuens ab ejus munifica manu utrumque tanquam beneficium conferri, & posteriora videri prioribus, tanquam ad salutem utiliora, præferenda. Deciderat Job, inquit Augustinus, à gloria pristinæ lucis temporaliū rerum, quibus nitebat ad tempus; deciderat à gloria domus suæ, in stercore sedebat, & confirmavit illum Dominus, ut in ipso gravi vulnere, quo per totum corpus percussus erat, responderet uxori tentanti, quam solam diabolus ipsi reliquerat adjutricem: *Locuta es sicut una ex insipientibus mulieribus: si suscepimus bona de manu Domini, mala cur non sustineamus?* hæc scilicet mala à Dei manu profecta fidei oculo suscipiebat.

4. Consilio S. Bonaventuræ.

S. Bonaventura hoc argumento ad id nobis persuadendum utitur: Si quis tibi particulam sanctæ Crucis, in qua Christus pependit, largiretur, te singulari beneficio affectum crederes: cur quæso afflictionem aliquam tibi à Deo immissam cruce ista pretiosiorem non existimas, quandoquidem tribus dumtaxat horis Christus crucem attactu suo sanctificarit; afflictiones verò tota vitâ

vitâ magno affectu sit amplexatus; imò crucem ipsam, non alia de caussa, quàm quòd affligeret, adamarit? Viro sancto inter afflictiones gementi dixit aliquando Deus: Sufficiat tibi, quòd afflictionem tuam norim, & te amem, teq; liberare possim, si vellem, faciamque, ubi id gloria mea, salusque tua exiget. Ita etiam Mariæ Dias de frigoris molestiâ querenti dixit: Ego facio, & tu conquereris?

5. Saltem in moderato peccatorũ supplicio.

Quòd si mala, resque adversas, ut amabiles, & divini in te amoris ac benevolentiæ argumenta intueri non potes; aspice saltem ut Justitiæ divinæ minoribus malis majora mala redimentis in te singulare beneficium, eamque fidei oculo intuens, die cum Augustino: *Hîc ure, hîc seca, ut in æternum parcas.* Dic cum Bernardo: *Ego in flagella paratus sum*, sciens me recipere longè inferiora peccatis: vapulem sanè, vapulem, ut malè operans, si fortè verbera in merita reputentur: fortassè miserebitur flagellato, qui bonum in me non invenit, quod remuneret.

Serm. 44. in Cant.

Augustinus super illud Psalmi 58. *Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem.* Hîc planè terruit, inquit: quem non terreat, quis ad suam conscientiam rediens non contremiscat? quæ etiamsi sibi conscia est pietatis; mirum nisi aliquid conscia sit etiam iniquitatis: iniquitas verò omnis parva, magnáve sit, puniatur necesse est: aut ab ipso homine pœnitente, aut à Deo vindicante. Fecisti quod impunitum esse non potest: cùm ergo non punias peccata tua, libenter admitte, ut illa misericorditer puniat Deus: sicque facies ut à duobus malis libereris, & duo bona consequaris; primum malum, nempe pœnam peccati in futuro reservatam devitas; secundum impatientiam à te amoliris, & per patientiam bonum virtutis, & simul meritum gloriæ tibi comparas. Unde ajebat S. Chrysostomus: Si vis, malum quod pateris, non erit ampliùs malum: age gratias Deo, & malum convertes in bonum: qui impatienter fert, duobus malis gravatur, impatientiâ scilicet, & illo malo, cujus caussa impatiens est. Dum malum mutare non potes, muta teipsum interiùs; & actus virtutum coram Deo exerce, illius erga te providentiam & curam lauda, ut solet æger medicum, qui scalpello aut ferro vulnus secat, aut adurit. Tobias pro felle piscis illuminante gratias egit Deo; Wenceslaus Rex Bohemiæ in captivitate sua idem præstitit, nullo unquam tempore se beatiorem fuisse affirmans; quòd tum Deum mente ferè semper præsentem haberet, antea rarissimè.

6. Vt gravius evites.

Hom. 68. tom. 5.

7. Exemplo Wenceslai & aliorum.

S. Augustinus de S. Petro à

negatione resurgente ait : In sua tribulatione, falsò sese præsumpsisse didicit, flevit, & flendo meruit fructuosè nosse quod fuit, & esse quod non fuit. Quod & in se ipso videtur agnoscere, in suis confessionibus sanctus Præsul, dum quamdiù in se mansit, sibi malè fuisse, ait; quando verò extra se abiit, & fide in Deum exsurrexit, in melius omnia fuêre conversa. L. 4. c. 7.

§. 3.

Pacem animi propter peccata non imprudenter amittendam.

8. Nec pro peccatis quidem pax amittenda.

DE tribus peccatorum generibus, præteritis scilicet, præsentibus, & futuris quæstio agitari potest. Præterita, quæ in pœnitentiæ Sacramento Ecclesiæ Clavibus semel subjecta fuêre, cur animum exagitare, & perturbare debeant, non video; cùm in symbolo fidei, articulum illum, Remissionem scilicet peccatorum, quotidie recitemus, & credere nos profiteamur: qui de illis tanquam non remissis semper anxius est, qui illa memoriâ retractat, examinat, repetit, non tam ut Deo faciat satis, quàm sibi, videtur certè articulo tam manifesto, de remissione peccatorum debili fide credere. Deus ipse de pœnitente & ingemiscente dicit: Peccatorum ejus non recordabor amplius: cur tu contrarium facis, & peccatorum tuorum non qualemcumque, sed excruciantem perpetuò alis memoriam? quid quæris istâ anxietate? an tibi placere, an Deo? incipis placere ait S. Augustinus, dum in te odisti, quod odit Deus, & tibi displicet, quod displicet Deo. Sed & S. Chrysostomus: Deum nihil aliud à nobis dicit exigere, quàm confessionem: quasi, inquit, tibi diceret Deus: Dic tu iniquitates tuas, dic non ut condemneris, sed ut justificeris: dic, & nihil quæro ampliùs; confitere, & mihi sufficit: dic, & totum fero acceptum. Psal. 58. Psal. 141. 9. Considerata Dei clementia Hom. 3. de pœnit.

Attende, quæso, ad Dei clementiam, eamque cum peccati tui malitiâ compone. Tua, inquit idem Sanctus, malitia mensuram habet, Dei verò clementia & pietas mensuram non habet: cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare, aut apparere? quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam, bonitatemque, imò verò longè supra; nam & pelagus licet magnum sit, mensuram accipit, Dei verò clementia & pietas mensuram non habet. Quin imò, ut alibi ostendit, optat summopere Deus; teque, ut peccatum

Super parabola 10000. talentorū.

catum cum humilitate agnoscas, & confitearis expectat, & quod non festines, sed differas, hoc illum molestè habet; paratiorque est ad condonandam offensam, quam tu fuisti ad illam perpetrandam.

10. Peccato admisso tria facienda

Tria cùm in peccatum aliquod incidimus, agenda dicit S. Dorotheus. 1. De illo dolendum, & veniam postulandam. 2. Agendas Deo gratias, quòd peccati cognitionem & sensum, doloremque dederit; & quòd inde humiliandi nos, & infirmitatem nostram profitendi materiam subministrarit. 3. Proponendam emendationem; actionemque quam habemus præmanibus perfectiùs obeundam; ut inde Deo honor & gloria restituatur, quæ per culpam præcedentem fuit imminuta: atque hispacificè peractis ad instar generosi equi, qui post cespitationē alacriùs incedit, etiam deinceps majores ad perfectionem stimuli concipiendi.

11. In admittēdo quid metuendo Isaiæ 43. bonitas cogitanda

Jam quod attinet ad motum in posterum peccandi, quem fragilitatis nostræ consideratio, & occasionum frequentia hostiumque impellentium perpetui conatus animis nostris imprimunt, audiendus est Deus ipse per suum Prophetam nos compellans: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu, cùm pertransieris per aquas, te cū ero, & flumina non operient te; cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel Salvator tuus.

Pulchrè S. Bernardus, quantum ad metum omnem à peccatis nostris manantem compescendū valeat divinæ bonitatis cognitio, declarat his verbis: Dico, inquit, omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad Deum. Neque enim ob aliud proculdubio renuunt, nisi quia gravem & severum imaginantur, qui pius est; durum & implacabilem, qui misericors est; ferum & terribilem, qui amabilis est: & mentitur iniquitas sibi; formans sibi idolum pro eo, quod non est ipse. Quid timetis modicæ fidei, ut peccata nolit remittere? Sed affixit, ea cruci cum suis manibus: quod teneri & delicati estis? Sed ipse cognovit figmentum nostrum; quod malè assueti, & ligati peccandi consuetudine? sed Dominus soluit compeditos. Fortè ne irritatus immanitate, & multitudine criminum cunctetur porrigere manum adjutorij. Sed ubi abundavit delictum, superabundare & gratia consuevit. Quid vultis amplius? quid jam impedit à salute? Sed hoc est quod dico, Deum ignoratis; sed nec creditis auditui nostro; vellem vos expertis credere;

Serm 38. sup. Cant.

quia nisi credideritis, non intelligetis.

12. SS. PP. consilio in Reg. brev.

Ut ad eandem Dei clementiam in angustijs nostris convertamus oculos, sæpè monent nos sancti Patres. S. Basilius multitudinem misericordiarum Dei, & bonitatis ejus magnitudinem sicut animo comprehendere non possumus, ita vult nostram in Deo confidentiam esse sine mensura. Sanctus verò Augustinus animantium irrationaliũ exemplo ad eam nos excitat, quos erga parvulos suos tanto amore ferri videmus, ut etiam clamore, & mugitu ad lac exsurgendum eos invitent; quî fieri ergo queat, ut Deus ad misericordiæ suæ torrentes hauriendos majori nos affectu provocare non existimetur, nec vult malorum nostrorum magnitudine, aut multitudine nos terreri. Sanabuntur, ait, omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies: sed major est medicus: omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit, tantum tu curari te sine, manus ejus non repelle, novit quid agat. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam; novit quemadmodum recreet quod creavit; novit quemadmodum reformet, quod formavit: tu tantum sub manibus medici esto: odit enim repellentem manus suas. *Psalm.* 102

Quid verò is qui ita lãguoribus & tentationibus concutitur, ut de tranquillitate mentis deturbatus, in nescio quam jactationem incidat, tum facere debeat, audiamus apud eundem nobis filum non Ariadnez; sed spei divinæ subministrantem. Aliquando, inquit, in tribulationibus, atque tentationibus hujus vitę, velis nolis, conturbatur anima; quam in illa cõturbatione alloquitur Propheta dicens: *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?* quam ut ei auferat, suggerit consilium dicens: *Spera in Domino, quoniam adhuc confitebor ei.* quod si dicat anima: Quid mihi dicis: Spera in Deum? revocat me conscientia peccatorum: ego novi, quæ commisi: commisisti, verum est: unde tamen speras? quoniam confitebor illi: sicut odit Deus peccata sua defendentem, sic sublevat confitentem: ac spe erecta anima gaudet, & dicit: *Lauda anima mea Dominum.* Ita S. Præsul, id in se expertus quod alijs persuadere conatur.

13. Qui lapsũ metuit, spe se confirmet. *Psalm.* 145.

Hanc verò spem, quæ gaudium adfert, animamque erigit, & in serenitate pacis constituit, in Dei promissis fundari vult idem Sanctus: quia fidelis Deus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam sanctam: quomodò si diceres alicui homini, cui aliquid pro-

14. In Dei promissis fundat. *Psalm.* 144.

promitteres: non mihi credis, ecce ego scribo tibi: etenim quia generatio vadit, & generatio venit, & sic transcurrunt ista sæcula, cedentibus, succedentibusq; mortalibus: Scriptura Dei manere debuit, quam omnes legerent, & viam promissionis ejus tenerēt: & quanta sunt quæ reddidit ex illo chirographo! Si dicat tibi Deus: Lege omnia, quæ in illo tibi promisi; deduc mecum rationem.

15. Imo & factis. Promisi ibi Filium meum unicum, cui non peperci; sed pro vobis omnibus tradidi eum: tum computa in redditis: Promisi ibi per Filium meum pignus Spiritus sancti me daturum, computa redditum: Promisi ibi sanguinem & coronas Martyrum, ubi scriptum est, *Propter te mortificamur tota die*, &, *Astiterunt Reges terræ, & convenerunt adversus Christum ejus*, & Christianos; computa redditum: Promisi ipsorum Regum fidem, & reddidi in effectu, attendi ubi promisi: *Adorabunt eum Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Lege aliud in chirographo meo: *Quoniam fremuerunt gentes, quoniam inimici mei dixerunt mala mihi*, hoc est Christo: *Quando morietur, & peribit nomen ejus?* hæc omnia fecerunt, & dixerunt: Lege quod promisi, cui me solvendo obstrinxi. Prævalebit Dominus adversus eos, & exterminabit omnes Deos gentium terræ, & adorabunt eum unusquisque de loco suo: nempe jam prævaluit, & exterminat omnes Deos gentium terræ. Ante oculos omnium ponit solutionē debitorum suorum. Quædam reddidit sub majoribus nostris, quæ nos non vidimus; quædam reddit temporibus nostris, quæ illi non viderunt; per omnes generationes reddidit, quæ scripta sunt. Nunquid propter pauca quæ restant infidelis est factus? absit, quia fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis; applica tibi promissiones particulares, de remissione peccatorum, de auxilijs gratiæ ad ea evitanda, quæ passim in Scripturis sacris promittuntur, leguntur, & cum teneas chirographum, confide implendas, quia fidelis Deus in verbis suis. Audi eundem Sanctum te confirmantem sequēti Psalmo super illud: *Nolite confidere in principibus, & in filijs hominum, in quibus non est salus*; ut mortalium hominum dimissis promissionibus, ad Deum solum accedas. Fratres, inquit, magnum negotium hîc accipimus, divina vox sonat. Novo enim modo anima tribulata desperans de Domino, vult præsumere de homine: & cùm dicitur illi: Est quidam homo magnus, per quem possis liberari, arridet, gaudet, erigitur: & *Psalm. 145*

16. Et porro faciendis.

& si dicitur illi: Liberat te Deus; quasi desperatione frigescit. Promittitur tibi auxilium mortalis, & gaudes; promittitur immortalis, & tristis es. Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus, & tanquâ aliquo magno auxilio exultas; promittitur ille liberator, qui liberatore non indiget, & quasi ad fabellam desperas: væ talibus cogitationibus, peregrinantur; verè misera & magna mors est in eis: appropinqua, incipe desiderare, incipe quærere & agnoscere eum, à quo factus es: non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur.

17. Deus est adjutor fortis.

O quàm potentem habet adjutorem, qui in Deo solo confidit! Si Deus pro nobis, quis contra nos? Non potest nobis nocere, nisi Deo fortior sit: & quis fortior Omnipotente? Quod intuens S. Bernardus: Ut quid, inquit, cunctamur abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias? & huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spiritûs inhærere? si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? an verò de facilitate non dubitas; sed tibi est suspecta voluntas? planè & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis: majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam quis ponat pro amicis suis: denique quomodo in se speranti desit illa Majestas, quæ tam studiosè monet in se sperari: planè non derelinquet sperantes in se; adjuvabit eos, ait, & eruet eos à peccatoribus, & salvabit eos. Quare? quibus meritis? Audi, quod sequitur: *Quia speraverunt in eo.* Dulcis caussa, attamen irrefragabilis: *De quacumque tribulatione*, inquit, *clamaverint ad me, exaudiam eos*: ecce numera tribulationes, secundùm multitudinem earum, consolationes ejus lætificabunt te, dummodò ad alium non convertaris, dummodò clames ad eum, dummodò speres in eum, nec humile aliquid & terrenum; sed altissimum ponas refugium tuum. Quis speravit in eo, & confusus est? facilius est cælum & terram transire, quàm verbum ejus evacuari.

Super Psal. Qui habitat. *Serm.* 9.

§. 4.

Quomodo pax interior invariis animi afflictionibus, aviditatibus mentis & desolationibus, distractionibus, tentationibusque obtineri possit.

VIr pientissimus, & in remediis animæ sapienter assignandis, sedandisque mentis perturbationibus

Inconclavi c.6.§.4. n.2.

18. Ob tentationes &c. opus bonum ne negligas.

tionibus versatissimus Blosius Abbas Letiensis rectè advertit. Plerosque homines, admodum pios immundissimis imaginibus, vel inauditis adversus Deum & Sanctos blasphemiis ita divexari, ut nec unam quidem orationem Dominicam vel salutationem Angelicam absque diabolicis, inquit, susurris explere possint: illi, inquit, incredibilibus angustiis pressi, se quidem multorum criminum reos esse putant, sed coram Deo veri Martyres sunt. Propter illas immissiones, pressuras & afflictiones, nec oratio intermittenda, etsi innumeris distractionibus obnoxia sit, nec opus bonum negligendum esse dicit: additque si propter injuriam tibi illatam, vel propter maledicta in te, tuosque congesta; sive quamlibet aliam ob causam sentias te irâ vehementer commoveri, aut erga aliquem malè affici, illique invidere; & interim multum tibi ipsi displiceres, ac reprimeres quantum posses, ipsumque per humilem confessionem, atque orationem expellere, ac mortificare conareris, nullum salutis tuæ detrimentum inde accepturum: esset, inquit, tempestas valida in infima regione animæ tuæ, sed in suprema ratio tranquilla voluntasque incorrupta & invicta permaneret. Nihil te ab amicitia Dei alienabit nisi peccato consentias; ut consentias verò, nec diabolus, nec creatura alia cogere te potest.

19. 1. Sed Deū præsentem habe.

Primùm ergo remedium contra hujusmod cogitationes, & præcipuum ad pacem servandam adjumentum est, Deum præsentem, & salutis tuæ amantem intueri, sine cujus nutu nulla tentatio, aut hostilis impugnatio exoritur; ac continuò ejus auxilium instanter efflagitare, ejus adhærere voluntati, & cogitationes ne aspectu quidem dignari, multò minùs examine, eas contemptim præterire alioque mentem avertere, quod quàm sit utile, quotidiano exemplo discere potes.

20. Non peccaturus graviter nisi consenseris.

Fac aliquem à circumforaneo, qui poma aurea, aut cytrina venalia sportulâ circumfert, invitari ad emendum; potest ille se habere duobus modis: primò hominem simul cùm mercibus contemptim tractare, & repellere; si ille importuniùs agat, & emptionem urgeat, potest perstare in contemptu, & ad alia se convertere; si secundò aut tertiò faciat, non facilè deinceps à circumforanei importunitate, quod inde nullum sibi lucrum promittere possit, molestias patietur. Secundò potest ad primam invitationē circumforanei subsistere, poma illa aurea aspicere, manu tractare, appendere, de pretio quærere, licitari: quæ quia fortè non

ita placent, aut pretium excedere videntur, etsi ab illo nôta emantur, propiùs tamen factum est, ut emeret. Primum modum tu tene in tentationibus dæmonis, & à secundo tibi cave: etsi enim sicut alter pomum suum non facit, nisi emat, & pretium numeret; nec tu culpam lethalem admittas, nisi consentias: hujus tamen consensus periculo te exponis, si secundum modum sequaris.

Invicta vita 21. Aut januâ hosti aperueris.

Interrogatus aliquando Gregorius Lopez vir in totius vitæ tenore, & constanti virtutum exercitatione in Mexico admirabilis, quo remedio contra importunas hostis Tartarei suggestiones uteretur, respondit, pulsanti januam se non aperire, nec quid velit, inquirere; multò minùs illum aspectu dignari; sed se in instituto quod habet præ manibus constanter progredi, ac in mentis tranquillitate consistere. Alixiam Congregationis B. V. fundatricem impuris repræsentationibus totos ferè triginta annos mirabiliter infestatam legimus, & continuis iisque acerbissimis corporis castigationibus cum hoste pugnasse; numquam tamen de animi pace excidisse, quod post ejus mortem dæmon in energumenâ sacris verbis adjuratus confessus est: dicens inter tot certamina nunquam potuisse scrupulum menti & de admisso lethali peccato injicere, quo illam de animi tranquillitate deturbaret, eamq; magnis in cælo meritis & præmiis ob tot luctas & victorias auctam, & honestatam regnare.

22. Loricam patientiæ indue.

Catharinæ Bononiensi, post quinque annorum cum cogitationibus à dæmone immissis Andabatorum more in tenebris dimicationem, significavit Christus & Dei Mater, toto illo tempore nullâ graviori culpâ inquinatam fuisse, & toleratas anxietates glorioſis triumphis coronandas: quod in reliquo vitæ decursu ac post illum in corporis integritate, & magna animæ in cælo gloria impletum fuit.

Quicumque igitur hæc prælia præliaris, loricâ patientiæ & longanimitatis pectus obarma, & magnis coram Deo submissionis ac resignationis clypeo te protege. Atque in hoc Patrem Balthazarem Alvarez virum sanctissimũ, S. Theresiæ in via Spiritus ducem imitare: qui variis mentis anxietatibus & tenebris exagitatus exstitit, donec se totum divino committeret arbitrio, atque Deo ex intimo animi sensu tria hæc verba diceret: Puniret, ignosceret, remedium adferret.

Idem Sacerdoti de mentis didistractionibus inter orandum conquerenti suasit, ut à resignatione sui in manus Dei orationem inchoaret; animumque ad omne

omne Dei beneplacitum paratum offerret: sive ille multum, sive parum cælestis benedictionis largiri dignaretur, certus esset se in humili & resignata paupertate gratiorem illi futurum, quàm si sublimis orationis dono potiretur. Ac sicut granum frumenti, nisi moriatur, fructum proferre non potest, ita neminem, qui sibi suæque voluntati non moritur, dignos æstimatione progressus in virtutũ palæstra facturum B. Frãciscus Salesius, ut hanc animi inter ariditates, aliasque vexationes patientiam tanquam omnis tranquillitatis internæ fontem persuaderet, petitum ab avibus exemplum proferre solitus erat: videmus enim avem ad perticam ligatam, aut caveâ inclusam, quò magis se expedire, & evolare nititur, eò magis excruciari, opus illi esse patientiâ, quamdiu herus à pedicis non exsolverit: ita nos cum Deo gerere, si pace frui volumus, oportet: cui conformiter Joannes Davila tria à nobis observanda in istis animi agitationibus ait. Primò, nihil præter Deum, & teipsum habe præ oculis; Deoque tribue quod Dei est, Bonitatem, Sapientiam, Providentiam, tibi verò quod tuum est, & ex teipso tecum trahis, malitiam, infirmitatem, cæcitatem. 2. Ne in via virtutis volando, sed gradiendo, & unum è pedibus post alterũ promovendo, ac difficili ac laborioso, quantùm Deo placuerit; itinere, te aliquid consecuturum existima. 3. Diuturnitas afflictionis, omnisque ratio & modus ex eâ emergendi divinæ voluntati est permittenda, quæ tamdiu istâ nos exerceri vult, donec Deum solum omnis boni fontem esse agnoscamus: si enim continuò tales essemus, quales optamus, votisque nostris responderent interiora virtutum incrementa; pejùs fortassis tum nobiscum ageretur, quàm dum contrarijs ventis urgemur, ac deprimimur; tum enim arrogantiâ intumesceret animus, & infami latrocinio, quod Dei est, nobis ferremus acceptum; atque in perversi & ingrati animi vitium abiremus præcipites.

23. *L. 5. Ep. 1.* Nec te nimium fatiga ut avis volatu moliens è laqueo.

24. Omnia Deo permitte.

B. Alphonsus Rodriguez in admirabili, quam ad Paulum Maldonadum scripsit Epistolâ compendiosum ad amorem Dei & animi pacem viam esse ait; si quis Deo ex animo dixerit: Domine Deus, tuus tuique juris omnino sum, fac de me, ut de re tuâ secundum beneplacitum. Huic vero resignationi S. Theresiæ imitatione animi demissionem profundissimam comitem adjunge: totos illa viginti & amplius annos inter summas ariditates exerçita pacem tenuit, dum adeo abjectè de se sentit, ut nullâ se consolatione dignam existimaret, magnique

25. Ex Consilio Alphonsi Rodriguez.

26. Et peccatis tuis adscribe molestias.

beneficij haberet loco, quòd ad Dei præsentiam conspectumque admitteretur. Agebat illa quod ejus Confessarius in similibus mentis exercitationibus ac derelictionibus agendum monet, ut videlicet has Dei castigationes peccatis nostris debitas agnoscamus: dicamusque Deo; gaudere nos ab ejus suprema Justitia pœnas repeti, quas ejus honori illatæ à nobis injuriæ promerentur, ac paratos nos toto vitæ decursu, & mille annis ultrà eas perferre. Cumque Deus tum libenter in homine sedem, domiciliumque figat, cùm illo suo se loco, ordine, & gradu continet, magnum inde solatium animique pacem redundaturum: si Deus anxietatibus & pœnis te exirnat; iter insistes, quò te ille ducere voluerit; sin minus, quâ cœperas humiliationis viâ, quæ securissima est, ad æternam quietem gradieris.

27. Te consolatione indignum confitere

S. Catharina Senensis dum impurissimis cogitationibus à Dæmone vexaretur, & à Deo se quodammodo derelictam abjectamque existimaret; ita seipsam compellare cœpit: An te, miserrima mortalium, aliquâ consolatione, aut quiete dignam arbitraris? an non tibi sufficit, harum pœnarum ad mortem usq; tolerantiâ inferorum pœnas evadere posse? an ut solatia acciperes, & cæli delicijs alquando fruereris Deo famulari cœpisti? ne de orationibus, exercitiisque spiritualibus, aut corporis castigationibus quidquam diminue, aut detrahe. Hinc illa diutius in posterum permanebat in templo, Deumque, ut tempestatē sedare dignaretur, orabat: donec tandem, ab eo, quamdiu illi placeret, perferenda se obtulit; cumque Dæmon visibili specie comparens, diceret; se non destiturum donec ab ipsâ consensum extorqueret; respondit confidenter, se ad majora etiam pro Deo suo perferenda paratam esse, sibique voluptati fore, si pro ejus beneplacito & amore atrocioribus pœnis exercerentur: atque hanc animi magnitudinem & constantiam pax admirabilis est consecuta.

28. Nihil optare, nihil recusare præter peccatum.

Vides ex his quantum bonum secum adferat ad animi tranquillitatem illud B. Francisci Salesij solemne pronuntiatum: Nihil optare, nihil recusare: nihil optare, scilicet præter Dei beneplacitum; nihil recusare, præter peccatum; cætera, quantamcumque secum vexationem adferant, ferre patienter, & contemnere.

Cumque sola electio secundùm S. Thomam, divinâ adjuvante gratiâ, sit in tua potestate, Dei voluntatem à te, & in te impleri opta; bonas cogitationes, quantùm potes, ale; ut quemadmodum monebat vir sanctus è S. Fran-

30. Occlusâ intellectus portâ in voluntatis arcē te recipe.

Franciſci familia, malè locum jam occupatum inveniant: quod ſi hæ pulſent; fac quod alius ex ſanctis illis Eremi incolis ſuadebat, januam firmiter occlude, nec permitte, ut aditus ſit pervius: quòd ſi nihilominus Deo permittente perfractis foribus Dæmon malarum cogitationum manipulum, qui omnia tumultu impleat, immiſerit; tu in voluntatis arcem, quam niſi permiſeris, irrumpere non poteſt, te recipe; & cogitationum importunitatem tranquillus contemne: ſi enim, ajebat B. Franciſcus de Salez eas propiùs inſpicere, & examinare volueris, & ad omnia quæ ſuggerit Dæmō hærendo, attendere, à rebus melioribus continuò abſtrahêris: tēporis jacturam facies; teque parum utiliter diſcruciabis. Ita illas abjice, ut ne quidem, quid attulerint, voluerintque, intelligas.

A multitudine cogitationum ad unum, quod Chriſtus Marthæ ſuadebat, fuge; quod in tuæ voluntatis cum divinâ conformatione conſiſtit. Hominem tum beatum eſſe dicit Salvianus, cùm habet quod vult; & caret eo quod non vult. Quod ſoli Deo, hominique cum ejus voluntate integrè conſentienti competit: ad quam dum pervenire nititur Seneca, eouſq; ſe illis aptavit, ut cùm aliquid non poſſet, etiam de hoc ipſo lætari ſe diceret & gaudere non poſſe id, cujus poteſtatem Deus ſibi ſuſtuliſſet.

31. Denique è Chriſti Conſilio ſuſtine in patientia. *Luce 14.*

Cùm Chriſtus Apoſtolis ſuis, in ultima concione poſt cœnam, pacem apprecatur: non illam à rebus adverſis, & malorum tolerantiâ vult exemptam; ſed rebus contrarijs exercitam; ijſque ſuperiorem, quod antea alijs verbis ſignificarat, cùm poſt ingentem malorum ſeriem prænuntiatam, pro coronide diceret: In patientiâ veſtrâ poſſidebitis animas veſtras: Quam & Apoſtolus Hæbræis magnis calamitatibus exercitatis neceſſariam eſſe ait, ut Chriſti in hac, futuraque vita promiſſiones reportarent. Et ad Philippenſes inter adverſa confirmandos, optat; ut pax Chriſti, *Cap. 4.* quæ exſupererat omnem ſenſum, adverſitatum ſcilicet, cuſtodiat eorum corda, & intelligentias in Chriſto Jesu. Quòd ſi via impiorum complanata eſt lapidibus, *Eccleſ. 24.* hoc eſt difficultatibus obſita, ut S. Spiritus nos monet, cur viam juſtorum ab ijs exemptam volumus; cùm juſtorum Princeps, & caput per malorum tolerantiam in gloriam ſuam intrare voluerit: Pauluſque ad eandem viam cum humilitate, manſuetudine, & patientiâ capeſſendam Epheſios, & in illis nos omnes adhortetur?

VI. DISSERTATIO.

Sedecim stimuli ad perfectionem sectandam.

1. Stimuli ad perfectionem.

PRimus stimulus petitur à Dei excellentiâ. 2. A Christi Jesu exemplo. 3. A beneficiis Dei. 4. Ab ejus promissis. 5. Ab ejus præceptis. 6. Virtutis pulchritudine. 7. Ab exemplis Sanctorum. 8. A satisfactione pro peccatis. 9. A periculis salutis. 10. A jactura temporis. 11. A Dæmonũ in nos odio. 12. A Dei judicio. 13. Ab otiosorum supplicijs. 14. A periculo ne à Deo deseramur. 15. Ab ejus spectantis præsentia. 16. A studio animum excolendi.

1. *Stimulus à Dei excellentia.*

2. Ius Dei excellentia.

QUò is, cui obsequia devovisti, dignitate præstat; eò majori studio ac reverentiâ à te colendus est, cùm Deus Monarchas omnes infinito intervallo dignitate, & Majestate post se relinquat; eò etiam diligentiorem, debes illi famulatum: & cùm bonitate, ac amabilitate longè omnibus antecellat; amore etiam affectuque qui omnium aulicorum erga Principes suos benevolentiam superet, à te est prosequendus: cumque illi de bonis Principis sui impensè gaudeant, & de malis similiter contristentur: ita longè ampliùs de divinæ Majestatis honoribus efferri gaudio; ac de offensis tristitia affici te oportet; cum inter utrosque infinita sit distantia, atque distinctio. Seraphinorum hac in parte sacræ paginæ nobis proponunt exempla, quos in Dei conspectu faciem pedesque alis suis obtegere Isaias vidit, quasi verecundiâ tangerentur; quòd Deum, uti par est, non amarent; non laudarent; non venerarentur: quid ergo te facere oportet, qui beatis illis spiritibus comparatus, vix ad vermiculi conditionem assurgis?

3. Cui stultum est te vel tui umbra preponere

Vide quam injuriosus illi sis, cùm rei alicujus creatæ amorem ejus in te charitati anteponis. An non ridiculus esses, si umbram corporis tui, quàm in solis lumine obambulans conspicis, pluris teipso faceres? An non desipere te crederes, si tui imaginem in fonte, aut speculo repræsentatam, ut alter Narcissus adamares, oscularis, & amplexu velles astringere? An non idipsum facis, dum rei alicujus amore implicitus, Deum deseris? An non audis Davidem tibi puerorum stultitiam objicientem, qui rebus solidis abjectis,

ctis, papiliones persequantur? Filioli, inquit, ut quid diligitis vanitatē, & quæritis mendacium? Sapientissimus Job, & post illum cæleſtibus visis edoctus S. Paulus ea quæ amas, umbras vocant; quin tu eorum judiciis tuum conformas? Quin potiùs cælum mēte conscéndis, & beatarum mentium erga Deum ambrem, & venerationem fidei oculo contueris, & illa Psalmistæ verba appendis: Magnus Dominus & laudabilis in civitate Dei nostri? Eorum, quæso, te laudibus adjunge, & modò incipe quod totâ æternitate facturus es.

Cap. 24.

1. Cor. 7.

Psalm. 99.

4. Cujus famulatus in tuam redit utilitatem,

Persuade tibi, quod S. Augustinus monet, Deum scilicet salutis tuæ cupidum & quodammodo avarum, nec laudibus tuis aut honoribus obsequijsvè crescere, nec vituperijs decrescere; sed totum quod illi amoris & venerationis exhibes, emolumentis tuis accedere. Cole tamen illū, ama, & reverere, quia dignus est, & quidquid obsequiorum interiùs, exteriusque colligere potes, ad illum transfer. Nec externo cultu contentus esto, ne sis ad instar parietis dealbati, aut vasis externâ specie pretiosi, quod terrâ argillavè, vel potiùs luto refertum oculis spectantium illudit. Deum veritatis amatorem in veritate venerare.

7. *Stimulus. Exemplum Christi.*

5. 2. Exemplum Christi. *Psalm. 99.*

ILle suo nos exemplo ad perfectum amorem, virtutumque ardens studium invitat: illum nos intueri continuò vult S. Augustinus, tanquam amoris sponsum, qui animas nostras deformes & peccatorum sordibus inquinatas adamavit, atque ut eas pulchras redderet, tantum laboris, supplicioruмque patienter tulit: cur in laboris communionem pro eadē pulchritudine conservanda, agēdaque non accedimus, non tam ut nobis quàm ut illi, qui id impensè desiderat, gratificemur?

6. Cui nos debemus.

Multis titulis corpus & animā Christo debes, non aliter quàm si aliquis Regi suo pro millione auri, quatuor nominibus esset obstrictus, 1. Ut tantam summam furto antè sublatam restituat. 2. Ut damnum, quod majus intulit, compenset. 3. Ut commodatum refundat. 4. Ut emptæ rei pretium persolvat. Quòd si Rex rei familiaris angustias in illo homine intuens, ejusque misertus totam summam benignè remitteret, dummodò duos obolos, quod facile potest, appendat; insulsū & ingratum illū existimares, si illos regi cōtinuò & perlubēter non offerret: Corpus & animam habes, velut obolos, & quos cum injuria Christi, qui pretio

pretio sanguinis eos sibi vindicavit, diaboli per peccatum oppigneratí; cur non illos statim restituis? Tua vita vitæ Christi comparata sic se habet, sicut vita culicis ad vitam hominis; ille suam pro tua dedit, cur illi tuam vicissim non impendis? Ama me, *Lib. 1. c. 1.* ait S. Brigittæ, plusquam Patrem, & Matrẽ; plusquam liberos tuos, & quidquid in mundo habes charissimum; quia ego te plùs amavi; & amor amore compensandus est. Sed amandus est Deus, non verbo tantùm & linguâ; ut monet S. Joannes; sed opere, & veritate. An tu Regi gemmas adulterinas, & puerilia crepundia offerre auderes? Vide quæso, qualia donaria, qualemque amorem in ara cordis tui singulis diebus repræsentes Deo. A liberis suis prodigi, & dissipari pecuniam, quam magno labore compararunt, ægerrimè ferunt parentes: quantis angoribus, & supplicijs tibi gratias ad operandum necessarias promeruit Christus, quas tamen socorditer negligis? Christi in te similitudinem expressissent, si debitè illis uti voluisses: nunc earũ neglectus, & contemptio fecit, ut actionibus tuis monstrum potiùs, quàm Christum repræsentes. S. Gregorius Nyssenus præcipuum Christiani officium esse ait, moribus suis, & quotidianis actionibus Christum exprimere.

7. Ob paratas tibi opes spirituales.

De forma Christiani.

Et quemadmodum non ferrent aulici regiæ dignitatis tuendæ studiosi, ab aliquo pictore Regis pulcherrimi effigiem deformem exhiberi, quæ apud illos qui Regem formosissimum esse inaudierant, multum de opinione diminueret. Ita nec beati spiritus Christianum moribus inquinatum, & alia omnia potiùs, quàm Christum repræsentantem æquanimiter non ferunt. Qui se sanguine prognatum regio gloriatur, si scurræ ludibria imitatur, injuriam facit Regi, ejusq; in se iram provocat. Alexander Magnus ignavo militi, qui Alexander appellabatur; Aut nomen illud, inquit, dese, aut generosiùs age. Id ipsum tibi à Christo, si Christianismum væcordiâ deturpas, dici existima.

3. *Stimulus à beneficijs Dei.*

TUnc, ait S. Ambrosius, oblivisceris Dominũ, cũ oblitus fueris tui: si autem agnoscas, infirmum te esse, cognosces Deum esse super omnia, & immemor esse non poteris; ut ei debitam reverentiam solvas: Totus scilicet es beneficium; atque totum te, nisi ingrati notam velis incurrere, Dei obsequio, amoriq; debes impendere. Guilielmus Parisiensis nos circumdari beneficijs, tanquam igne copioso existimat;

8. *L. de Abr. cap. 7.* 3. *A beneficijs Dei quæ cognoscis à te cognoscas. D. Rhetorica Christiana.*

mat; monstriqúe adinstar habendum, corda nostra inter tot flammas in amore divino frigescere.

Ipsimet æquum, justumque esse, ut semper & omni loco, cordibus sursum erectis pro beneficijs gratias agamus, unanimiter in Missæ Sacrificio agnoscimus & confitemur. Cùm enim Sacerdos de hoc in præfatione nos commonet, respondemus: Æquum & justum est. quod ille confirmat tono altiori pronuntians: Verè dignum & justum est, æquum & salutare, semper & ubique gratias agere. Nec ad id sufficiunt verba, sed digna tantis beneficiis obsequia requiruntur; quod ut fiat, quatuor mihi exigi videntur. 1. Ut beneficia cognoscantur, æstimentur. 2. Ut benefactori gratiæ agantur. 3. Vt ijs ad finem, quem ipse intendit, gloriam scilicet suam nostramque salutem utamur. 4. Vt sicut ab ejus insigni erga nos charitate beneficia proficiscuntur; ita nos sincero amoris affectu illi famulemur. Quod à feris ratione destitutis factitatum legimus. Leonem in America cum dracone pugnantem juvat vir nobilis illac transiens, tela sua in Draconem contorquens, & Leoni victoriæ ansam subministrans; gratus erga liberatorem suum Leo, illum secutus est, eique ut agnus mansuetus adhæsit, donec herus in Europam rediturus navim conscenderet; cùm enim in navim à nauclero non reciperetur, & jam navis è portu solveret, avelli se à benefactore suo non passus in mare se cõjecit, navimque quo ad potuit secutus est, donec viribus deficientibus exspiravit. Canes, aquilas, aliaque animalia erga benefactores paribus obsequijs certasse produnt historiæ, ut meritò mortalibus ingratis vitium tam deforme improperare videantur.

9. Quatuor exigit gratitudo.

Si pauperem & mendicum vir locuples non tantùm victu, vestituque sublevaret, sed insuper ob enorme crimen in carcerem conjectum, atque ad furcam damnatum inde venditis omnibus facultatibus suis illum eriperet, atque ejus causâ in extremam se paupertatẽ redigeret; quomodo hominem tam sui amantem mendicus ille redamaret, ac vicem in eo juvando repẽdere conaretur? Plura pro te fecit Christus: O si illa agnosceres, & bene perpenderes! Dixit aliquando ipse sanctæ Brigittæ: Ego sum Rex ditissimus, qui omnibus do necessaria, nec minùs propterea post datum habeo. 2. Sum mitissimus, qui omnibus petentibus paratus sum dare. 3. Sum sapientissimus, qui novi, quid unicuique debeatur, & expediat. 4. Sum plenus charitate, quia paratior sum ad dandum, quàm aliquis ad petendum. An non tanto Regi, tamque amabili omnia à subditis

10. Idea beneficij divini à paupere redempto petita.

L. 1. c. 15.

obsequia meritò deferenda? Vide tu, qui unus ex illis es, quid hactenus feceris; & quid in posterũ facere debeas; præsertim cùm te in omnibus laboribus tuis sublevare paratus sit.

4. *Stimulus à promissis quæ Deus fecit servis suis.*

11. 4. A Divinis promissis.

HAnc considerationem magni fecit S. Paulus, qui propterea ad Ephesios scribens: Non cesso, inquit, gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis ut Deus Domini nostri, Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & revelationis in agnitionem ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis.

Christus ipse in Euangelio, quàm sæpè ad omnia relinquenda & ad sui sequelam homines promissis allicit? Samaritanam aquæ in vitam æternam salientis pollicitatione in casses suos pertraxit: S. Brigittæ inter cætera dixit: Si nihil nisi me desideraveris, si omnia pro me contempseris; ego dabo tibi stipendium pretiosissimum & dulcissimum: non aurum, & argentum, sed meipsum in sponsum, & præmium.

Hoc promissionum argumento sæpè utitur S. Augustinus, tanquam ad excitandos animos telo potentissimo. Noli attendere, inquit, quà iturus sis, sed quò venturus sis: tolerabis dura temporalia, sed ad lætitiam perventurus es sempiternam: operarius in vineâ deficeret, nisi attenderet, quid esset accepturus. Veterani homines, qui laborant in militia, & versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute, exeunt senes, ut habeant paucos dies quietos senectutis suæ; quanta dura tolerant, quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? Et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies senectutis quietos illos, ad quos utrum pervenient, nesciunt. At verò labore tuo transacto veniet tibi regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus. Hinc alibi monet; noli esse piger in labore breviter; & gaudebis incessabiliter: paucos annos labora; cum vivis labora; inde jam requies erit, quæ non habebit finem: Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros infinitos; siliquam laboris ad requiem incredibilem. Hortatur proinde, ut opera præmittamus, quàm possumus perfectissima, quia

11. Ex doctrina S. Augustini in Psalm. 36.

Psalm. 36.

quia totam æternitatem hyeme hac transactâ in suo vigore, præmio sempiterno coronata permanebunt. *Psalm. 148.*

Modò, inquit, cornu populi sui humile est in trituris, in tribulationibus, in tentationibus, in tunsione pectorum; sed exaltabitur, quando vincerit Dominus, & ortus fuerit sol justitiæ Christus, de quo dicitur vobis, qui timetis Dominum: orietur sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus: ipse erit æstas nostra: modò fructus per hybernum in radice non apparent; æstas procedit, vita illius clarificatur, procedit honor filiorum; vestitur vitis in facie, ex eo quod habet in radice: ibi est radix tua, ubi est fides tua; ubi est spes tua, & charitas tua; cum Christo scilicet in Deo; in quo vitam nostram absconditam dicit S. Paulus: & cum Christus apparebit vita nostra, tunc cum illo apparebimus in gloria. *Coloss. 3.*

13. Licet res tuæ in pejus abire videantur. *L. de Comp.*

Nec est admittenda animi circa promissa quædam hallucinatio; quasi vel propter Dei erga nos mutationem, aut rerum in pejus abeuntium difficultatem vacillet fides; cum ut in Abrahamo, Josepho, & Tobia in Dei promissis firmitate animi confisis, omnia, quæ sperabant, impleta videamus: ut rectè notat S. Chrysostomus. Omnium carni & sanguini adhærentium voces sunt: Ubi est spes vestra? Ecce omnia votis vestris contraria evenerunt. Expecta finem, Deumque in promissis suis fidelem reperies.

B. Margareta Columnensis paulò ante mortem pro ingentibus doloribus, quibus diu exercita fuerat, Deo gratias agens, vel eo titulo Deum in se beneficium deprædicabat; quòd multam patiendi materiam subministrasset, spiritumque suum in libertatem asseruisset, juxta Christi promissa, quibus innixa mala in bonis reponebat: unde sæpe rogabat adstantes, ut Deo supplicarent, ne vel hilum è doloribus imminueret; sed augeret potiùs: ut pudoris & confusionis expers coram illo ex hac vitâ discedens compareret.

5. *Stimulus à præceptis Dei.*

14. 5. A præceptis Dei. Duplex Dei voluntas, imperans & suadens.

DEi voluntas duobus modis spectari à nobis potest: aut aliquid præcipiens sub peccato; aut solùm indicans rem aliquam sibi gratam, acceptamque futuram; nullam tamen culpam contrahendam si omittatur: Atque hoc postremum ad animam Dei amantem exstimulandam satis esse, nemo est qui dubitet. Cur, quæso, cùm Deus aliquid præcipiens, aut à nobis fieri desiderans; nobis, non sibi studeat, & com-

modet; nos eodem modo, ut Deo gratificemur; ejus voluntati non obsecundemus? Nihil, inquit S. Augustinus, Deus jubet, quod sibi prosit; sed illi, cui jubet: ideò verus est Dominus, qui servo non indiget & quo servus indiget: & tamen amicitiam suam nobis offert, qua melius excogitari nihil potest; si ejus jussis obtemperemus. Vos amici mei estis, inquit, si feceritis ea, quæ mando vobis. Quod admirans idem S. Augustinus exclamat: O magna bonitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino; famuli Deo, subjecti potenti, mācipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, ut à nobis obsequia debitæ servitutis extorqueat.

Ioan. 15.
Serm. 3. de verbis Domini.

15. Præcepta servanda ex charitate.

Amor ad hæc præcepta observanda adferendus est, non timor. Nam, ut idem ait, nemo invitus bonum facit, etiamsi bonum est, quod facit; quia nihil prodest spiritus timoris, ubi non est spiritus charitatis. Multi ne progrederentur ad illicita, acceperunt compedes, compede sapientiæ, compedes verbi Dei: quare illos Psalmista dicit alligari vinculis, sed ferreis, & non aureis: ferrea sunt, inquit S. Doctor, quamdiu timent; ament & aurea erunt: timor tormentum habet, ideoque vinculum ferreum est, per quod pervenitur ad aureum, quia charitas superveniens foras mittit timorem. Nondum diligunt justitiam, sed timent pœnam, & timendo pœnam jam acceperunt compedes; & in vinculis ferreis erudiuntur; à timore incipiunt, finiunt in amore. Ipse præterea contra Cælestinum scribens; nullum præceptum amanti ait videri difficile. Et provocat ad experientiam, ut quicumque invenit laborem in præcepto, ad impetrandam facilitatem oret, & mitigata omnia reperiet. Aperiat os cum Propheta, & dicat: Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam. Non ut in cognoscendi desiderio subsisterem; sed, ut gratiâ alas subministrante, ad eorum perfectam observationem transvolarem: sciens, quia tu mandasti mādata custodiri nimis. Aperuit os confitens, quod per se ipse non faceret, & attraxit unde faceret. Nihil enim aliud orat, quàm ut præcepta, quæ Deus imponit jubendo, implere faciat adjuvando. Propterea subjungit: Illumina faciem tuam super servum tuum, quasi diceret: Manifesta tuā subveniendo & opitulando præsentiam. Infunde charitatem, cujus ope, sine angustijs, via quoque ambulatur angusta: Scribe legem tuam in cordibus mortalium, non quam memoriâ teneant, & vitâ ne-

Psalm. 140
1. Ioan. 4.

16. Ad quam disponit timor.

Psal. 118

Psalm 118. vers. 12. negligant; sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris angustijs; quem servilem appellat Apostolus: alius est enim timor castus permanens in sæculũ sæculi, quo timetur offendi, qui amatur: aliter quippe timet adultera virum suum, aliter casta: adultera, ne veniat; casta, ne deserat. Hunc timorem petebat David, dum dixit: Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.

17. Rosa apud gentiles obedientiæ. l. 2. de Isaac

Quàm potens autem sit hic amor & timor, ad mandatorum observationem; patet ex ijs, quæ in profanis cordibus tam amor, quàm timor profanus potuit. Si Nicetam audimus, apud Chasios tanta viguit obedientia, ut vel ad unicum magistratûs nutum se de rupibus præcipites darent; in aquas vel flammas morte contemptâ desilirent. Admiratus est id Egnat. l. 5. cap. 6. Campaniæ Comes Henricus in gente Persicâ ad montem Antilibanum considente: ad cujus Principem cum divertisset; is, ut suorum ad obediendum alacritatem ostentaret, nominatim in suprema turri cum alijs excubantem evocavit; qui continuò è turri desilijt, & obtritus vitam finijt: cumque alios eodem modo Princeps evocare pararet, obstitit comes, & precando ne id faceret, vix tandem obtinuit.

Scipio Africanus major, ostendens trecentos Romanos milites sese exercẽtes, & præterea turrim præcelsam mari imminentem ait: Nullus horum est, qui non conscensâ istâ turri, semet continuò ex illa in mare præcipitaturus sit, si jussero. Sapienter cùm Pachomio ratiocinari possumus, cùm unicus Dei nutus tantùm supra mortalium Principum jussa emineat, quantum infinita ejus Majestas illos antecellit; ejus timorem & amorem ad alacriter quælibet ejus jussa capessenda plus virium, si ut par est apprehendatur, habiturum esse. Plutarchus ad Rom. Apop.

6. Stimulus à pulchritudine virtutis.

18. 6. A pulchritudine virtutis.

GEminam de virtute sententiam pronuntiarunt Ethnici. 1. Tantum ejus esse pulcritudinem, ut si oculis conspici posset, mirabilem sui amorem in animis nostris excitaret. 2. Illam esse in monte constitutam, & non nisi per ardua & confragosa magno labore ad illam ascendi: communique ore circumferebant χαλεπὰ τὰ καλά: difficilia, quæ pulchra.

Consentit huic pronuntiato doctrina Christi, qui Rex justitiæ, sive virtutum dicitur, quòd in ejus regno non sanguis; sed virtus nobilitet; & sola honoris

& dignitatis gradus dispenset. hâc primâ amari, & quæri vult Christus; & pro ejus tanquam pretiosæ margaritæ acquisitione omnia vendi, amori proprio generosa abnegatione bellum indici; & per cruces continuasque sui victorias constanti animo gradum facere, nec retro converti.

Deus ipse, cui Angeli, tanquam omnium virtutum, & sanctimoniæ abysso Sanctus, Sanctus, Sanctus concinunt, ut nos ad eas prosequendas exstimulet seipsum pro exemplari proponit dum dicit: Estote sancti, sicut & ego sanctus sum; estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est: sed ad tam excellentem imitationem nulli nisi violenti, qui scilicet vim sibi faciunt pervenire unquam possunt.

19. Ad quam molliculam pervenit. *L. 3. Ep. ult. L. 2. de Abraham. c. 7.*

Nihil molliculum, nihil fractũ ad laudem pervenit, ait S. Ambrosius, regnum cælorum cogitur, & cogentes rapiunt illud: Virtutem proinde, similem terræ promissionis esse ait, si fructuum ubertatem aspicias, fœcundasque ejus proventiones, cogitationum primitias, meritorũ vindemiam, quæque frumento vino & oleo replet interiorem domum; sed ad illam non nisi per arentes deserti saltus, & laboriosam circuitionem, multaque cũ finitimis bella perveniri posse. Cui consentiens grandenus eremi incola, ideo ajebat, non proficimus, quia patientiam non habemus in opere, volumusque virtutem sine labore possidere. Da mihi hominem, dicebat S. P. Ignatius, qui labori continenter se vincendi & domandi seriò velit incumbere, & paucis hebdomadis ego tibi illum Sanctum, hoc est omni virtute instructum reddam.

20. Barlaami experientia, *c. 19. &c.*

Expertus est hujus pronuntiati veritatem magnus ille Barlaam Josaphati instructor; qui laboriosam esse virtutem confessus, eam tamen ubi ad habitum perducta fuerit, vix evelli posse, mirâque facilitate in actum ferri ajebat, suoque id confirmabat exemplo: cum enim præsentiæ divinæ, & contemplationis habitum jam acquisiisset, mentemque interdum vellet ad alia divertere, tantam in eo difficultatem, molestiamque percipiebat; ut id nullo modo ab animo impetraret qui ad contrariam cogitationem inflecti non poterat, & continuò ad Dei præsentis contemplationem cum voluptate revolabat.

21. Sed spinis abeunt in rosas.

Quid plura! quod asperum, hispædum & horridum est in acquisitione virtutis, id, illâ jam partâ, in plenos voluptatis latices redundat, animamque admirabili suavitate perfundit: testatur id egregius inter Christianos Japon, qui post quatuor annos tetri carceris,

ceris, in epistolâ ad amicum, inter cætera ita loquitur: Jam video, irrisiones, contemptus, carceris molestias, opprobria, reliquasque molestias regum opibus, & coronis esse anteponendas; quadriennium exegi in ergastulo, & vix unum diem ibi me fuisse existimo: ita sensus intimæ voluptatis omnem carceris amaritudinem absorbuit.

7. Stimulus, Sanctorum exempla.

22. 1. Exempla Sanctorum. *In vita.*

HOrtabatur S. Antonius, ut ea sibi frequenter ante oculos ponerent: Recordamur, ajebat, quæ sancti quique fecerunt, ut exempli memoria animum incitet ad virtutem, refrænet à vitiis. *In Conf.* Quæ sunt potentiora verbis. Hærentem in primis conversionis initiis ob difficultates S. Augustinum, cælum ipsum ostensis puerorum puellarumque exemplis animavit, hoc solum ingeminans: non poteris quod isti, & istæ? Exempla præceptis potiora plerique antiquorum censuêre, quod S. Joannes Damascenus hoc probat argumento: Siquidem, inquit, si cui difficilis via incunda est, non perinde quisque monendo ac cohortando persuaserit, ut eam ingrediatur, ac ostendendo multos eam confeciisse ac tandem percommodum diversorium nactos esse, Tertullianus hâc in parte Ethnicos lacessit. Multi, inquit, inter vos ad patientiam doloris hortantur, Cicero in Tusculanis; Seneca, Diogenes, Pyrrhus, Callinicus; nec tamen tot verba inveniunt discipulos, quot Christiani factis docendo. *In prologemeno, v. Barlaam.* *In Apol.*

Zeno Philosophus, de animi immortalitate differens, ajebat ad eam sibi persuadendam plus habere virium Indi Philosophi exemplum, qui ut illam probaret, se publicè flammis extructo rogo consumendum tradebat, quàm aliorum Philosophorum prolixæ ad eum veritatem stabiliendam disputationes. Cicero etiam plus Reipublicæ detrimenti adferre Principem malo exemplo, quàm peccato asseruit: quia peccatum non vulgatum soli Principi nocet, exemplum ad plures transit. Ad eundem modum Sanctorum exempla plus Ecclesiæ prodesse existimo, quàm opera intra humilitatis latebras recondita. Sive bona. De legibus. Sive mala.

23. Patet in S. Francisco. *In ejus vita.*

Hoc in se expertum S Franciscum affirmat S. Bonaventura: Ex recordatione, inquit, Sanctorum, tanquam lapidum ignitorum, in Deificum recalescebat incendium. Hoc de se prædicat etiam S. Augustinus: Exempla Sanctorum, inquit; quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant, & consumebant *Conf. l. l. 9. c. 2.*

mebant gravem torporem nostrum, & accendebant me valdè;

Et S. Ignatio. quod in S. Patre nostro Ignatio luculentè probavit insignis illa ex lectione piorum librorum, in quibus Sanctorum exempla continebantur, ad meliorem vitam capessendam eosque imitandos deliberatio, & singulare propositum. Rectè enim S. Jacobus eos nobis similes fuisse ait, passibiles, & communibus mortalium infirmitatibus expositos, ut non arbitremur esse supra vires nostras, quod illi, aspirante divinâ gratiâ, ausi sunt; cùm idem sit futurus adjutor Deus, qui ad similia audenda eorum exemplo nos provocat, & paria gratiæ suæ pollicitetur adjumenta. Quod ipsum

24. 3. Satisfactio pro peccatis. dæmoni respondit S. Apollonius, cùm ab operibus heroicis exemplo Sanctorum patrandis deterrere illum diabolus conaretur.

8. Stimulus: pro peccatis commissis satisfactio

Cap. 6. SAnctus Paulus ad hanc satisfactionem Romanos exhortans: Sicut exhibuistis, inquit, membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem;

Ibid. ita nunc exhibete membra vestra justitiæ in satisfactionem: in quo dicit, humanè se cum illis agere, quia, ut rectè advertit S. Chrysostomus, æquum esset, ut diligentiùs ferventiusq; serviretur Deo, & justitiæ; quàm dæmoni, & peccato. Nihilominus, ut benignè vobiscum humaniterque agam; si propter infirmitatem carnis, amplius non potestis, inquit Anselmus, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat sancta libertas, quos in carne validos habuit usus terrenæ voluptatis. Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor; sed ipsius libido voluptasque peccati; sic ad justè vivendum non vos supplicij metus urgeat, sed delectatio ducat, charitasque justitiæ: in iniquitate secuti estis voluptatem, nunc pro justitia debetis tolerare dolorem. Ibid.

Cap. 4. Exigente id Propheta. Plus exigit Propheta Baruch: Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo, ita decies tantùm convertentes, vel conversi, requiretis eũ: Græca vox δεκαπλασιάσατε, decuplate, vel decies amplius quærite Dominum: Delicati mei, inquit, ambulaverunt vias asperas; ducti sunt, ut grex direptus ab inimicis: nunc validiores Dei beneficio effecti omnia illa in decuplum resarcient.

25. Et suadente Davide exemplo, Psal. 118. David peccarat oculis, & libidinoso fœminæ aspectu, indeque secuto adulterio & homicidio divinam Majestatem violarat; cui ut

ut faciat satis, oculos sceleris auctores continuis lachrymis corrumpit. Exitus aquarum, inquit, deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Sed ad tanti criminis satisfactionem hoc
Ps. 76. non videtur satis: propterea dicit, Anticipaverunt vigilias oculi mei; quasi diceret: Antequam vigiliæ militares inciperent, oculis ego excubias ad orandum, & mente potiùs, quàm ore gemendum, indixi. Turbatus sum, &
L. 24. non locutus. Denique oculos meos à malo usu, in bonum converti; oculi enim mei semper ad Dominum, non ad terrena, ut antè; sed ad Dominum, quem deprecari non cesso pro remissione præteritorum, & seriâ in futurum emendatione, dicens illi: Averte oculos meos ne videam vanitatem.

26. Ps. 118. Et Christi consilio. l. 1. c. 2. Ad similem satisfaciendi voluntatem, laboresque plurimos isto fine subeundos animat S. Brigittam Christus: Si, inquit, laboris, & infirmitatis pondus times & vereris; cogita, quam grave sit ardere in igne. Quid mererēris, si aliquem Dominum temporalem, sicut me, offendisses? Ego enim, etsi te toto corde diligam, tamen contra justitiam ne in uno quidem puncto faciam, quo minus sicut in omnibus membris deliquisti, ita & in omnibus facias satis: tamen propter voluntatem bonam, & emendandi propositum justitiam cum misericordiâ commuto; remittendo graviora supplicia pro modicâ emendatione. Amplectere itaque libenter modicum laborem, ut mundata citiùs ad præmium magnum perveniās: decet enim sponsam cum sponso fatigari laboribus, ut tanto majori fiduciâ, cum eo requiescat. Contra Babylonem scelerum multitudine contaminatissimam audita est vox de cælo dicens: Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus: reddite illi, sicut & illa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera ejus: in poculo, quod miscuit vobis, miscete illi duplum: quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Cogita tantumdem tibi dici; ut præteritorum annorum offensis facias satis, & fortiter ea suscipe & amplectere.

27. Et Monachi praxi. Id agebat ex illis sanctis eremi incolis unus: qui dicebat se relictis sublimioribus contemplationibus, quibus se indignum arbitrabatur; semper ante oculos habere peccata sua, tanquam accusatores à dextris & sinistris, suppliciis æternis dignissimum esse proclamantes: Hâcque cogitatione ad aspera quæque toleranda sese animabat. Alter verò ex il-

lis, priùs ad divinæ Majestatis pedes prostratus, peccataque confessus; ad Angelorum, reliquorumque sanctorum subsellia descendebat, & ut pro se intercederent, deprecabatur; denique ad inferos usque cogitatione provolvebatur, & inter illic gementes, non, sicut illi, desperabundus, sed misericordiæ divinæ se committens peccata deplorabat; atque ad satisfaciendum se offerebat. Viator qui lentè processit, ubi videt parum solis supereſſe, veretur que urbe excludi, passus congeminat, ut præcedentis negligentiæ damnum reparet: fac tu similiter.

9. *Stimulus: pericula salutis, quibus expositi sumus.*

28. 9. Pericula salutis. CUm aliquis in gravi aliquo periculo versatur, tum demum soporem excutit; ad omnem evadendi occasionem excubat, industriamque diligenter adhibet. Qui per angustum pontem vastis hinc inde, præruptisque præcipitiis horridum incedit, sedulò attendit ubi pedem figat: Nauta, qui per maris sinum saxis latentibus naufragosum cursum tenet, ad clavum vigil excubat: idem nos, ait S. Syncletica, qui majora inter discrimina vitam agimus, præstare oportet. Addit S. Macarius, Christianum hominem similem ei esse, qui ingentibus thesauris onustus, per silvam prædonibus obsessam iter instituit; qui sub timore degit, & tremore, nec flosculis, qui occurrunt colligendis, aut avium concentibus immoratur. Gratiæ, & animi divitias, medios inter hostes, nobiscum ferimus; an non meritò accusabimur insaniæ, si rerum fugientium flores, aut hominum applausus, media inter pericula, consectemur? In medio laqueorum ambulas, ait S. Ambrosius, quos absconderunt tibi in via inimici tui: omnia ergo circumspice; ut effugias sicut damula de retibus, & sicut avis de laqueo. Damula retia aspectûs vivacitate declinat; avis declinat laqueos, si ad superiora se conferat, & terrena supervolat; in superioribus nemo tendit retia, laqueos nullus abscondit: ideo cujus conversatio in supernis est, hujus non solet in prædam venire captura.

29. Hom. 27. Quorum simile in viatore thesauris onusto.

Lib. 6. Hexam. c. 8.

Notat S. Augustinus dæmones ubique laqueos tendere; illosque in quotidianis cibi, & potûs somnique necessitatibus, in piis etiam erga proximũ operibus abscondere, & sæpè non sine suo lucro nostroque damno. Quod à S. Dominico adjuratus, & per monasterij loca circumductus non celavit.

In conf. 30. Dæmonibus ubique laqueos tendentibus.

lavit. Quid quod etsi Dæmon inducias concederet, insidiatorem nihilominus, impulsoremq; domesticum circumferamus, à qua plus esse periculi, quàm ab ullo extraneo, existimat S. Bernardus, qui ubi attulit illud Psalmi, impulsus eversus sum ut caderem: Quæris: inquit, quis ille impulsor? non est unus: impulsor Dæmon est, impulsor mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit quæris? quisque tui. Noli mirari, usque adeò homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. Manus tua, consensus tuus est. Corpus ad instar navis esse, cujus nauclerus sit animus, dictum aliquando S. Brigittæ. Inferiorem hujus navis partem aggreditur delectatio, & homine non satis attendente sensim perforat, & aquam sine strepitu immittit & submergit. Adamus, teste S. Chrysostomo, navis erat preciosissimis onusta mercibus, quàm cum unius pomi voluptas perforasset, miserando naufragio, cum tota posteritate perijt.

85 in Cãt.

31. A simile navi, cujus sententiam perforat delectatio.

In ejus vita.

Nisi adsit timor sanctus, impossibile est, ait S. Ægidius hominem perseverare in gratiâ, & qui illo destitutus est, certum habet suæ perditionis argumentum. Nulla è creaturis prolapsa esset, nisi priùs hunc timorem deposuisset. Qui non timet, nihil habere videtur, quod possit amittere.

Caussa cur tanta celeritate etiam relicto pallio Joseph fugerit, si D. Hieronymo credimus, fuit; quòd timeret, ne virus paulatim serperet, sicut in morsu rabiosissimi canis evenire solet: vel ut ait S. Chrisostomus, quòd à solo vestis attactu sibi cavendum existimaret, sicut pestilentiâ grassante, vestem veneno infectam continuò rejicimus. Utinam in rebus animi parem ad pericula salutis evitanda diligentiam afferremus!

23. Sequere imitare fugam Ioscphi.

10. *Stimulus à temporis pretio, & jactura.*

10. Temporis pretium.

TEmpus non malè molæ versatili nunquam cessanti comparaveris; cui si materiam utilem proterendam, ut frumentum, hordeum, aliudvè hujuscemodi subjeceris; non sine fructu eam tibi restituet: sin verò arenam, aut paleam; & illam corrumpes, & fructu, quem alioquin colligere poteras, tua incuria & væcordia carebis. Quàm mortalium plerique ad eundem modum in usu temporis miserrimè hallucinantur.

Celebris illa S. Bernardi de tẽporis bono usu commonitio, repeti satis, & inculcari non potest.

Serm de triplici custodia.

33. Quod celeriter evolat.

Volat, inquit, tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat. Sed quid quæso amittit? Rem pretiosissimam, quam ad agendam pœnitentiam; ad obtinendam veniam; ad acquirendam gratiam; ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulget. Adfert deinde triplicis generis hominum exempla, qui tempus opportunum effluere sibi nõ patiuntur: Agricola sementis; Vinitor putationis: Institor nundinarum: Pauper eleemosynæ accipiendæ. Unde meritò desipere judicandi sunt, qui horas multas comparandæ felici æternitati destinatas malè collocant. Quam insipientiam quàm altè sentiant damnati, idem Sanctus inde colligit, quòd totum mundum, si in sua potestate haberent, pro tempore, quod temerè perdiderunt, recuperando, libenter essent impensuri.

Lib. de form. vitæ.

34. Cujus stulta apud homines prodigalitas.

Mirantur S. Patres, miratur Seneca homines tam rerum suarum ac præsertim pecuniarum avaros, tam prodigos esse temporis, tamque facile petenti ad ambulandum, aut colludendum, aut confabulandum, unam horam aut alteram concedere, cùm nulla sit laudabilior avaritia, quàm temporis. quod hoc argumento præter cætera probat Dorotheus: quia si aurum, aut argentum perdideris, quærendo reperire, aut aliud recuperare poteris, perditio temporis irrecuperabilis, & æterna est.

Doct. 11.

Quælibet vitæ tuæ dies, imò hora ingentis pretij portio est: quæ ubi præterijt, tantumdem vitæ tuæ perijt, & quodammodo emortuum est. Ut meritò id solerter expendens Seneca dixerit: Non repentè in mortẽ incidimus, sed minutatim procedimus. Quod in hunc modum explicat S. Augustinus: Veniente pueritiâ, moritur infantia; veniente adolescentiâ moritur pueritia; veniente juventute moritur adolescentia; veniente senectute moritur juvẽtus; veniente morte moritur omnis ætas: quot optas gradus ætatis, tot optas mortes ætatum.

Epb. 24.

Psal. 127.

Incipe igitur vel hunc diem, incipe hanc horam, imò hoc momentum. De hoc die quid habes, inquit idem Sanctus: horæ matutinæ transfierunt, futuræ nondum venerunt: sed de hac horâ quid tenes? momenta quædam elapsa jam sunt, quædam restantia, nondum sunt: Ergo hoc momento, quod habes, incipe.

Psalm. 76.

35. Senes à pueris tacite monentur hinc migrandum.

Adde ad hunc Stimulum ejusdem S. Patris monitu aliam considerationem; nimirùm brevi tibi hinc abeundum, puerorumque tibi occurrentium aspectu id tibi inculcari. Nascitur, inquit, puer ut dicat majori, Quid hic agis? Necesse est, ut qui succedunt, & qui

Psalm. 62.

Psalm 36. qui nascuntur, excludant eos, qui se præcesserunt. Ex quo colligе, quòd inde efficitur te non longe abesse à termino. Tuus, inquit, ultimus dies longè abesse non potest, ad hunc te præpara; qualis enim exieris de hac vitâ, talis redderis isti vitæ.

Hinc mortem jam in januis inspectans S. Hieronymus, cui in laboribus pro Christo exacta jam vita spem obtinendæ brevi mercedis faciebat: Quàm mihi, ajebat, magnum lucrum est mori; cùm me cum Christo victurum in posterum sperem, & vestem corruptibilem deponam, ut induam incorruptibilem & sempiternam?

36. Præstat juvenem mori quã senem sine profectu vivere.

Quantò melius, optabiliusque sit infantem primis annis innocẽtiæ, morte præmaturâ eripi, quàm longiorem vitã infructuosam trahere! S. Coleta cùm illi oblatus esset puerulus nobilis æger, ut suis precibus illum persanaret, illa malo vitæ usu, perversisque moribus ad inferos præcipitem abiturum prævidens, Deum rogavit, ut è vivis tolleret. Relatus est ille ad Matrem; & ingravescente morbi violentiâ è vivis ereptus. Mater dolens mittit ad monasterium qui inquirat, quid puerulo factum esset. Ubi quid de illo prævidisset Sancta Coleta, intellexit, & quid pro illo rogasset, acquievit: maluitque hîc parum vixisse, ut æternùm feliciter viveret,

11. *Stimulus: Dæmonum insidiæ.*

37. 11. Dæmonum rabies in homines.

S. Petrus ut nos ad sobrietatẽ, continuamque vigilantiam excitet, Dæmonem nobis proponit ad instar Leonis famelici circumeuntis, & quærentis, quem devoret: cujus rabies tanta est, ut comparens cum anima mox judicanda coram Christo, audiente S. Brigitta dixerit illi; Angelus tuus, & ego à principio usque ad finem sequebamur animã istam; iste ad custodiendum, ego ad nocendum: ad quam lucrandam, ita cupidus & impetuosus sum, sicut torrens cadẽs deorsum; & animal consumptum inediâ, quod præ fame comedit mẽbra sua. *L. 6. c. 39.*

38. Et insidia.

Ad hanc rabiem insidias adjungit, qui propterea, teste S. Ambrosio, serpens appellatur, quia sine strepitu adrepit; & bilinguis lethalisque est; aliusque lingua, & aliud corde meditatur. Ideoque Gregorius Nyssenus ad accuratam in ejus artibus observãdis diligentiam nos hortatur, aliamque comparationem adfer in mediũ: sicut enim tinea intra lignum se occultat, & paulatim illud exedẽdo corrumpit; ita Dæmon: & si- *L. 6. Alex. c. 8. de lib. de Paradiso c. 12.*

Epist. de Christiana profess.

cut ærugo ferro, ita ille nostris operibus adhæresçit, & nisi continuò excutiatur, malignitatis suæ vestigia relinquit: quod si interiora nostra bene munita reperiat ad exteriora progreditur: ut per illa cor alicujus passionis, ut iræ, tristitiæ, invidiæ jaculo transfodiat; virtutemq; velut thesaurum surripiat.

L. 6. 645.

Dixit aliquando unus è Senibus deserti incolis, se vidisse Dæmones tanquam apes circumdantes hominem, & dentibus in eum stridentes; Angelos verò increpantes. Accedit constans in tentando perseverantia; quosdam enim annis duodecim, alios quindecim, alios verò triginta super eadem illecebra tentasse legimus, secumque in sinu plausisse dū tot laboribus in levem culpam hominem præcupitem egisset.

39. Et constans oppugnatio qui vincendi.

Fiducia & Amore Christi.

Vincendus est, ut ait S. Antonius, fiducia, & amore in Christum: fervens adhibenda est precatio, & præsertim illa orationis Dominicæ particula, *Libera nos à malo*; Græci πονηρῶ, hoc est, maligno legunt; qui nullus alius est quàm Dæmon. Contra quem dū B. Elphegus Cantuariensis Archiepiscopus orationis armis se non tuetur, propemodum in extremum discrimen præceps abductus est. Conjectus erat à Danis victoribus in carcerem; adest Dæmon transformatus in Angelum, atque à Deo se missum, ut eum liberet, mentitur. S. Petrum eodem modo Angeli subsidio liberatum fuisse memorat: hic mendacem sequitur & torrentes aliquot eo præeunte transgreditur; ac obscuro in loco ante se habens fluvium, & post se carcerem, ab illo deseritur. Hîc deceptum sevidens, ad preces confugit, & lacrymis perfusus veri Angeli subsidium impetrat; qui hominem verbis castigatum, quod tam facilè impostori aures, nullâ prece ad Deum fusâ, præbuisset, reducit ad carcerem brevi pòst martyrio coronandum. *In ejusdē.*

40. Et vigilantiæ cura.

Vincendus est præterea insigni ad omnia vigilantiâ. Attende tibi, ait S. Ambrosius ne quando loqueris, implicatus Diaboli fias præda venantis: attende tibi, ut consideres, quid in te intret, quid de te exeat: non de cibo dico, quod absorbetur, & egeritur, sed de cogitatione dico, de sermone asseo: imò omni ego in opere vigilandum puto. Visus est à S. Benedicto Religiosum caputio apprehenso à communi Psalmodia retrahere: à S. Macario alterum eodem tempore palpebras oculorum in somnium claudere; & alijs nonnullis varijs repræsentationibus illudere. Visus est ad instar numerosi exercitus à S. Pachomio insidere arbori, qua novitij S. Francisci ad fenestrā Religiosii,

41. Et Fide- ligiosi, ut illum ad murmurandum exhortaret; à S. Martino in humeris Brixij, ut ad ingerenda probra animaret. Linguam uxoris Job, & Tobiæ S. Chrysost. Dæmonis organum appellat, qua ad infringendam maritorum patientiam Dæmon usus est. Contra quem meritò nos monet Apostolus uterque Petrus & Paulus; ut fide velut scuto armati procedamus ad prælium, de victoria certi, si fiducia in Deum & oratio, constantiaque non desint: quibus dum contra illum S. Brigittam armat Christus, ita loquitur: nunquid dixi tibi, quod diabolus sine permissione mea, non plus facere potest, quam stramen ante pedes tuos.

12. *Stimulus, ab exacta ratione reddenda in Dei judicio.*

42 12. Iudicium particulare subeundū. SUnt homines meticulosi, qui in hanc de judicio particulari, ejusque rigore & extremâ severitate cogitationem nolunt descendere; contra morem Prophetæ & S. Bernardi cum eo cōspirantem sententiam, qui dicit: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi, Domine.*

43. Efficax est motivum ad vitæ emendationem. Refugiebat hanc divini judicij cogitationem vir nobilis, qui apud S. Dominicum flagitiosæ vitæ peccata deposuerat, & ut pro pœnitentia inter alia quotidie in illius tribunalis supremi cogitatione decem salutationes Angelicas percurreret, quâvis renitens, acceperat, quod dum facit, in alium virum mutatus vitam cum morum integritate conjunctam ad mortem usque traduxit.

Deo placet ejus memoria. Placet Deo diei istius recordatio. Enoch, teste Judâ Apostolo, ab initio mundi illius memoriam hominibus excitavit. Angeli Apostolos oculis in cælum in Christi Ascensione defixis in eodem hærentes vestigio; ad hujus diei considerationem revocant: Præcursor Christi prædicationem ab illo auspicatur: Christus ipse in parabolis de talento, de decem Virginibus; & aliàs sæpiùs torpescentes animos hac velut tubâ ad vigilandum existimulat.

44. Quam foverint SS. Patres. *Epist. S. Hieronymi.* Sanctorum plurimi hoc velut tonitru ad animum formidolosis cogitationibus in officio continendum usi sunt. S. Hieronymus Epist. ad Florentiam: Ego, inquit cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus, ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem: tâtumdem alterum lumen Ecclesiæ S. Augustinus exclamat. Væ mihi misero, inquit, cum venerit dies judicij & aperti fuerint libri conscientiarum: cùm dicetur de me: *Ecce homo, & opera ejus*: Ecce nihil

Augustin. l. 3. medit. c. 39.

hil respondere potero, sed demisso capite, præ confusione coram te stabo trepidus & confusus.

Bernardus *Serm. 16. in Cant.*

Profitetur & S. Bernardus ad tanti severitatem tribunalis cor sibi contremiscere: Paveo, inquit, gehennam, paveo Judicis vultum ipsis etiam tremendum Angelicis potestatibus. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum.

45. Anselmus ad eam se excitavit.

S. Anselmus in Meditationibus seipsum ad vigilantiam noscque omnes exstimulans; Quid dormitas, inquit, anima tepida, & digna evomi? quisquis non expergescitur, imò non tremit ad tantum tonitruum; non dormit, sed mortuus est. Sed beatum Ephrem audiamus mira de seipso narrantem: cùm enim quadam die sæculi vanitates, & mortalium in iis consectandis væsaniam mente contemplaretur, Dominum in sublimi solio considentem videre sibi visus est, & simul audire hæc verba desonantē: O anima, quare mihi seriò non deservis? cur tantâ cum negligentiâ orationes tuas peragis? quare ad meum rigorosum judicium te melius non disponis? quare tot gratiis, quas tibi contuli, & quotidie confero, diligentiùs non respondes? Ego tui causa mortuus sum, ut te mihi sponsam facerem; aliaque beneficia illi repræsentavit, ostenditque tantâ in luce, quam omni sit dignus obsequio, & quanta sit ingrati animi nota tantum benefactorem vel in minimis offendere; ut dicat se præ timore, & confusione defecisse, & dixisse: Venite montes, & me peccatorem impium cooperite. Ecce quomodo vir sanctus, & tota Ecclesia dum viveret, ab insignis sanctimoniæ, opinione celebris, ut ait S. Hieronymus, hujus judicij recordatione percellitur, non quasi transcursim & obiter; sed, ut ait Gregorius Nyssenus, tam continuò, ut nulla dici, noctisque pars, nullumque prætervolaret momentum, is quo non vigiles ejus oculi lachrymis conspicerentur perfusi.

L. de timore animæ.

Ad ejus imaginem expavit S. Ephrem.

Et ne hunc sanctum virum, quasi per quandam perterriti animi hyperbolem hæc omnia dixisse arbitremur; audiamus quid de seipsa dicat S. Theresia; Christum Judicem in pulcherrimâ luce se vidisse illi spectabilem, & in eadem sibi ostendisse quædam venialia peccata, ex quorum aspectu tanto pudore confusa sit, ut horribiles inferorum pœnas istâ confusione sibi tolerabiliores esse viderentur, seque pudore coopertam undequaque, quæsisse, quo se absconderet: unde infert: Si tantilla lux tanto animum stupore consternavit, quid futurum est in die judicij, quando se clarè ostendet

L. vitæ c. 40.

det illa Majestas, & fœditatem admissorum peccatorum in apertâ luce contemplabimur.

13. Stimulus: pœnæ, quæ tepidis impendent.

46. 13. Pœna parata. Sunt Deo odiosi. *Apoc. c. 3.*

INgens supplicium existimandum est Dei odium, quod tepidus incurrit: odimus quod vomitu ejicimus, & cineribus, aut pulvere coopertum auferri præcipimus. Tepidum verò à se tanquam rem exosam vomendum minatur Deus; dum Laodicensi Episcopo hoc vitio laboranti, per Epistolam minacem, dicit: Scio opera tua, quia neque frigidus, es neq; calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Hinc S. Bernardus: Vereor, ait, ne te tepidum & nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te cupit invenire, aut sui consideratione calidum charitatis igne flagrantem, aut tui consideratione frigidum, & aquâ compunctionis ignita diaboli jacula restinguentem: dicit enim Christus: Utinam calidus, aut frigidus esses: unde infert idem Sanctus, debere te vel esse virum desideriorum cum Daniele, aut dolorum & scientem infirmitatem cum Jobo, aut contemplationis igne succendi cum Maria ad pedes Christi, aut cum Lazaro abdi in sepulchro, & in amaritudine animæ recogitare cum lachrymis annos præteritos vitæ tuæ.

47. Experta id Sponsa. *Cant. 4.*

Qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus, ait idem Sanctus; vigilas tu, vigilat & ipse, Cujus rei exemplum luculentum habemus in Sponsâ Canticorum 4. quæ cùm Sponso ad surgendum invitanti, nescio quibus excusationibus pigritiam suâ obvelans, januam non aperuisset, ac continuò pœnitentiâ ducta, sponsum, qui moræ impatiens jam abierat, per vicos plateasque quæreret, malo suo experta est, quanta damna vel exigua negligentia secum trahat: pessulum enim, quo sponsus ab ingressu prohibebatur, modicam pigritiam significare existimat Richardus à S. Victore; ac sicut magna janua exiguo pessulo claudi potest; ita sæpè contingere, ut parvæ negligentiæ magna gratiarum cœlestiũ fluenta sistant: spes aliquid obtinendi, laborem socium desiderat.

Duæ alæ spei sunt credere & bene agere.

Præfat. in Psal. 37.

Hinc S. Augustinus duas alas, Credere, & bene agere, spei Christianæ adjungit. Non est satis ad speranda felicitatis æternæ præmia, si credas, & mali nihil agas; sed strenuè præceptis Dei implendis laborandum est. Virgines fatuæ regno excluduntur, quia providere sibi de oleo per socordiam omiserunt: & feralis

illa sententia, Ite maledicti, eos in Euangelio ferit, qui egentibus benefacere neglexerunt; impleturque in unoquoque illorum illud Sapientis: Hyeme piger arare noluit, mendicabit ergo æstate: quia enim per hyemem hujus vitæ non satis amoris divini igne incaluit, ut pigritiæ frigus excuteret, & bonis operibus insudaret; in æstate, hoc est in morte (quæ sicut æstas colligendæ messis tempus est, ita operum merces statim à morte rependitur) tum frustra ad extremam mendicitatem se redactum sine ulla subsidij expectatione piger inveniet.

Prov. 20.

48. Contra vera otiũ est domus diaboli.

Dæmon ab homine ejectus, ubi loca inaquosa, in quibus homines, quos maximè odiorum suorum scopos habet, non reperit, redit ad domum unde ejectus fuerat, eamque reperiens vacuam bonis operibus; &, opinione quidem pigri hominis, mundam ac peccatis gravioribus minimè obnoxiam, & vanæ gloriæ tapetiis quasi ornatam; assumptis septem nequioribus spiritibus illam invadit, totque illam miseriis replet; ut fiant novissima pejora prioribus. Otium enim Bernardo malorum omnium est receptaculum; & quantùm otio demis, tantùm te dæmoni subtrahere arbitratur S. Hieronymus.

Pigras animas, & ad benè generoseque operandum animo dejectas bufonibus similes dicebat esse S. Theresia, qui per terram serpunt, terrâque vescuntur; alibique plures lachrymis dignos censet, quòd in pede montis hæreant, qui alioquin, si animos sumerent, in ejus verticem possent evadere: hortaturque filias suas, ut semper generosos spiritus alant, ad futurum Deum, qui earum conatus promoveat, modò cum humilitate & in Christum fiducia ambulant. Neque ullam vidisse se unquam hujuscemodi, quæ à Deo derelicta hæreat in postremis; plures verò paucis hebdomadis magis proficere, quàm alias annis compluribus; adeoque sæpè demiratam, quantum ad consecutionem virtutum valeat animi excelsitas, & magnitudo.

49. S. Theresiæ tepidi sunt bufones. C. 2. in Cant.

C. 13. mia.

14. *Stimulus: Timor ne ob socordiam à Deo deseramur.*

50. 14. Timor ne deseramur à Deo.

FOrmidabile malum est à Deo deseri; animumque Dei solius cupidum, hoc unice habere in votis ne à Deo vel ad horam deseratur, ait S. Gregorius, quòd in quanis, medios inter hostes, periculis versetur, apprimè cognoscat: ideoque suspirantis in modum

dum singulis horis pronuntiare hunc versum: Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Qui adest diligentibus, negligentibus autem abest.

Aliam Dei providentiam erga viros virtutis studiosos, quàm erga væcordes in Psalmorum decursu notat Bellarminus: qui, ut S. Ambrosius in Lucam ait, diligentibus adest, negligentibus abest; unicuique diligentium promittit, quod hoc versiculo continetur: Intellectum tibi dabo, & instruam te in via, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Alios verò dimittit secundùm desideria cordis, ut eant in adventionibus suis.

Psal. 3.

L. de Nee. c. 3.

S. Ambrosius, ut ad excolendam gratiam, & socordiam amoliendam nos excitet; Divinum, inquit, est quòd beneficia præmittuntur; nostrum quòd mutantur: & quamvis, ut alibi ait, judiciorum Dei altitudo, humanæ intelligentiæ sit impenetrabilis; hoc tamen in istis nos scire, quòd nostra plectat, dum punit noxios; sua tribuat, cùm facit justos.

L. 2. de vocatione gentium c. 1

51. Et suas gratias si tenet propter tepotem hominum.

R. P. Leonardus Lessius gravis, & singularis virtutis Theologus, solitus erat dicere, unicam negligentiam multarum gratiarũ, quæ velut concatenatæ una post alteram confluxissent, decursibus aditum præcludere; quandoquidem ad uni gratiæ cooperandum adhibita diligentia, ad alteram consequendam viam muniisset. Negligenti ablatũ talentum in Euangelio legimus, & diligenti donatum; ut negligentiæ pœnam, diligentiæque fructum hoc facto cognosceremus. Curavimus Babylonem & non est sanata; derelinquamus eam, dicunt Angeli apud Jeremiam; ut cum Origene plerique interpretantur. Babylon, quæ Latinè confusionem significat, typus est animæ, quam ob sordes, & magnam in iis expurgandis negligentiam pudor obruit, & tandem non Angeli tantùm, sed etiam ipse Angelorum Dominus derelinquit. Non convertam, inquit per Prophetam suum Deus, scilicet faciem meam, ad populos quos ibi memorat, ut eorum miserear; quia me clamantem, & ad meliora provocantem neglexerunt. An non timere meritò tu potes, qui ad tot Dei interiùs monentis voces obsurduisti?

cap 51.

Amos.

52. Teste Davide.

Audi, populo meus, & contestabor te, si obedieris mihi, non coles alios Deos à me; ego enim sum Dominus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & paratus sum novis te locupletare beneficiis, aperi tantum os tuum & novis desideriis ad me aspira, & te votorum tuorum compotem faciam. Verùm, quia his populus iste non intendit, neque ad novos ardores obsequij divini accensus est, vide punitionem: Permisi,

Psal. 80.

inquit, propter tantam socordiam ferri illos secundùm desideria consiliaque illis pernicioſissima: quæ inter Dei castigationes acerbissima meritò habenda est, ut propterea dixerit ibidem sanctus Augustinus: Animæ, quæ possessio Dei esse desiderat, nihil horribilius accidere posse, quàm à Deo deseri; suosque propterea exhortatur ut cor suum confitendo, & amando aperiant, ut ab illo, qui fons vitæ est, repleri possit, vacuumque non derelinqui.

15 Stimulus: Præsentia Dei semper nos intuentis.

53. 15. Præsentia Dei. Psal. 15.

PRovidebam Dominũ in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commoveat; dicebat Rex ille sanctus: nihil enim in rebus humanis fixum & stabile esse censebat, in quo desideriorum suorum pedem figeret: propterea oculos mentis in Deum convertit, ut in omnibus quæ cogitabat, dicebat, agebat, ad illum respiceret; eumque quasi præsentem intueretur, unde firmitatem in consiliis, constantiam in propositis, sedulitatem in operibus, fortitudinem contra pravorum suggestiones & impetus hauriret.

54. Cujus oblivio tenebras effundit,

Hujus præsentiæ divinæ, & fidei in ea bene concipienda, credendaque neglectus, quantas tenebras in animam invehat, ostendit S. Augustinus in Apostolis, dum tempestate sæviente, & Christo dormiente, perturbantur, quia scilicet fides in illis dormiebat. Noli timere, quando tribularis, ne tecum non sit Christus: fides sit tecum, & tecum est Christus. Non ideo putes te deseri, quia quando vis non eripit: qui eripuit tres pueros de igne; non deseruit Machabæos, quos Antiochus gravibus tormentis excruciatos morti dedit: illos Deus eripuit, & hos: Illos, inquit Augustinus, eripuit corporaliter ut infideles confunderentur; hos spiritaliter ut fideles imitarentur; ille est qui hoc agit, ille qui dixit: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Triticum non audes ponere in humidâ terrâ ne putrescat in terra; sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem habe, & ibi non perdes, quia qui servat, & salvat Christus est. S. Cyprianus Tibaritanos ad constantiam tempore persecutionis exhortãs fortissimum præsidium à Dei spectantis præsentiâ desumit; si enim qui præsente Imperatore in stadio decertant, ab ejus conspectu ingentes animos sumunt, quanto magis nos accendi oportet cùm Deus, qui nos in filiorum suorum recepit numerum, oculos in

In Ps. 90.

Memoria excitat.

in nos defigens, ex nostris certaminibus voluptatem capit, optatque nobis victoriã, ut habeat, quos coronet? quod ipsum alios martyres ad fortiter agendum exstimulans ingeminat.

In Epist. ad Rom. hom. 17.

55. Respiciendus Deus in actionibus.

S. Chrysostomus eodem ad nos animandos utitur argumento: Servus, inquit, ad oculos Domini sui respicit; mercenarius ad operis sui Dominum præmia illi daturum: ita nos monet, ut ad Deum respiciamus; quia theatrũ nostrum habemus in cælo constitutum; & athleta ubi certat, ibi probari cupit; nos verò in superioribus, ideoque pro illis certemus.

Hom. 2.

Homines, ut ait alibi, suo aspectu nihil nobis emolumenti adferre possunt. Sed tantum inspicere, quæ facimus, ac inspiciendo lædere, laboremque nostrum inanem reddere ὀφθαλμοδουλίαν, hoc est servitutem ad oculum, humanum scilicet, non divinum,

Ad Colos. 3.

reprehendit Apostolus. Ex animo operamini sicut Domino servientes, & non hominibus.

1. Luca.

Verus Israëlita est, ait S. Ambrosius, qui Deum videt, & videri se novit à Deo, & ipsi exhibet cordis occulta, & ab eo probatur ab eo qui non potest falli, quique simul arbiter mentis est, & facti. Talem fuisse ait S. Eusebium, qui dignus fuit spectari ab Angelis, cùm luctaretur ad Christi bravium ut perveniret; cùm certaret, ut in terris vitam Angelorum referret. Tales erant Machabæi Martyres, qui ad fratris spectaculum, qui in sartagine crudeliter torrebatur, minimè territi; sed ad Deum omnia intuentem convertẽtes oculos, unà cum matre se ad moriendum fortiter hortabantur, dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis: si enim in cælis gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente, quanto majus erit super uno justo pro Dei gloria fortiter dimicante? Sponsam in Canticis cum admiratione & gaudio, intuentur Angeli quasi auroram bonis operibus coruscantem, & ad instar aciei beñe ordinatæ terribilem hostibus, eosque debellantẽ: quod advertens Regius vates, ut eos similis spectaculi voluptate perfunderet: in conspectu Angelorum se Dei laudes cantaturum profitetur; hoc scilicet ad bene illas concinendas animatus spectaculo.

56. Exemplo Machabæorum.

16. *Stimulus. Animi perfectio.*

57. 16. Animi perfectio.

OMnia perfectionem suam amant: solus homo, teste sancto Chrysostomo, in animi sui perfectione amanda, sectandaque

que tepescere videtur: in rebus, quibus utimur, perfectiora & meliora requirimus, domum, famulos, vestes, tapetijs domum ornamus, & animam sine ornamentis, fædam, famelicam, ulceribus, perversis affectionibus tanquam rabiosis canum morsibus laceram relinquimus. Si quis ancillam deformem eleganter ornaret, conjugem verò singularis pulchritudinis detritis centonibus obtegeret & deformaret, eum desipere diceres: hæc tamen communis est mortalium insania.

58. Quæ impossibilis cũ nimia corporis cura.

Impossibile est animæ perfectioni servire, nisi corporis mollitiem deteras. Ut enim observat idem Sanctus, animum ex ejus morbo participare necesse est. At sicut dum instrumenti musici chordæ molles, & laxæ sunt, ac minus convenienter extentæ, etiam ars depravatur, & cogitur vitio servire chordarum; sic à corporis mala habitudine multum læditur anima, multisque difficultatibus obnoxia est. Quapropter S. Basilius ad bellum amori proprio indicendum nos hortatur, si animi perfectionem assequi cupimus: quia Deus in sui dilectione divisionem non patitur. Quantum enim rebus creatis, quæ Deus non sunt, amoris impendis; tantum Dei dilectioni detrahas necesse est. Qui statuam ex ligno format, repetitis ictibus lignum scalpendo dolat, & semper aliquid demit: qui verò penicillo imaginem depingit, colores coloribus adjicit; amori proprio corporique prius cõvenit, posteriùs animæ, quæ varijs virtutum coloribus pedetentim ad Dei similitudinem conformatur; finique in illa, quod Christus in Euangelio à suis postulat; Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.

Hom. 46. Ad Hebr.

In Ps. 44.

59. Ad illam nos vigere debet animæ pulchritudo.

Ad hanc excolendam accendere nos debet Animæ pulchritudo, quæ talis est præstantiæ, ut omnium cælestium corporum pulchritudinẽ excedat. Quam si gratiæ virtutumque excellentia expoliat, quid sub Deo ornatius, elegantiusque videri possit, non invenio, si à natura insitam illi præstantiam ita B. Ægidius, & S. Catharina Senensis sunt admirati; ut pro illa conservanda aut instauranda omnes omnino labores suscipiendos esse dicerent; quod ab homine studium adhiberi par est, ut illa ornamentis gratiarum & virtutum, ac gloriæ sempiternæ augeatur? Si ad corpus vermium pabulum comendum, colendumque tantum operæ temporisque passim impenditur; quid animæ tribuere convenit, cui corporis deformitas horrori aliquãdo fuit, ut historiæ produnt? Obierat aliquis in peccato mortali, & sanctorum precibus, ut illud expiaret, reditus

reditus ad corpus impetratus illi fuit. Dum verò illud tam deforme, horridumque intuetur, regressum ita refugere, abominarique cœpit, ut nisi Angelus ursisset, & aliter fieri non posse assereret, ad id adigi non posset. Regressus in corpus, quadraginta dies sine cibo & potione consumpsit in lachrymis, ac deinde obijt. Corporis animâ destituti deformitas tanta est, ut omnibus horrorem incutiat: animæ verò pulchritudo tanta, ut Deum, ut ait S. Chrysostomus, habeat amatorem. Cur corpore deserto in hâc curas omnes non convertimus? Vellem ut hâc in re audiremus S. Franciscum Xaverium, ejusque consilium, quod Regi Lusitaniæ proponi peroptabat, nos ipsi accuratè sequeremur. Ita vir ille sanctus in una Epistolarum scribit: Si Regem à meis amantissimis atque fidelissimus consilijs non abhorrere arbitrarer, saluberrimum illi darem consilium: ut quotidie per quadrantem horæ divinam illam sententiam meditando percurreret.

L. 1. Ep. 5.

Quam Regi Lusitaniæ commendavit.

Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur: germanam hujus intelligentiam à Deo peteret cum sensu animi interiore conjunctam, & simul precationum suarum omnium vellet illam esse clausulam, Quid prodest homini &c. Tempus est hūc Regi errorem eripiendi, quoniam propiùs, quàm existimat, adest hora, qua illum Rex Regū, & Dominus Dominantium, ad rationem reddendam evocaturus est. Videtur vaticinatus fuisse; quia paulò post Rex obijt.

S. Xaver.

VII. DISSERTATIO.

De quotidiano patientiæ exercitio.

VItam habemus agendam in duplici statu; præsenti & futuro. Præsens est laborum, & patientiæ; homo natus ad laborem, & brevi vivens tempore repletur multis miserijs: nascendo matri dolores aggerimus, ipsimet plorando in patientiæ palæstram ingredimur. Christus ipse ab instanti conceptionis omnia hominum peccata distinctè cognoscēs, vitam tot doloribus exercitam exorsus est; ut si ejus dolores in singulos mortales partiatim distribueret, non esset qui non magnitudine afflictionis vitam amitteret; ut divinæ potentiæ opus miraculo plenum extiterit, quod in vivis superstes ageret. Si Christus innocens tantorum cruciatuum catenam secum trahat, nunquam nisi ultimo vitæ anhelitu finiendam; quid aliud à nobis criminosi parentis filijs, & proprijs

I. Hæc vita est patientiæ palestra.

proprijs deinde sceleribus infectissimis expectandum est?

2. Altera quietis.

Missa de Requiem demum à morte canitur, & tum in illa ex Apocalypsi legitur: Amodo dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; quia ante illud tempus nusquam, & nullibi requies.

Hinc Christus Dominus non vult eum inter discipulos suos numerari, qui non ferat crucem suam quotidie; hoc est continnò & per diei decursum non interruptum: hinc Virginem à Beata Dei Matre, quam singulariter amabat colebatque, monitam legimus; ut horis singulis, imò, si fieri posset, singulis momentis, materiam aliquid pro Deo patiendi quæritaret; seque ad eam pacificè excipiendam, quam Deus immitteret, præpararet.

3. Patientiæ exempla.

Magna est hac in parte inter viros virtutis studiosos, & alios sui amantes distinctio. Hi velis, remisque, ut ajunt, vel mali umbram effugere conantur: isti ad illa se offerunt; & cùm eveniunt, Deo gratias agunt, & ambabus ut ajunt ulnis amplectuntur. Si remedijs utantur, id ut majoribus attemperent, Deique voluntati morem gerant, faciunt; mali verò levamen nullo modo expetunt. Vides hoc in Simeone Stylitâ, & in alia Virgine S. Dominici præceptis ad virtutem edoctâ: qui utrique vermes è corporis ulcerosi partibus extractos, in easdem foveas, tanquam cælo demissas gemmas reposuerunt.

Vermes pro gemmis habiti.

Admiratione dignus est in hoc genere S. Munnus Scotus; cui cùm Angelus familiaris dixisset, superbum ipsum, ac propterea humiliari oportere: Libenter, inquit, humiliationem amplectar; Deum rogo, ut eam mihi immittat; quam opto & ab ejus bonitate flagito. Postula, inquit Angelus, & voti compos fies: Deum rogo, ut mihi fœtentem lepram toto corpore aspergat. Dixit, & impetravit, totoque septennio magnos inter dolores, & graveolentiam eâ laboravit; quàm alter vir sanctus à Deo missus, ut linguâ lamberet, lambendo abegit, hominemque integræ sanitati restituit. Dixit Jobus, dixerunt & alij sanctitate præclari: Quis mihi det, ut affligens me doloribus non parcat? Sed illos heroïcos Athletas relinquamus. Nos, quos decerpere patientiæ flosculos, per noctem diemque possimus breviter inspicamus; incipiamusque à decubitu somnoque, & quanta se offerat in illo patientiæ materia dicamus.

Lepra libentio abstersa.

Bollandus in ejus vita 1. Jun.

4. Aliæ suspendæ corpus cruciandi rationes circa lectum.

Nolo hîc in exemplum adferre S. Euthymium, qui non nisi stans apprehenso ad tabulatum ligato fune pensili somnum captabat: nolo S. Maurum, qui quadragesimam integram, aut rectus, aut

aut sedens dormiturirebat. Non S. Antonium, qui aut in nuda humo, aut in juncis cilicio coopertis, quietis paululum delibabat; non S. Vulstanum, cui scamnum pro lectulo, & liber pro cervicali somni tempore serviebat; neque Paulam Romanam, quæ morbo tentata, humi cilicio subtracto somnum capiebat. Quid nobis infantibus aut nanis ad tantos gigantes? Ne quidem S. Eustratium auderem ad imitandum proponere, qui 75. annos, non nisi supinus aut in sinistrum latus acclinis dormijsse legitur.

5. Circa somnum. Quæ verò circa somnum, & corporis quietem exercendæ patientiæ materia suppetat, ipsa experientia facilè suggeret. Occurrit enim aliqua in cubando incommoditas; vexat capitis inquietudo & intemperies; molestant animalculorum crebriores aculei, quæ omnia ferre patienter, memoriaque recolere coronã Christi spineam; duros & aculeatos flagellorum, quibus laceratus fuit, ictus; lectum crucis acerbissimum; & ferro candenti ignita apud inferos cubilia; atque ab omni querimonia prohibere linguam, Deoque velut duo minuta patientiæ pacato animo offerre, hoc sane in hujus virtutis schola aliquam procul dubio lauream promeretur, B. Henricus Suso, ne inter cubandum abigendis istis bestiolis admoveret manus, eas ipse alligabat, quin imò chirothecis, quibus aciculæ, aut clavi ferrei inserti erant, eas armabat ut si illis uti vellet, punctionum sensu ab abigendis illis animalculis prohiberetur. Hæc & plura isto tempore homini patiendi studioso suggeret Dei amor & experientia.

Tantundem primæ à somno vigiliæ, & subsequens orationis occupatio suppeditãt. Cum enim Spiritus sanctus moneat, ut horâ surgendi non te trices, aliquem abstinentiæ campum aperit; & cum S. Agatho orandi laborem inter primas molestias numeret, habet patientiæ candidatus, quo se exerceat dum de genibus, erecto capite, nulli fulcro innixus, non spuens, non oculos levans, immobilis, cum mentis evagationibus, & cæli ariditate depugnans orationis tempus nihil de eo decurtans constanter transigit.

6. Circa vestitum. Quod ad vestitum attinet, muliebris sexus plures multò, quàm virilis victricis patientiæ coronas in illo reperiet. Virgo nobilis, quæ corporis, vestiumque elegantiam studiosè affectabat, Deo instigante, ut se vinceret, die solemni in templo inconcinnè amicta comparuit, admirante potiùs mundo, quàm ad talem insolentiam applaudente: tantùm Deo

placuit ille triumphator sui animus, ut novis de cælo gratijs auctus integram de mundo reportarit victoriam, nam illa paullò pòst intra cœnobij secreta se includens ad Christi sponsalia aspiravit: è contra D. Maria Ogniacensis matrem ob vestium luxum, aliaque vidit apud inferos, infeliciori longè sorte, quàm fuit illa Franciscani, quem detrita vestimenta quibus usus fuerat dum viveret, visa sunt in purgatorio à flammis defendere.

7. Circa vatia.

Alia, & longè major patientiæ seges in quolibet vitæ statu, occultè interdum, apertè sæpius, pullulat, ad quam qui virtuti student, sedulò animum advertunt: Phocyoni de nova, eaque fortunata, ut videbatur, affinitate per conjugium contracta gratulabãtur aliquando amici, ille novos ostendens calceos, quos induerat; Belli, inquit, videntur vobis isti calcei; sed ignoratis, ubi pedem lædant. Idem de malis occultis sentiebat. Pontifices summi, Regesque fortunæ albæ pulli creduntur, & maximam, quæ in terris optari potest, felicitatem assecuti: plerique tamen ex illis se infortunatissimos judicarunt, & bubulci sordes sceptris antetulerunt.

8. Nemo in suo statu contêtus.

Apologus hominum de suo statu, opificioque apud Jovem conquerentem, quot ubique spinæ pungant, evidenter ostendit. Quos cùm jussisset Jupiter sorte statuum mutationem accipere, tantas in novo statu, quem cuique sors dederat, difficultates reperêre, ut ad antiquam fortunam, statumque redire unusquisque petierit, & impetrarit: adeò verum est experientiam stultorum scholam esse, simul & Magistram; in qua ad patientiam erudimur.

Vive ergò quicumque sapis sorte tuâ contentus, & quòd in illâ laboriosum occurrit, in patientiæ materiam, cælestisque beatitatis meritum converte; Deum te in eo vivendi genere collocasse existima; ut ex difficultatibus, quæ in illo occurrunt, ad præmia æterna consequenda gradum tibi facias. Unus aliquis ex Eremi sanctis incolis, dum aquam è fonte à cellula sua non parum distante quæreret, vidit Angelum pone sequentem, & ut ajebat, vestigia numerantem, & annotantem, ut singulis merces in cælo rependeretur. Idem ab Angelo tuo custode fieri existima quisquis vel in arte sartoria, sutoriáve, aut fabrili à Deo constitutus, Deique in obeundis ejus difficultatibus patienter voluntatite conforma; ut Alphonso Rodrigues Janitori, & Francisco Hortulano sartori in Societate nostra accidisse alibi diximus.

9. Ad patientiam animetur merces spes.

Jam ad alium patientiæ quotidianæ

10. Alienæ imperfectiones patientiæ materia.

dianæ fontem propiùs accedamus, quem nobis aperit illud sancti Pauli monitum: *Alter alterius onera portate.* Onera dixit, quia non unam tolerantiæ materiam nobis invicem præbemus, sed pluriimam, ut meritò unus è prudentioribus eremi incolis, alium humeris cadaver demortui gestantem, ut terræ illud mandaret, conspicatus, dixerit illi: Mortuos portas? vivos porta: quia in hoc postremò majus elucet charitatis, & patientiæ argumentum.

11. Alphabetum defectuum in aliis tolerandorũ,

Accipe alphabetum quod aliquos nævos proximi complectitur, quibus tolerandis exercetur charitas patiens & benigna, quos titulos primo loco charitati dedit Apostolus. Occurret tibi aliquis cum quo negotium tibi est, arrogantis, vel Austeri ingenij erit alius Ardelio, Altercator: deprehendes alium Bilinguem, Blateronẽ, Bardum. Erit alter Ceontumaris, curiosæ, aut criticæ indolis: Deses alter, & dicax, & duplici corde: Effrons alius, Fictus alius & Fallax: Garrulus alter, & Gravis oris, hypocritam arbitraberis, quem alij prædicunt; Hebes alter, Impudens alius, & importunus, iracundus, ingratus, imperiosus, & incorrigibilis: hunc Litigiosum, istum Levem experieris: alius erit Morosus, alius Murmurator, Mordax, Mendax: Iste Negligens, ille Nugator: iste Obtrectator, hic Oblivioſus: iste erit Pravi, hic Parvi, ille Pertinacis, Pervicacis, & Procacis ingenii: iste Querelus, hic Rixosus; iste Ridiculus: iste Suspicioſus, ille Simulator, hic Segnis, & Stultiloquus: hic Verbosus, alter Vindictæ appetens, tertius Vaniloquus, Tracones nonnullos, Tumidi & Turbulenti ingenij, alios, nec non zeli indiscreti non paucos, quos contra seipsos zeli sui aculeum velles vertere. Plures quàm hîc recensui in proximis defectus experientia tibi prodet, quibus tolerandis si studium adhibueris, gemmas colliges coronæ felicitatis æternæ inserendas.

Tolerat defectus coronam è gemmis contexũt.

Dixit aliquando S. Brigittæ, Beata Agnes Martyr: Veni filia & impone tibi coronam factam ex septem lapidibus pretiosis. Primus lapis est Jaspis, quem tibi imposuit contumelioſus ille, qui tibi dixit; nescire se quo spiritu loquereris; utiliusque tibi esse, si more aliarum mulierum fila duceres, quàm de scripturis disputares. Secundus lapis est Saphyrus ab illo tibi impositus, qui coram tibi faventia verba dicebat, à tergo verò tibi detrahebat. Tertius Smaragdus, quem apposuit ille, qui falsa tibi imposuit, dixitque te protulisse ea, quæ nec cogitaras, nec dixeras. Quartus est Margarita, quam tibi imposuit ille, qui te præsente amicum Dei

L. 4. c. 124.

vituperavit, ex cujus vituperio plus turbabaris, quàm de tuo. Quintus est Topazius, ab illo tibi impositus, qui amara tibi loquebatur cui è contra benedixisti. Sextus est Adamas, ab illo tibi appositas, qui corporale damnum tibi intulit, quod patienter tulisti, nec eum dehonestare voluisti. Septimus est Carbunculus, hujus occasionem dedit tibi ille, qui filium tuum Carolum vitâ functum falsò denuntiavit, quod, committens Deo voluntatem tuam, tulisti patienter. Constans esto filia, & cum tuæ coronæ alij præterea lapides desint, pro illâ ampliandâ sanctos imitare, qui ex probatione illustriores facti sunt.

13. Opus in eis magna constantia,

Hinc subjit animum deambulanti ad littus maris S. Gregorio Nazianzeno & fluctuum reciprocantium tumultus contemplanti ista cogitatio; Vitam hominum similem esse oceano ventis & tempestatibus agitato; & meritò nobis rupis constantiam imitandam, quæ tantùm abest ut fluctibus murmurantibus cedat; quin potiùs eorum alluvione mundetur: ita faciendum nobis est dum ventorum, verborumq; adversi flatus nos petunt; excipiendi sunt sine commotione, & ad animos nostros à vitiis mundandos, tanquam lixivium aliquod mordax admovendi. Dicere solebat Abbas Pimenius, Deũ tum tegere peccata nostra, cùm proximi peccata sine querelâ, silentio patienter involuimus: & in Euangelio nobis promittitur, Dimittite, & dimittetur vobis.

14. Quos si non patronis tibino ces.

Qui aliter faciunt, proximo multum incommodant, & sibi non parum nocent. Pharizæum de Magdalenâ in Euangelio malè sentientem, & loquentem, sibi torsisse funem, quo ligandus erat, ait S. Gregorius, quia talè de se judicium à Christo expectare debebat, quale temerè, & culpabiliter de Magdalena apud se tulerat.

15. Ex Severite Dei judicium manet.

Ita ratiocinari solebat egregius B. Aloysij Gonzagæ imitator Joannes Berekmannus. Quale, quamque severum Dei judicium me manet, ajebat, qui tam rigidè, severeque de fratribus meis judico! Nec immeritò, si verum est, quod Timotheo Eremi incolæ magnæ virtutis & consilij viro accidisse legimus; à quo cum Abbas de uno è suis Religiosis, in idem vitium relabenti quid faciendum esse requireret: & ille censuisset continuò cœnobio expellendum; gravissima confestim tentatione à dæmone exagitatus est, cumque divinum auxilium gemens imploraret, vocem de cælo delapsam, dicentemque accepit: Timotheæ, hæc tibi acciderunt, quia fratrem tuũ in tentatione, & infirmitate sua despexisti.

In vitis PP.

Mo-

Paranesis 4.

16. Ne quemquam contemne, aut judica.

Monebat propterea S. Ephrem, ne quemquam è proximis condemnemus, quia ignoramus, an per pœnitentiam cum Deo redierint in gratiam, sintque illi gratiores, quàm simus, aut futuri simus. Aurum sæpè in vase futili absconditur. Sed & S. Brigittam B. Virgo monuit, ne judicaret aut condemnaret quemquam, imò nec aliquem despiceret, aut se illi præferret; etsi enim alquid mali exteriùs in illo deprehenderet, interiora tamen ignorabat, & quid apud Deum eras ille futurus esset, scire non poterat.

17. Mira subinde morum conversio in ætate majori, qualis Themistoclis.

Miras plerumque & insperatas videmus in quibusdam morum in melius mutationes, quæ judicia nostra debilibus nixa fuisse fundamentis ostendant. Themistoclis juventus adeò corrupta, depravataque fuit, ut illum propterea pater exhærendarit, & mater præ doloris impatientia gulam laqueo sibi fregerit; qualis tamen quantæque virtutis togâ, sagoque fuerit, posteriores anni demonstrarunt: unde ille pulli equini ferocis & indomiti, quem frenum & magistri solertia paulatim domat, similitudinem adferre solitus erat. S. Martinus dum Brixij insolens ingenium patienter tolerat. S. Ignatius dum magnos Xaverij animos mansuetudine attemperat, & Petri Ribadeneiræ dum pueri igneos naturæ impetus patienter, dissimulanterque regit, quem alij Patres dimitti volebant, sui sæculi viros virtutum rerumque gestarum gloria illustres effecere.

18. Alia patientiæ materia corpus nostrum.

Sed aliud patientiæ velut commune ærarium, quod ad manum nobis est, examinemus: corpus scilicet hoc nostrum, quod undequaque impetitur, & suas ipsummet, cùm sit corruptibile, miserias circumfert. Calor nimius, & frigus adurunt, fames, sitis exagitant; lassitudo opprimit, morbi conficiunt, infecta morsicant, & quiescere non sinunt; quanta hinc patientiæ, meritorumque seges! quam bene Romanos monet c. 12. Apostolus, dicens: Obsecro itaq; vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequiũ vestrum. Quasi diceret, inquit Anselmus, offerte Deo corpora vestra non hostiâ mortuâ, sed vivam: hostia quippe immolatur & viva est, quando ab hac vita homo non deficit, & tamen se à carnalibus desideriis occidit: hostia enim occiditur, ut offeratur: sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum; quod & hostia dicitur, & vivens, quia vivit in virtutibus, & est à vitiis occisum. In lege corpora brutorum animalium hostia mortua, sed in Euangelio corpora hominum offerun-

Quid est hostia viva.

tur hostia viva. Ita agebat S. Augustinus, qui dicebat; Me excrucio, & do de me pœnas, ut Deo victima fiam, quia victima excoriatur, priusquam offeratur.

Cor. 10. A S. Paulo immolata.

Sed & Apostolus castigare se corpus suum affirmat, ut ex ejus patientia velut incude, coronam immortalitatis efformet: cujus hac in parte severitas meritò nos acuere debet; si enim ille id agit, qui vas electionis à Deo appellatus fuerat; quid de nobis miseris fiet, inquit S. Anselmus, qui nullam adhuc Dei vocem de electione nostra audivimus, & jam in ocio quasi de securitate torpemus?

19. *Utendum corpore ad virtutē ut equo conducto.*

Quis non ejus væcordiam reprehenderet, qui equum, aut jumentum, quem commodato, vel conductè accepit, & quo iter conficere, aut agrum colere, aut ad domestica onera portanda, uti cum fructu potest, inertiâ sineret, & otio in stabulo corrumpi? ita nos agimus, dum corpus congruis laboribus, pro bono animæ, non exercemus: dum bovem aut equū mutuò accipis, inquit S. Chrysostomus, continuò & assiduè operaris in illo: dicis enim: hodie aut cras tollendus est à me, quia non est meus: quare non eodem modo ad utilitatem animæ tuæ corpore tuo uteris, sciens quia post modicum tollendum est à te? In idem collineant duæ aliæ similitudines: prima S. Syncleticæ, quæ corpus amictum animæ esse cum S. Ambrosio censebat, ajebatque, Quemadmodum ut vestis candescat, à fullonibus calcetur & teratur necesse est; ita corpus nunquam multum animæ puritati serviet, nisi tundatur, & conteratur. Altera est Cæsarij, qui nunquam ait animæ bene consultum iri, nisi rubiginem, quam ex corporis contubernio, & affrictu contraxit, ipsius corporis afflictatio deradat, & detergat.

Hom. 25. operis imp.

Hom. 2. 10. Exempla severitatis in corpus.

Hinc illa sancta corporis odia, quæ in hominibus, quos supra vulgus virtus extulit, passim legimus & admiramur: hinc Margaretas Hungaricas, Gonsalvos, Silverias, Macarios, Olympios qui se cyniphibus, & vermiculis cruciandos sponte offerebant, laudamus. Imbiberant altè animo illud datum postea à Deo S. Brigittæ consilium; nempe in hoc negotio imitandam sponsam, quæ ex domo Patris bona caduca, quantum potest colligit, & ad domum sponsi secum defert; ita quantum possumus corpori detrahere & auferre nos oportere; quod tota deinde æternitate in cælestis sponsi domicilio profuturum est.

L. 6. c. 18.

Qui aliter faciunt, eos desipere meritò censet S. Chrysostomus: quemadmodum enim, quod pueri talos, pilas & hujusmodi magna

In Ps. 141.

magna existiment, nõ est signum, quòd ea magna sint; sed quòd illi qui ea magni faciunt, abiectæ sint mentis, & bene judicandi prudentiâ destituta; ita contingit in illis qui ea quæ curam corporis attinent, non despiciunt. Sed in pueros ætatis est & naturæ defectus; in aliis verò culpa est voluntatis.

21. Alia verborum inconsiderate prolatorum toleratio.

Maxima patientiæ quotidianæ seges ex judiciorum, voluntatumque pugnâ metitur; præsertim cum illa in verba parum considerata, & nonnunquam secum aliquid fellis & amarulentiæ congerentia imprudenter erumpit. Hinc ego Saulis sub principatus sui exordia silentium imitatione dignum judico; qui cùm aliqui ex Hebræis Samuelis electionem apertè improbarent, dissimulabat se audire: quod ejus successor in regnum, luculentiùs præstitisse se commemorat; dum dicit: Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. *Psal.37.*

De S. Paula Romana dicit sanctus Hieronymus, cum vituperantis linguæ verba audiret; eam continuò animum ad Deum tanquam ad veritatis & patientiæ asylum transtulisse, & silentio obfirmasse, nec ullam apud homines causæ suæ defensionem aut patrocinium quæsisse.

S. Hieronymus eos verè miseros arbitratur, qui cùm pulcherrimam patientiæ ansam, ex intemperantia linguæ, à qua vapulant, possint arripere; ipsimet in verba malè digesta prorumpunt; nec sequuntur illud Davidis exemplum, dicentis: Cùm his qui oderunt pacem, eram pacificus; cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Infelices non ait, linguam nostram nos possumus continere si quis nos offenderit!

23. Quâ stulti sunt qui non utuntur.

Glorioſa est in hoc genere patientia, quæ quodammodo apud homines ob taciturnitatem oppressa, suo silentio apud Deum victrix est: propterea monet nos Gregorius Nazianzenus; ne tanquam veritate subnixi, verbis & disputationibus superiores conemur evadere: melius esse vinci, quàm malè vincere; addit B. Ægidius: melius esse silendo, victos apparere coram hominibus, & hoc modo victoriæ coronam in Dei judicio reportare. Imò verò amplius quiddam in Domino nostro Jesu Christo coram Pilato silentium constanter servante contigisse admiratur S. Athanasius: cujus silentium tantæ fuit ad persuadendum efficaciæ, ut inde innocentiæ testimonium Præses acciperet. O egregiam patientiam, & sæpenumerò victricem apud homines, apud Deum verò semper fructuosam, sæpiùs altissimæ pacis bono compensatam!

22. Et in his melius est vinci quã vincere. *In sent.*

Quod

24. Exemplo Achiliæ.

Quod expertus est inter sanctos illos Patres Eremi cultores Achillas venerabilis senex & palmaris virtutis: quem cum alius è senibus sanguinem spuentem deprehendisset, rogavit quid hoc sibi vellet: respondit id ex aculeato fratris verbo ortum esse, à quo nõnihil fuerat cõtristatus: voluisse tamen illud silentio involvere, & apud se patienter concoquere. idque ut faceret, gratiam à Deo postulasse, illudque quodammodo versum in sanguinem; nam tum in ore velut cruorem persensisse, quem ubi exspuit, magna tranquillitate continuò fruitus est.

25. In hoc etiam exercetur charitas.

Nec tantum hoc modo exercetur patientia, sed suæ etiam in hac scena charitati partes assignãtur. Parcitur enim proximo; benevolè habetur; & nobis ipsis violentiâ inferimus: ne incircumspectâ responsione proximus violetur, Quod tanti æstimavit lumen illud Eremi, & in virtutum palæstra exercitatissimus Pimenius, ut in supremo Charitatis gradu silentium illud collocaret: rogatus enim quo pacto quis executioni mandare posset illa Christi verba, Majorem charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat pro amicis suis, respondit: ei quis contumeliâ, aut verbo injurioso appetitus, cum innocentiam suam verbum verbo reponendo tueri potest, nihilominus tacet, vimque sibi facit ne verbo contristet fratrem; ille verè pro amico animam ponit.

26. Exemplo Moysis Eremiti.

Unde factum est, ut cum seniores illi eremi Patres in publica synaxi Moysem qui prius Latro infamis, tum in eremo virtuti comparandæ sedulam dabat operam, ad quem patientiæ, humilitatis & charitatis gradum perveniisset, experiri vellent, unus ex illis dixerit altâ voce: quomodo Æthiopem istum in consessu hoc nostro patimur? & quasi dato signo illum expellendi, abire jussus est, sed continuo revocatus: rogatusque quo animo contumeliam illam accepisset; respondit ingenuè: Turbatus sum & non sum locutus; nullam quidem vocem contra expellentes emisit: sed seipsum compellavit dicens: bene faciunt isti, homo nigerrime; quorsum tu in tam Sanctorum hominum consortium temere te ingeris?

27. Alias ob untiæ ira

Cum tundis silicem, erumpunt scintelæ; ita plerumque ad sonum ictumque verbi cõtumelioſi, vindictæ appetitus scintillas jacit, nisi patientia & charitas linguam & cordis motum frænet, ubi hæc omnia in tranquillo habent, ingens ex verbis factisque contumeliosis meritorum cumulus exaggeratur: quod uti in plerisque Sanctorum, ita maximè in sancta Cole-

Colcta, cui Deus reformationem ordinis id probante summo Pontifice Benedicto injunxerat, insigniter apparuit: continuò in illam etiam à viris in dignitate constitutis debacchatum est, saga & Dæmonis instrumentum est appellata, & in commune mortalium odium ita maledicis obtrectationibus incurrit, ut nemo illam hospitio auderet recipere; virgis etiam ab ijs, qui in illam auctoritatem usurpabant, cædi juberetur, & ne ulteriùs in reformatione procederet, præcepto adigeretur: nec defuerunt, qui ut hæreticâ de Joannis Hus secta traducerēt. Quid illa ad hæc omnia? triumphabat animo, & hasce contumelias omnibus mundi opibus præferebat, atque ut augerentur optabat: Deum interea pro adversarijs, & calumniatoribus precabatur, quorum aliquos ad meliorem frugem convertit.

Rara S. Coletæ patientia in dicteriis.

28. Dicteria sunt carbones,

Si secundùm S. Jacobum lingua ignis est, & universitas iniquitatis, quis non videt quantam illa secum stragem ferat, & patientiæ humilitatisque materiā submini-stret? Verbum unicum ad instar carbonis est alterius ore prosiliens, cui si alterum addideris, & ventus animi commoti accesserit, excitetur ignis necesse est: de qua meritò adjungit idem Apostolus, linguam modicum quidem membrum esse, sed ad instar ignis exigui, vento agitati, magnam silvam incendere. Atque in hoc malorum genere meritò imitandus mihi videtur Arlottus Plebanus Florentinus, qui convicia ingerenti dixit: Si tu linguæ tuæ dominus non es; ego Deo dante, aurium mearum conabor esse dominus: addere voluissem & cordis, ad quod perturbandum aliqua interdum vocula prolabitur. Modestia etiam Aristotelis laudanda: qui contumeliosa verba proferenti, tranquillè respondit: Tibi probra excipere, & regerere solemne est; ego verò nec libertatem ea dicendi, mihi assumo; nec ab alijs jactari libenter audio.

Slitum responsū contra dicteria.

29. Et Philippi Macedonis apophtegma.

Sed generosior fuit in hoc genere Philippi Regis Macedonum responsio, qui conviciantibus potius habendas gratias, quàm irascendum ajebat: quod dum propiùs nostra rimantur & carpunt, materiā attētiùs in dicta, factaque nostra invigilandi, rariusque peccandi nobis præbeant. Christianus verò altiùs cogitationes suas elevat, & Christum inter contumeliarum, conviciorumque plaustra nunc tacentem, nunc modestè respondentem intuetur; & malevolis suis etiam beneficia conferentem, atque ad ejus se similitudinem patientiâ & charitate dulcibus effingere contendit, juxta S. Petri monitum: Christo

pro vobis passo, & vos eâdem cogitatione armamini.

30. Salutare S. Bernardi monitum.

Monet egregiè S. Bernardus fratres de monte Dei, qui Carthusiani Ordinis jacebant fundamenta, ut rectà in virtutum cursu pergerent; nec ad laudantes, aut vituperantes attenderent; aut alterutris responderent: ne temporis & patientiæ aliquam, quantumvis modicam, facerent jacturam: nisi charitas ad responsionem cogat, nulla silentij clypeo facilior est & tutior armatura. Exstat Tiberij Imperatoris dictum celebre, cùm voces contumeliosæ, quæ à quibusdam de ipso per vulgus spargebantur, ad ipsum referrentur: nempe in liberâ civitate linguas etiam liberas esse oportere: quod ipsum usurpare vellem, qui in hâc patientiæ palæstrâ contra voces obtrectatorum Christianè armari vis: cur enim non dicis: Deus homini isti liberam linguam donavit; quâ si malè utitur; ejus est, qui donavit, mali usus rationem reposcere: mihi verò bene agendi inter linguarum jacula libertatem reliquit hanc ego mihi servabo, & quod Deo gratius esse judicavero, illud exsequar; obtrectatoribus intereà bene vel malè de me loquendi libertate relictâ: hæc si feceris magnum constantiæ & tranquillitatis præmium reportabis. Relinque Deo ejus vindictam

FINIS.

INDEX RERVM.

NE in hujus Indicis limine offendas aut hæreas, Amice Lector, monitum te velim, quid litteræ seorsim positæ, quid arithmetici numeri significent. Sic igitur habet. *p.* significat Isagoges Partem, *c.* Caput, sequens numerus Capitis ordinem, tertius Capitis paragraphum: & si contingat Caput in varios paragraphos solenni nota §. dividi, qui sequetur numerus paragraphi partem indicabit primus numerus ordinem. Dum tamen non reperitur C. intellige designari præcitati Capitis, paragraphos, vel numeros. *Cons.* considerationem, secundum paragraphum. *Diss.* Dissertationem, cum simili in sequentibus notarum significatione.

A.

Abnegatio.

Abnegatio quid. p.2. c.3. 1. quotuplex. 2. ejus omissio punitur, 3. usus Deo gratus, 4. ejus usus circa linguæ moderationem, 5. & 14. circa visum, 6. odoratum, 8. gustum, 9. tactum, 10. circa facultates internas, 11. voluntatem, 12. ejus meritum, 12. est brevis via ad sanctitatem, 13. Vid. Mortificatio, Patientia.

Abraham.

Abrahæ amor in sacrificio, p. 1. c. 17. 9.

Abusus.

Abusus novem in studio orationis,

eorumq; remedia, p.2. c.13.1. & seqq.

Achilles.

Achilles quo cibo nutritus, p.3. c.18. §.3.3.

Actio.

Actionum triplex genus Diss.3.1. quantum in illis mendacium, 2. patet exemplo, 3. & 4. ad illarum perfectionem quid requiratur. 4. 5. Eas quomodo dæmon conetur interturbare, 7. quæ attentio necessaria, 8. præsertim in minutis. 13. Quàm stulti, qui eas prave agunt, 14. quod earum pretium, p.1.c.7.9. Quis bene agendi modus, 16. quod auxilium, 15. motivum, 12. 18. 19. Actio præponenda subinde contemplationi Deo monente. p.1. c.24. toto.

Adam.

Adam cur peccaverit, diss.3.7.

Adversa.

Adversis probatur amor, p.1.c.9. toto. acquiritur p.2.c.17.toto. Sunt dona Dei. diss.5.3.

Æger.

Æger an petere possit quod sapiat &c. p.3.c.8.24.28.

Æstimatio.

Æstimatio alicujus rei quotuplex, p.1.c.3.1.

Affectus.

Affectus cordis quot p.3.c.1.2. Ex parte subjecti immediati, p.1.c.8.8. quomodo concordent & discordent.9.10.11.

Albanus Dux, vide Ferdinandus.

Alphabetum.

Alphabetum imperfectionum alienarum, diss.7.11.

Alphonsus.

Alphonsi Rodriguez patietia, p.2. c.17.19. ejusd. charitas, 21.

Amans.

Amans totus est oculus, p.1.c.17. 7. optat uniri amator arctius, p.1.c.22.

Amantium exempla p.1, c.18.6. 7.8.

Amicitiam cum uno esse oportet, p.1.c.24.1. ejus dimensiones quatuor, 2. exempla, 4.5.6. fructus, 7.8.

Amicitiæ pericula etiam inter spirituales, p.3.28.11.

Amicus prudenter monens quid prosit, p.3.c.26.§.3.6.

Amor.

Amore carere non potest animus, p.2.c.1.1.

Amor Bavararum mulierum in maritos, p.3.3.c.12.3.

Amor Dei in homines.

In quo consistat, p.1.c.8.13. latet sub

ſub crucibus, p.1. c.9.13. & & in Ven. Euchariſtia, p. 3. c.18.§.1.n.1. ex adjunctis, 2. 3. patet in ferendis eorum defectibus, p.3.c.26.§.1. n.2. ejus movet fiduciam, diſſ.2.12.

Amor Dei.

Amor Dei duplex, & utriuſque diverſitas, p.1.c.11.toto. Perfectioris notæ quinque, p.1.c.12. toto. Amor appretiationis, p.1. c.7.2. ejus quatuor modi, p.1. c.1.n.1, & 11.12.13. exempla, p.1.c.8.n.13.14.15.16.

Amor debet eſſe purus, p.1.c.10. n.5. conſ.26.1. magnanimus 4. ejus exempla 2. 3. Puri amoris præmium 2. & verus 8. eſt activus, p.1.c.17.4. etiam in parvis, 5. & alios incendit, 10. dicteria deſpicit 12. ejus qualitates, p.1.c.18.1. ſymbola tria 2. & 10. robur p.1. c.19.2. exempla 3. ſeqq. quomodo illum aſſequi poſſimus, p.2.c.7.1. ſeq. diffidentia noſtri, conſ. 29.1. eadem conſervatur 2. & confidentia in Deum 3. ad Deum diſponit timor, diſſ.6.16. ejus via eſt humilitas, p.2.c.18. toto. error circa illum, p.2.c.7.9. ex contemplatione oritur, p.2. c.12. 4. & ex memoria beneficiorum Dei 5. magis probatur patiendo p.1.c.20. toto. optat amato adhæreſcere p.1.c.22.toto. exempla ejus & ſymbola, ibid. neceſſarius comes ſcientiæ p. 3. c.10.n.11. ad varia extenditur p.3.c.2.n.1. eſt parens orationis p.3. c.12.1. facit ſimilem Deo, conſ.18. petendo 2. & vires animi intendendo in Dei imitatione 3. ſi nobis ille ſufficiat 4.5. ſi ſimus immutabiles 6. liberales 7. patientes 8. ſectandus præ aliis omnibus vacantibus p.3. c.1. n.5. dæmonẽ expellit 6. ejus præſidia in morte p. 1. c.7.n.8. ejus gradus p.1.c.12.n.1. ſeqq. quibus facilis p.1.c.8.n.1. ex parte objecti 2. voluntatis 3. maximè petentibus 6. etiam in ariditate 7. eſt frænum paſſionum p.3. c.1. 3. eſt felicitatis parens p.1.c.5.toto, conſ.26.4.

Amor bonum facit, non mos p.1. c.5. n.2. dat actionibus pretium 10. hoſtes vincit 13. & dæmonẽ diſſ.6.39. cavet peccata etiam levia p.1.c.15.1.2. commiſſa expiari ſuadet p.3. c.16.8.

Amorem Deus imperat p.1.c.7. neminem excludit c.6.toto. eum petit Deus p.1.c.4.1. inſtar

mendici 2. *beneficiis allicit* 3. 4.5.*conf.*24. *tota. promiſſis* 6. *minis* 7. *conf.*23. *tota. & deſideria noſtra conf.* 25. *variorum de eo judicia* 9.10.11.12.

*Amores quatuor attendendi in Sanctis p.*3.*c.*22.5.

*Amoris imperfecti infirmitas p.*1. *c.*19.1.

*Amoris defectu ſubitur Purgatorium p.*3.*c.*2.*n.*3.

*Amoris gradus quot p.*1.*c.*12. 1. *de* 1. *gradu p.*1.*c.*13.*toto.de* 2. *p.*1.*c.*14. *de* 3. *p.*1.*c.*17.

Amor Proximi.

Docet ejus defectus ferre.vid. Defectus. *ex eo quid commodi p.*3.*c.*24.*n.*5.6.

Amor Proprius.

*Eſt duplex, bonus, & malus p.*2. *c.*1. 5. *Bonus homini imperatus* 6. *alter vetitus* 7. *qualis hic, quæ ejus fraudes n.*11.16. 19.20. *quæ pœna* 12.14. *etiam in rebus piis* 13.15. *Chriſtum crucifigit* 17. *Ipſe crucifigendus p.*3.*c.*16.5. *cauſſat ignorationem ſui* 1. *tenet ligatum hominem conf.*26.3.

Anchora.

*Duplex ad amorem obtinendum conf.*29.*n.*4.5.

Angelus.

*Angeli cur peccaverint diſſ.*3.17.

*Angelus tuſtos colendus p.*3.*c.*23. *n.*1. *quare* 2.3.4. *quomodo* 7. 8. *ejus in clientes obſequia* 5.6.

Animus.

*Animus hominis διμερὴς, id eſt, bipartitus Prol. ad conſider. n.*1.

*Animi aliqui pacati, aliqui agitati p.*1.*c.* 26. 1.3. *ejus perfectio eſt ſtimulus ad virtutem diſſ.* 6. *n.* 57.59. *quantò pluris ſit quam corpus p.*3. *c.*28. *n.*1. *ejus pulchritudo in gratia* 2. *quanto ſtudio curandi animi ſubditorum* 3. 15. *quàm recta intentione* 4. *oratione* 6.

S. Antonius.

*Eſt exemplar hominis transformati p.*1.*c.*27. 14.

Antonia Borbonia.

Ejus ſcita reſponſio p. 3. *c.*25. *n.*12.

Apologus.

*De fele & vulpe p.*2.*c.*14.7.

Apoſtoli.

*Humilitatem amarunt diſſ.*1.7.

Appetitus.

Excitandus ante communionem p. 3.*c.* 18.§. 2.*n.*4.

Ariditas.

*Ejus fructus in oratione p.*3.*c.*17. *n.* 22. *Fabri Iudicium de illa* 33. *lectione brevi curanda p.*3. *c.*11.

c.11.7. *ſtat cũ amore p.3.c.12.* 14.

Arſenius.

Ejus auſteritas Deo probatur p.1. c.15.10.

Attentio.

In horas quomodo paretur p.3.c. 12.9. neceſſaria eſt in actionibus bonis diſſ.3.8.

S. Auguſtinus.

Quantum amaverit Deum p.1, c.13.7. ſervat clientem p. 3. c.22.n.13.

B.

Bavarus.

Bavararum uxorum amor in maritos p.2.c.12.13.

Beatitudo.

Illam hîc meremur, in cælo poſſedimus, conſ.2.6.

Beneficium.

Beneficia divina provocant ejus amorem p.2, c.12.5. conſ.24. n.1. ob circumſtantias dantis 2. doni 3. accipientium 4. exigunt gratitudinem conſ.30. tota. eorum tria genera p.2.c.12. n.6. Quot & quanta 6. ob corpus 8. ob animum 9. ob redemptionem 10. Impediuntur à pigris diſſ.6.51.

Blaſphemus. Blaſphemia.

Blaſphemus liberè caſtigatus p.3. c.2. 16. Blaſphemæ cogitationes quomodo vincendæ p.3.c.3. n.12.13.15.16.

Bonus.

Bonum facit amor p.1.c.5.2.

Bona.

Bonorum jactura ducit ad Amorem p.2.c.17.14.

C.

Cæſar.

Iratus filiæ flagitia vulgat p.3. c.26.§.3.6.

Calumnia.

Tolerata ab Henrico Suſone p.3. c.7.26. ſeqq.

Cantor.

Eorum vanitas Deo diſplicet diſſ.3. n.19.

Carolus.

S. Caroli S. Birgittæ filij amor in B.Virg. p.1.c.13.9.

Caro.

Carnis bubulæ appetitionem quomodo vicerit Iacoponus conſ.18. n.15. Caro ab ægro admitti debet p.3.c.8.23.

Caſtigatio.

Caſtigatio corporis ab amore ſuadetur part. 3. cap. 6. num. 1.

præmittenda communioni p.3. c.18. §.2.n.1.

Catharina Bononiensis.

Ejus angustiæ p.1.c.9.3.

Cereus.

Ejus ad instar est homo ad usus Dei, cons.1.2.

Certitudo.

Certitudo de amore Dei qualis haberi possit p.1.c.10.1.

Charitas.

Charitatis motivo faciendæ actiones, diff.3.8.

Vide Amor.

S. Christophorus.

Ejus statua quare in aditu templorum ponatur p.3.c.19.10.

Christus.

De cruce invitat ad se sequendum p.2.c.16.6. exempla illum sequentium 8. Quid eum nobis amabilem faciat 13. ejus imitatio quanti pretij 16. amor patiendi quantus in eo p.3.c.8. n.29. Humilitas, diff.1.6. ejus exemplum est stimulus ad perfectionem diff.6.5. ejus imitatio Christiano homini commendata cons.15.3. Imperata 1. expetita 2. utilis 4. necessaria 5.6.7. maximè in incommodis cons.16. tota. In judiciorum humanorum conceptu cons.17. In amore Patris æterni cons.18.1. in paupertate 3. vitæ asperitate 2. obedientia 7. mansuetudine 8. humilitate 8. in interioris hominis cultu, cons.19.1. Cogitationibus 2. intentione 4.5. in memoriæ usu 7. præsentia Dei 7. sensu interno 8. Christo quantum debeamus diff.6.6.7. Debemus resurgenti gaudium cons.21.1. gratulationem 3. vitæ novitatem 6. ipsi tradendæ cordis claves in communione p.3.c.18. §.2.n.7. ejus conspectus peccatores convertit cons.13.9. cogitationes ejus quales cons.19. 2. quales non 3. Christi amor in Eucharistia.

Vide Eucharistia.

Cibus.

Cibi moderatio est ab amore p.3. c.5.n.7. in ejus usu quæ intentio habenda 8.

Civis.

Civis Vallis-Oletanus quomodo ad saniora conversus p.2.c.16.n.10.

Cœcitas.

Cœcitas peccatoris quanta cons.13. n.6.

Corporalis & spiritualis analogia Prol.2. ad consid.

Cæli.

Cæli gloria optanda ex cæli charitate p.3.c.2.4.

Cogitatio.
Cogitationum quanta levitas p.3. c.3.1. Proœm. dissert. 1. Unde oriantur cogitationes 2. & seqq. quomodo coërcendæ 7. seqq.
Cogitationibus pusillanimitatis quomodo occurrendū diss.2.17.
Cognitio.
Cognitionem Dei impedit dæmon p.1.c.1.10. In ea negligens punitur purgatorio 12.
Colloquium spirituale.
Fidem excitat p.1.c.2.1.
Cōmunio, *vid.* Eucharistia.
Communionis unicæ fervent is fructus p.3.c.18.§.3.1.
Concionator.
Concionatoris superbi confusio p.2. c.19.12. Vanus à Christo damnatur diss.3.3. ejus idea p.3. c.28.15.
Confessio.
Illam suadet Amor divinus p.3. c.17.1.
Confessio frequens quorum p.3. c.17.§.1.1. non semper facta mentalis 3.4. quando hæc adhibenda 5. qualis esse debeat 6. quàm verecunda 7. qualibus verbis 8. præmittenda communioni p.3.c.18.§.2.n.1.
Confidentia.
Illâ acquiritur amor, cons.29.3.
Conformitas voluntatis cum divina.
Est fructus amoris p.1. c.24.7. exempla 6.8. necessaria in tentatione p.1.c.26.23. in distractionibus p.1.c.14.1. seqq. spectanda in tribus p.1.c.25.1. agendo 2. etiam minima 3. abstinendo 7. patiendo 8. modus attendendus 9. exempla 10. seqq.
Conjux, Conjugium, Conjugatus.
Conjugum Sanctorum exempla p.1.c.6.n.12. conjugati ab amore divino non excluduntur 11.
Consideratio.
Fidem excitat p.1.c.2.1.
Consolatio.
Consolationes respuit vir fortis p.1. c.26.13.
Constantia.
Constantiæ robustæ exempla. p.1. c.26.21. p.2.c.2.11. Constantia Stoicorum p.3.c.9.18.
Contemno. Contemptus.
contemnendus nemo, diss. 7.16. contemptus amor est via ad humilitatem diss. 1.3. est nobis debitus 10. antidotum contra superbiam 10. eum dilexit Christus 11. & Sancti 7. opponendus cogitationi vanæ 23.

Con-

Contentio animi.
Moderanda p.3.c.4.5.
Contritio.
Est amoris filia p.3.c.17.§.2.n.1. Vnde petenda 2. ejus emblemata 3.4.5.10. qualis optanda 6. quàm grata Deo conf.13. n.1.2. homini utilis 3. dæmoni displicens 4. facilis 5.
Conversatio.
In ea quid faciendum p.3.c.25.4. quantum periculum 6.7. quid cavendum 8.9.10. conversatio est specula 11. in ea habenda Dei præsentia 13. Virtutes comites assumendæ 14.
Conversio.
Mira aulicorum p.1.c.2.n.5. S. Afræ 6. fœminæ dissolutæ 7. Themistocles diss.7.17. Francisci Senensis p.1.c.6.14. Inimici 15.
Cor.
Cordi Petri Thomasij inscriptum nomen MARIÆ p.3.c.2.16.
Corpus.
Est hostia viva diss.7.4.
Corporis incommoda occasio amoris perfecti p.2.c.17.18. accersuntur diss.7.4. exempla severitatis in corpus 20. incommoda illa ab amore reguntur p.3. c.5.n.1.2.3. &c. Corpore utendum ut equo conductitio diss.7.n.19.
Correctio fraterna.
Probatur à Crucifixo p.3.c.28. Non repugnat charitati p.3. c.26.§.3.1. non fiat irato animo 4. sine illa non stat amicitia 5.6. exempla 7. Præmittenda correctioni oratio 9. adhibenda moderatio 11. &c. Consulendus Deus 14.
Creatura.
Creaturæ sunt propter hominem conf.1.1.
Crux.
Crucis sacrificij nobilitas petenda ex offerente, conf.20.1. ex modo offerendi 2. ex quotidiana oblatione 3. ex circumstantiis cruciatuum 4. ex gratuita oblatione 5. ex fructu colligendo 6. Crucis signum sæpè usurpandum diss.3.8. Crux ubi ferenda, & quorum exemplo p.1. c.26.8. seq.
Crucifixus.
Est speculum p.2.c.16.11. probat correctionem fraternam p.3. c.28. Crucifixi cum Christo, qui conf.15.8.
Culpa.
Culpæ leves agnoscendæ petita à Deo luce p.3.c.16.11. circa culpas ex fragilitate quid cavendum 14.

Custodia sui.
Eam imperat divinus Amor p. 3. c. 16. 4.

D.

Dæmon.
Fidem quomodo impediat p. 1. c. 1. n. 10. Christum & B. V. mentitus apparet B. Catharinæ Bonon. p. 1. c. 9. 4. est pædagogus & Dei quæstionarius p. 2. c. 17. 9. actiones nostras quomodo turbet, diss. 3. 7. impediat ibid. *pellitur amore p. 3. c. 1. n. 6. ejus rabies in hominem p. 3. c. 28. 13. ejus odio in nos metiendus amor Christi, diss. 2. 13. Tendit homini laqueos diss. 6. n. 30. ejus rabies est stimulus ad perfectionem 37. Vincendus fiducia 39. & vigilantia 40. & fide 41.*

Defectus.
Alieni defectus tolerandi p. 3. c. 26. §. 1. n. 1. seqq. etiam morales §. 2. 2. etiam naturales 1. In eo probatur virtus 3. hoc commendat S. Franciscus 6. Non aperiendi aliis §. 3. n. 12. 13. alienum defectum tegentis exemplum 15. sunt patientiæ exercitium, diss. 7. 12. In iis opus magna constantia 13. Si non pateris, stultus es 14. & severum judicium Dei te manet 15.

Desiderium.
Desideria etiam bona sunt temperanda p. 1. c. 5. 7. Quomodo p. 2. c. 9. 7. Quomodo à nobis illa auferat Deus, Proœm. diss. 5. Desideria incensa divinæ gloriæ p. 1. c. 16. 7. & 12. sunt flores 11. amoris perfecti p. 2. c. 8. 5. eorum fructus 6. Quid in eis cavendum 8. 9. quid faciendum 10. petenda à Deo p. 2. c. 10. 10. & quomodo seqq. provocant amorem, cons. 25. tota.

Devotio.
In Sacro concilianda p. 3. c. 19. 9. Vide Oratio.

Deus.
Quantus, & quomodo æstimari possit p. 1. c. 3. toto. quantò amabilior creaturis p. 1. c. 8. 17. seqq. quomodo provocet amorem nostrum, cons. 23. tota. An illi à nobis aliquid accedat p. 1. c. 13. 1. omnia fecit propter se, cons. 1. n. 1. Dei famulatus nobis utilis, diss. 6. 4. ejus liberalitas quanta, cons. 2. 2. pulchritudo ejus amorem excitat p. 2. c. 12. 2. ejus excellentia est sti-

mulus ad perfectionem diſſ.6. n.2. & promiſſa 11. & beneficia 8. ſeqq. & præcepta 14. & præſentia 53. cujus memoria excitat, oblivio tenebras offundit 54. Deus in peccatore quid amet p.2.c.2.2.

Dicteria.

Sunt materia patientiæ diſſ.7.21. rarum exemplum 27. ſtultus eſt qui ea non patitur 22. in iis melius vinci quam vincere 23. exempla 24. in iis tolerandis exercetur charitas 25. ſunt carbones ad iram excitandam 28. ſcita reſponſa contra illa 28. 29.30. amor verus ea deſpuit p.1.c.17.12.

Diffidentia.

Illâ acquiritur amor conſ.29.1.

Diſciplina.

Vide Flagellatio.

Diſtractio.

Quæ illarum remedia p.1.c.14.11. Diverſitas ingeniorum p.3. c.27.§.1.

Dolor.

Dolor pro levibus culpis gravis p.3.c.16.8.9. qualis eſſe debeat 10. Doloris objectum nullum præter peccatum p.3, c.2. n.17. Dolori ob jacturam temporalium ſervit charitas p.3. c.2.n.11.

F.

Electio.

In dubio quid eligendum p.1.c.15. n.6.

Eleemoſyna.

In eleemoſyna facienda quæ intentio optima p.3.c.28.5.

Epictetus.

Ejus ſententia quanti, Prol. ad conſid.3.

Error.

Error amorem perfectum ſectantium p.2.c.7.9. Illuminatorum p.2.c.13.2.

Evagatio.

Evagationis cogitationum in oratione remedia p.2.c.14.toto.

Euchariſtia.

Ejus excellentia, conſ.14.1. quomodo ad illam accedendum 2. ſpe firma 3.4.5. ejus uſus lenit dilationem beatitudinis p.1. c.23.1. exempla 6.ſeqq. mirus fructus 5. tentationes in ejus uſu quare permittantur 11. à ſimili 12. in ea quærendæ ſpirituales delitiæ 14. Ipſe Chriſtus abſente Sacerdote dat ſe in Euch. 15. Chriſti amor in ea ex adjunctis p.3.c.18.§.1.toto. humilitas n.13. obedientia 14. miro modo defertur ad reclu-

ſam

ſam 10. *illius uſum impediens punitur* 11. *illi præmittenda confeſsio* §. 2. 1. *excitandus appetitus* 4. *humilitas* 5. *animi tranquillitas* 6. *quid poſt illam præſtandum* 7. *Vis Chriſti in illa* §. 3. 2. *frigoris cauſſæ* 3. *fructus* §. 4. *toto. In Euchariſtia quas partes agat Chriſtus p.* 3. *c.* 20. 1. 4. *ejus amor & cauſſæ, cur ibi teneri velit n.* 3. 4. 5. *Sancti eum frequenter in Euch. viſitarunt* 6. *quid in eo exercitio faciendum* 7.

Eulogius.

Ejus patientia in ægro p. 3. *c.* 27. §. 1. 18.

Excuſo.

Ne te excuſa ſi abeſt ſcandalum diſſ. 1. 18.

Exemplum.

Quanta vis eorum diſſ. 6. §. 7. 22. *etiam malorum* 22. *exempla ferventer amantium p.* 1. *c.* 18. *n.* 6. 7. 8.

Externa.

Externarum rerum uſus eſt in noſtra poteſtate, conſ. 2. 5.

F.

Ferdinandus.

Ferdinandi de Toledo ſcitũ reſponſum p. 3. *c.* 4. 9.

Fides.

Fides ad amorem ducit p. 1. *c.* 1. 12. *Fidem quomodo admiſerit fœmina infidelis p.* 1. *c.* 1. 5. *dæmon impediat p.* 1. *c.* 1. 10. *quæ media excitent p.* 1. *c.* 2. *toto. ea vincendus dæmon diſſ.* 6. 39. *ſeqq.*

Fiducia.

Fiducia in Deum quibus nitatur diſſ. 2. *tota. ejus bonitate, & omnipotentia* 3. *in quibus acquieſcendum* 4. *Chriſti meritis* 5. *patet raro exemplo* 6. *B. V. patrocinio* 14. *& promiſsis divinis* 17. *ea vincendus dæmon diſſ.* 6. 39.

Filius.

Filius per ignorantiam patrem occidit p. 3. *c.* 17. §. 2. *n.* 4. 5. *ejus inde dolor* 5.

Finis.

Finis hominis quotuplex, conſ. 1. 5.

Flagellatio.

Præmittenda Euchariſtiæ p. 3. *c.* 18. §. 2. 1.

Fœmina.

Fœminæ mortificatione ſingulares p. 3. *c.* 7. 3.

Fomes peccati.

In cõmunione extinguitur, conſ. 1.

Franciſcus.

Franciſci Senenſis mira converſio p. 1. *c.* 6. 14.

Franciſci de Sales compaſſio in peccatorem p.3.26.§.3.2.
Franciſcus Xaverius quomodo Dei amorem probaverit p.1. c.12.5. ejus conſtantia in adverſis p.26.11.

Fructus.

Fructus è Sacro, vid. Miſſa. *è communione, vid.* Euchariſtia.

Fulmen.

Fulminis vis mira, Seceſſ. Prol.6.

G.

Genulphus.

S. Genulphus clientem defendit in judicio p.3.c.22.14.

Gloria.

Gloria Dei quid p.1.c.16.2. Deo optanda & curanda p.1. c.16. toto.

Godefridus.

Godefridi Peronenſis triſtitia quomodo victa p.3.c.9.6.

Gradus.

Gradus amoris, vid. Amor.

Gratia.

Gratia Dei quam pulchram faciat animam p.3.18.§.1.5. ejus lucrum quare quærendum p.3.c.2.

Gratitudo.

Gratitudo in Deum quos actus importet, conſ.31.tota. & diſſ.6.9. etiam feris eſt cordi, conſ.30.

Guſtus Mortificatio.

Vide Abnegatio.

H.

Henricus.

Henrici Suſonis ſingulare exemplum in mortificatione p.3. c.7.n.19.ſeqq.

Hieronymus.

S. Hieronymus clientem admonet ſpectaculo inferni p.3.c.22.13. quis in eo cruciatus corporis, conſ.10.2. animi in potentiis, n.2.3.

Hiſpanus.

Hiſpanus reus quomodo triſtitiam vicerit p.3.c.9.4.

Homo.

Eſt inſtar cerei ad uſus Dei, conſ.1.2. hominis bonum quod 6. nullam laudem meretur, diſſ.1.21.

Horæ canonicæ.

Earum excellentia p.3.c.13.1.2. quæ cauſſa ſocordiæ in iis legendis 3. remedia 4.5.6.7. quàm Deum delectent 8. in iis quomodo paretur attentio 9.ſeqq. quæ cavenda p.3.c.15. toto.

Humilis.

Humilis eſt cor Chriſti p.2.c.18.6. ejus ſenſus de ſe qualis 20.21. & c.19.1.3. alios ne judicet 6. ne ſe excuſet, ne quidem in criminationibus 8.

Humilitas.
In libertate spiritus est necessaria p.2.c.5.10.sine qua Deo displicent omnia 12. est via ad amorem p.2.c.18. 1. exempla 6. Magdalenæ de Pazzi p.2.c.19. n.5. S.Francisci usque 8. Caroli Condren 8.S.Bernardi 10. Adelardi 11. eam Deus exigit, diss.1.1. & meritò 2. Via ad eam est amor contemptus 3. est certum sanctitatis argumentum 4. injurias pro gemmis accipit 5. excitanda in communione p. 3.c.8.§.2.5. gradus ad eam,diss.1.8.praxis 18. fucatæ typus p.2.c.19.9.
Humilitatem amavit Christus, diss.1.6. exercet in Eucharistia p.3.c.18.§.1.n.1.3.

I.

Ignarus.
Ignarus probus præstat improbo docto p.3.c.10.13. non excluditur ab amore Dei p.1.c.6.8.
Ignatius.
S.Ignatius in multis unus p.2.c.6. n.8. ejus fervor post Sacrum p.3.c.19.
Ignorantia, Ignoratio.
Ignorantia quomodo peccetur,cons. 7.n.7.
Ignoratio sui impedit progressum spiritualem, cons.5.1.
Illuminatus.
Illuminatorum error p.2.13.2.
Imitatio.
*Imitatio Christi, vid.*Christus.
Immodestia.
Immodestia in templo quomodo punita,p.3.c.15.6.
Impeccabilitas.
Eam affectantis illusio p.3.c.16.
Impedimenta.
Profectûs quæ,cons.5.tota.
Imperfectiones.
Alienæ toleratæ sunt gemmæ, diss. 7.12.
Impetus.
Cavendus in desideriis bonis, p.2. c.8.8.
Inconstantia.
Impedit fructũ spiritualẽ,cons.5.3.
Indoles.
Ejus diversitas quanta p.1.c.27. §.1. ferendus qui est contrariæ 2. est materia virtutis & præmij 36. motiva §.2. toto. industriæ 8.
Infernus.
Inferni horrori servit charitas p.3. c.2.14. est Deo grata 15. convertit peccatorem p.3.c.22.13.
Ingenium.
Ingeniorum diversitas quanta p.3. c.27.§.1.1.

Ingratus, Ingratitudo.
Ingratus tolerandus p. 3. c. 27. §. 1. 7.
Ingratitudo in Deum impedit fructum spiritualem, conf. 5. 4
Inimicus.
Inimici mira conversio p. 1. c. 6. 15.
Injuria.
Injuriæ illatæ Deo per peccatum, emblema p. 3. c. 17. §. 2. 3. quare tolerandæ injuriæ p. 3. c. 27. §. 2. toto.
Insidiæ.
Insidiæ dæmonis sunt stimulus ad perfectionem, diss. 6. 38.
Intentio.
Necessaria in studio scientiarum p. 3. 10. 16. recta in juvandis animabus p. 3. 28. 4. In Christo accurata, conf. 19. 5. sublimis 4. ex charitate 6. à Christo docta p. 3. c. 28. 4.
Joannes.
Ioannis Hieronymi resignatio p. 1. c. 4. 4.
Joinvillius.
Ejus impietas p. 3. c. 17. §. 2. 9.
Josephus.
S. Iosephus quomodo charitate operatus p. 1. c. 5. 11.
Ira.
Quando laudabilis p. 3. c. 2. 14. illi domandæ servit charitas p. 3. c. 2. 20. Cæsar ex ira vulgat filiæ flagitia p. 3. c. 26. §. 3. 6.
Irreverentia.
In sacro cavenda p. 3. c. 19. 9.
Judicium particulare.
Quis instituit &c. conf. 9. tota. est stimulus ad perfectionem, diss. 6. 42. efficax ad vitæ emendationem 45.
Judicium, Judico.
Iudicia hominum spernenda p. 2. c. 5. 6. in ea re imitandus Christus, conf. 17. tota.
Iudicandus nemo, diss. 7. 16.
Juvenis.
Iuvenem mori melius quàm senem, diss. 6. 36.

L.

Labor *corporalis ab amore regitur p. 3. c. 5. n. 30. 11. cœlestibus deliciis conditur 12.*
Latro *à B. V. servatur p. 3. c. 21. n. 11.*
Latus *Christi quare post mortem apertum diss. 2. 11.*
Laus *Dei est occupatio Beatorum diss. 4. 23. ab ea pendet salus nostra 22. Quare Deo debita 25. seqq. Quare illam à nobis Deus exigit p. 1. c. 3. tot.*
Laus *hominis est Dei injuria, diss. 1. 9.*

Le-

Lectio spiritualis.
Fidem excitat p. 1. *c.* 2. *n.* 4. *est uber p.* 3. *c.* 11. *n.* 2. *Scripturæ sacræ est potissima* 3. *est utilis, vid.* Liber.

Leo.
Leonis gratitudo, cons. 30. 1.

Lepra.
Lambendo abstersa, diss. 7. 3.

Liber.
Spiritualis movet ad id quod continet p. 3. *c.* 11. 1. *sumatur cum delectu* 4. *petito lumine* 5. *multum lege, non multa* 6. *aliquid decerpe* 8.
Pravorum librorum damnum p. 3. *c.* 10. 1.

Libertas.
Spiritus libertas quid p. 2. *c.* 5. *n.* 1. 3. 4. *quid in ea cavendum* 5. 6. *in ea sectare humilitatem* 10. *exempla libertatis spiritus* 13. *seqq. in quo consistat* 18.

S. Lidwina.
Alienos defectus quomodo tulerit p. 3. *c.* 26. *§.* 2. *n.* 4. *Ejus jacula spernenda, cons.* 17. *nota.*

Lignum.
Aquis innatans est similitudo misericordiæ divinæ, diss. 2. 10.

Lingua.
Linguæ moderatio, vide Abnegatio.
Quanta in Pambone p. 2. *c.* 4. 4.

Lucrum.
Lucri malè parti pœna p. 3. *c.* 17. *§.* 2. *n.* 8.

Ludovicus.
Langravius quare damnatus p. 1. *c.* 1. *n.* 11.

M.

Mansuetudo.
Mansuetudo Christi imitanda, confid. 18. 7. *S. Francisci p.* 3. *c.* 26. *§.* 2. 6.

Margareta.
Margareta d'Arbouze quid in tentatione fecerit p. 1. *c.* 9. *n.* 12, 13.

S. Maria Mater Dei.
Quomodo ex charitate operata p. 1. *c.* 5. 11. *Alanum amavit p.* 1. *c.* 13. 10. *est exemplum animi transformati p.* 1. *c.* 27. 8. *quantum Filio compassa* ibid. *quomodo & quare amanda p.* 3. *c.* 21. *n.* 1. 2. *Unum cum Deo facit substantialiter* 1. 2. *& moraliter per amorem* 3. *quia placet ejus cultus Christo* 4. *tria in eam officiorum genera, preces, mortificationes, templa* 7. *seqq. latronem servat* 11. *modus se illi devovendi* 14. *Petri Thomasij cultus in eam compensa-*

pensatus 16. *est columna fiduciæ nostræ diss.* 2. 14. *ejus misericordiam nemo non experitur* 15. *periculo mundi intercedit n.* 16.

Mariæ Bonaventuræ conversio, Prolog. ad Considd.

Mariæ Ogniacensis zelus p. 3. *c.* 28. *n.* 15. *&* 20.

Martyr, Martyrium.

Martyrum promptitudo p. 1. *c.* 8. *n.* 22. 23. 24. *aliquorum amor solidus p.* 1. *c.* 10. 10. *aliorum non item* 9.

Media.

Media ad fidem excitandam p. 1. *c.* 2. *toto.*

Medicus.

An necessariò vocandus in morbo p. 3. *c.* 8. 20. 21.

Meditatio.

Quàm utilis p. 2. *c.* 9. 1. *super Orationem Dominicam p.* 1. *c.* 15. *toto. Interrumpenda lectione in ariditate p.* 3. *c.* 11. 7.

Memoria.

Memoria judicij juvat ad emendationem vitæ, diss. 6. 43. *ea usi SS. PP.* 44. 45.

Miraculum.

Sine charitate nihil est p. 1. *c.* 5. 5.

Misericordia.

Dei misericordia in negandis superbo gratiis, diss. 1. 15.

Missa.

Ejus Sacrificij dignitas p. 3. *c.* 19. *n.* 1. *quid de illo senserit D. Bonaventura* 3. *quam personam agat Sacerdos* 3. *quid significet tam vario motu* 4. *modus audiendæ* 7. *devotio quomodo concilianda* 9. *irreverentia cavenda* ibid. *fructus* 11. *non quærenda brevis* 12.

Moises Eremita.

Ejus comitas Deo probata p. 1. *c.* 15. *n.* 11.

Mollities animi.

Impedit fructum spiritualem, cons. 5. *n.* 2.

Monialis.

Monialis impatientis stultum consilium p. 3. *c.* 26. *§.* 1. 4.

S. Monica.

Adspirat ad cælum p. 1. *c.* 26. 10.

Morbus.

Quando alteri optari possit, p. 3. *c.* 8. *n.* 7. *quando non* 10. 11. *quando sibi* 1. *qui optaverint* 2. *seqq. quinam alteri ad eorum bonum* 7. 8. 9. 10. *Quis fructus p.* 1. *c.* 20. 21. *ducit ad amorem perfectum p.* 2. *c.* 17. 18. *In iis quid petendum p.* 3. *c.* 8. *n.* 16. *quid sancti fecerint* 17. *quid non tutum* 18. *tristitia in morbo, vid.* Tristitia.

Mors, Mori.
Mori juvenem præstétne, an senem, diss. 6. 36.
Ex vanitate mors obita p. 1. *c.* 5. *n.* 8. 9. *optari potest ex charitate p.* 3. *c.* 2. *n.* 5. 6. 7. *quid eam faciat timendam, cons.* 8. *tota. media ad bonam mortem,* 4. 5.
Mors amicorum occasio amoris perfecti p. 2. *c.* 17. 17.
Mors spiritualis.
Quid sit, p. 2. *c.* 4. 1. *discrimen inter hanc & corporalem* 2. *modus* 3. *signa* 5. *felicitas* 6. *laudes* 7. *est signum prædestinationis* 8. *fructus* 11. *neglectæ pœna* 9.
Mortificatio.
Ejus opera subinde sunt ex amore proprio p. 2. *c.* 1. 15. *Juvat ad perfectum amorem p.* 2. *c.* 7. 11. *ejus exempla p.* 3. *c.* 7. *n.* 33. *seqq. non licet per illos graviter lædere sanitatem p.* 3. *c.* 8. *n.* 19.
Mortificationis sensuum exempla rara p. 3. *c.* 16. *n.* 6. 7. *p.* 3. *c.* 17. *n.* 8. *& diss.* 7. *tot. Vide* Abnegatio & Mortificatio.
Moyses, *vide* Moises.
Multiloquium.
Cavendum in conversatione p. 3. *c.* 25. *n.* 10.
Multiplex.
Quis dicendus p. 2. *c.* 6. *n.* 1.
P. Munier.
Cur in Purgatorio per tres dies, p. 1. *c.* 1. 12.

N.

Nestorius.
Nestorij & familiæ ad martyrium promptitudo p. 1. *c.* 8. 22.
Nuditas.
Nuditas apud Iaponas grave tormentum p. 1. *c.* 10. 9.

O.

Obedientia.
Obedientia Christi imitanda, cons. 18. *n.* 7. *Rara apud Gentiles, diss.* 6. *n.* 17.
Odium.
Odium sui quid, p. 2. *c.* 2. 1. *Aliud efficax* 3. *odij & amoris proprij pugna* 12. *exemplum* 10. *emblemata* 9. *effecta* 7. *in eo prudentia est opus* 8.
Odoratus.
vid. Abnegatio.
Officium.
vid. Horæ.

Opifex.

Ab amore Dei non excluditur l.1. c.6.n.4.

Oratio.

Fidem excitat p.1.c.2.n.3. In ea acquiritur perfectus amor p.2. c.7.n.10. Duplex oratio, mentalis & vocalis. Vocalis iterum duplex, diff.4.10.

Orationis mentalis quot partes p.1. c.12.n.1. est duplex 13. brevior, eaq; in tentatione usurpanda 13. & longior constans actibus intellectus & voluntatis 15. quæ præparatio utrique præmittenda 1. tria adjuncta attendenda 3. considerate accedendum 4. in ea devotio duplex, sensibilis 16. 18. & solida 17.

Oratio quando necessaria n.19. est amor parens orationis p.3.c.12. n.1. orationis qualitates 2. 3. 4. &c. Vnde ducendum initium 8. quando ad affectus accedendum 10. in ea quomodo cavenda superbia 12. est primus proximum adjuvandi modus p.3. c.28.6.

Orationis Dominicæ meditatio p.2. c.15. toto.

Orationes frequentatæ, conf.2.7.

Abusus novem in studio orationis, & eorum remedia p.3. c.13.1. & seq.

Otium.

Est legibus damnatum p.1. c.18. n.4. illud amor nescit ibid. docet amor fugiendum p.3.c.5.11. est pulvinar diaboli ibid. & diff.6.48.

P.

Panis.

Panis candidus & ater merces amoris puri vel impuri, conf.26. n.3.

Passio Christi.

Passionis Christi fructus p.1.c.20. n.22. est amoris divini fornax p.1.c.6. toto.

Passio humana.

Passionum frænum est amor p.3. c.1.3. & c.2.18.

Pater Noster.

Meditatione explicatur p.2.c.15. toto.

Pater Munier.

Vide Munier.

Patientia.

*Patientiæ palæstra est præsens vita, diff.7.1. exempla mira circa corpus 4. circa somnum 5. circa vestitum 6. circa varia 7. circa imperfectiones alienas 10. circa verba inconsiderata 21. Patientiæ fructus p.1.c.20. n.15. seqq. & p.2.c.17.19. Ad eam

eam animare debet spes mercedis 9. *Patientia S. Francisci p.* 3. *c.*8. 25. *alterius eximia in morbis p.*2. *c.*17. 19.

Pati.

*Patiendo se magis probat amor p.*1. 20. *Patiendi amor in Christo n.*29.

Patronus.

*E Sanctis eligendus p.*3. *c.*22. 12. *Servat clientem* 13. 14.

Paulus Apost.

*Quomodo amorem Dei probaverit p.*1. *c.*12. 4.

Pauper.

*Ab amore Dei non excluditur p.*1. *c.*6. 2.

Pax.

Pax animi obtinetur fide, diss. 1. *etiam in adversis* 3. *Quia sunt pœnæ pro peccatis leves* 5. *Ut evitentur graviores* 6.

Peccator, Peccatum.

*Peccator ob amore Dei non excluditur p.*1. *c.*6. 12. *occidit Christum p.*2. *c.*16. 4.

*Peccata levia quomodo in se punierũt Sancti p.*3. *c.*16. 6. 7. 8.

*Peccati deformitas p.*3. *c.*18. §. 1. *n.* 6. *gravitas peccati mortalis unde petenda, conf.*6. *tota. item venialis, conf.*7. *tota. à peccatis nostris avertenda cogitatio, diss.* 2. *n.*12.

*In peccatis etiam retinenda pax, diss.*5. 9. *Peccato admisso quid faciendum* 10. *quid in admittendi metu* 11. *spe te confirma* 13. *& Dei promissis* 14. *& donis jam acceptis* 15. *& porrò accipiendis* 16. *pro peccatis satisfactio stimulus ad virtutem, diss.*6. 24.

Peregrinus, Peregrinatio.

*Peregrini Philosophi mors ex vanitate p.*1. *c.*5. 8.

*Peregrinatione ad B.V. p.*3. *c.*21. *n.*12.

Perfectus, Perfectio.

*Perfectus quis, conf.*1. 2. *est paucorum p.*1. *c.*16. 9. *ad eam stimuli, diss.*6. *tota. Non est compassibilis cum cura corporis* 58.

Periculum.

*Periculum salutis stimulus ad perfectionem, diss.*6. 28. *magnum à dæmonibus* 29.

Peto, Petitio.

*Petenda à Deo sancta desideria p.*2. *c.*10. *n.* 1. *An aliquid in particulari petendum* 6. *Petitionis qualitates* 7. *seqq. petendo amor obtinetur, conf.*25. *tota.*

Petrus.

*Petri Thomasij in B.V. religio p.*3. *c.*21. 14. *S. Petrus an verè Christum amaverit in protestatione p.*1. *c.*10. 3.

Piger.
Pigris parata pœna est stimulus ad perfectionem, diss.6. 46. sunt Deo odiosi, ib. *& 50.51. quibus similes* 49.
Philippus.
Philippi II. in Deum fiducia, diss.2.4.
Plotinus.
Ejus de corpore judicia, cons. 1.4.
Podagra.
Mira ejus curatio.
Pœnitentia.
Pœnitentiarum usus ab amore docetur p.3. c.6. 1. rara in omni statu exempla 2. quæ in illis intentio 4. seqq. Interior & exterior præmittenda communioni p.3.c.18.§.2.n.1.2.3.
Pomum.
Surrepti pœna p.3.c.17.§.2.2.
Præceptum.
De amore quomodo obliget p.1. c. 1.6. stimulus ad perfectionem, diss.6.14. servandum ex charitate 15.
Præsentia Dei.
Iuvat ad amorẽ obtinendum p.2. c.11.1. est stimulus ad perfectionem.diss.6.53.ex ea nascitur admiratio n.2. à Sanctis commendatur 3.4. ex rebus creatis elicienda n.5.
Praxis.
In amore potior præceptis p.3.c.11
Probrum.
Quantum non amantis Deum p.1. c.3.25.
Procurator.
Damnatus ob conversationem p.3. c.25.6.
Promissum.
Promissum Dei stimulus ad perfectionem, diss.6.11.etiam rebus in pejus abeuntibus 13.
Proximus.
Amandus p.3.c.24.n.1.2. etiam peccator 2. Deus in illo intuendus 3. ex hoc amore quid commodi 5. etiam in solitudine p.3. c.25.1.
Prudentia.
Illâ opus in amore & odio proprio p.2.c.2.8.
Psalmodia, *vide* Horæ.
Puer.
Pueri monent senes mortis accedentis, diss.6.35.
Pulchritudo.
Pulchritudo Dei amorem conciliat, p.2.c.12.2.
Pulchritudo animæ ad ejus curam nos excitare debet, diss.6. 18. pulchritudo virtutum est stimulus ad perfectionem 18.
Purgatorium.
Eo tenetur negligens in Dei cognitione

tione inveſtiganda p.1.c.1.12. eodem punitur amor proprius, p.2.c.1.14.

Puſillanimitas.

Ejus cogitationibus quomodo occurrendum, diſſ.2.17.

R.

Recreatio.

Recreationes corporales moderatur amor p.3.c.5.19. ut ſint honeſtæ 14. ſeqq. earũ circũſtantiæ 18. faciant Deo gratas 19.

Remedium.

Contra abuſus in oratione p.2. c.13.1. ſeqq.

Res.

Rerum aliæ in noſtra poteſtate, aliæ non, conſ.2.4.

Reſignatio.

Ioannis Hieronymi p.1.c.7.n.4. & 15.

Reſurrectio, *vide* Chriſtus.

S.

Sacrum, *vide* Miſſa.

Salus.

Salutis periculum eſt ſtimulus ad perfectionem, diſſ.6.8.

Sanctus, Sanctitas.

Colendi, & quare p.3.c.22.12. Sanctitatis argumentũ amor contemptûs, diſſ.1.4.

Sanitas.

In morbo quomodo peti poſſit p.3. c.8.19.

Satisfactio.

Imperatur ab amore p.3.c.17.§. 3.1. exempla ſeveræ §.9. eſt ſtimulus ad perfectionem, diſſ. 6.n.24.

Scientia.

Sine charitate nihil eſt p.1.c.5.4. inflatæ typus p.3.c.10, 12. ſervire poteſt virtuti 3. ideo non ſpernenda 2. eſt oculus & auris animi 4. in ea quid cavendum 6. temperandus ejus ardor 7. ſit lapida 9. redigatur ad praxim 10. illi neceſſarius comes amor 11. ejus ſtudium virtutis exercitio interpoletur 14. rarum exemplum 15. neceſſaria intentio 16.

Seceſſus.

Ejus neceſſitas & utilitas, Prolog. ad Conſidd.

Senex.

Senes à pueris monentur vicinæ mortis, diſſ.6.35.

Senſus.

Senſuum mortificatio, vide Mortificatio & Abnegatio.

Servus.

Servorum commoditas pro uſu temporis p.3.c.4.n.10. pra-

xis pro ipsis n. 11.

Severus.

*In judicando severus nimium punitur p.*1.*c.*27.§.1.5.

Silentium.

*Eo Deus melius laudatur p.*1.*c.*3. *n.*6. *Silentii sex mensium p.*3. *c.*16.6.

Similitudo.

*Nostri cum Deo à nobis pendet, cons.*2.3. *quomodo acquiratur, n.*5.6.7.8.

Socordia.

*Ejus damnum p.*1.*c.*17.6.

Solatium.

*An æger petere possit p.*3.*c.*8.24.

Solitudo.

*In ea juvari potest proximus p.*3. *c.*25.1. *variis modis* 2.3.

Somnolentia.

*Castigata ab Angelo in M. Anna p.*3.*c.*5.3. *S.Lutgarde* 4.

Somnus.

Ejus usus regitur ab amore p. 3. *c.*5.*n.*2.3.*quot horarum* 5. *qua intentione ineundus* 6.

Speculum.

*Speculum Crucifixus p.*2.*c.*16. 11.

Spes.

*Spes in Ven. Eucharistia in quo fundetur,cons.*14.*n.*3.4.

*Spes unionis dilata cruciat animam amantis p.*1.*c.*22.7.*quomodo lenienda p.*1.*c.*23.1.*animat ad patientiam, diff.*7.9.

Spina.

*Spinæ in rosas mutantur in studio perfectionis, diff.*6.21.

S. Spiritus, Spiritualia.

Quanta nobis ejus necessitas, cons. 22.*n.*1. *utilitas* 2. *præparatio apta* 3.4.5.6.

*In spiritualibus qui dat accipit, p.*3.*c.*28.8.

Stimulus.

*Stimuli ad perfectionem sedecim, diff.*6.*tota.*

Stultus.

*Qui stulti, & quàm multi,cons.*3. *tota.*

Superbus, Superbia.

*Superbi confusio p.*2.*c.*19. 12.*est dæmonis assecla,diff.*1.12.

*Superbia cavenda in oratione quomodo p.*3.*c.*12.12. *illi domandæ servit charitas p.*3.*c.*2.18. *divinas gratias impedit, diff.*1. *n.*13.

T.

Tactus, *vide* Abnegatio.

Tempus.

*Temporis pretium p.*3.*c.*4.*n.*1.2. 3. *est stimulus ad perfectionẽ,diff.*6.32. *ejus celeritas* 33. *& stultus abusus* 34. *ejus usus docetur à charitate p.*3.*c.*4.4.

Tento, Tentatio.
Ejus remedium exemplum Christi p.1.c.9. 13. quid in ea faciendum p.1. c.26. 15.20. quinquēnalis Catharinæ Bonavent. p.1.c.9. 5. & Magdalenæ de Pazzi 17. decennalis 6. duodecennalis p.3.c.3.14.
Tentatio desperationis victa p. 1. c. 26.12. Tentatio in sacro & in Beatæ V. cultu p.1.c.23.1.3. ob eam ne bonum omittas, diff. 5.18. Deum præsentem habe 19. in iis non peccas, nisi volueris 21. loricā patientiæ indue 23. idq; ex Christi consilio 31. ne te nimium vexa 24. omnia Deo permitte 25. eas peccatis adscribe 27. te cōsolatione indignū reputa 28. oppugnato intellectu voluntatis arcē subi 30.
Tentari quare Deus aliquos permittat, diff.4.13.
Tepor, Tepidus, *vide* Piger.
S. Teresia.
Ejus zelus p.3.c.28.7. cura de bonis cogitationibus, conf.19.3.
Timor.
Duplex, conf.12.1. quæ effecta filialis 2. 3. 7. ad charitatem disponit, diff.6. 16. est stimulus ad perfectionem 50.
Torpor.
Cavendus in desideriis bonis p. 2. c.8. 9.
Transformatio.
Quid sit p. 1.c.27. 1. ejus Idea 3. exempla 4. in quo consistit 5. virtutes ejus comites 12. emblema 13. qualis futura in cœlo p.1.c.28.1.
Tribulatio.
Quæ maxima p.2.c.17.4. fructus p.2.c.17. toto.
SS. Trinitas.
Quomodo provocet amorem nostrum, conf.23.5.
Tristitia.
Pellitur oratione p.3.c.9. 2. ejus malignitas 7.
Turpis.
Turpes cogitationes quomodo vincendæ p.3.c.3. 11.

V.

Vermis.
Vermes pro gemmis habiti, diff.7. n.3.
Veronica.
Veronica Binasco ab Angelo punitur p.3.c.15.6.
Vestitus, *vid.* Mortificatio.
Via.
Viarum peritiores rustici cur p.1. c.21.9.
Vigilantia.
Vigilantiâ vincendus dæmon, diff. 6.n.40.

Vin-

Vindicta.

In dicteriis Deo relinquenda, diss. 7. n. 30.

Virtus.

Probatur in tolerantia defectuum alienorum p. 3. c. 25. §. 2. 3. ejus pulchritudo stimulus ad perfectionem, diss. 6. 18. hostes duo p. 3. c. 27. §. 1. n. 4. Virtutum duarum certamen p. 3. c. 1. 4. illis acquirendis servit charitas p. 3. c. 2. 8.

Visitatio.

Ven. Sacramenti, vide Eucharistia.

Vita.

Vita humana similis navigationi, cons. 12. 4. Vitæ emendationem juvat memoria judicij particularis, diss. 6. 43.

Volo, Voluntas.

Velle unum in amore necessarium, p. 1. c. 5.

Velle Deo bona extrinseca est secundus amoris gradus p. 1. c. 14. toto.

Voluntas duplex, solida & fucata, p. 1. c. 17. 1. solidâ acquiritur amor perfectus p. 2. c. 7. 3.

Uniformitas.

Quid? p. 1. c. 27. 1. palæstra patientiæ, diss. 7. 1.

Unitas.

Est via ad perfectionem p. 2. c. 6. n. 2. ejus pretium 4. quomodo in multis servari possit 6. Vnus fuit in multis S. Ignatius 8.

Vsus, Vsura, Vsurarius.

Vsus præceptis potior in amore, p. 3. c. 1. n. 1.

Vsurarij mira mors p. 3. c. 17. §. 2. n. 8.

Waltherus.

Waltheri de Birbach cultus in B. V. p. 3. c. 21. 17.


Z.

Zelus.


Zelus, & ejus merces p. 3. c. 28. 3. Zelus S. Teresiæ p. 3. c. 28. 7. Mariæ Ogniacensis 15. 20.

FINIS.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


PPENNE
QUIN
ISAGOGE
ad
Amorem divi
num
O. VI. 10